

ANTONII

MORNACII, IN SENATV PARISI. PATRONI,

IN LIBRVM SECVNDVM CODICIS OBSERVATIONES:

TIT. I. DE EDENDO.

IMP. ANTONIVS PIVS.

L. I.

Ipse dispice quemadmodum pecuniam, quam te deposuisse dicis, deberi tibi probes. Nam quod desideras, vt rationes suas aduersaria exhibeat, id ex causa ad Iudicis officium pertinere solet.



INEM primæ huius constitutionis rectissimè supplet glossa: *quò scilicet*, inquit, *videat iudex cur actor petat hanc sibi editionem fieri.* Procacia enim vt sunt multorum ingenia, qui recentem aliorum fortunam ægris oculis introspiciunt, quod dixit Tacitus: ita nec passim omnibus aperienda via est, qua impunè, atque ad libitum, sibi permittat inuidus, osórue quilibet, arcanam omnium, quæ in alienis ædibus sint, inspectionem. *Curiosus nemo qui non sit maleuolus*; ait Plautus in Sticho. Pluráque in hoc Plutarch. tract. περὶ πολυπραγμοσύνης, seu, de curiositate. Optimè igitur Imperator pertinere ait ad officium iudicis, vt ex causa permittat, prohibeátue, librum rationum edi aduersario: plenáque proinde cognitione opus est. Neque ex abrupto, statimq; id licet, nisi aduersus eos qui, decipientes in publico, emungunt, corraduntque pecunias hinc illinc, posteáque ditari impensissimè ex alienis, foro cedunt: Bancoruptarios, vulgò dicimus. Sæpe, ac sæpius istud nostra in hac Lutetia: mitiúsque equidem cum eis agi, plures in hunc diem meritò conquesti sunt, ob spretum velut edictum Herrici magni, anno 1609. 4. Iunij, cùm sit genus hominum publico

exitio repertum, nec pœnis vnquam, quippe vulgaribus, & tedæ tantùm infamis gestatione, satis coërcitum. Laqueo constringi tandem incipiunt apud Neustrinos, vt vinculo pernecessario. Vt autem ad editiones, de quibus in textu, totóque hoc tit. redeam, Inijcitur etiam manus publica ex abrupto, atque à limine iudicij, in fœneratorum codices, aduersus quos, vt luant pœnas fœneratitias & pecunia, & nota publica, agunt dari interdum à principe iudices. In occulto enim, pérque artes tacitas, negotiantur non bona duntaxat, sed quasi animas debitorum, quos arrodunt sensim, *vt ripas molliores flumen*, eóque protrudunt sæpissimè, vt tabe tandem peresa illa turba, ac exspes, attritis rebus, euersoque omni censu, & patrimonio, vitæ infœlicissimæ mortem ex votis aut præcipirem, aut obrepentem, facilè præferat. Vorax adeò, immanit, belluináque, hisque maximè impotētiæ, ac fracti æui colliquiis, vsura. Vnicus, ad edendos eiusmodi vsurarum codices, textus in Clem. vn. de vsur.

Quid autem in more olim Romanis fuerit de libris rationum, cùm plures scripserint, perspicuum hoc maximè ex Cicerone, Tacito, Suetonio, & duobus Pliniis, qui variis locis ostendunt, fuisse Romæ neminem qui rationes familiares non componeret, quique quotidie priuatis, ac domesticis libris non describeret quid egisset, accepisset, soluisset, promisisset. Inde Cæsar cùm seruitia tecentiora immenso pretio emeret, & cuiusetiam ipsum pudeter, vetabat tamen emptiones istas rationibus inferri. Nec aliò dixerim referendos esse versus Pythagoricos, cùm ait, vnicuique quotidianum esse oportere, vt ante somnum, rationem secum habeat rerum omnium quas interdiu egerit: tangit enim, vt sit verisimile, morem patrium, id est Græcum:

Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν,
Πῆ παρέβην, τί δ᾽ ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

Idest, neque somnum mollibus in oculis capito, priusquam diurnorum operum ter vnumquodque percurras: quò transgressus sum, quid feci, quid à me factum non est quod fieri debuit?

Fuit denique inter quotidiana quod in hac legis specie, qua petit depositor vt is apud quem rerum suarum quippiam deposuerat, quique versari in eo mala fide videbatur, copiam librorum faciat in quibus diurna actorum scriberet. In quo tamen nè per malitiam fortuiti cuiusuis vitilitigatoris, insidiosive inimici, vt dixi suprà, panderentur domus totius arcana, penitiorésque recessus, (quod auersantur potissimùm imperatores in l. 2. quando, & quibus quarta pars, lib. 10. & in l. 2. de alim. pup. præst. lib. 5.) aduertendum etiam est, morem hunc fuisse, vt ederetur sola domestici libri ea pars, de qua instituta esset actio, prædictisque à petitore, & anno, & mense: quàm sanè prudentiam reperies in l. Argentarius. §. edi. iuncta glo. ff. hoc tit. Immò notat Iason ad hanc l. seruari Florentiæ, vt mercator non teneatur edere librum rationum, nisi petitor ostendat, ex mercatoris ipsius chirographo, quo libri folio scriptum sit quod petitur. Adeò timent, cauentque callidi illi χρηματοπῶλαι, seu, tumini sectores, nè lædatur vel tantillùm domus, fortunarumque suarum existimatio: & vt nè censoribus alienis, quasique delatoriæ curiositati, fiat quædam, nimiáque componendi, ad quæ sua non sint, calculi potestas, qualem describit iuuenalis saty. 3.

Hic vltra vires habitus nitor; hic aliquid plus
Quàm satis est.

Aut, vt apud Salustium: *Domi egestas, publicè luxus, & opulentia.*

Seruamus, vbi hæc incidunt, vt liber deponatur penes iudicem, quo vidente, & præsente, aperiatur confestim, legatúrque pagina in qua rei peritæ mentionem fieri actor dixerit. Aut etiam fit ea interdum depositio penes duos famæ integræ mercatores, qui hoc idem præstent quod suprà de iudice. Frequentissimo autem id in more apud iurisdictionis emporicæ præfectos, quos etiam, ex edictis, *Iudices Consules* vocitant. Arcana enim in reliquis partibus retegi, oculisque alienis, iisque vt plurimùm malignè curiosis, subijci, iniquum semper visum est, nec toleratum vnquam. Rarum præterea vt, ad obliquam inspectionis istius necessitatem, acceprurum se se ius ex ipso codice profiteri debeat apud iudicem petitor, nisi, pro personis forsan, aut causis, res

aliud suadeat, vt anno 1616. pronuntiauit primarius subsidiorum curiæ præses clariss. Dom. Cheualerius, perorantibus Hier. Bignonio, literaturæ politioris patrono, &

Notabis verò tanti esse exhibitionem eiusmodi codicum, præsertim vbi inter mercatores agitur, vt si ab alterutro litigatorum petatur, diffindi iudicij diem donec habeantur qui in aliis forsan prouincijs latent, præfinire in hoc debeat egregiè catus, cordatusque iudex quot dies, mensésue existimauerit, prout longinquior, propiórue fuerit locus. Ita senatus, cuius consultum adieci ad l. Argentarium. ff. de Iudic. quia textus singularis. Reperio tandem apud magnum Iuris canonici interpretem, Çardinal. Florentinum, ad d. Clem. vn. de vsur. quod neque hîc prætetiri debeat. Expassa enim vsque adeò vult librorum fœnebrium quæcumque intima, vt de fœneratoribus scribat in hunc modum: Consueuerunt, inquit, in codicibus scribere veram dari, acceptique rationem, licèt aliud pareat ex interpolatis instrumentis publicis. Si tamen cogatur vsurarius, instante, ac vrgente vsurario altero, libros edere, quibus vtatur petitor iste in partem, atque ad certa quædam capita, non possunt eo casu capita illa pro parte probari, & pro parte non: sed admittere, aut, vt loquitur, acceptare, cogendus est si quid aduersum se. Distinguendum autem docet ex Baldo, Tiraquellus. ad l. Si vnquam. num. 53. an eadem sint, & connexa capita, an verò separata. In connexis, ait, scindi non potest acceptatio, in separatis, secus. Notat & aliud Bartolus ad l. Si patronus. num. 6. inf. commu. vtriusque Iudic. quod obseruandum nec minùs visum est: libris nempe societatis standum esse inter mercatores socios. Et cùm de his adiretur ferè indies, ita se semper respondisse, atque consuluisse subijcit. Agit eo loco de duobus fratribus Italis, quorum alter quia ex re hæreditaria mercaturam fecisset, quærebatur quanta ex libris rationum fides, ad exercitas à fratre negotiationes, seu, vt vocant, ad mercantiam, constaret. Vnum superest ex eodem rursus Tiraq. tractatu, de pœnis temperand. num. 105. & 106. Vix enim, ait ex Paulo Castr. vt credatur libro rationum, nisi qui scripsit, sit vir bonus, & de quo nulla vnquam mala fabula: controuersiásque istas, præcipuè inter mercatores, & campsores, vt vocant, colloceat, nec frustrà, cùm in negotiationibus, & commerciis potissima sit scripti, testimoniorúmq; ea pars. Tantum verò de publico, regiisque edictis obtinent libri trapezitarum, seu nummulariorum, qui certæ regionis acceptam pecuniam regionis alterius pecunia permutant, déponentique, ac eius, qui primùm acceperit, literas ferenti, per vrbes, vel ad Bosphorũ vsque Thraciũ, renumerãt; at vero & domestici etiã eorum libri, qui in sacris Romæ expeditionibus ministeria, seu ad beneficia ecclesi. seu ad matrimonia, similesque petitiones pontificias, præstãt, vt ambigatur numquam de eo quod in ipsis scriptum sit. munus enim vtriusque negotiationis publicum: publicique sunt, ac sacri hinc illinc libri. vocantur autem vulgari idiotismo Gallico, qui in Romanæ curiæ negotiis versari soliti sunt, *Banquiers expeditionnaires*: alijque, quorum negotiatio in nummis, *Banquiers changeurs*: Dixi de vtroque Trapezitico eo genere variis locis ad pandectas, maximéque ad l. centum capuæ. De eo quod cert. lo. & tit. de edend. Notabo obiter, conqueri sæpius, iuréque optimo, plurimos de negata ope eiuscemodi codicum à trapezitis Romanis, licèt litigator & aduersarij, & beneficij, de quo lis est, nomen enuntiet. alij edunt: alij non, nisi dicatur quo anno, & mense: quod vt vnquã fiat, ferè vix est. Cæterùm aliena prorsus Io. Fabri, prætatio, dicentis referendum quod hîc ab imperatore deciditur, ad rationes tantummodo publicas, factas nimirùm ab iis qui publicum munus exerceant: secus verò esse in priuatis: Censuit enim ordo ampliss. vt attingo suprà, publica nihil in eo differre à priuatis. Vide iterum ad l. non est nouum, inf. hoc tit. vbi & varia notaui ex vsu. Dixi etiam fusissimè ad l. 1. totóque tit. depos. ff. quàm speciosa sint, nec vulgaria, depositi priuilegia, & iura.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 3.

Edita actio speciem futuræ litis demonstrat, quam emendare,

vel mutare licet, prout edicti perpetui monet auctoritas, & ius reddentis decernit æquitas.

De damnata ab omnibus Accursij opinione ad hanc l. quantum ad emendationem, vel mutationem libelli, dixi ad l. in delictis. §. si detracta. ff. de Noxalibus, ad quam propterea vide quod hîc vel aliis verbis repeti, ad pudorē nostrum pertinere duximus

IMP. ANTONINVS.
L. 4.

Qui accusare volunt, probationes habere debent. cùm neque iuris, neque æquitatis ratio permittat vt alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante: qui conuenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit.

Inde putat glossa, eum qui occultat proprium instrumentum, non committere dolum, vel falsum.

Ratio autem est ex l. Nimis graue. inf. de testib. Nimis graue est, aiunt imperatores, quod petitis partem aduersam cogi ad exhibitionem eorum per quos sibi negotium fiat. Sic ille textus vulgatiss. cui & subijcietur optimè quod apud Publium;

Bis interimitur qui suis armis perit.

Ouid. lib. 3. de arte:

Non auis aucupio monstrat qua parte petatur,
Non docet infestos currere cerua canes.

Rursusque in epist. Phillidis ad Demophoontem.

Remigiumque dedi quo me fugiturus abires,
Heu, patior telis vulnera facta meis.

Scitè & in hoc ipsum Lucianus in piscatorib. *ὡς παρ' ἡμῶν τὰ τοξεύματα, ὡς φῄς, λαβὼν, καθ' ἡμῶν ἐτόξευες.* i. *Acceptis à nobis, vt ais, telis, contra nos iaculatus es,* Vnum superfit ex Plaut. Amphitr. *ipse homo sibi à me malam rem arcessit iumento suo.* Plena deniq; eiuscemodi ingeniosis tessellis literata vetustas, vt nè quis seipsum prodat aduersario. Nihilque proinde cauent accuratiùs sagaciores in ordinandis, instruendisque litibus quàm nè quid per incogitantiam edatur quod noceat, cum tamen & malum hoc incidat sæpius. Cæterum, *Accusare*, hîc arguit procul dubio voluisse eum qui experiebatur, accusare falsi instrumentum, de quo etiam in textu, editumque id à Reō non fuisse, nè se, vt verisimile est, implicaret lite molesta, & cuius forsan exitiosus foret exitus.

Quantum autem sibi cauere soleant Rei criminum in eo quod addit imperator, liberari, absoluique eum qui conuenitur, seu accusatur, nisi actor probauerit, succurrit elegans æquidem censura Demostenis tam ex oratio. de falsa lēgatio. quàm ex oratio. 2. contra Onetorem: fieri numquam scilicet vt Reus fateatur obiectum crimen. pernegat semper, mentitur audacter, & comminiscitur quicquid putat, sperarque pro futurum ad vitandum quod imminet. *σκοποῦσι τί λέξουσιν. οὐδεὶς πώποτε ὦφλε σιωπῶν, οὐδ' ἀδικεῖν ὁμολογῶν,* & cæt. Sic ille. Optimum igitur glossæ cōsiliū est, probatumq; omnibus, vt ne quis prodat seipsum. vide ad l. 5. ff. de iureiur. Prospiciendum ergo, seduláq; opera cauendum, ait Boërius qu. 252. cùm instrumentum ad causas ciuiles editur, nè quid in eo pareat, lateátue, vnde malè vertat edenti. Recipi enim, seu retrahi, vt loquimur, amplius non potest, vbi semel prolatum, editumque est, sed fit commune vtrique litigantium. Faterique, & admittere necesse est quicquid complectitur. Ita Boërius, eóque iure vtimur. Dicamque obiter, atque in transcursu. S. Sacelli Parisiensis

clericos excidisse funditus possessione plusquam ducenaria iuris parœciani in imo sacello, complectentis accolas omnes totius Palatini ambitus, qui instar oppidi, quia lite renouata anno 1611. protulissent primam parœciæ illius concessionem, quam olim, nempe anno 1316. Ioannes 22. ad quinque duntaxat parœcianos redegerat, cùm posteà excreuisset numerus ad ducentos, & ampliùs, id est, ad totum illum Palatinum ambitum quem deinceps pertinere ad Bartholomæianam ecclesiam censuit ordo amplissimus eod. anno 1611. die 19. Maij, exceptis accolis quinque, quos dixi, putà ianitore, olitore, duobus cornicinibus, qui nunc Palatij custodes, & insulario, (coociergerium vocant, hodiéque Bailliuum) perorabamus Ioann. Arragonius, Lud. Robertus, Annæi filius, Doujatius, & ego, qui dolui editam fuisse aoteà damnosam adeò tabulam. Per duas matutinas sessiones egimus, vitiique demum causæ non mioima pars, cum Paris. consuetudinis renuntiatione, seu processu verbali, vt loquimur, quæ collegij illius intercessiooes nullas ad art. 350. complectitur, in obsoletum istud tabulæ veteris recubuit.

IMP. ALEXANDER.

L. 5.

Non est nouum, eum à quo petitur pecunia, implorare rationes creditoris, vt fides veri constare posit.

Iunge l. inuitum. & l. vlt. inf. hoc tit. atque l. 4. inf. de fide instrum. & cùm de omni creditore agatur hoc textu qui clarè commonstrat quam malè semper soleant fœneratores diuexare miseros debitores, quorum tāta persæpe faciliras, imprudētiáque, ac simplicitas, vt soluant, non acceptis à creditore, seu potius fœneratore apochis, præclare Cicero pro Q. Rabir. *prò, dij immortales, essene quemquam tanta audacia praditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem referre iniuratus noluit, id iurare in litem non dubitet? & in ea, pro Cluent. cum de Verris codice loquitur* : *interlitus*, inquit, *proferebatur. in ea qua in Vatinium: Codicis tui literas contemplare*: sic Tullius, quem &, in hoc ipsum, memini ad l. 1. sup. de more Romanorum veterum, quo rationes, librique fiebant à singulis de quotidiano quocumque negotio. frequentissima antem decisio ista est aduersus mercatores, vt scilicet cogi possint exhibere codices rationum quibus liquere possit de veritate debiti: quod notant Baldus hîc, Paulus Castr. & Salicetus. liber mercatoris facit semiplenam probationem, si probarę sit fidei mercator, ait Aufrerius, ad quæst. 497. in decis. cap. Tolos. eóque sensu accipiendum quod scribit Decius, consil. 596. inquiens librum rationum probare etiam pro scribente quando verisimilia contines. Vidus Pap. q. 441. sex in eo necessaria enumerat. Primum est, si mercator sit illæsæ existimationis. Secundum, si ipsemet manu sua scripserit. Tertium si vera scribere consueuerit. Quartum, si causam subiunxerit. Quintum, si aliquid contra se eodem libro scripserit. Sextum, si ex rebus ipsis, seu circumstantiis, vt loquimur, coniici præsumique possit, verum esse quod scriptum est. Differit istud amplissime Molinæus, §. 5. num. 20 ad Cons. Paris. deciditque fidem haberi eiuscemodi Codicibus in genere, quando pluribus capitulis inueniuntur veritati conformes: verbum eius est. Dicit autem, *in genere*, quia, vt notaui suprà, eóque iure vtimur, semiplena tantùm probatio illa est. Secus si inter socios, vt docet Alexander libr. 2. consil. 186. Tunc enim Codice rationum confecto vel à sociis omnibus, vel ab vno qui à cæteris præfectus sit, fides habetur intet socios: sic ille. quotidianum verò hoc aduersus institores, seu complimentarios, vt loquimur. vide cætera ad l. 1. sup.

IMP. ALEXANDER.

L. 7.

Procurator priuata rationis instrumentorum, qua tibi cum fisco communia esse dicis, describendorum facultatem, secundum morem, fieri iubebit.

Doctrinam hanc eliciunt Salicetus, & Alexander: instrumenta communia fisco cum priuato, esse oportere penes fiscum, vt digniorem, qui tamen facere debeat eorum copiam priuato, vt exscribantur, imò & exhibendum esse archetypum ipsum, seu originale, si deposcat causæ necessitas: Dixerimus nos Galli, *le procureur du domaine doit estre saisi des pieces communes entre le fisc & le particulier*. Scribit iude Chopinus libro tertio titul. 11. de domanio; possessorem fundi quem fiscus sibi asserat, titulum suæ possessionis cogi edere, nec alio etiam iure vtimur. Cùm autem, ex iure Romano, edi solerent ab aduersario instrumenta quælibet procuratori priuatæ rationis, reperio in l. in fraudem. §. neque. ff. de iure fisci, quod interpretatione aliqua egeat. Vult enim ille textus fiscum actorum suorum exempla hac semper conditione edere, eorúmque copiam facere, vt nè his vti liceat aduersum se, vel rempubl. De quo & cauere compellebatur is cui copia illa fiebat, vt, si contra fiscum vsus fuisset, causa caderet. Durum certè istud: sed inane nihilominus apud nos. quamuis enim fiat nunquam instrumenti vllius copia à ratiociniorum regiorum magistris, nempe, vt loquimur, in Camera computorum, nisi hac semper conditione, vt qui petit, nunquam vtatur instrumento exscripto aduersus principem: tamen si res ferat seu in lite iam cœpta, seu non, fiscali huic protestationi detogant semper boni iudices, ferúntque aduersus fiscum sententiam ex editione quæ ab eo ipso facta est, si condemnationi ex illa sit locus. Et sanè id optima ratione. publicum enim ratiociniorum regiorum decuriæ archiuum: ex quo proinde si exscribatur quippiam quod ad rem priuati postulantis faciat, eadem prorsus benignitate aduersum se admitti Princeps quod aduersus collegia, & corpora societatum obtinet, ex quorum chartophylaciis exemplum aliquod vel sponte, vel vi, auctoritatéque iudiciaria, acceptum sit. Valeat denique illa archiui regalis formula apud incautos, quos leue conditionis adiectæ terriculum moueat, auertátq; quominus, exemplo indulto, actiones instituant. omittunt quidē numquam istud ratiociniorū præfecti, vt diximus, si ex adiecta libello, litis, cuius causa exēplum petitur, tabula aduertant litem esse cum Principe. Seruatur autem contrarium à peritis, qui norunt ex more Gallico, posse agi aduersus Principem, id est, aduersus clarissimum ipsius procuratorem, perinde atque aduersus priuatum quemlibet: quam humanitatem mirantur meritò exteri, ipséque inter cæteros Baldus ad l. magis puto. ff. de reb. eorum. Solus enim ferè rex Gallorum patitur sese, in iure dicundo, committi cum subditis. Hinc sedens illius imago sceptrigera in omnibus rescriptorum, senatusconsultorúmq; sigillis cereis, cū alij principes equestri, armatáq; semper effigie exhiberi soleāt. De hoc satis. superest iā vt aperiatur, inter Procuratorē priuatæ rationis, vel rei priuatæ, & procuratorē Cæsaris differētia. Idonea enim & hîc nec minus mētio quàm ad ri. de offic. procur. Cæs. ff. Ad quem cùm plura dixerim, pauca hæc rursus subiungam: procuratorē nempe Cæsaris fategisse semper rerū imperij. Inde enim procurator fisci dictus est, vt docet Cuiacius ad tit. 5. de delatorib. lib. 10. ex Dio. lib. 53. latéq; istud explico ad l. 1. de offic. procur. Cæs. Procurator autem rei priuatæ, seu priuatæ rationis, ille est, qui procurat patrimonium priuatum, fundósque Imperatoris, quod latè describit Lucianus, dial. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. vocatur propterea rei familiari Principis præfectus, seu præpositus, apud Tacitum libr. 12. Sueton. in Claud. & apud Dio. in Tyber. succurrítque optimè locus Malchi, in Byzantinis: Ἀλέξανδρον δ' ποιεῖ τῶν πριβάτων Κόμητα. id est, *Alexandrum facit rerum priuatarum Comitem*. Tamen nè quis cæcutiat, perpetuum hoc apud nos, vt vox dominij, vel, vt in vernacolo est, domanij, referatur ad ea quæ sint patrimonij coronæ: vulgò dicimus: *biens du domaine de la couronne, y estans vnis & incorporez, & desquels les receueurs, & officiers royaux rendent compte tous les ans en la chambre des comptes*. Ipsa enim verba sunt edicti Molinens. ann. 1566. art. 2. Quod si habeat Princeps priuatum aliquod patrimonium, necdum cohærens, applicitúmque, & vnitum, vt loquimur, patrimonio Coronæ, vt habuerūt Franciscus I. Ludou. XII. & Henricus Magnus: patrimoniū illud vocari non solet simpliciter, *domaine*, sed adiecto semper nomine patrimonij rei priuatæ, putà, hodie patrimonium Nauarræ, cui præfectus, ac præpositus nuper Aug. Gallandius, eruditiss. in Sen. patro-

nus, hoc titulo, & nomine, Procurator domanij antiqui Nauarræ: cum nemo vnquam anteà fuisset, sed administraretur peculiare istud Principis manu regia. Sic & habent Hispan. Reges patrimonium priuatum, separatum quidem, ac distinctum à patrimonio Coronæ, vt constar, inrer cæreta, ex Conciliis Hispanicis: tandem verò, vt in Gallia, Procuratores rei priuatæ admissi.

AVTH.

Si quis in aliquo documento mentionem faciat alterius documenti, nulla ex hac memoria (gl. id est, instrumento in quo habetur memoria primi) *fiat exactio, nisi aliud documentum, cuius memoria in secundo facta est, proferatur*, &c.

Tanta nouellæ istius est æquitas, vt & locum in fisco habeat, l. 2. ff. de fid. instrum. atque vt ne quis fallatur ex regula legis, Asse toto. ff. de hær. instit. qua dicirur, relatum esse in referenre, docet glossa pragmaticæ sanctionis. §. sacrosancta. de auctotirate sacrotum conciliorum, in verb. tenor. per illum textum, si tenor instrumenti confirmati inseratur κατὰ πόδα, atq; vt dicimus, de verbo ad verbũ, instrumenro confirmanti, fidem eo casu plenissimam instrumento enuntiato adhiberi ex instrumento confirmante: id verò quamuis desit, perieritque archetypum, seu originale, vt vocant. supplendum tamen est ex Bartolo ad hanc Auth. si modò tabellio manu sua authenticum subscripserit, & tradiderit, quoniam eadem tunc & persona & auctoritas, ait ille tam hîc, quàm ad l. si quis. § prætor. ff. hoc titul. ad quam ita etiam Alexander, & Iason. didici olim ex Chopino, in deliberatione forensi, satis esse ecclesiæ, si quod habet in archiuo instrumentum, transcribatur, ac subsignetur à Notario: in quo citabat cap. cùm dilecta, de cõfirmat. vtili, vbi reuera textus in hoc singularis. docet Alexander hîc, exemplum repertum in archiuo publico, fidem facere, in quo tamen distinguit Molinæus ad Cõs. Paris. num. 5. quem vide. quid si in episcopali? censuit Senatus fidem ex eo fieri contra episcopum Claromont. cui nõ alia ex causa comitatus Claromont. ademptus est, ann. 1551. licet nec subnotatum esset manu publica fiduciæ Clatomontanæ, seu sequestrationis, ac depositi, instrumentum. latè describit senatusconsultum Lucius lib. 9. titu. 5. Sciendum verò est, interesse oportere aduersarium, aut saltem vocatum esse cùm fit exscriptio à viatore ex rescripto regio, vt quotidianum est. Aliàs enim, & nisi hoc seruetur, nullius momenti est quicquid fiat: idque etiamsi vel actuarius senatus exscripserit. Nulla enim alia exsctiptionis istius prærogatiua est, nè quidem si pendente lite (quod fit sæpius) ex libello porrecto curiæ, instrumenrum aduersarij aliquod exscriptum fuerit. Imò quamuis confecta hæc sint ab actuario senatorio, & præsens, vocatúsque sit aduersarius, obtinebunt tamen dumtaxar contra præsentes, aut vocatos: aduersus aurem cæteros, non, nisi antiqua sit collatio. Ita seruamus. & hoc scripsit Molinæus ad Consuet. Paris. §. 5. nu. 41. Denique cautissimos in eo esse oportet iudices nè, pro solida effigie, vmbris vtãtur, quod dixit Tullius: Suspecta enim ferè semper instrumenti collatio est, quascumque grandioris ætatis species membrana, chartáve induerit, nisi præsentibus iis quorum interest facta sit, & nisi aliunde constet fides: vidi hoc ipsum restari persæpe summos iudices: eóque sensu accipiendus locus Synesii, epist. 67. vbi vocat exempla instrumentorum, quæ aliàs dicimus, vernaculo nostro Gallico, *doubles, ou copies des contracts, testaments, & autres pieces semblables*, ἀντίτυπα τῶν γραφέντων, obseruo id in transcursu apud elegantiores; & doctiores. Dixi iam de his ad l. 3. sup. de rescript. ita tamen vt repetitum, iteratúmque nihil quippiam.

TIT. II. DE IN IVS VOCANDO.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Sicut bonis moribus conuenit reuerentiam manumissoris vxori præberi:ita re exigente,in ius siue permissu prætoris vocari prohibitum est.

Spectat hodie hæc lex maximè ad patronos feudales,vt si quid non in se,sed in vxores peccatũ sit à vassallis vlciscantur illi, modò vt feloniam,cum aliquid grauius: modóque vt contemptum,contumeliam,iniuriam, aut, quod dixit Tacit.lib.13.coalitam irreuerentiam. In quo eximium mihi semper in temerarios vassallos visum est quod ait Vlpianus aduersus libertorum veterum ingratitudinem in l. 1. de iure patron. in hæc verba: *patronorum querelas aduersus libertos, præsides audire, & non translatitiè exequi debent: cùm si ingratus sit libertus, non impunè eum ferre oporteat.* Contemptus verò ille est,imminutáq; patroni feudalis dignitas, si in oblationibus forsan ecclesiasticis,& parœcialibus,vt vocant,anteire audeat vassallus patroni feudalis vxorem,sique in supplicationis processu,(processiones dicimus)aut si quid simile,vnde etiam quotidianæ,grauissimæque inter nobiles parœcianos lites,ac iurgia,imò & cædes.libellũ nuper conscripsit vnus è fori nostri patronis ad componendas eiusmodi frequentissimas concertationes,rixásque valdè vtilem, nominaui iam anteà auctorem ad primum volumen Pandectarũ, tit. famil. hercis.in quæstione prærogatiuarũ feudalium,præsertim quoad sepulchra, & loca, sedésque in ecclesiis parœcialibus. grauius autem longè crimen est,feloniáque vindicanda decretis feudalibus,id est, per commissionem feudi, si quis temerare ausit patroni sui thorum genialem, ac nuptias,compertus nempe adulterij in domini sui coniugem. Verba tituli,quib. mod.feudum amittatur,libr. 1. feudorum, hæc sunt: *Si fidelis cucurbitauerit dominum, id est cum vxore eius concubuerit, vel concumbere si exercuerit, aut cum ea turpiter luserit: &c. iure feudum amittere censetur.* Idem rursus lib.3.tit. 2.§.2.lib.2.tit.57.& tit. 38. Corbitam pro stupro vsurpabant Longobardi. proindéque cucurbitam vocabant vxoris adulterio infamem, quæ interpretatio Othomani est in verbis feudalibus. Nihil equidem quod honestiores diriùs exasperet, maximè, vt apud Vlpianum, in l.mariti. ff. de adulter. si excusare ignorantiam suam nec possint, patientiámve adumbrare prætextu incredibilitatis: ait ille textus: erumpente scilicet vsque adeò infamia in publicum,vt non vicini dumtaxat,sed extera quælibet,& vrbis, & aduenarum loquatur garrulitas.

Ου μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων,
Ἀτρεῖδαι; id est, *num soli hominum vxores suas amant Atridæ?*

Ita in hoc ipsum ille ipse Vlp.ex ἰλ.1.in l.si vxor.eod.illo tit. de adult.quod Virgil.libr. 9.Æn.

——non solos tangit Atridas?
Iste dolor.

Feloniæ igitur crimen est,idque grauissimum, ex quo proinde committi feudum debeat,cuiuscúmque sit dignitatis vassallus,vt amplissima persæpe feuda vilioribus quibusdam accedunt,ac subseruiunt: nec potest obsequium feudale eximi, nisi dimittatur pariter amœna,gratissimáq; interdum domus,ex qua & multus sit reditus. In quo *si parua magnis componere liceat*,haud abs re,opinor,si de nobilissima illa ditionum feudalium,circa Lutetiam, dixero quod norunt plurimi. Regio Callirhoes, seu, Fombellaquæ,nomine celebratur illa apud exteros,Bosphorúmque vsque Thracium. Et tamen ante annos decem, aut duodecim, ex antiqua concessione, ad feudi vilissimi fidem semper spectauerat,quod emendum fuit tandem, cùm nemo nesciat ex lege Franci-

ca, cedere oportere vel ipsum Principem feudo inferiore, seu seruiente, vt loquimur, aut patronum feudi dominantis indemnem præstare, si illud emerit. Secus si ex causa feloniæ, aut alia simili reuersum sit, vt traditur fusiùs à Præside Magistro, tractatu, de feudis, cap. 1. Eiusmodi autem sunt domus, per vniuersam Galliam, innumeræ, quarum feudum dominans adeò vile est, vt vel concludatur sæpius vno lapide: qualia per Belsiam plurima. Aëriáque ex eo, volantiáque vocantur illa feuda: At verò & quadrantis interdum vnius dominans feudum est. Ita vt nihil, vnde eminere possit, præter fidem vassalli, habeat. Frequentissima autem hinc litium, contentionum, immò & cædium argumenta. Sed de his hactenus. Cetera, de sententia legis, vide ad tit. de Senatotibus. ff. & quantopere vxores inclarescenti maritorum fortuna honorandæ sint. Seligo enim hîc dumtaxat quæ ad hypothesim.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Venia edicti non petita, patronum seu patronam, eorúmque parentes, & liberos, hæredes insuper, etsi extranei sint, à libertis seu liberis eorum, nõ debere in ius vocari, ius certissimum est: nec in ea re rusticitati venia præbeatur, cùm naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur. Cùm igitur confitearis patroni tui filium, sine permissu Præsidis, te in ius vocasse: pœnam edicto perpetuo præstitutam, rescripto tibi concedi temerè desideras.

Ratio fuerit ex Nou. de iureiur. à mor. præstito: qua dicitur in genere, defunctum viuere in persona hæredum, qualescúmque illi sint, quod explico latiùs ad l. nam & si parentibus. §. 1. ff. de inoff. testam. ad l. si pactum. de probatio. & aliis locis ad pandectas. Porrigendum verò rursus, quod hîc de patronorum hæredibus dicitur, ad iura feudalia, qualia seruantur nostris moribus, atque ex libris feudorum, quibus idem prorsus honos debetur & liberis & hæredibus quibuslibet patroni feudalis, quem in vxore, ad superiorem legem, attigimus. Ita vt omnes iisdem regantur regulis, eodem fruantur iure, iisdémque pœnis plectant vassallorum seu superbiam, & ingratitudinem, aut etiam libidines, ac, vt verbo feudali vtar, felonias. Enumerantur ista toto tit. quib. modis feudum amittatur, lib. 1. feudor. & aliis quos suprà congero. Notabitur autem, quamuis nostra hæc lex hæredibus extraneis eadem iura tribuat in libertorum ingratitudinem, quæ & liberis ipsis, longè tamen acriorem, incitatioremque fore iram feudalis domini, si vitium allatum filiæ à vassallo videat, vindicésque eò magis esse oportere tantæ iniuriæ iudices quorum sit cognitio, nempè ob prostratam ab eo ipso filiæ patroni sui pudicitiam qui tueri illam præ omnibus, atque aduersus omnes, debuerat, vt legimus apud Homerum immissam ideò, soláque ex ea causa, ab Apolline pestem in Græcorum exercitum, quia cùm esset ille ex maioribus Græcorum diis, ac patronis, æternam tamen inussisset Agamemnon maculam, & notam domui Chrysæ, sacerdotis sui, imò dixerimus, hominis sui, (quod verbum hodie & feudale, & pontificium) stuprata nimitùm Chryseide, Chrysæ filia: sic enim accipiẽdus versus:

Οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα.

id est, *quoniam Chrysen inhonorauit sacerdotem*, cæteras vassalli in dominum iniurias si quis cum tanto dedecore conferat, ferè equidem res nihili, ac reduuias, seu παρωνυχίας, vt interpretatur Erasmus in Adagiis, nemò non dixerit. Tractaui ad l. 1. de ritu nupt. ff. de honore ęqualiter debito & vxori, & liberis patroni à vassallo, seu in Ecclesia, seu aliis in locis publicis. de infamia autem familiæ vindicanda à liberis, maximéq ob filias, quæ

tanto grauiùs,acerbiúsque istud gemuunt,vide,si lubet,ad l.heredes.§.si filius.ff.famil. hercis. Vlteriùs enim non progrediar, cum ad l. superiorem nonnulla iam quæ huc spectent,collegerim.altera enim de vxore est,altera de liberis,atque heredibus extraneis qui defuncti personam referunt. Quantum ad rusticiratis veniam, de qua etiam in textu,dixi ad l. Cum de indebito.de probat.ad l.pecuniæ fœnebris. de vsur. ff. & ad l.3.de defensorib.ciuit.sup.lib.1.Vnum superest ex Boërio,q.65.num.3. Decidit enim ex legis istius parte,quæ de pœna 50.aureorum est, pœnam,seu mulctam,addictam vni ex litigatoribus, non posse remitti à Principe, vt qui iura quæ iam alicui quæsita sunt, numquam auferat. fusius ille eo loco.

TIT. III. DE PACTIS.

Imp. Severus, et Antoninus.

L. 1.

Conditionis incertum inter fratres non iniquis rationibus conuentione finitum est. Cum igitur verbis fideicommissi petitum à patre tuo profitearis,vt,si vita sine liberis decederet,Licinio Frontoni restitueret: pactum eo tempore de sextante Licinio Frontoni dando , cùm liberos Philinus non sustulerit,interpositum non iccirco potest iniquum videri,quòd facta,sicut placuit, diuisione,diem suum,te filio eius superstite, functus esset.

Toleratur nimirum legis istius conuentio ex causa incerti euentus ; vtrùm nempe Philinus decessurus esset,susceptis liberis,vel non. Eadem decidendi ratio est,tametsi in dissimili specie,in l.qui Romæ.§.duo fratres.de verb. oblig. nec verò ad pura dumtaxat fideicommissa,de quibus hîc, facta scilicet μονομερῶς, partéque ex vna duntaxar, sed & ad reciproca,veréque συναλλαγματικά,de quibus in l.de fideicommisso. de transact. inf.& in d.l.qui Romæ.§.duo fratres. iuncta ibi Glo. Toleratur etiam donatio inter virum & vxorem mutua, ex nostris moribus, ob incertum fortunæ exitum, de quo in l.sancimus.§.vlt.Cod.de donation.cum aliud ex moribus Romanis,ait lex.1.ff.de donat.inter vir.& vx.ad quam fusè dixi. Item,atque ex eadem ratione, in fœnore nautico,de quo totus tit.de naut.fœn.ff.& Cod. In Antichresi.l.si is qui bona.§.si ἀντίχρησις. ff.de pign. ad quam tamen vide quæ sit Gallica in eo æquitas. In sponsionibus ludicris, ac aleatoriis, si tamen in re honesta, ac licita, de quibus Molinæus, tract.de vsur. nu.816.dixiq; ad l.17.si gratuitâ.§.si quis sponsionis.de prescr.verb.rursúsq; ad l.17. de cond.indeb. Res tamen eo casu ad commune, & iustum rei pretium redigitur,vt decidit eo loco Molinæus. Ita & semper Senatus.Adde etiam species legis,oleo.de vsur. inf.cap. In ciuitate.& cap.nauiganti ext.de vsur. de eo qui mutuat pecuniam, stipulatione adiecta certarum mensurarum vini , grani, vel olei, quæ pendantur sequenti anno,loco pecuniæ.nō debet enim ex eo quis fœnerator, seu vsurarius haberi, ait cap. nauiganti.nimitùm ob pretij incertitudinem, vt dixi, quod & interpretes ad d.l.oleo. plura sunt similia. Cùm autem species huius legis implicatissima sit , eam sic habe: Philinus hæres est institutus à patre Philino , & rogatus restituere hæreditatem Licinio Frontoni si ipse Philinus decederet siue liberis. Antequam liberos sustulisset Philinus,cum Frontone conuenit vt,sextante accepto, remitteret Fronto incertum conditionis, id est, spem consequendi dodrantem, atque ita liceret Philino liberè disponere de septunce. poterat enim Philinus de quadranre iure suo statuere quem habebat ex Trebelliano. De dodrante autem restitutioni subiecto, si ipse Philinus liberos

non sustulisset, contrahere, testarive non poterat. l. vlt. §. sin autem. commu. de legat. Itaque de dodrante illo sextantem dedit Philinus Frontoni, vt septuncem liberè haberet. hoc pacto facta diuisione hæreditatis, contigit vt Philinus diem suum obiret, relicto Philino filio, nato post pactum, qui filius à Frontone patruo sextantem illum reuocare vult, quia Fronto in easum nati filij Philino, sperare nihil quicquam debetet. excipit Fronto de pacto. Rescribunt ergo Imperatores Frontonem rectè excipere propter æquitatem pacti interpositi iuxta legem, qui æquitate. de doli except. ff. æquitas autem in eo fuit ab initio, quòd pactum istud finierit, ac sustulerit incertitudinem, qua alioqui Philini vita iactabatur, atque etiam Frontonis ipsius inter spem & metum.

Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora:

ait Horatius: *Euentus in manu fortunæ est, sapientes verò fortuita debent excludere*: apud Sueton. in Nerone, cap. 23. futuri casus incertitudo tāti momenti est, vt (quod dixit Seneca, epist. 8.) *non sit tuum fortuna quod factura sit tuum*. Lucanus: *Fértque, refértque vices, & habent mortalia casum.*

— volubilis errat. Ouid. 5. trist.

—nec in cunctis seruat fortuna tenorem. Manil. 3. astronom.

Centum doctûm hominum consilia hæc vna deuincit dea. Plaut. in Pseud.

Plura denique apud Robert. lib. 2. rer. iudic. cap. 4. & 5. ad quęstionem filiæ renuntiantis successionibus parentum futuris, beneficio dotis quam acceperit in causam matrimonij, seligo enim quæ ille, inter varia, quæ de casibus fortuitis colligit, nec adiicienda forsan putauerit. τύχη inde ἀπὸ τῆς μοίρας differt. illa ex casu, ac incertitudine, hæc ex certo Iouis iudicio, quale subodorati, attigerúntque veteres. Διὸς μεγάλου ἕκητι, apud Hesiod. id est, voluntate magni Iouis. quò & spectat vulgatum hoc ex Homero, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, id est, Iouis perficiebatur consilium. Ingens mare. Aliam verò speciem finxit Othomanus, tamquam fideicommissi reciproci, vt in l. cùm proponas. & in l. de fideicommisso. inf. de transact. atque in hoc remouendum putat verbum hoc, *Philinus*, contra fidem omnium exemplarium, cuius propterea opinio explosa est ab omnibus interpretibus, vt versari in iure sciunt parum fœliciter ei successisse in aliis pandectarum, & Codicis locis plurimis. testes, inter cæteras, fuerint lex, frater à fratre. de condict. indeb. ff. & lex, Transigere. inf. de Transact. Speciem integram adscripsi, quia ferè vix est vt prima, secundáve lectione contextum assequatur quis, quantumuis acutissimus, quid ferret Frontonis, ac Philini filij disceptatio. recenseo ex vsu ad l. si pactum. ff. de probationib. varia, latáque paucis ab annis, senatusconsulta quæ huc summoperè faciant.

IIDEM IMPP.

L. 4.

Postquam liti de prædio motæ renuntiasti, causam finitam instaurari posse nulla ratio permittit.

Ratio est, quia tunc, pérque eiusmodi renuntiationes, lis dicitur mortua, vt in l. 2. ff. Iudic. solui. καὶ δίκη μὴ ἔστω, vt apud Demosthenem, id est, lis quæ amplius non est. vt autem doceamur ex l. Qui res. §. aream. ff. de solutio. actiones semel extinctas numquam amplius reuiuiscere: ita & multò magis de lite, vt quæ sine actione institui non possit. Deinde verò & obstat ratio legis 3. Terminato. inf. de fructib. & lit. expens. nempe post absolutum, dimissúmque iudicium, nefas esse litem alteram consurgere ex litis primæ materia. optimè Lyricus:

Nec valet exemplum litem quod lite resoluit.

Quærit Molinæus ad artic. 7. consuetud. Burdigal. ex notatis ad hanc l. vtrùm

actor in retractu,sunt eius verba,possit,inuito reo, renunciare liti, & discedere ab emptione. posse autem renunciare, decidit, donec Reus acceptauerit. sed postquàm acceptauit,Reus,séque paratum dixit accipere solutum à se,in causam emptionis, pretium,redire amplius actor non potest, vt instauret litẽ tunc planè mortuam. In quo ridet Molinæus,nec immeritò,opinionem Ferroni qui putauit contrarium.& sanè sequimur,quotidianis experimentis,Molinæi sententiam:nouique equitem Turonensem, qui non ita pridem amisit nobilissimi apud Lemouices feudi partem auitam, & pacatissimam, quia cùm redhibitione genitilitia egisset ad partem alteram, quæ à cohærede vænierat, nec consequi posset vlla ex parte quantum pecuniarum opus foret vt redimeret, admisit emptor callidus, aut, vt Molinæi verbo vtar, acceptauit redhibitionem petitam, professúsque est paratum se accipere partis à se emptæ pretium. Intendit tũc iterum, tantóque magis animos attonitus actor, nec vllam prætermisit,seu apud Turones,séuque Lutetiæ,amicorum, proxenatarúmque, ac patriorum operam, vt hinc illinc quacumque ratione nummos corraderet: neminem verò, qui opem ferret, reperit. & quia refundẽdi pretij dies instabat,dixit tandem,inter eiuscemodi angustias,renuntiare se redhibitioni gentilitiç.Depulit Reus,res enim non amplius esse integras: dixitque malle se pretium, quod vt haberet, egit, vrsitque vnicè aduersus incautum, hastísque ex eo decursis, abstulit,addictione publica, minimóque ære, partem illam auitam,& nulli liti obnoxiam,quam suprà memini. nec vnquam auerti fatum istud potuit, ita vt emptor & soam quam anteà emerat, & alteram petitoris gentilitij possidere vero, inconcussóque dominio, ab illo tempore, cœperit,possiderq; in hunc diem quietissimè. refero quæ vidi, & dolui: patronus enim actori in causis, litibúsque plurimis fueram, fœlixque semper fuerat exitus, sed nullo istud vltimum consilio,suóque solo Marte præcipitanter aggressus est. parco nomini. De his hactenus. Tractant Bartolus, aliique interpretes ad hanc l. peremptiones instantiæ, in quibus quis hodie vsus ex Senatusconsultis, docui ad l. Ignorantis. ff. de procuratorib. latissimè autem ad l. properandum. de iudic. inf.

IMP. ANTONINVS.

L. 5.

Creditori tuo si partem pecuniæ exsoluisti, de parte verò non petenda inter te & ipsum conuenit, ob causas, negotiáque eius patrocinio tuo, fidéque defensa, ea obligatione, partim ciuili iure, partim honorario liberatus es. Nam exceptio perpetua pacti conuenti, vel doli, residui petitionem repellit. cùm & solutum per ignorantiam repeti potuisset.

Duo hîc aduertenda necessariò. Primùm est qua prudentia egerit aduocatus in hoc textu, nulla pactione inter se & clientem suum inita vt vel quotam litis haberet, quemadmodum in l. si verò non remunerandi. §. Maurus. ff. mand. & in l. si qui aduocatorum. inf. de postul. Alterum verò etiam est, quòd causa iam dicta, & negotiis gestis, pactio interuenerit: nec verò anteà: putidum enim, & infame, si, scheda, seu chirographo interueniente, defensionem causæ alicuius, cuiuscúmque ponderis, momentique illa sit, suscipiat: imò vt actionem eo nomine instituat. trado istud fusius ad l. qui operas, ff. loc. vbi ostendo quod penditur aduocato, appellari honorarium, vt in l. 1. de variis & extraord. cog. ff. quod iudicibus, sportula, seu *διανομή*: quod autem cæteris, merces est, seu salarium. Cæterùm quod dicitur in textu, *ob causas, negotiaque, &c.* docet glossa, & eruditè, ac peritè, causam in pactis semper considerari, vt in l. 2. §. circa. ff. de doli except. addit. tamen optimè Bartolus verum hoc esse in pactis obligatoriis: secus enim esse in liberatoriis, vt in l. tale pactum. in pr. ff. hoc tit.

IMP.

Imp. Antoninvs.

L. 6.

Pacta quæ contra leges, constitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.

Vide quæ ex ipso vsu, ac placitis curiæ explicui ad l. venditor. ff. communia præd. & ad l. pacisci. ff. de pact. vterque enim textus exceptiones complectitur.

Imp. Antoninvs.

L. 7.

Debitori tuo si hæres extitisti, actio quam contra eum habuisti, adita hæreditate, confusa est.

Id est, extincta est. ita enim in l. eum à matre. inf. de rei vend. in l. Stichum. § aditio. de solut. in l. debitor. ad Trebellian. & l. Vtanius. de fideiussorib. ff. sed an reuiuiscere possit ex iusta causa, non leuis equidem quæstio, obstante regula generali legis, qui res. §. Aream. ff. de solution. docet glossa ad eum. §. posse reuiuiscere si iusta subsit causa, quod vt intelligatur clariùs, fingi potest species in vxore cuius fundum dotalem vendidit maritus, cum ea adhuc esset minor. suscepit postea filium, rarámque habuit eam alienationem maior facta. Decessit cùm nondum attigisset annum 35. filius hæreditati eius se immiscuit, posteáque etiam decessit adhuc minor. hæredes filij ex capite matris quærunt quomodo resoluere possint alienationem fundi illius dotalis. filius enim cùm hæres fuerit matris, factum eius improbare amplius non potuit, d. l. cùm à matre. & aliis suprà citatis. modus ergo, quo subueniatur hæredibus, peti potest ex decisione Thomæ Grammatici, Senat. Neapol. quæst. 93. vt scilicet, ex capite defuncti minoris, beneficium inuentarij, ad hæreditatem matris adeundam, impetrent à Principe, & postea separationem petant bonorũ matris eiusdem defuncti à bonis mariti qui fundũ dotalẽ alienauerit. Tunc enim actio illa, quæ confusa, extinctáq; fuerat per aditionẽ hęreditatis maternæ factã à filio, reuiuiscet ex ęquitate cuius glossa illa legis, Qui res aspergit. ἀρημαλικῶς, sed citra hypothesim, quam proinde subiiciendã putaui ex optimo interprete. Datur verò alia. rursus in hoc ipsum hypothesis à Matth. Affl. decis. 237. qui Senator etiam fuit Neapolitanus, auctórque in foro celebris: docet ille aditionem filij, qui posteà moritur, inducere quidem bonorum paternorum, ac maternorum confusionem, sed non ita quin hæredes materni auferre possint dotem vt peruenerat ad filium reuocabiliter, verbum eius est, nempe in casum, si vel mater sine liberis, vel liberi sine liberis, atque intestati decederẽt. prætermittebat hoc nunquam, ad eiuscemodi quæstiones Chopinus in deliberatione forensi: variisque in locis scripsit. Dixi fusè satis ad l. si vnus. §. quod in specie. ff. de pact. de decimis feudalibus quæ postea ex donatione reuertuntur ad Ecclesiam, vtrùm maneant nihilominus feudales: item & de feudis commissis: de emphyteusi, ac similibus. finem verò, ad quotidianum hoc, de confusionibus, rescriptum, faciam ex lege Parisiensi, & Aureliana, quæ statuũt, ti. de feud. illa, in art. 53. hæc, art. 20. prædia censualia, feudóque vnde alienata fuerant, restituta, censeri deinceps feudalia, nisi feudi dominus, qui emit, profiteatur, disertéque enuntiet, velle se nihilomiuus prædia illa manere paganica, seu rotaria, vt loquimur. Tanta vis nempe confusionum.

IMP. ANTONINVS.

L. 8.

Si paſcenda pecora partiaria, id eſt, vt fœtus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum & paſtorem diuiduntur, Apollinarem ſuſcepiſſe probabitur, fidem pacto præſtare per iudicem compelletur.

Hinc, vt veriſimile eſt, acceptus vſus capitalium pecorinorum (vocant, *chaptel*, vel *chaptels de beſtes*) apud Turones, Bituriges, Niuernenſes, Borboniẽſes, Senones, imò & apud Armoricos, vbi vocatur iſtud, *microiſt*. Notat etiam Iaſon. hîc, & ſpeculator tit. de locato. §.3. num. 8. & 9. dici apud Italos huiuſmodi contractum, Socidam: id eſt, ſocietatem pecudum; formámque præſcribit qua confici debeat. Conchylius ad conſuet. Niuernenſ. art. 1. *des croiſts, & cheptels*, ideò vocari ait, capitale, quòd ſit prima æſtimatio totius gregis, quæ fit inter dantem & accipientem. manet enim grex penès accipientem villicum æſtimatione illa, quæ proinde eſt verus ſors quædam, & caput pecuniæ debitæ. plura ille ipſe cap. vlt. Inſtitutionis iuris Francici. Raguellus in indice mauult deducere vernaculum hoc, *Chaptel*, à dictione Gallica, *achapt*, deficitque à Molinæo, & cæteris qui de eo ſcripſerunt, ſed fallitur ipſemet. verum enim capitale illud eſt in pecoribus, ouibúſque alendis, ſubſtituendíſque in locum demortuorum capitum, itaut integer ſemper ſit grex, vt & in mercibus ſeruant mercatores, quibus propterea familiaris eſt vox, *le capital*, vbi de ſorte pecuniæ agitur quæ ad coëmendum collata eſt. imo & in omni ſorte pecuniæ: eo enim ſenſu habendus eſt verſus Horat. lib. 1. Sat. 2.

Quinas hinc capiti mercedes exſecat.

Memini, cum de his aliquando Iac. Choartius, in Senatu patronus, vir nunquam ſatis laudatus, & ego ageremus, ſenſiſſe illum perpetuò, contractus eiuſmodi eſſe vſurarios. ſed, pace tanti viri, aliò me vocat blanda illa æquitas quæ non patitur vt dominus qui confert omnem pecuniã ad coëmendos greges, nihil percipiat ex fructibus emptorum pecorum, ſed totum illud ſpectet ad villicum qui nihil aliud præter ſuam operam & cuſtodiam: ita enim Vlp. in l. cum duobus. §. 1. ff. pro ſoc. Ita & egregij rerum noſtrarum ſcriptores Chopinus, & Molinæus, vt attingo ad d. l. cũ duobus. partiendum enim & lucrum, & damnum eſt, ſique caſu, vique vlla maiore abſumatur totus grex, periculum eo caſu ſpectare oportet ad ſolum dominum. neque æquum, imò vſurarium, ſi periculi illius pars etiam in partiarium recidat. damnat in eo Conchylius optimè morem contrarium apud Niuernenſ. loco quem citaui ſuprà: ago iterum de his ad l. ſi merces. §. vis maior. ff. loc.

IMP. ALEXANDER.

L. 9.

Cùm poſteaquam. Pactum mala fide factum cum eo qui ſententia vicerat aduerſarium, irritum eſt.

Explicui ad l. tale pactum. §. 1. ff. hoc tit.

IMP. ALEXANDER.

L. 10.

Legem quam dixiſti, cùm dotem pro alumna dares, ſeruari oportet:

nec obesse tibi poterit quod dici solet, ex pacto actionem non nasci: tunc enim hoc iure vtimur, cùm pactum nudum est. At hîc pecunia data est, & de ea reddenda conuenit, vtilis ergo est condictio.

Iunge omninò l.1.inf. de pact. conuent. eadem enim verba sunt, ambæque resoluunt, ex pacto nudo actionem non nasci, nè quidem super dote: sed hoc, in genere. aliud enim si pactum nudum vestiatur cohærentia contractus, vt hîc fuisse docet glossa. cùm enim pecunia data est, conuenit etiam de ea reddenda. quæ conuentio proinde si omissa fuisset, sanciunt duobus locis, doctrináque perpetua, nocere hanc omissionem ei qui dotem dederit. Quæsitum in muliere ipsa, vtrùm & hoc ipsum ex eiusmodi omissione, quæ per imperitiam tabellionis, aut alterius qui tabulis dotalibus interfuerit, facta est, pati debeat, cùm nihil magis caueatur à Iurisconsultis & imperatoribus, quàm vt nè, per subtilitates nimias, indotata maneat mulier, ita enim in l. si mulier. §.1. de iur. dot. l. pater. de euict. l. 1. sol. matr. ff. dos proprium mulieris patrimonium est, in l. 3. de minorib. penderque illa de alimentis, vt sic loquar cum l. cum hi. de transact. id verò per rationem. l. Quintus. de donat. inter vir. & vxo. ad quam & in istud noraui non vulgaria. Tamen leges, id est, conuentiones, & pacta quæ adiiciũtur contractibus, spectantur adeò à iudicibus, vt perrarò ab eis discedant in iudicando, quemcumque fauorem mereatur id de quo occurrit quæstio. Sic ergo & in dote ipsa pronuntiauit ordo amplissimus, atque in purpuris, vt auferatur deinceps ambigendi locus, mulierem renuntiantem societati coniugali, amittere decem millia quæ in dotem attulerat marito, quia cautio de recipienda, auferendáque dote, in casum renuntiationis, omissa fuisset à notario, vide Senatusconsultũ ad d.l. pater. de euiction. ff. Iudicatum & idem aduersus liberos, quòd in contractu matrimonij cautum soli eorum matri fuisset, de auferenda secum sua dote, si societati renuntiaret. Ita enim iudicatum an. 1611. die xxx. Febr. perorantibus Lametio, & Rigaltio. id verò contra glossam l. vnic. de priuil. dot. quæ censet contrarium. Tanti conuentiones illæ sunt, vt, nè quid peccaretur ab imperitis tabellionibus in dotalitium ipsum quod, in præmium amissæ pudicitiæ, concessum est, benigna, humanáque ratione, statuant ferè omnes consuetudines prouinciales, maximéque Parisiensis, quę cæterarum regina est, vt nupta mulier consequi debeat dotalitium, etiamsi de eo cautum nihil sit tabulis nuptialibus. Ita enim art. 1. d. consuetudinis Paris. cuius prudentiæ propterea iniiciendam hîc, vt loco peridoneo, mentionem existimaui, cùm à cæteris omissum videam.

IMP. ALEXANDER.

L. II.

Ex conuentione qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cùm fundum in dotem daret, vt creditoribus quibus fuerant obligata prædia, vsuras solueret, (glo. sup. nouerca) actio tibi aduersus eam competere non potest, etsi pactum in stipulationem deductum probetur. sed si fundus æstimatus (itaut pars instrumenti significat) in dotem datus est, ex vendito actio, vt placitis stetur, competit.

Liquet plus satis ex textu, fundos, de quibus hîc, ęstimatos fuisse, cùm in dotem dati sunt, actũmque ex illa æstimatione vt pro venditis haberentur: itaque filium mariti teneri in vsuras creditoribus quibus fundi obligati essent, cùm potiatur illorum dominio. consului, ad percipiendam ex veris hanc speciem, Bartolum, Baldum, Paul. Castrens. & Salicetum. ex his autem solus mihi Salicetus collimasse visus est. itaut

l. rerum mixtura. de vsucap. fieri enim illa necesse est eodem ipso momento quo cardinalis contractus, seu principalis, vt loqui mos est. Aliàs, vt valeant duntaxat ad exceptionem, nec verò ad actionem, docemur non tantùm ex hoc textu, sed etiam ex l. Iurisgentium. §. quinimò. de pact. & l. lecta. si cert. pet. ff. ad quas adieci quod hîc repetere, sit pudor. verè dixerimus secundas, clanculariásque pactiones, quæ scilicet manent in occulto, nec vnquam publicè eduntur vnà & simul cum contractu de cuius substantia partem semper detrahunt, vno verbo nudæ sunt repromissiones, vt disertè eas vocat Vlp. in l. 1. §. stipulationum. ff. de prætor. stipulation. aut, vt apud Ciceronē, pro Roscio, restipulationes. Imò dolosas repromissiones vocat Plinius lib. 2. de viris illustr. in hæc verba: *illa petyt quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos, armillas: quibus dolosè repromissis, Sabinos in arcem perduxit.* Sic & Suetonius in Claudio. cap. 20. *fucinum lacum, aggressus est non minus compendij spe, quàm gloria: quùm quidam priuato sumptu emissuros se repromitterent* (id est, clanculum promitterent, vt eruditiores accipiunt) *si sibi siccati agri concederentur.* κρύφα nempe illa omnia dixerimus, id est, pactiones comparatas ad fallēdum: vt cùm Thucydides scripsit de Lacedæmoniis, lib. 1. ἢ οἱ δὲ ὑπέσχοντο μὲν κρύφα τῶν Ἀθηναίων. id est, *& promiserunt clam Atheniensibus.* Præses Lisetius quondam Senatus Paris. Princeps, vir aliàs iuris Romani, & Gallici scientissimus, vocauit in consuetudine Bituric. tit. 5. quem redegit, *vn accord secret.* Denique in bonæ fidei contractibus reprobatur id maximè, vel teste ipso Plinio, qui respōdit, suis moribus non conuenire, vt aliud clàm, & aliud palàm fieret. Allegatum istud sæpissimè à patronis, quotiescumque de repromissionibus, seu restipulationibus, vt dixi, actum est, factis scilicet in fraudem conuentionum dotalium, absentibúsque consanguineis qui contractui matrimonij interfuerint: quæ distinctio est consuetudinis Paris. artic. 258. Aurelianens. art. 223. tit. 12. Calisianæ, art. 59. Normanæ, art. 373. cap. 15. at verò & in cæteris quibuscumque contractibus priuatæ illæ, clanculariæque pactiones numquam sine cæca suspicione doli sunt, vt clarè ostendit lex, doli. in fi. ff. de nouat. nuncupantur, in vltimis voluntatibus, tacita fideicommissa, aut potiùs tacita restituendi ministeria, vt in l. 3. in pr. ff. de iu. fisci. *Qui vel id quod relinquitur, vel aliud tacitè promittit restituturum se personæ quæ legibus ex testamento capere prohibetur, fidem in fraudem iuris accommodat; siue chirographum eo nomine dederit, siue nuda pollicitatione repromiserit:* ita lex, in fraudē & l. hæres. de his quæ vt indignis. ff. Tacita nēpe ista fideicōmissa obtinent maximè in spuriis, seu naturalibus liberis, (bastardos vocant) in quo tamen, cū de pecuniis, ac mobilibus agi soleat, fœlices quibus fracta fides in totum non fuerit. Inde ait Nic. Valla, Senator Paris. eruditiss. & expertiss. tutiorem nullam esse donationē factam spurio, quàm quæ αὐτοχειρί, manúque ipsa donantis mandata executioni fuerit, & cuius, putà pecuniæ, aut rei cuiusuis alterius mobilis, possessionem nactus sit semet spurius, de quibus tamen donationibus, & quatenus valeant, alibi ad Pandectas diximus.

IMP. GORDIANVS.

L. 14.

Si pacto quo pœnam aduersarium tuum promisisse proponis, si placito non stetisset, stipulatio subiecta est; ex stipulatu agens, vel id quod in conuentionem deuenerat, vt fiat consequeris, vel pœnam stipulatione comprehensam more iudiciorum exiges.

Ratio vnica huius legis est, quia factum promissum sit. In stipulationibus enim facti, putà si hoc, aut illud feceris, pœna adiecta iure optimo, atque per leges exigi potest, vt hîc, & in l. stipulatio ista. tam in princip. quàm in §. alteri. de verb. oblig. In stipulationibus autem dandi, mera vsura est, non modò ex sententia Molinæi, consilio XLI. sed ex quotidianis Senatusconsultis. dixi sat multa in hoc ad l. vlt. §. 1. si cert. pet. ad l.

tanto grauiùs, acerbiúsque istud gemuunt, vide, si lubet, ad l. hęredes. §. si filius. ff. famil. hercis. Vlteriùs enim non progrediar, cum ad l. superiorem nonnulla iam quæ huc spectent, collegerim. altera enim de vxore est, altera de liberis, atque hęredibus extraneis qui defuncti personam referunt. Quantum ad rusticitatis veniam, de qua etiam intextu, dixi ad l. Cum de indebito. de probat. ad l. pecuniæ fœnebris. de vsur. ff. & ad l. 3. de defensorib. ciuit. sup. lib. 1. Vnum superest ex Boërio, q. 65. num. 3. Decîdit enim ex legis istius parte, quæ de pœna 50. aureorum est, pœnam, seu mulctam, addictam vni ex litigatoribus, non posse remitti à Principe, vt qui iura quæ iam alicui quæsita sunt, numquam auferat. fusius ille eo loco.

TIT. III. DE PACTIS.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. I.

Conditionis incertum inter fratres non iniquis rationibus conuentione finitum est. Cum igitur verbis fideicommissi petitum à patre tuo profitearis, vt, si vita sine liberis decederet, Licinio Frontoni restitueret: pactum eo tempore de sextante Licinio Frontoni dando, cùm liberos Philinus non sustulerit, interpositum non iccirco potest iniquum videri, quòd facta, sicut placuit, diuisione, diem suum, te filio eius superstite, functus esset.

Toleratur nimirum legis istius conuentio ex causa incerti euentus; vtrùm nempe Philinus decessurus esset, susceptis liberis, vel non. Eadem decîdendi ratio est, tametsi in dissimili specie, in l. qui Romæ. §. duo fratres. de verb. oblig. nec verò ad pura dumtaxat fideicommissa, de quibus hîc, facta scilicet μονομερῶς, partéque ex vna duntaxat, sed & ad reciproca, veréque συναλλαγματικά, de quibus in l. de fideicommisso. de transact. inf. & in d. l. qui Romæ. §. duo fratres. iuncta ibi Glo. Toleratur etiam donatio inter virum & vxorem mutua, ex nostris moribus, ob incertum fortunæ exitum, de quo in l. sancimus. §. vlt. Cod. de donation. cum aliud ex moribus Romanis, ait lex. 1. ff. de donat. inter vir. & vx. ad quam fusè dixi. Item, atque ex eadem ratione, in fœnore nautico, de quo totus tit. de naut. fœn. ff. & Cod. In Antichresi. l. si is qui bona. §. si ἀντίχρησις. ff. de pign. ad quam tamen vide quæ sit Gallica in eo æquitas. In sponsionibus ludicris, ac aleatoriis, si tamen in re honesta, ac licita, de quibus Molinæus, tract. de vsur. nu. 816. dixíq; ad l. 17. si gratuitã. §. si quis sponsionis. de pręscr. verb. rursúsq; ad l. 17. de cond. indeb. Res tamen eo casu ad commune, & iustum rei pretium redigitur, vt decîdit eo loco Molinæus. Ita & semper Senatus. Adde etiam species legis, oleo. de vsur. inf. cap. In ciuitate. & cap. nauiganti ext. de vsur. de eo qui mutuat pecuniam, stipulatione adiecta certarum mensurarum vini, grani, vel olei, quæ pendantur sequenti anno, loco pecuniæ. nõ debet enim ex eo quis fœnerator, seu vsurarius haberi, ait cap. nauiganti. nimirùm ob pretij incertitudinem, vt dixi, quod & interpretes ad d. l. oleo. plura sunt similia. Cùm autem species huius legis implicatissima sit, eam sic habe: Philinus hæres est institutus à patre Philino, & rogatus restituere hæreditatem Licinio Frontoni si ipse Philinus decederet siue liberis. Antequam liberos sustulisset Philinus, cum Frontone conuenit vt, sextante accepto, remitteret Fronto incertum conditionis, id est, spem consequendi dodrantem, atque ita liceret Philino liberè disponere de septunce. poterat enim Philinus de quadrante iure suo statuere quem habebat ex Trebelliano. De dodrante autem restitutioni subiecto, si ipse Philinus liberos

non sustulisset, contrahere, testarive non poterat.l.vlt.§. sin autem.commu.de legat. Itaque de dodrante illo sextantem dedit Philinus Frontoni, vt sepruncem liberè haberet. hoc pacto facta diuisione hæreditatis, contigit vt Philinus diem suum obiret, relicto Philino filio, nato post pactum, qui filius à Frontone patruo sextantem illum reuocare vult, quia Fronto in casum nati filij Philino, sperare nihil quicquam deberet. excipit Fronto de pacto. Rescribunt ergo Imperatores Frontonem rectè excipere propter æquitatem pacti interpositi iuxta legem, qui æquitate. de doli except. ff. æquitas autem in eo fuit ab initio, quòd pactum istud finierit, ac sustulerit incertitudinem, qua alioqui Philini vita iactabatur, atque etiam Frontonis ipsius inter spem & metum.

Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora:

ait Horatius: *Euentus in manu fortunæ est, sapientes verò fortuita debent excludere*: apud Sueton. in Nerone, cap.23. futuri casus incertitudo tàti momenti est, vt (quod dixit Seneca, epist.8.) *non sit tuum fortuna quod facturæ sit tuum*. Lucanus: *Fértque, refértque vices, & habent mortalia casum.*

— volubilis errat. Ouid.5.trist.

—nec in cunctis seruat fortuna tenorem. Manil.3.astronom.

Centum doctûm hominum consilia hæc vna deuincit dea. Plaut. in Pseud.

Plura denique apud Robert. lib.2. rer. iudic. cap.4. & 5. ad quæstionem filiæ renunciantis successionibus parentum futuris, beneficio dotis quam acceperit in causam matrimonij, seligo enim quæ ille, inter varia, quæ de casibus fortuitis colligit, nec adiicienda forsan putauerit. τύχη inde ἀπὸ τῆς μοίρας differt. illa ex casu, ac incertitudine, hæc ex certo Iouis iudicio, quale subodorari, attigerúntque veteres. Διὸς μεγάλου ἕκητι, apud Hesiod. id est, voluntate magni Iouis. quò & spectat vulgatum hoc ex Homero, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, id est, Iouis perficiebatur consilium. Ingens mare. Aliam verò speciem finxit Othomanus, tamquam fideicommissi reciproci, vt in l. cùm proponas. & in l. de fideicommisso. inf. de transact. atque in hoc remouendum putat verbum hoc, *Philinus*, contra fidem omnium exemplarium, cuius propterea opinio explosa est ab omnibus interpretibus, vt versari in iure sciunt parum fœliciter ei successisse in aliis pandectarum, & Codicis locis plurimis. testes, inter cæteras, fuerint lex, frater à fratre. de condict. indeb. ff. & lex, Transigere. inf. de Transact. Speciem integram adscripsi, quia ferè vix est vt prima, secundáve lectione contextus assequatur quis, quantumuis acutissimus, quid ferret Frontonis, ac Philini filij disceptatio. recenseo ex vsu ad l. si pactum. ff. de probationib. varia, latáque paucis ab annis, senatusconsulta quæ huc summoperè faciant.

IIDEM IMP.

L. 4.

Postquam liti de prædio motæ renuntiasti, causam finitam instaurari posse nulla ratio permittit.

Ratio est, quia tunc, pérque eiusmodi renuntiationes, lis dicitur mortua, vt in l. 2. ff. Iudic. solui. τῆς δίκης μὴ οὔσης, vt apud Demosthenem, id est, lis quæ amplius non est. vt autem docemur ex l. Qui res. §. aream. ff. de solutio. actiones semel extinctas numquam amplius reuiuiscere: ita & multò magis de lite, vt quæ sine actione institui non possit. Deinde verò & obstat ratio legis 3. Terminato. inf. de fructib. & lit. expens. nempe post absolutum, dimissúmque iudicium, nefas esse litem alteram consurgere ex litis primæ materia. optimè Lyricus:

Nec valet exemplum litem quod lite resoluit.

Quærit Molinæus ad artic. 7. consuetud. Burdigal. ex notatis ad hanc l. vtrùm

actor in tetractu,sunt eius verba,possit,inuito reo, renuntiare liti, & discedere ab emptione. posse autem renuntiare, decidit, donec Reus acceptauerit. sed postquàm acceptauit,Reus,séque paratum dixit accipere solutum à se,in causam emptionis, pretium,redire ampliùs actor non potest, vt instauret litē tunc planè mortuam. In quo ridetMolinæus,nec immeritò,opinionem Fertoni qui putauit contrarium.& sanè sequimur,quotidianis experimentis,Molinæi sententiam:nóuique equitem Turonensem, qui non ita pridem amisit nobilissimi apud Lemouices feudi partem auitam, & pacatissimam, quia cùm redhibitione genitilitia egisset ad partem alteram, quæ à cohærede væniebat, nec consequi posset vlla ex parte quantum pecuniarum opus foret vt redimeret, admisit emptor callidus,aut, vt Molinæi verbo vtar, acceptauit redhibitionem petitam, professúsque est paratum se accipere partis à se emptæ pretium. Intendit tūc iterum,tantóque magis animos attonitus actor,nec vllam prætermisit,seu apud Turones,seuque Lutetiæ,amicorum, proxenætarúmque, ac patriorum operam, vt hinc illinc quacumque ratione nummos corraderet: neminem verò, qui opem ferret, reperit. & quia refundēdi pretij dies instabat,dixit tandem,inter eiusce modi angustias,renuntiare se redhibitioni gentilitię.Depulit Reus,res enim non amplius esse integras: dixitque malle se pretium, quod vt haberet, egit, vrsitque vnicè aduersus incautum, hastísque ex eo decursis, abstulit,addictione publica, minimóque ære, partem illam auitam,& nulli liti obnoxiam,quam suprà memini. nec vnquam auerti fatum istud potuit, ita vt emptor & suam quam anteà emerat, & alteram petitoris gentilitij possidere vero, inconcussóque dominio, ab illo tempore, cœperit,possidétq; in hunc diem quietissimè.refero quæ vidi, & dolui:patronus enim actori in causis, litibúsque plurimis fuerat, fœlixque semper fuerat exitus, sed nullo istud vltimum consilio,suóque solo Marte præcipitanter aggressus est. parco nomini. De his hactenus. Tractant Bartolus, aliique interpretes ad hanc l. peremptiones instantiæ, in quibus quis hodie vsus ex Senatusconsultis, docui ad l. Ignorantis. ff. de procuratorib. latissimè autem ad l. properandum. de iudic. inf.

IMP. ANTONINVS.

L. 5.

Creditori tuo si partem pecuniæ exsoluisti, de parte verò non petenda inter te & ipsum conuenit, ob causas, negotiáque eius patrocinio tuo, fidéque defensa, ea obligatione, partim ciuili iure, partim honorario liberatus es. Nam exceptio perpetua pacti conuenti, vel doli, residui petitionem repellit. cùm & solutum per ignorantiam repeti potuisset.

Duo hîc aduertenda necessariò. Primùm est qua prudentia egerit aduocatus in hoc textu, nulla pactione inter se & clientem suum inita vt vel quotam litis haberet, quemadmodum in l. si verò non remunerandi. §. Maurus. ff. mand. & in l. si qui aduocatorum. inf. de postul. Alterum verò etiam est, quòd causa iam dicta, & negotiis gestis, pactio interuenerit: nec verò anteà: putidum enim, & infame, si, scheda, seu chirographo interueniente, defensionem causæ alicuius, cuiuscúmque ponderis, momētique illa sit, suscipiat: imò vt actionem eo nomine instituat. trado istud fusius ad l. qui operas, ff. loc. vbi ostendo quod penditur aduocato, appellari honorarium, vt in l. 1. de variis & extraord. cog. ff. quod iudicibus, sportula, seu *διανομή*: quod autem cæteris, merces est, seu salarium. Cæterùm quod dicitur in textu, *ob causas, negotiaque*, &c. docet glossa, & eruditè, ac peritè, causam in pactis semper considerari, vt in l. 2. §. circa. ff. de doli except. addit. tamen optimè Bartolus verum hoc esse in pactis obligatoriis: secus enim esse in liberatoriis, vt in l. tale pactum. in pr. ff. hoc tit.

IMP.

IMP. ANTONINVS.

L. 6.

Pacta quæ contra leges, constitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.

Vide quæ ex ipso vsu, ac placitis curiæ explicui ad l. venditor. ff. communia præd. & ad l. pacisci. ff. de pact. vterque enim textus exceptiones complectitur.

IMP. ANTONINVS.

L. 7.

Debitori tuo si hæres extitisti, actio quam contra eum habuisti, adita hæreditate, confusa est.

Id est, extincta est. ita enim in l. cum à matre. inf. de rei vend. in l. Stichum. § aditio. de solut. in l. debitor. ad Trebellian. & l. Vranius. de fideiussorib. ff. sed an reuiuiscere possit ex iusta causa, non leuis equidem quæstio, obstante regula generali legis, qui res. §. Aream. ff. de solution. docet glossa ad eum. §. posse reuiuiscere si iusta subsit causa, quod vt intelligatur clariùs, fingi potest speciem in vxore cuius fundum dotalem vendidit maritus, cum ea adhuc esset minor, suscepit postea filium, ratámque habuit eam alienationem maior facta. Decessit eùm nondum attigisset annum 35. filius hæreditati eius se immiscuit, posteáque etiam decessit adhuc minor. hæredes filij ex capite matris quærunt quomodo resoluere possint alienationem fundi illius dotalis. filius enim cùm hæres fuerit matris, factum eius improbare amplius non potuit, d. l. cùm à matre. & aliis suprà citatis. modus ergo, quo subueniatur hæredibus, peti potest ex decisione Thomæ Grammatici, Senat. Neapol. quæst. 93. vt scilicet, ex capite defuncti minoris, beneficium inuentarij, ad hæreditatem matris adeundam, impetrent à Principe, & postea separationem petant bonorũ matris eiusdem defuncti à bonis mariti qui fundũ dotalē alienauerit. Tunc enim actio illa, quæ confusa, extinctáq; fuerat per aditionē hęreditatis maternæ factā à filio, reuiuisect ex æquitate cuius glossa illa legis, Qui res aspergit. ἀϱρημαῖκιν, sed citra hypothesim, quam proinde subiiciendā putaui ex optimo interprete. Datur verò alia. rursus in hoc ipsum hypothesis à Matth. Affl. decis. 257. qui Senator etiam fuit Neapolitanus, auctórque in foro celebris: docet ille aditionem filij, qui postea moritur, inducere quidem bonorum paternorum, ac maternorum confusionem, sed non ita quin hæredes materni auferre possint dotem vt peruenerat ad filium reuocabiliter, verbum eius est, nempe in casum, si vel mater sine liberis, vel liberi sine liberis, atque intestati decederēt. prætermittebat hoc nunquam, ad eiuscemodi quæstiones Chopinus in deliberatione forensi: variisque in locis scripsit. Dixi fusè satis ad l. si vnus. §. quod in specie. ff. de pact. de decimis feudalibus quæ postea ex donatione reuertuntur ad Ecclesiam, vtrùm maneant nihilominus feudales: item & de feudis commissis: de emphyteusi, ac similibus. finem verò, ad quotidianum hoc, de confusionibus, rescriptum, faciam ex lege Parisiensi, & Aureliana, quæ statuūt, ti. de feud. illa, in art. 53. hæc, art. 20. prædia censualia, feudóque vnde alienata fuerant, restituta, censeri deinceps feudalia, nisi feudi dominus, qui emit, profiteatur, disertéque enunciet, velle se nihilominus prædia illa manere paganica, seu rotaria, vt loquimur. Tanta vis nempe confusionum.

B

nec obesset tibi poterit quod dici solet, ex pacto actionem non nasci: tunc enim hoc iure vtimur, cùm pactum nudum est. At hîc pecunia data est, & de ea reddenda conuenit, vtilis ergo est condictio.

Iunge omninò l. 1. inf. de pact. conuent. eadem enim verba sunt, ambæque resoluunt, ex pacto nudo actionem non nasci, nè quidem super dote: sed hoc, in genere. aliud enim si pactum nudum vestiatur cohærentia contractus, vt hîc fuisse docet glossa. cùm enim pecunia data est, conuenit etiam de ea reddenda. quæ conuentio proinde si omissa fuisset, sanciunt duobus locis, doctrináque perpetua, nocere hanc omissionem ei qui dotem dederit. Quæsitum in muliere ipsa, verùm & hoc ipsum ex eiusmodi omissione, quæ per imperitiam tabellionis, aut alterius qui tabulis dotalibus interfuerit, facta est, pati debeat, cùm nihil magis caueatur à Iurisconsultis & imperatoribus, quàm vt nè, per subtilitates nimias, indotata maneat mulier, ita enim in l. si mulier. §. 1. de iur. dot. l. pater. de euict. l. 1. sol. matr. ff. dos proprium mulieris patrimonium est, in l. 3. de minorib. pendétque illa de alimentis, vt sic loquar cum l. cum hi. de transact. id verò per rationem. l. Quintus. de donat. inter vir. & vxo. ad quam & in istud notaui non vulgaria. Tamen leges, id est, conuentiones, & pacta quæ adiiciuntur contractibus, spectantur adeò à iudicibus, vt perraró ab eis discedant in iudicando, quemcumque fauorem mereatur id de quo occurrit quæstio. Sic ergo & in dote ipsa pronuntiauit ordo amplissimus, atque in purpuris, vt auferatur deinceps ambigendi locus, mulierem renuntiantem societati coniugali, amittere decem millia quæ in dotem attulerat marito, quia cautio de recipienda, auferendáque dote, in casum renuntiationis, omissa fuisset à notario, vide Senatusconsultũ ad d. l. pater. de euiction. ff. Iudicatum & idem aduersus liberos, quòd in contractu matrimonij cautum soli eorum matri fuisset, de auferenda secum sua dote, si societati renuntiaret. Ita enim iudicatum an. 1611. die xxx. Febr. perorantibus Lametio, & Rigaltio. id verò contra glossam l. vnic. de priuil. dot. quæ censet contrarium. Tanti conuentiones illæ sunt, vt, nè quid peccaretur ab imperitis tabellionibus in dotalitium ipsum quod, in præmium amissæ pudicitiæ, concessum est, benigna, humanáque ratione, statuant ferè omnes consuetudines prouinciales, maximéque Parisiensis, quę cæterarum regina est, vt nupta mulier consequi debeat dotalitium, etiamsi de eo cautum nihil sit tabulis nuptialibus. Ita enim art. 1. d. consuetudinis Paris. cuius prudentiæ propterea inijciendam hîc, vt loco per idoneo, mentionem existimaui, cùm à cæteris omissum videam.

IMP. ALEXANDER.

L. II.

Ex conuentione qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cùm fundum in dotem daret, vt creditoribus quibus fuerant obligata prædia, vsuras solueret, (glo. sup. nouerca) actio tibi aduersus eam competere non potest, etsi pactum in stipulationem deductum probetur. sed si fundus æstimatus (itaut pars instrumenti significat) in dotem datus est, ex vendito actio, vt placitis stetur, competit.

Liquet plus satis ex textu, fundos, de quibus hîc, ęstimatos fuisse, cùm in dotem dati sunt, actúmque ex illa æstimatione vt pro venditis haberentur: itaque filium mariti teneri in vsuras creditoribus quibus fundi obligati essent, cùm potiatur illorum dominio. consului, ad percipiendam ex veris hanc speciem, Bartolum, Baldum, Paul. Castrens. & Salicetum. ex his autem solus mihi Salicetus collimasse visus est. itaut

l. rerum mixtura. de vsucap. fieri enim illa necesse est eodem ipso momento quo cardinalis contractus, seu principalis, vt loqui mos est. Aliàs, vt valeant duntaxat ad exceptionem, nec verò ad actionem, docemur non tantùm ex hoc textu, sed etiam ex l. Iurisgentium. §. quinimò. de pact. & l. lecta. si cert. pet. ff. ad quas adieci quod hîc repetere, sit pudor. verè diximus secundas, clanculariásque pactiones, quæ scilicet manent in occulto, nec vnquam publicè eduntur vnà & simul cum contractu de cuius substantia partem semper detrahunt, vno verbo nudæ sunt repromissiones, vt disertè eas vocat Vlp. in l. 1. §. stipulationum. ff. de prætor. stipulation. aut, vt apud Ciceronē, pro Roscio, restipulationes. Imò dolosas repromissiones vocat Plinius lib. 2. de viris illustr. in hæc verba: *illa petijt quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos, armillas: quibus dolosè repromissis, Sabinos in arcem perduxit.* Sic & Suetonius in Claudio. cap. 20. *fucinum lacum, aggressus est non minus compendij spe, quàm gloria: quùm quidam priuato sumptu emissuros se repromitterent* (id est, clanculum promitterent, vt eruditiores accipiunt) *si sibi siccati agri concederentur.* κρυφίως nempe illa omnia diximus, id est, pactiones comparatas ad fallendum: vt cùm Thucydides scripsit de Lacedæmoniis, lib. 1. ἐν οἱ δὲ ὑπέσχοντο μὲν κρύφα τῶν Ἀθηναίων. id est, *& promiserunt clam Athenienfibus*. Præses Lisetius quondam Senatus Paris. Princeps, vir aliàs iuris Romani, & Gallici scientissimus, vocauit in consuetudine Bituric. tit. 5. quem redegit, *vn accord secret*. Denique in bonæ fidei contractibus reprobatur id maximè, vel teste ipso Plinio, qui respōdit, suis moribus non conuenire, vt aliud clàm, & aliud palàm fieret. Allegatum istud sæpissimè à patronis, quotiescumque de repromissionibus, seu restipulationibus, vt dixi, actum est, factis scilicet in fraudem conuentionum dotalium, absentibúsque consanguineis qui contractui matrimonij interfuerint: quæ distinctio est consuetudinis Paris. attic. 258. Aurelianens. art. 223. tit. 12. Calisianæ, art. 59. Normanæ, art. 373. cap. 15. at verò & in cæteris quibuscumque contractibus priuatæ illæ, clanculariæque pactiones numquam sine ea suspicione doli sunt, vt elatè ostendit lex, doli. in fi. ff. de nouat. nuncupantur, in vltimis voluntatibus, tacita fideicommissa, aut potiùs tacita restituendi ministeria, vt in l. 3. in pr. ff. de iu. fisci. *Qui vel id quod relinquitur, vel aliud tacitè promittit restituturum se personæ quæ legibus ex testamento capere prohibetur, fidem in fraudem iuris accommodat; siue chirographum eo nomine dederit, siue nuda pollicitatione repromiserit*: ita lex, in fraudē & l. hæres. de his quæ vt indignis. ff. Tacita nēpe ista fideicōmissa obtinent maximè in spuriis, seu naturalibus liberis, (bastardos vocant) in quo tamen, eū de pecuniis, ac mobilibus agi soleat, fœlices quibus fracta fides in totum non fuerit. Inde ait Nic. Valla, Senator Paris. eruditiss. & experientiss. tutiorem nullam esse donationē factam spurio, quàm quæ αὐτοχειρὶ, manúque ipsa donantis mandata executioni fuerit, & cuius, putà pecuniæ, aut rei cuiusuis alterius mobilis, possessionem nactus sit semel spurius, de quibus tamen donationibus, & quatenus valeant, alibi ad Pandectas diximus.

IMP. GORDIANVS.

L. 14.

Si pacto quo pœnam aduersarium tuum promisisse proponis, si placito non stetisset, stipulatio subiecta est; ex stipulatu agens, vel id quod in conuentionem deuenerat, vt fiat consequeris, vel pœnam stipulatione comprehensam more iudiciorum exiges.

Ratio vnica huius legis est, quia factum promissum sit. In stipulationibus enim facti, putà si hoc, aut illud feceris, pœna adiecta iure optimo, atque per leges exigi potest, vt hîc, & in l. stipulatio ista. tam in princip. quàm in §. alteri. de verb. oblig. In stipulationibus autem dandi, mera vsura est, non modò ex sententia Molinæi, consilio XLI. sed ex quotidianis Senatusconsultis. dixi sat multa in hoc ad l. vlt. §. 1. si cert. pet. ad l.

42.pœnę.de condict.indeb.ad l.pœnam.de vsur.& ad l.si quis.pro soc.quibus & adde l.68. Si pœnam.de verb.obligat. ff. pœnalium stipulationum frequentissimus vsus est in compromissis minorum, cùm quis nimitùm per necessitatem negotij compromittit,recipítque alter in se casus futuros, ac pollicetur, pœna adiecta, seu, vt loquimur, *sur peine de tous despens dommages & interests*, ratihabiturum minorem quicquid decîderint electi arbitri. In quo tamen duræ equidem fortunæ se subijcit fideiussor, habiturus forsan (& frequëtissimum hoc) minorem beneficij accepti non immemorem modò,sed ingratissimum, vt ostendo fusiùs ad tit. de minorib. vbi minores ex ea causa comparandos censeo leunculis.

IMPP. VALERIANVS, ET GALIENVS. ET VALERIANVS, Nobb. Cæs.

L. 15.

Pactum quid dotali instrumento comprehensum est,vt, si pater vita fungeretur,ex aqua portione ea qua nubebat, cum fratre hæres patri suo esset,neque vllam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre.

Idem omninò textus, verbísque repetitis,in l.pactū quod dotali. inf. de collation. sed alio iure vtimur,vulgatísque hodie in omnibus ferè instrumentis dotalibus, *auec promesse de n'aduantager l'vn plus que l'autre.* Imò donationes omnes, etiam illicitæ, valent in contractu matrimonij,quod latiùs exequitur Bacquetius cap.21.part.2.*du droict d'Aubeyne.* Et cùm partes Galliæ,quæ solo iure scripto vtuntur,nihil ferè præter Romanam prudentiam admittant, tamen in hoc acquiescunt vniuersis imperij Gallici moribus, maximè inter nobiles, si modò iureiurando contrahentium subnixa sit conuentio,vt testatur Aufrerius ad q.453.& q.454.in decis.Capel.Tolos.se semper ita cōsuluisse, variísque curiæ Tolosanæ Arestis confirmatum fuisse. Aduertēdum verò hîc institutionem hæredis factam tabulis istis connubialibus (quod fit sæpissimè inter optimates, ac nobiles) non impedire quominus qui ita instituit,donationes bonorum suorum cuicúmque lubuerit,faciat,argum.l.pater filium.36.§.fundum.de legat.3. Id tamen dum nè sint immensæ,atque eiusmodi, vt velut absorbeant hæreditatem, tunc enim rediguntur ad legitimum modum, quia concepta, nexa,instructáque in institutum fraus præsumitur: facit auth. contrà. inf. ad Trebell. varijsque Senatusconsultis ita semper coërcitum est. Qui igitur agunt in eo cautiùs, atque vt in tuto sit,nec lite vlla implicitum,quod donauerint, recipiunt, seu, vt loqui mos est,reseruant,testandi libertatem ad nummos aliquot,quantæque summæ voluerint, quod & nuper ab illustriss.magnique nominis pręsule præstitum plures sciunt,cùm tabulis dotalibus donauit illustriss.Principi,nepti ex fratre,bona sua omnia, sepositis tantum triginta aureorum millibus, de quibus,in quorum sibi videretur gratiā,statueret.Sola ferè omnium consuetudo Aruerna,tit.de donation.art. 29.concedit etiam omnibus hisce casibus, alienare inter viuos quicquid donatori libuerit, quæcúmque instrumento dotali illata sit seu institutio, seu vniuersa bonorum donatio. Tandem verò vt omnibus, quà fieri possit, gratum veniat quod exaro, aduertent studiosi Valerianum vocari nobilem,seu potius nobiliss. Cæs.in inscript. huius legis, & l.de fideicommisso. de transf. id est,successorem Imperij.sic enim & in subscriptione legis vlt. de priuilegiis eor.qui in sacro palat.milit.lib.XII. Cod. tria hæc. N B. P. id est, *nobilissimo puero*: notant designati Imperij successoris dignitatem,vt docet Cuiac. ad eum locum.locúsque in hoc ipsum singularis,in fine historiæ S.Nicephori patriarchæ Constant. Sic & in l.1.in fin. de feriis. Sic verò sub vltimis Imperatoribus, δεσπότης σεβαστοκράτωρ, dicebatur secundus

ab Imperatore: apud Curopalatem: vt hodie Rex Romanorum in occidentali imperio, id est, successor imperij. Sic denique apud nos, Delphinus, de quo, inter cæteros, Chopinus, lib. 2. tit. 2. de doman. non hæc tam nota nisi eruditioribus.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 16.

Cùm proponas filios testamento scriptos hæredes rogatos esse, vt qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hæreditatis restitueret: quoniam precariam substitutionem fratrum consensu remissam asseris, fideicommissi persecutio cessat.

Dubitari non potest agi in hoc textu de substitutione reciproca, vt & in l. qui Romæ. §. duo fratres. de verb. obligat. cæcutiisse autem Othomanum, qui putauit agi etiã de eadem reciproca substitutione in l. 1. sup. hoc tit. ibi enim alter tantùm rogatus erat, hîc vterque. Item ibi vnus duntaxat remisit, nec verò totum remisit, sed partem: hîc vterque remisit, & totum. Ita apud glossam, doceo perspicuè, ni fallor, ad illum textum, & quàm nimium sibi permiserit, tollens negatiuam vt stomacho faceret satis. Idem ausus in l. frater à fratre. de cond. indeb. ff. passus est censuram, cámque acerrimam, Cuiacij, Iurisconsultorum Principis.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 17.

Pactum quod bona fide interpositum docebitur, etsi scriptura non existente, tamen si aliis probationibus rei gestæ veritas comprobari potest, præses prouinciæ secundum ius custodiri efficiet.

De coërcita hodie apud nos probatione per testes, vsque ad solam centum librarum summam, notaui pluribus locis ad Pandectas, ad l. ius publicum. de pact. ad l. 4. de testibus. ad l. certi condictio. §. quoniam. si cert. per. ad l. contra. de legib. Excipiuntur tamen tres casus, primus, in fœdere matrimonij. secundus, vbi scripto vel rantillo, qualequale illud sit, affecta, cæptáque est probatio, vt ostendo illis locis. Tertius, si de causa capriuitatis agatur, de quo etiam reperies latum in publicis causarum actionibus Senatusconsultum ad l. nam & Seruius. ff. de negot. gest. Cætera imputanda magis fracto vbique seculo, quàm Francicis moribus, tam benignis, ac humanis, vt & Lipsius ipse, nempe eruditissimus Belga, qui πολύτροπος, moréſque hominum multorum nouerat, persæpe de Gallis loquens, ac scribens, *Gallam niuem* dixerit. restatur verò Gorofr. Villeharduynius, libris de subacta à Franeis Constantinopoli, quanta fide apud Alexium Imperatorem Constantinopolitanum eiectum egerint, reddiderunt enim ipsum, per victrices suas manus, paterno solio. quo tamen præstiro, vanus, perfidiosus, ac impius, dum, fracta eis fide, putaret sese deinceps tutum, ac incolumem, & candorem, credulitatémque gentis nostræ luderet, deceptus ipsemetà suis, tandémque præfocatus, omnes tunc vias innocentibus, nihilque tale quicquam cogitantibus, aperuit ad amplectendum, nullo mox superstite imperatore patrio, imperium, quod & inde, nullisque, per artes operosas, compositis, & conceptis fraudibus, cœptum est, de quo propterea vnus è nostris in poëmate epico, dum triumphales Galli domitoris, ad bosporum vsq;, lauros, imitatione clypei Virgiliani, explicat, sic inter cætera:

Tum faber extuderat captæ Ptolemaidis arces
Aërias, atque hinc cingentia castra Damascum:
Nigrantes Libyæ populos: septem ostia Nili:
Totamque à Solymis, Franco sub Principe, Idumen.
Nec longè, Argolicis pridem qui prominet oris
Conspiciunt apicem, nostraque è gente potentes
Induperatores varios, qui littora Thracum,
Atque nouam longo tenuerunt ordine Romam.

Cætera, vt dixi suprà, variis locis ad pandectas, & primum librum Codicis, fusè & quantum sit satis, de probatione scripta, & non scripta, explicui.

IIDEM IMPP.

L. 18.

Si creditores vestros ex parte debiti admisisse quemquam vestrûm pro sua persona soluentem probaueritis, auditus rector prouinciæ pro sua grauitate, ne alter pro altero exigatur, prouidebit.

Exceptio est, nisi cùm creditor accipit partem debiti ab vno ex debitoribus in solidum obligatis, hoc adijciat in apocha, se eam partem accipere, promerendi debitoris sui gratia, atque vt ei soli gratiam diuisionis illius faciat: dicimus, *pour luy faire plaisir, & le gratifier tant seulement.* Ita iudicatum à Senatu, ann. 1584. die 4. Maij, dicentibus Quadeo, & Gillotio. vide etiam Bacquerium cap. XXI. num. 245. de iust. & iu. vbi latè hoc persequitur, atque Loëtium, lit. r. num. 6. vbi notat hanc l. habere locum non modò in personali, sed etiam in hypothecaria, aut, vt planiùs id fiat ex idiotismo nostro Gall. *en rentes diuisées par la prestation.* diuisisse enim censum dominus intelligitur, ex quo semel accepit partem ab vno ex possessoribus scienter, citráque testationem contrariæ voluntatis, (protestationem dicimus) vt decidit Molinæus ad consuet. Parif. §. 55. glo. 4. num. 35. vide & glo. ad l. cum de in rem verso. de vsur. ff. de protestatione autem semper in dubiis necessaria, vide ad l. si filiusf. ff. ad Macedon. Tamen ad hypothesim legis nostræ subijcienda & exceptio vna est in legatis. Iudicatum enim ann. 1581. die 27. Iul. hæredes omnes teneri hypothecaria in solidum ad solutionem legati, licèt legatarius partem rei legatæ ab vno ex his, nihil protestatus, accepisset. rationem dubitandi mouebat hæc nostra lex, si creditores: in eo quod legatarius partem capiêdo videretur solutionem diuisisse. sed hypothecariæ causa aduersus hæredes singulos præualuit, vt quæ indiuisa: itaut legatarius vndequaque ab hoc, vel illo hæredum capiens partem legati, nihil in eo sibi officiat, quominus à cæteris, contumacibus forsan, tricônibus, & controuersiosis, accipiatur quacumque manu, & arte quod superest. cafúsque propterea senatusconsulti ad legatarios, malè affectos sæpissimè ab ingratis hęredibus, coërcendus est. Nemo enim ferè nescit quàm solito, iniquóque de more, per plurimi hæreditates *sine sacris*, quod in veteri adagio est, adeunt, itaut miselli legatarij citiùs oleũ è pumice elicituri sint sæpissimè, quàm ab iniustis illis possessoribus peculiolam. mos ille familiaris potentioribus, qui *iura negant sibi nata*: quique bonis plerúmque sub imagine scilicèt inuentarij beneficiaria, incumbunt, atque ita non legatarios modò, sed & creditores ipsos, per effugia, moráfque, ac fucelas iudiciales, nefariè velut enecant: &, quod pessimum, *nec fama apud ipsos habet in eo ignominiam.* vt hoc dicam cum D. Hieronymo, ep. 9. Cæterùm cùm lex, liberum. inf. de fideiussorib. doceat diuisam esse petitionem si contestata lis fuerit, in quo & rursus pugnare videtur lex, Reos. eod. illo tit. decidunt optimè Interpretes diuisionem non fieri petendo pro parte, vt in d. l. Reos. secus in recipiendo, vt hîc. eáque proinde distinctione conciliãda lex, si ex toto. §. 1. de legat. 1. Glossa fluctuat, sed vera hæc & scholæ, & fori resolutio.

IIDEM IMPERATOR.

L. 19.

Licet. Cùm proponas te, ac fratrem tuum ad discrimen prælij pergentes, ob communem mortis fortunam, inuicem esse pactos, vt ad eum qui superstes fuisset, res eius cui casus finem vitæ attulisset, pertinerent: existente conditione intelligitur, ex fratris tui iudicio, etiam rerum eius compendium ad te delatum esse.

Pactio nempe ista de mutua successione, valet inter cōmilitones ex priuilegiis militaribus: cùm aliàs improbetur, nulliúsq; momenti sit, vt docet Cuiacius ad l. 26. generaliter. de verb. oblig. Idem verò prorsus Basilica, lib. 11. tit. 1. in hæc verba: Εἰ καὶ ἰδιῶται περὶ τῶν ἀλλήλων διαδοχῆς ἀνισχύρως συμφωνοῦσι, καὶ οὐδὲ θανάτου αἰτίᾳ δωρεὰν εἰσάγει τὸ σύμφωνον· στρατιῶται ὅμως ἐπὶ παράταξιν ἐξιόντες ἰσχυρῶς τὸ τοιοῦτο συμφωνοῦσι, id est, licèt priuati de mutua successione inutiliter paciscantur, nec mortis causa donationem inducat ea pactio: milites tamen in aciem exeuntes vtiliter de hoc ipso paciscuntur. hactenus Basilica: quæ rursus cum habeant textum integrum constitutionis Constantini, lib. 35. tit. 21. qui in vulg. l. milites. inf. de testam. mil. Latina tantùm referā, vt quæ ostendant plus satis, desiderasse Constantinum vt scripto, qualecumq; illud sit, cōstet de voluntate militis. *Si quid*, inquit, *in vagina, aut clypeo, literis sanguine suo rutilantibus adnotauerint, aut in puluere inscripserint gladio sub ipso tempore quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet.* Sic ille textus, ex quo tamen non infero irrita esse testamenta Romanorum militū, quæ cōuocatis dumtaxat testibus, citráq; scripturam, fiant. Constat enim ex iure tam digestorum, quàm Codicis, valida esse etiam quæ per solos testes: priuilegiúmque militare in eo esse quòd, cùm pagani, qui, præsentibus testibus, vltima sua elogia conficiunt, coram septem testibus præstare id debeant (nuncupatiua enim testamenta illa sunt) militibus econtrà liceat minori testium numero, qui conuocati, rogatique sint, testari: quo sensu accipienda lex 1. & lex, Diuus Traianus. ff. de testam. milit. eóque faciunt ex iure Græco septem hi versus Sophoclis in Aiace, vbi sic Aiax ad milites:

Ἀλλ᾽, ὦ ἄνδρες ἀσπιστῆρες, ἐνάλιος λεώς,
Ὑμῖν τε κοινὴν τήνδ᾽ ἐπισκήπτω χάριν,
Κείνῳ τ᾽ ἐμὴν ἀγγείλατ᾽ ἐντολὴν, ὅπως
Τοι παῖδα τόνδε πρὸς δόμους ἐμοὺς ἄγων,
Τελαμῶνι δείξῃ, μητρί τ᾽ Ἐριβοίᾳ λέγω,
Ὡς σφιν γένηται γηροβοσκὸς εἰσαεί,
Μέχρις οὗ μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.

id est, *Ast ô viri milites, nauticus populus, à vobis communem hanc beneficij gratiam peto: Illi (I. Teucro meum nuntiate mandatum, vt puerum hunc in domos meas ducens, Telamoni (sup. patri) ostendat, matrique Eribœa dico, vt ipsis sit senectutis nutritius semper. donec sinus inuenerint inferni Dei.* Cùm autem dicat Traianus ipsemet in d. l. diuus. nullorum magis interesse, quàm ipsorum militum quibus id priuilegium datum est, non admitti vt pro testamento habeantur sola hæc verba: *Ego te heredem facio aut, tibi bona mea relinquo. Alioquin enim, ait, non difficulter post mortem alicuius militis, testes existerent qui affirmarent se audisse dicentem aliquem relinquere se bona cui visum sit & per hoc iudicia vera subuertentur*: clarum fit ex his, damnasse tantummodò Traianum testamenta militum quæ constarent fortuitis testibus, coram quibus forsan dixisset ludens, & iocans, *ego te heredem facio*, & similia: non autem si seriò, rogatisque, & accitis in hoc ipsum testibus, licèt infra septenarium numerum, testari voluerit, testarúsque reipsa fuerit: expositis quippe aliàs redempto cuiuis testimonio ipsorum bonis, quæ seruari eo magis voluerunt Romanæ leges, quia, vt loquitur Vlpianus, d. l. 1 de testam. *nec alij arcere soleant malum à rep.* victimæ enim sunt publicæ, ac ornatæ in vltroneum funus, cœlum sæpissimè habentes pro tecto, reiectanea pro cibis,

aquas penè semper limosas, ac palustres pro potu. pulchrè Liuius lib. 4. Dec. 5. *patria altera est militaris hæc sedes, vallúmque pro mœnibus, & tentorium suum cuique militi domus, ac penates sunt.* Imò inter imposita humeris arma, ac vallum, quod apud Horat. inter cæteros, od. 9. epod. ferre iubebatur miles, δέχ' ἡμερῶν ἐφόδια ἐν πήραις, id est, *decem dierum cibaria in peris*: vt videre est in fragmentis è Suida. mirè autem totum istud duobus his versibus veteris poëtæ apud Stob. sermo. 51.

Στρατιῶτα, κ'οὐκ ἄνθρωπε, καὶ σιτούμενε
Ὡς τὰ ἱερεῖα, ἵν' ὅταν ᾖ καιρὸς, θύῃς.

id est, *ô miles, non homo, qui pasceris, quemadmodum victimæ, vt, cum tempus fuerit, immoleris.* Hinc igitur nec aliunde, æquissimum, vt eorum testamẽta, quamdiu in numeris sint, in castris, in statiuis, atq; in expeditione, quod nominatim exigũt lex, quod dicitur, & l. ex eo tẽpore. de testam. milit. ff. (dixerimus nos Galli, *tant qu'ils sont au milieu des armées, & parmy les bãdes*, quod vltimũ vsurpat Procopius lib. 2. de rebus Vandalicis, in hæc verba: τοὺς ὑπερασπιστὰς, καὶ τὸ σημεῖον, ὃ δὴ βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι, Ἰωάννῃ ἐπιτρέψας τῷ Ἀρμενίῳ, &c.) toto illo tẽpore, non sub iure ciuili, id est, sub formulis cæterorũ ciuium solitis, sed suprà emineãt, solóq; iure gentium teneãtur, id est, vt explicat Iason. ad d. l. milites. inf. de testam. mil. præsentibus saltẽ duobus, aut tribus testibus. addit Tiraquellus, tractatu, de priuileg. piæ causæ, priuil. 3. ex doctrina interpretũ ad l. diuus. ff. eod. illo tit. & rogatos esse oportere testes. Tanta deniq; erat indies periculorũ frequentia, tantáque inter horrores & frigoris, & tempestatũ quarumlibet, disciplinæ militaris asperitas, sub qua, per innumeras ægritudinum, miseriarũmq; conflictationes, interibant, cõtabescebántque sæpissimè, vt vnicum hoc ferè, ad perpetua velut vitæ suæ funera, testandi ex iure gentium, sublatisq; iuris Rom. lubricis, ac scrupulosis formulis, superesset solatium. Inde & licebat filiisf. iure singulari militum, testari de Castrensi peculio, id est, de iis quæ essent, viuo patre, parta labore militiæ, quod dixit Iuuenalis, Satyr. 16. in hæc verba:

Solis præterea testandi militibus ius,
Viuo patre, datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census
Omne tenet cuius regimen pater.

Et cùm mera, diráq;, maximè inter nostros, in tantæ militiæ locum successerint latrocinia, raptus, stupráq; mulierũ, ac virginũ, imò & Scytica plusquàm in hospites, & captiuos, ad extorquendas pecunias, tormẽta, incẽdia, pollutiones, sacrilegia, & quæ, vt paucis cętera inuoluam, omnẽ, post homines natos, nequitiarum, discruciationũmque vim longè exuperent, haud abs re equidẽ eruditi plurimi tot prædonibus, raptoribus, ac Sacrilegis, tot nimirũ infamibus seculi maculis, tótq; impiatis Dei, hominúmq; contemptoribus, denegandas testandi, ex Romanis legibus, prærogatiuas putãt. Memini ita fat dudum sensisse, in publicis causarum actionibus, magnæ eruditionis virũ, summæq; dignitatis, cùm oratoris regij personã sustineret: varièq; iudicatur quotiescumq; quæstiones illæ incidunt. Quantum ad interpretes, tribuendum militare istud priuilegium catenus putat Bartolus ad l. 1. de sacr. eccles. si modò in confinio mortis sint, seu, vt loquitur, in mortis articulo: anteà autem non. Salicetus, & Angelus, ad hanc nostram l. cùm ad discrimen belli pergunt armati milites, buccinisque iam clangẽtibus. Baldus, & Paulus Castrens. totum id prætereunt, quod miror. Alexander verò, & accuratissimus Iason tam hìc, quàm ad l. Centurio. ff. de vulgari, diffundunt stylum latiùs, docéntque satis esse, si miles sit in castris, vt dixi suprà, tunc enim quasi clausi sunt latissimo quodam carcere, mortémque in causam reip. expectant, verè θανάτου μισθοφόροι, seu stipendiarij mortis, vt eos vocat vetus poëta Comicus, Antiphanes, eleganti hoc disticho:

Τί δ' οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος, ὦ φιλτάτη,
Ὃς, ἕνεκα τοῦ ζῆν, ἔρχετ' ἀποθανούμενος.

id est, *Nonne ille mortis est stipendiarius qui morte quærit vnde possit viuere?* Eam verò sententiam, vt communem, ac verissimam amplectitur Cuiacius, verbísque, pro more, ornatioribus, consultatione. 49. Imò promulgatum apud nos edictum ann. 1576. art. 31.

quo,non desunt qui communem hanc interpretationem confirmatam affectant: si nimirùm in numeros relatus sit miles,sique in castris.In quo tamen facienda hęc distinctio.Si enim de testamento minus solenni agatur,putà si legitimus non sit testium numerus,si cœptū sit testamētū,& mors cōtigerit antequàm perfectū,subsignatúmq; esset,vt in l.fideicōmissa.de legar.3. tūc valere nihilomin⁹ eiusce modi militare testamētū cēsuit variis Arestis Senatus Tolos. quæ refert Maynardus,Senator,lib.5.cap.92.& 93.quod & ipsum Senatus noster, tā in comitiis Aruernæ iuridicis an.1582.die decima Nouembr. inter Turdei cuiusdam filias,tursúsque Cæsaroduni Turonum, ann.1592. die xv.Maij,inter Philip.Rousseau,Cat.Gentil.& Io.de la Barre. Chopinus ad consuetud. Andensem.,lib.3.cap.2.tit.4.num.3.latè quæstionem de nuncupatiuis discutit, tandem tamē,postquàm peroratam in hoc ipsum ann.1582.à Fr. Chauuelino,& Seua, causam subiecit, nihil aliud tradit ex iudicibus qui audierant, nisi remissam eam ad consilium:quia,inquit,ad exemplum, & interpretationem edicti Francici pertineret. testimonio autem eiusdem Senatoris Tolosani,quem nominaui suprà,vtitur,vt dicat, Senatum Tolosanum nihil in eo derogare Romanis militum priuilegiis, testamentáque illorum,etiam nuncupatiua,solísque testibus subnixa,admitti.Iudicatum tamen posteà aliud in nostro Senatu,constat inter patronos,anno videlicet 1598. die 9. Decembr. Molinenséque edictum & in eiuscemodi testamentis suam vim obtinere, vt ita optimè cum Vlpiano,agente de edictis generalibus, finiam. perorabant Daguesius,& Lametius. Cæterùm verè Castrensem totam hanc cōstitutionem meritò quis dixerit, si spectes non modò ad hypothesin, sed & ad locum in quo condita, promulgataq; est. Syrmium enim,de quo in fine,est vrbs Pannoiæ inferioris, seu Vngariæ, vt vocant, appellatúrq; hodie,Simali:vtque illa apud Danubium, & ad limites Imperij, ita & Diocletianus, ac Maximianus, auctores huius legis,alijque posteriores Principes vnam semper è quatuor classibus, quæ olim ad Danubium, statione apud Syrmium iugi,immotáque tenuerunt, quod explicatur fusiùs à Pancirolio ad notitiam Imperij,plurimásque proinde leges & hoc tit.& aliis,Syrmij latas fuisse reperies.

IIDEM IMPP.

L. 20.

Traditionibus, & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis (gl.id est,traditione rei non vestitis) transferuntur.

Breuiuscula hæc lex longè plurimas quæstiones, easque vtiles complectitur, quarum partem foro transcribam. Prima est de traditione, quando dominium transferat, & quando non, & quando etiam traditione opus non sit ad dominij translationem: posteà autem vtrùm, traditione non secuta, debeantur laudemia, & vtrum debeantur,tametsi traditio facta sit. His ita discussis interpretabor vsucapionum quotidiana quædam,& in quantum ad forum,cum instituti mei istud,præ cæteris,fecerim.

Primùm igitur docemur ex hoc textu emptionē remanere in puris, & meris terminis nudi pacti nisi sequatur traditio.ratio est,quia quęcumq; facta sit venditio,propriè tamen quod venditū est semper in dominio vēditoris manet,nisi traditū sit,nec anteà alienatū dicitur.Ita Vlp.in l.alienatū.de verb.sign.hinc decisio vulgata legis,quoties. inf. de rei vendic. quæ vult ex duobus emptoribus potiorem eum esse in dominio rei vtrique vēditæ cui priùs vacua tradita sit possessio.Dixi ad eā fusissimè de traditionū variis,solemnibúsq; formulis,tam ex iure antiquo,quàm nouo,& Gallico. vide etiam plura in hoc,si lubet,apud Bacquetium cap.3.de iustitia,& iure. Abalienatio,inquit, Cic.in Topic. est eius rei quæ mancipi est,aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt:sic ille.quò & facit optimè descriptio ista traditionis,apud Aristot.lib.8.eth. ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα μετάθεσις.id est, transpositio de ma-

nu in manum. vſurpauit in hoc ipſum ad hanc l. Cuiacius. differentia autem ea eſt inter res ſeculares,& eccleſiaſticas. In ſecularibus enim, ſeu profanis à traditione incipit vſucapio, ſi modò præcedat titulus ex quo ciuilis quæratur poſſeſſio, quæ ſola vſucapiones parit. Imò diſcimus ex l. eum qui.& l. ſi vendidero. de furt. ff. *eum qui emit, ſi non tradita ei eſt res, furti actionem non habere, ſed adhuc venditoris eſſe hanc actionem.* In ſeruitutibus, vſus loci,& patientia, ſunt loco traditionis l. vlt. de ſeruit. ff. l. 2. de ſeruit. & aqua. inf. nudáque voluntas domini interdum ſine traditione ſufficit, l. qua ratione §. 3. 4. 5. de acq. rer. dom. l. quod meo. de acq. poſſ. ff. In eccleſiaſticis verò, id eſt, in beneficiis, titulus totum facit, vt ſic loquar cum Iuriſconſultis, itaut ſi duobus collatum ſit beneficium, ſpectetur ſemper cui prius collatio facta ſit, nõ quis poſſeſſionem cœperit, cap. ſi tibi abſenti. de reſcript. in 6. & glo. ſingularis ad l. quoties. quam procul dubio ſeruamus. Dixi ſuprà, ſi modò præcedat titulus rei venditæ. nuda enim traditio, id eſt, quæ ſine titulo eſt, numquam transfert dominium: ſed ita ſi venditio, aut aliqua iuſta cauſa præceſſerit propterquam traditio ſequatur, l. xxxi. numquam nuda. de acq. rer. domin. ff. Aliàs,& niſi adſit titulus, traditio pro ſimplici facto eſt, vt videmus in l. 28. ſi rem. de verb. obligat. de eo qui rem tradi ſtipulatur, non enim proprietatem eius dari ſtipulatori intelligitur, ſed tantùm tradi. Caſus plures ſunt in quibus etiam ſine traditione quæritur dominium, eiuſmodi enim ſunt legata pia, de quibus proinde in hoc ipſum vide quæ adieci ad l. id quod pauperibus. ſup. de epiſc. & cler. Eiuſmodi etiam ſunt vltima voluntas, ciuitas, pactum addictionis in diem, manus iniectio, pactum legis commiſſoriæ, donatio cauſa mortis, fiſcus, beneficia, vt dixi, de quibus omnibus vide Fabrum ad hunc textum. Item & ſcotatio, ſeu modicum terræ alienatæ, pallio apprehenſum vel ſuper altare poſitum, habetur pro traditione. cap. 2. de conſuetud. quod capitulo Lugdunenſi inſcriptum eſt. Deinde inueſtitura, traditionis loco eſt, clauium traditio, & alia quædam quæ enumerat gloſſa ad d. cap. 2. Eiuſmodi & eſt traditio inſtrumenti authentici, ſeu originalis, in l. 1. inf. de fideicommiſſ. & apud Molin. conſil. 27. num. xx.

Quantum ad laudemia, quæ & εἰσδικνικὰ, vtrùm ſcilicèt debeantur traditione non ſecuta, dixi quod ferè ſit ſatis ad l. ab emptione. de pact. ff. Cenſet Vid. Papius non deberi ex ficta traditione rei cuius retinetur vſusfructus, vide q. 501. cum addir. & annotat. Ranch. non deberi deinde ex contractu nullo, ſcribit Faber ad l. vlt. inf. commu. de legat. & ad l. 1. quando lic. ab empt. diſced. inf. Imò & negat Molinæus deberi ex diſtractu §. 15. & ſeq. ad conſuet. Pariſ. nec omittendum hîc arbitror, cùm veromanduorum conſuetudo ſtatuat, art. 138. Laudemia noo deberi ſi modò intra octiduum contrahentes à contractu diſcedant: addere Molinæum io notis ad d. art. iſtud intelligi etiam poſt traditionem fundi, & præuentionem Domini. quod ſcholium & peritiæ eſt,& magnæ tanti viri prudentiæ.

Supereſt iam de vſucapionibus altera quæſtio. Sine poſſeſſione non procedit vſucapio, ait lex, ſine poſſeſſione. de vſucap. ff. at traditio eſt quæ poſſeſſionem inchoat. l. vlt. ff. pro donato. vbi dicitur ſemper neceſſariam eſſe traditionem ad vſucapionem. In quo proiode ſciendum eſt poſſeſſionem ciuilem dare cauſam vſucapioni, ex titulo enim oritur, quem propterea Theophilus dixit αἰτίαν νομῆς, id eſt, cauſam poſſeſſionis. In genere autem poſſeſſio illa ciuilis nihil eſt, niſi comitem corporalem habeat, & niſi reipſa, id eſt, corporaliter incumbamus rei, ac fundo quem ex empto, vel ex donato, legato, permutatiooe, aut alio quouis modo conſecuti fuerimus. Inde corporalis, ſeu σωματικὴ,& naturalis nuncupatur à noſtris, texrúſque in hoc vulgati, in l. 1. l. poſſeſſio quoque. l. quod ſeruus. l. cum hæredes. §. 1. l. ſi id quod. §. vlt. de acq. poſſ. l. debitor. §. vlt. de pign. act. l. vlt. poſt medium legis. de fundis patrimonialib. lib. 11. Cod.

Notandum verò eſt, cùm poſſeſſio ciuilis ita dicatur, quia iuris ciuilis ope, atque auxilio ſubnixa ſit, itaut qui animo poſſidet, dici ſoleat ciuiliter poſſidere, retineri illã per ſeruos, colonos, aut amicos, ita enim vſucapimus perinde ac ſi ipſi corpore poſſideremus, §. ſaltus. l. 3. de acq. poſſeſſ. Imò & ciuiliſſima alia eſt quæ nullo actu corporeo, nec vero, nec ficto, ſiue æquipollente, transfertur ex diſpoſitione legis, vel ſtatuti, per text. & Bart. in l. captores ibi, plenam poſſeſſionem. de epiſc. & elet. Iaſon ap-

pellauit

pellauit primus *ciuilissimam*, ad pr. l. 1. de acq. poss. ff. eiusmodiq; est possessio quæ apud nos obtinet ex vulg. regula, *le mort saisit le vif*: de qua dixi ad l. cùm miles. ff. ex quib. caus. maiores. mirum quot in schola dati soleant vsucapionum species, aut præscriptionum potiùs, scio enim vtriúsque vocis, ex iure Romano, differentiam; sed vsus rerum me aufert ab vsucapionibus ad præscriptiones, de quibus Cuiacius ipse librum Græcũ sat grandem inter priora sua opera tradidit, qui inscribitur, περὶ χρονικῶν διαστημάτων. itaut per horas, dies, nec tantùm per menses, & annos computentur tempora. seligam autem quæ tantummodò ad forum. prima igitur præscriptio fuerit 9. dierum, in redhibitione equi, cum sex menses essent ex iure, vt ostendo ad tit. de ædil. ed. l. sciendum. §. vlt. Secunda, sex mensium, vt in mercatoribus, & aliis qui enuntiantur art. 16. consuet. Paris. In tertia, annus est si medici, chirurgi, pharmacopæi, mercedes postulent. art. 125. ead. cons. Paris. Annus verò etiam in redhibitione gentilitia, quæ tot varias quotannis lites, pro æstu, & affectu consanguineorum, parturit. nulla ferè consuetudo prouincialis quæ singularem de retractu titulum non habeat: notabóq; obiter solos esse Isodunenses in Bituria, qui actionem illam quindecim dumtaxat dierum fecerint, vt reperies in consuet. Biturig. Quarta fuerit triennalis, si agatur de mobilibus. §. 1. Instit. de vsucap. Ita enim semper Senatus. primúmque, quod meminerim, Senatusconsultum latum est ann. 1595. secundum equitem *de la Boulaye*, Fontenaci, apud pictones, rectorem, à quo creditores, Illustr. Card. Borbonij nonnulla ipsius mobilia petebant triennio postquàm ei donasset. perorabant Io. Constantius, & Cl. Duretus. Triennalis etiam præscriptio est in beneficiis quæ vitiosè quidem ab episcopo, qui ius conferendi habeat, collata sunt, per tres verò annos pacificè possessa. vulgatum id ex pragmatica, & concordatis. Quinta est quinquennalis, vbi scilicet de muneribus publicis agitur, perpetuò enim ita Senatus, arg. tit. Ne de statu defunct. post quinquenn. quer. ff. & Cod. at verò & hæc ipsa summopere obtinet apud Turones, Cænomanos, & Andes, vbi de possessione fundi agitur quem sibi quauis ratione obligatum habeat creditor: vocant vulgò, *le tenement de cinq ans*, Sexta, decennalis inter præsentes cũ titulo, & bona fide, & vicennalis inter absentes, quæ cũ accepta sit ex l. 1. & vlt. de præscr. longi tempor. Cod. nihil hodie est vsitatius ex nostris moribus: nec vlla consuetudo est prouincialis quæ specialem de eo articulum non ferat. Imò & vicenali præscriptione summouetur omnis hodie vel grauissimorũ etiã criminum, vt inter cætera, parricidij, accusatio, non modò ex Iure Rom. in vulg. l. querela. de fals. inf. sed Græco etiam, vt videre est apud Demosth. contra Nausimachum. itaut & actiones ciuiles vnà cum ipso crimine intereant ex Senatusconsultis quæ ad primum volumen pandectarum recensui. Sexta est tricennalis, cùm quis possedit sine titulo, l. omnes. de præscr. 30. vel 40. ann. & cap. vigilãti. de præscript. in quo textu aduerte Ephesinum legislatorem appellari Theodosium, quia Ephesino concilio præfuerit. cæterùm ἀκριβοδικίαν capituli illius, quæ de mala fide, id est, scientia rei alienæ, quæ, completis nondum xxx. annis, subit possessoris animum, parcò seruamus. Septima, quadragenaria, si possideat debitor: vt scilicet præscribere ante illud tempus nõ possit. l. cum notissimi. de præscript. xxx. vel 40. annor. & hanc etiam seruamus ex Senatusconsultis: At verò & contra ecclesiam nisi per 40. annos præscribi non posse nemo ferè nescit, vulgati in hoc sunt textus in auth. quas actiones. de sacr. eccles. & in cap. sanctorum. de præscription. varia in hoc ipsum collegit ex conciliis, Pontificúmque decretis, Iuo, epist. 30. vnáque ex Caroli Magni constitutionibus, laudatissima est lib. 5. vltima est centenaria in iis quæ sunt Ecclesiæ Romanæ, nouel. vt eccles. Romana centum annor. gaud. priuileg. & in iis quę spectant ad rempubl. patrimoniáque, seu dominia, aut, vt vocant, domania principum, de quibus vide Molin. ad consuet. Paris. §. 7. Rarum autẽ vt species vnquam incidat legis, si vsusfructus municipibus. de vsuf. leg. qua dicitur legatum vsumfru. ciuitati non finiri nisi centum annis. Addo his omnibus necessaria duo axiomata, eáque forensia, primum est, præscribi stipulationi, toties quoties, per 30. annos. auth. nisi tricennale. de bon. matern. quod & præses Lisetius consuetudini Biturigum, à se emendatæ, intulit, tit. de præscripr. atque ita semper senatus. Secundum est, non posse renuntiari præscriptioni, ex doctr. Bartoli, ad l. nemo

poteſt. de legat. 1. Panormitani ad rubr. de præſcript. & Rebuf. tit. de reſciſ. contractuum, art. 1. glo. 1. Hactenus igitur de traditione, quæ parens vera dominij: & de vſucapione quæ ſuffragium iuris, finis ſollicitudinis, ac litium, támque æterna aduerſus peruicaces litigatores authoritas, vt non immeritò laudetur iſtud Caſſiodori vulgare quaſi adagium, vocantis præſcriptionem, patronam humani generis.

IIDEM IMPERATOR.

L. 21.

Cùm proponas. Cùm ſine ſcriptura diuiſerunt fratres ex æquis partibus ſucceßiones fratrum, exceptione ſe tueri poteſt vnuſquiſque eorum qui poßidet. non poßidenti nulla ex hoc placito competit actio. Tamen aduerſario exceptione tranſactionis vti concedendum non eſt, niſi ea quæ placita ſunt, adimplere paratus ſit.

Rixoſus certè, & φιλόνεικος cohæres hic fuit. Quia enim nihil ſcripto conſtare videret de iis quæ inter ſe, & cohæredem alterum conueniſſent, ceu proximos agris terminos reuellere conatus eſt, plutáque longè ſibi arrogare quàm verbis, & amica diuiſione ambo pepigiſſent. Ita ut iure optimo reſcribat Imperator, licere alteri excipere de trãſactione, id eſt, diuiſione, quæ quamuis ſine ſcriptura, vt ait lex, interueniſſet, tamen adimplenda erat in totum, aut planè, ac funditus tollenda. hinc gloſſa, Bartolus, Baldus, Paul. Caſtrenſ. aliíſque interpretes vulgare iſtud inferunt: *ei nimirùm qui fidem fregerit, frangendam quoque eſſe fidem. Rarum eſt vt Syri fidem ſeruent, immò difficile:* ait Vopiſcus in Aureliano. *Probro autem dicitur apud Francigenas, vt optimè noſtis, iuramentum ſoluere, quamuis malè publicè iuratum ſit*: Ita D. Bernardus, epiſt. 219. in quo tamen vix eſt, vt non ſemper obtendatur velum periurio, cauſa ſcilicet, quæ τὸ πρόφασιν, auferat perfidiæ dehoneſtamentum: id verò ſeu publicè, ſeu priuatim emiſſa vox fuerit. clauo, aiunt, clauus traditur, dolúſque dolo compenſatur. & cùm proinde retractationes, defectionéſve iſtas mulctare iudices ſoleant pro cauſis, & perſonis, nulla alia, de more, ſuccedit condemnatio niſi in id quod intereſt aduerſus eum qui temerè, aut perperam à conuentione diſceſſerit, niſi forſan, vt in hoc textu, alter, cui factus ſit fucus, reſolui contractum putet ſatis. De triconibus eiuſcemodi cohæredibus, quibus conuenientiſſimus fuerit Senarius poëtæ veteris,

Δίκην ὑφέξει, κἂν ὄνος δάκῃ κύνα.

id eſt, *litem mouebit, ſi vel aſinus mordeat canem*: quique, procaci ingenio, nihil non ſemper litium ſuperuacancatum promouent, ſemper iniurij, ſemper damnoſi, ægríſque oculis introſpicientes quicquid cæteris fortuna duce, ductíſque ſortibus, in hæreditate diuidenda, contigerit, vide inſignem gloſ. ad l. 2. quando, & quib. quarta pars, lib. x. Cod. & quæ adieci ad l. 1. famil. hercisc. atque ad l. 14. Si cõuenerit. §. 1. pro ſoc. ff. De diuiſione etiam ſine ſcriptis, verùm poſt annos decem, rata habenda ſit, nec turbanda amplius: vulgata, quotidianáque gloſſa eſt in l. ſi maior. ad quam & dixi. inf. commu. diuid. cæterum vt tranſactionis verbum transfertur hîc ab Imperatoribus ad bonorum diuiſiones, ita & ſeruamus ex vſu, atque ex areſtis, doctrinam interpretum, Cuiacij nempe ad l. ſi diuiſionem. inf. famil. herciſc. & Decij conſil. 230. qua dici conſueuit, cohæredes, quantumuis vtantur tranſactionis verbo in diuidundis quæ inter eos ex hæreditate defuncti communia ſunt, eſſe tamen non tranſactionem, ſed meram diuiſionem, factam ſcilicèt vt quiſque portione ſua hæreditaria fruatur, nec verò iniurioſus, damnoſúſque ſocius, (quod ait Vlpianus tit. pro ſoc.) in cauſa ſit vt deteratur hæreditatis indiuiſæ vniuerſitas.

IIDEM IMPERATOR.

L. 22.

Tactum curatoris. Tutores, & curatores exigentes pupillis, & adultis debitum, non etiam remittentes, præstant obligationis liberationem.

Datur ex hac lege regula, administratorem non posse remittere debitum liquidum. quod & idem in Præside prouinciæ, id est, in omni administratore reipubl. vniuersitatis, ciuitatis, ecclesiæ, & similium, l. Præses. vbi & glo. singularis. inf. de transactiõ. Remittendi enim verbum ad donationes quascunque referri, ostendo tam ex iure, quàm ex Senatusconsultis ad l. 2. ff. de calumniatorib. Idem verò etiam in procuratore Cæsaris decîdit lex 1. ff. de off. procur. Cæs. ad quam pariter dixi quæ ex vsu. Sed vt ad tutores redeam, pulchrè equidem & paucis munus eorum complectitur Iulianus in l. qui fundum. §. si tutor. ff. pro emptore. dum ait, tutorem domini loco haberi, cùm tutelam administrat, non cùm pupillum spoliat. Spoliat autem si non modò remiserit, & donauerit, sed quoties, subiecto nomine alterius emptoris, per callidum commentum, & contra fidem tutori commissam, sibi pupillaria bona comparat, ait Vlp. in l. quamuis. ff. de reb. eorũ. per interpositas personas, inquit lex, pupillus. de auctorit. tut. *per semetipsum, vel per subiectas sibi personas*: inquit rursus in hoc ipsum, Vlp. in l. quod dicimus. eod. illo tit. de auctor. tutor. Spoliat deinde, si inconsideranter, vel dolo pupillum abstinuerit hæreditate, verba sunt legis. 3. §. is tutor. ff. de susp. tutorib. Si inuentarium facere differat: imò si litem deserat. l. vlt. eod. illo tit. de susp. tutorib. Si quod debet pupillo, à se non exigat, l. quoties. §. & generaliter. cùm duobus §§. seq. ff. de administr. tutor. si superuacaneas lites instituat, d. l. quoties. si seruet non seruanda, l. si res pupillares. Cod. de peric. tutor. si in proprios vsus conuerterit pecuniam pupilli destinatam in emptionem prædiorum, vel alium vsum pupillo vtilem, vel si pecuniam pupillo interceperit, quo casu centesimas vsuras deberi vult lex, qui sine. de neg. gest. ff. quod & idem lex, tutor qui repertorium. §. quidam. de administr. tutor. plurimi illos textus facit Molinæus tractatu de vsuris, numero, 588. in fin. quibus & singulare istud adijce ex l. XIII. tutor secundum. §. 1. de adm. tutor. ff. vbi sic Gaius: *non est audiendus tutor, cùm dicat ideò cessasse pupillarem pecuniam, quòd idonea nomina non inueniret, si arguatur eo tempore suam pecuniam benè collocasse.* Tutor denique eam diligentiam præstare debet circa res pupillares quam bonus, & diligens pater. l. A. tutoribus. in princip. de admin. tutor. ff. proinde nihil donare potest ex bonis pupilli, imò nec, diminuendi causa, cum debitoribus pupillaribus transigere: & ideò debitor qui minus tutori soluit, à pupillo in reliquum conueniri potest: ita lex Lucius. in fin. eod. illo tit. de adm. tut. Admittit tamen lex, fine hærede. §. Lucius. eodem rursus tit. vt reputare possit ea quæ ex more, & consuetudine semper obseruata fecerit: & quod minor ipse, si rem suam administraret, erogare compelleretur: conciliátque ea distinctione Bartolus legem, tutor secundum. §. 2. d. tit. de adm. tut. & l. 1. §. sed si minus. de tut. & ration. distr. quæ vetant tutori, nè munera vlla eroget, nè quidem nuptialia: cum lege, cum plures. §. vlt. eod. tit. de adm. tut. quæ decîdit contrarium: vt scilicet d. lex, cum plures. locum habeat in muneribus consuetis, leges autem contrariæ in muneribus insolitis. Ista nimirùm in iis quæ liquidò constant, nullâque liti, controuersiæ, aut periculo vel præsenti, vel futuro sint obnoxia apud pupillum. Secus in cæteris quæ nec liquida nec citra periculum, maiorisve malitatis metum, vt sic loquar cum Vlpiano in l. 5. quod met. caus. si quid sit ἐπικείμενον, id est, imminens, vel impendens, vt iterũ idem Vlp. in l. 1. §. quæ onerandæ. quat. re. actio non datur. admittunt enim interpretes ad hunc nostrum textum, posse eo casu transigi à tutoro,

habemúsque in hoc clarissimam sententiam Barroli, consil. 44. & ita seruati sæpe vidimus, dummodò tamen nihil agit tutor, nisi adhibito peritiorum consilio, acceptisque ipsorũ subscriptionibus, vt pupillo, qui posteà auditurus sit rationes tutorias, & diligentiæ suæ fidem faciat, & prudentiæ, qualem ipse nec maiorem adhibiturus fuisset, si bona sua tunc, per ætatem virilem, administrasset. Mos verò in his cum sit frequentior vt per arbitros terminetur negotiũ, numquam, qui sibi bene cauet, *credit nugem ventis*, quod dicitur: id est, nec transigit, nec arbitrorum sententia vtitur, nisi tutorem, aut alium, quem idoneiorem viderit, obligatum, sponsorémque euentus, vel trãsactionis, vel arbitrij totius habeat. timendi enim semper vngues leunculi cùm adoleuerit, & colla, ac armos vestierint iubæ: minorem intelligo, nè videlicet maior factus, ingratúsq; *vertũnis, vt sæpissimè, quotquot sunt, natus iniquis*, omnia vel quamoptimè, prudentissiméque transacta euertere gestiat quæ à tutore gesta sint. memini egisse me, ante annos aliquot, & inuitum, in causa honestissimi cuiusdam clientis, cuius minori annis puellç controuertebatur meritò testamentũ paternum à sorore altera quam pater exhæredem scripserat in consuetudine Biturigum, in qua institutiones hæredum valent, quia nempe, nobilis cum esset, carminatori tamen vilissimo nupsisset: docebat illa in contrarium, rabulísque omni exceptione maioribus, nihil sese admisisse quod ad exhæredationis causas accederet: nupserat quidem, sed post annos xxv. fortunæq; nõ ita infœlicis viro qui, eam quasi rusticam, potiísque, & bubus abigendis in agros à patre tam crudeliter relictam, vt ferè nee, vnde aleretur, concederet: factum verò id quia nouercalibus delinimentis, instigationibúsque corruptus omnem à prioris matrimonij liberis affectum ad posteriores, secundæque coniugis filios, conuertisset. Consuluerat primæ famæ patronos tutor, qui causam defendi non posse responderant nisi quia vitiosum nulla sui parte testamentum esset, quo casu diei solebant secundum institutos hæredes, ac legatarios vindiciæ, (prouisionem vocant) sed causæ nihilominus imminere semper præsentissimum periculum: itaut vel transigere, vel ad arbitros ire deberet tutor, si quacúmque id ope, ac arte posset exequi. maluit verò ille tandem, per aduersarij fiduciam recusantis & transactione, & arbitria, causam fortunæ committere, sedulámque in id patroni operam redimere, vt, quod ille memorabat sæpius, quiequid contingeret, non sibi, sed fortunæ iudiciorum adscriberetur olim à pupilla. Et sanè laudarunt plures istud, vt tutoris prudentissimi, ac optimi consilium, qui suam nulla in re suspectam fidem esse voluerit, quasi causam deseruisset. Acta igitur causa est, planéque profligata, ac deperdita: Senatusconsultúmque, & deliberationes forenses à patronis consultissimis subscriptas sibi sepossuit quibus in posterum probaret puellç reposcenti rationes, nauatum, præstitúmque ab eo, quicquid desiderari vnquam à diligentissimo tutore potuisset.

IIDEM IMPP.

L. 24.

Si actionem legati, vel fideicommissi quam aduersus hæredes mariti quondam tui habuisti, remisisse te, affectione hæredum, alijs probetur: exceptionem pacti contra debitores instituenti actiones nocere tibi minimè posse intelligis.

Vult in summa Imperator, posse priuatos elargiri è suo, quo more priuilegia tribuuntur à Principibus è publico. Vt enim nihil aliud sunt priuilegia, quàm iura quædam singularia quæ in gratiam singulorum concessa sunt, quod latius exegi ad l. ius singulare ff. de legibus, ita &, si quid legatarius, aut fideicommissarius remittat affectiones, huius, vel illius qui sint hæredes defuncti, *liberalique gratificandi voluntate*, quod

ait Cic.1.off.absurdum meritò videri possit, vt hæredes reliqui, quibus non tam bene voluit, liberos sese postmodùm omnia sua petitione excipiant, in eo quod testator legarit, aut fideicommisetit. Appositè hîc Paulus Castrensis de puella quæ dotata ab vno ex fratribus, renuntiauit in eius gratiam hæreditati paternæ ad quam ipsa vocabatur cum masculis. renuntiatio illa, inquit, ad illum tantummodò spectabit qui dotauerit. *Distinguimus, per gratificationem acceperit, an non*: ait Scæuola in l. pupillus. quæ in ft. cred. ex cuius textus integra lectione videre est, gratificationem, de qua ibi agitur, irritam ideò fuisse, quia qui eam fecerant, putà tutores, gratificandi ius non habebent. sic & glossa in verb. gratis. ad §. si tibi. Nou. de mandatis, Principum, docet, ratione personarum, vel rerum, quædam fieri δωρεὰν, atque in metam alicuius gratiam, quæ aliàs non fierent. Eò insuper fecerint verba, *gratiosa conniuentia*, in l. placet. de excusationibus munerum. lib. x. Cod. vide cætera ad l. si creditores. sup. hoc tit. Quotidiani sunt textus, vixque omittuntur à pattonis peritis, vbi de gratificatione agitur.

IIDEM IMPP.

L. 25.

Debitorum pactionibus creditorum petitio nec tolli, nec mutari potest.

Vulgatissima lex in foro, vt cuius decisio ad omnia cuiuscúmque & debiti, & officij, obsequiíve genera creditorum referri possit. quemadmodum dicimus ex l. creditores. & l. creditorum. de verb. significatio. creditores accipiendos esse, quibus ex quacunque actione, vel persecutione, vel iure ciuili, siue purè, siue in diem, siue sub conditione: omnes denique quibus ex aliqua causa debetur. Vt autem exhibeatur idonea, frequénsque hypothesis, quę ad generalem, puram, simplicémque rescripti huius regulam faciat: docent quotidiana experimenta, si qui possideant maiori, aut minori iugerum numero, εὐγενοῦν prædiorum, vt vocat Iurisc. tit. de adim. leg. id est, ingens aliquod latifundium, quod indiuiso censu, vel solario annuo obligetur vni tantùm primæuo, directóque, vt loqui mos est, domino, posse eos quidem conuenire, ac conferre inter se quanta pars ab vnoquoque debeatur, vt collatione, symboláque æris illius communis facta, pendatur, in singulos annos, solariū domino: manere autem iura ipsi illibata, ac integra aduersus vniuersos, & singulos, nec tolli, mutaríve potuisse, quæcunque inter debitores, id est, possessores, pactio intercesserit: admittetque nulla vnquam ratio, vt vllus ex eiusce modi possessoribus immunitatem sibi comparet, quia dicat forsan se per xxx. annos, & ampliùs non soluisse. quotquot audaculi, aut temerarij potius, lites de eo instituerint, quasi immunes, ac liberi, causa semper ceciderũt. vide plura ad l.7. communi diuidundo. ff. commu. diuid. vbi quæstiones in hoc ipsum agito. Sic verò etiam rectissimè Baldus ad hanc l. docet, subditos nihil posse inter eos statuere, & contrahere in caput superioris domini. & quod videmus partem Galliæ vti iure Romano pro moribus, nempe Tectosages, Prouinciales, Vascones, Aquitanos in partem, Lugdunenses, Forenses, Atuernósque in partem: factum istud ex pactis, legitimísque conuentionibus initis inter Regionum illarum populares, & Reges nostros, cùm sese in eorum ditionem, ac imperium dederunt: notauit & hoc ipsum Bartolus ad l. si conuenerit. de pignot. act. ff. de Tolosatibus. meminíque cum aliquãdo disceptaretur in maiori auditorio ad catalogum causarum Lugdunensium, vtrùm creditores chirographarij frui deberent eodem, paríque hypothecæ priuilegio cum hypothecariis, i. iis qui apud tabelliones contraxissent, cũ ex l. 4. de pign. ff. hypotheca contrahi possit simplici, nudóque chirographo, allegatum fuisse, inter cætera, Lugdunenses sese hac conditione subiecisse olim Gallico Imperio, vt ius Romanum eis esset non minus deinceps, quàm antea, pro patriis moribus. Quæsitum est iampri-

dem de consuetudinibus cæteræ Galliæ Prouincialibus, an eis solutus esset Princeps: in quo nè sim nimius, néve repastinare, quod aiunt, aut retractare videar, ac repetere, vnum, ac idem pluribus locis, vide quæ contuli ad l. Princeps. ff. de legibus. prætereo legem seq. cùm eadem sit huius, & illius decisio.

IIDEM IMPP.

L. 27.

Petens ex stipulatione quæ, placiti seruandi causa, secuta est: seu antecessit pactum, seu pòst statim interpositum sit: rectè secundum se ferri sententiam postulat.

Fit inde regula: Actum pro parte probari non posse, & pro parte improbari, vel diuidi: maximè in indiuiduis, & connexis, de quibus hæc lex. secus in diuiduis, vt in l. etiam. §. 1. de minorib. l. si ex falsis. inf. de transaction. cap. si eo tempore. de rescript. fit deinde alia vulgatáque regula: ex vicinitate actuum, vnus, idémque actus præsumitur: vnus contractus, duo correlata: facta nempe ad eum finem, vt alterum sine altero stare nequeat,

——alterius sed

Altera poscat opem res, & coniuret amicè.

Doctrina illa est τῶν ϕρίς τι, præsertim in indiuiduis, vt dixi. Cùm enim sint συμμιξία; quod ait lex, rerum mixtura. de vsucap. mutuus semper fit, ac immotus amborum comitatus. quod longo sermone explicat Molinæus ex Baldo, & aliis interpretibus, consil. xxx. num. xx. & § 23. num. 69. 91. 92. ad consuet. Paris. sic Tiraquellus §. 1. glo. 7. nu. 77. de retractu, variis allegationibus docet, ex breuitate temporis fraudem, dolum, ac simulationem præsumi. disserui istud duobus locis ad Pandectas, ad l. si verò non remunerandi. §. inde Papinianus. mand. & l. plerique. de ritu nupt. Huc verò pertinet fraus repromissionum, (vulgò vocant, *contrelettres*) de quibus etiam suprà ad l. in bonę fidei. hoc tit. huc & facit quęstio legis, pacta conuēta. de contrah. empr. & legis, lecta. si cert. per. denique cùm implicita, implexa, connexáque sunt adeò inter se negotia, vt aliud ex alio necti videatur. Copulata autem dici hæc possint rectissimè ἀφύκτοις ἅμμασιν, vt apud Epigrammatogr. id est, vinculis, atque nexibus ineuitalibus.

ISDEM IMPERATOR.

L. 28.

Si certis annis quod nudo pacto conuenerat, datum fuerit: ad præstandum in posterum indebitum solutum, obligare non potuit eum qui pactum fecit, nisi placitis stipulatio intercesserit.

Glossa supplet in verb *si certis annis*. id est, paucioribus tribus. & sic conciliatur lex, cùm de in rem verso. ff. de vsur. vt in qua vsuræ per totum decennium solutæ fuissent, hîc autem certis tantùm, & paucis annis. Tractat proinde ad hanc ipsam legem Ioan. Faber de præscriptione in reditibus, & seruitiis. Tamē, ait, præsumptio est contra petentem seruitium, si sit potens, (sunt eius verba.) Molinæus ad consuetud. Paris. §. 53. num. 15. 16, 17. 18. 20. latè hoc persequitur: præsertim, inquit, erga rusticos metus ille præsumitur. Sed vtcunque sit, idem Faber eodem loco necessarium non esse titulum autumat post annos XL. nisi contra ius commune possessum fuerit. perficit Vi-

dus Papius decisionem, q. 407. scribit enim, vsque ad XL. annos opus esse titulo, vt dominus loci, aut, vt veriùs loquar, regulus, ius aliquod annuum exigat à subditis: cùm præsumatur vi extorsisse, non iure, quia potentior: & hoc maximè, si probetur, coactos aliquando fuisse nonnullos manu militari, ac fustibus, dorsóque dolato, (dynastis istis leuiculis mos frequentior) ad soluendum quod deberi à se negarent misérculi. Vide rursus eundem, q. 408. vbi docet causidicum, qua forma libellum ad huiusmodi præstationes edere debeat. vult enim causam idoneam exprimi, & quanto tempore præstatio facta sit: sufficere autem decîdit, si probetur tempus quo res ita semper soluta, præstitáque sit. Sed in genere, censet V Vil. Bened. ad cap. Raynutius. in verbo, condidit. I. num. 64. operas, duráque illa seruitia, vt vocant, præsumi indebita, extortáque per metum à rusticis: præsertim si loci, pagíve dominus ille sit cui, quasi sub flagello, ac scutica, soluerint, præstiterintve in singulos annos plebeculæ, vt rursus idem Bened. ad d. cap. Raynutius. in verb. & vxorem nomine Adelasiam. decis. 5. num. XLI.

Emicat ad nutum stricto mucrone minister.

dixit Claudianus de iussu tyrannico. & Sen. in Herc. fur.

Vidi, &c.

Et impotentis terga plebeia manu

Scindi tyranni.

Ita ferè apud plebeios, vinitores maximè, & agricolas, qui superciliosè, fastidiosèq; intra fines suos territant, vt attingit obiter Liuius lib. 3. nec in Gallia penè quippiam hodie frequentius, durius, flebilius. Et cum Ludoicus XII. tueretur vnicè plebeios aduersus impotentes manus Nobilium, dictus ex eo à nostris pater populi: tam ægrè id ferebant prouinciales cuiúsque loci reguli, vt illum inter seipsos, plebeianum, aut, vt loquimur, Roturarium Regem vocarent. Successorem autem Franciscum, à quo senectus regni, quia lasciuiis eorum, imperiísque licentiosissimis indulgeret, vocabāt à contrario Regem nobilem. παλίμφη hoc à summæ dignitatis viris, qui iam diu obierunt, semper didici. vide plura ad l. in orbe Romano. de sta. hom.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 29.

Si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non vsurum fori præscriptione propter cingulum militiæ suæ, vel dignitatis, vel etiam sacerdotij prerogatiuam: licèt anteà dubitabatur si oporteret eandem scripturam tenere, & eum qui hoc pactus est, non debere aduersus suam conuentionem venire, vel licentiam ei præstare, discedere quidem ab scriptura, suo autem iure vti: sancimus nemini licere aduersus pacta sua venire, & contrahentes decipere. Si enim & ipso prætoris edicto pacta conuenta, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo obseruanda sunt, quare & in hac causa pacta non valeant, cùm alia sit regula iuris antiqui, omnes licentiam habere, iis quæ pro se introducta sunt, renuntiare. Omnes itaque iudices nostri hoc in litibus obseruent: & huiusmodi obseruatio & ad pedaneos iudices, & ad compromissarios, & arbitros electos perueniat: scituri quod si neglexerint, etiam litem suam facere intelligantur.

Idem omninò textus in l. si quis in conscribendo. sup. de episc. & cler. nota autem ad vtrámque, declinari quidem posse iurisdictionem priuilegio: sed vbi prima cogni-

tione nihil tribunali priuilegiario prolatum est, itaut contestata sit lis, in ciuili negotio, vel respondetit reus ad interrogationes in iure factas, pœnitere amplius non liceat: eóque iure vtimur. vidi tamen dissentientes consultissimos togatos, in clericorum priuilegio. Othomanus enim, in Senatu patronus, scripsit, libello de libertatibus Gallicanæ ecclesiæ, posse renuntiari à Clerico in Gallia. Alij contrà, inter quos Iac. Choartius, cultissimus in re literaria, ac Forensi, senex, qui, ad confirmationē capituli, si diligenti. de foro compet. citauit mihi aliquādo locum D. Pauli ad Corinth. ibi, *non habetis iudices*, &c. Tandem verò itū est ab omnibus in eam sententiam, vt, si de crimine agatur, renuntiare nō possit clericus cleri priuilegio: cùm dedecus ex eo inferatur ordini in cuius gratiam priuilegium datum est. In ciuili autem negotio, secus. quod nec prætetiit Cuiacius ad Nouell. de Monachis. Quinimò & istud obtiner in gratiam Senatorij ordinis. vbi enim de crimine agitur, Senator, aut magister libellorum supplicum, iudicandus est necessariò ab vniuerso, conuocatisque classibus, Senatu, apud quemcunque fit iudicem, & quæcumque fori renuntiatio ab eo facta sit. Ita iudicatum sciunt mecum plurimi aduersus libellorum supplicum magistrum, qui omnem à se fori Senatorij prærogatiuam abdicauerat, malebátque ferre ab aliis iudicibus, in quos iam consenserat, iudicium. parco nomini. vide plura ad d. l. si quis in cōscribendo. sup. de episcop. & cler. & ad l. si iudex circumuento. ff. de minorib. vnum verò dūtaxat seponendū hîc existimaui, ex vastisq; Bartoli, Baldi, ac Pauli Castr. molibus ad hanc legem, donatorem nempe non posse renuntiare priuilegio reuocandæ suæ donationis ob ingratitudinem. Inuitat enim id ad delinquendum, ait Bart. id est, vt donatarius, qui tuta sibi videt omnia, malè afficiat eum de quo amplius nihil quicquam speret; & qui vlcisci deinceps suas iniurias non possit. quæ acertima Molinæi querela ad l. si vnquam. de reuoc. donat. in eo scilicet quòd cùm donasset bona sua omnia nepoti ex fratre, retento solo vsufr. tabulis connubialibus, contemptui perpetuo ei, nouæque coniugi fuisset: itaut studiosis. ille vir, qui cœlibem sibi vitam indixerat, nuptias tandem circa annum ætatis XL. contraxerit, vnde, natis liberis, quæstio ingens orta est ex d. l. si vnquam: in qua tamen non omninò vicit, quia in causam matrimonij nepotis donasset, vxorique ius quæsitum in quo illa decipi non debuerat. exscribo alibi Arestum.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

De quæstione tali à Cæsariensi aduocatione interrogati sumus. &c. Duabus vel pluribus personis spes alienæ hæreditatis fuerat ex cognatione forte ad eos deuoluendæ: pactáque inter eos inita sunt pro aduentura hæreditate quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit, & hæreditas ad eos peruenerit, certos modos in eadem hæreditate obseruari, &c. & dubitabatur si huiusmodi pacta seruari oporteret. nobis omnes huiusmodi pactiones odiosæ videtur, & plenæ tristissimi ac periculosi euentus. Itaque sancimus huiusmodi pacta; vt contra bonos mores, repelli: nisi ipse forte, de cuius hæreditate pactum est, volūtatem suam eis accommodauerit, & in ea vsque ad extremum vitæ spatium perseuerauerit.

Primùm, vt nè quid de celebratissimæ legis interpretatione intercidat, haud abs re futurum arbitror, si à primo limine obseruauero quæ illa olim Cæsariensis aduo-

catio, & cur eam toties meminerint Imperatores, nempe hic, & in Inst. tit. quib. alien. licet vel non, ac tit. de inutilibus stipular. l. optimam, de contrah. & commit. stipul. l. si maior. de legit hæred. Cæsarea igitur, Capadociæ metropolis, eruditissimos Aduocatos diutissimè habuit. Cùm enim priùs vocaretur, Mazaeæ, scribit Strabo lib. 12. Mazacænos, siue Cæsarienses, Charundæ primùm legibus vsos fuisse, earumque doctissimos habuisse interpretes: atque eos quidem à Tygrane Capadociam vastante aliquando in mesoporamiam abductos fuisse, sed paulò post, magna cum gloria, reuersos esse. obseruauit Balduinus solus ad d. tit. quib. alien. licet vel non. Non mirum igitur si Iustinianus hic laudabili commendatione, ac titulo, clarissimũ illũ, & antiquũ Iurisconsultorum ordinem memorat, vt qui questionẽ momenti maximi mouerit, quæ cùm eleganti heutematico soluta sit hoc rescripto, nullus est omnium interpretum qui non & probauerit summoperè, & commentariis illustrauerit accuratissimis. laudat verò etiam in l. vlt. inf. de verb. sign. aliud Aduocatorum corpus quod fuit Illyrici, cuius consultationi non minus respondet, d. l. vlt. docétque ex his perspicuè quanti olim fe[illegible]nt Imperatores duorum istorum tribunalium togatos, quales & iampridẽ semper habuit Parisiẽsis aduocatio, & ad quam proinde ex Italia, Hispania, Germania, primo Belgio, pluribusque aliis occidui orbis plagis cõsultationes variæ missæ sunt quæ haberent supremum eruditissimi illius ordinis oraculum. plurimas anterioribus meis annotationibus ad Pandectas intermiscui ob celebritatem ordinis, ac eminentissimos Senatus Francici apices, cuius ardentibus, totoque orbe celeberrimis purpuris adaugetur indies patronorum & dicentium in auditoriis publicis, & respondentium de iure Romano, ac Gallico [illegible]tus dignitas. Dixi de questione legis ad l. 1. ff. de hęred. vel act. vendend. sed quia haud satis explicui ex interpretibus cur pactiones de successione viuentis, vt improbæ, ferales, ominosique euentus, damnatæ sint, pauca hæc subijciam. factum enim id ait Baldus quia materiam præstant insidiandi vitæ illius de cuius hæreditate conuentum est: citátque appositè argumentum. §. igitur. instit. de pupillari substit. vbi hæc verba: *sin autem ita quis formidolosus sit, vt timeat nè filius suus pupillus adhuc, ex eo quod palam substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiaceat, &c.* Quasi coruinas conuentiones vocat Cuiacius ad l. 26. generaliter. de verb. oblig. in extremo fine commentarij. Accedat verò quod exprimit Bartolus ex l. inter stipulantem. §. sacram. de verb. oblig. in donationes omnium bonorum: esse nimirùm contra bonos mores, vt quis expectet casum liberi hominis. & cùm sanxerit hac l. Imperator, durare oportere voluntatem eius, de cujus hæreditate actum est, vsque ad supremum vitæ exitum: sciendum etiam reuocari posse eiusmodi consensum quotiescunque ei videbitur qui vel venditioni successionis suæ consenserit, vel pacto tam tristi, ac ferali interfuerit. vetus de eo Senatusconsultum profert Loetianus libellus ad lit. h. sed in re quæ semper certissima. Festinare enim est aduersus ius gentium, ait egregiè lex, quidam. §. 1. de donation. ff. Semper tamen excipio dotales tabulas quibus institutus sit hæres aliquis in vniuersum vel à patre, vel ab alio quolibet, tunc enim nec pœnitentiæ vnquam locus est, nec fideicommisso, sed rectà, nullóque onere adiecto, res transeunt ad institutum, tum quia fauor contractus matrimonij tantus est vt omnes vincat, tum verò quia non cum vno dumtaxat contractũ sit, putà cum instituto, sed cum vxore, & consanguineis qui interfuerunt pactioni, vt suprà attigi de Molinæo ipso, ad l. si quis in conscribendo. hoc tit. eóque spectat quod ille scribit consil. 55. & ad Alexand. lib. 7. consi. 155. putà necessariam esse præsentiam, consensum, & acceptationem eius cuius vniuersa, post mortem, hæreditas alicui per pactum quæsita est. latéque etiam hoc Bacquetius, tractatu, de iure metœciæ, seu Albinatus, cap. 21. parte 2. atq; vt agam semper præiudiciis, in iis quæ, *quasi limes agro positus*, metam ad sistendas disceptationes, constituant: Aufrerius ad q. 454. in decis. Capel. Tolos. decisum ita fuisse variis curiæ Tolosanæ placitis tradidit. Quæsitum est de cæterorum liberorum legitima, vtrùm nihilominus peti possit, cùm institutus est primogenitus in vniuersum à patre dotalibus illius tabulis: peti autem posse, præterquam ex iure clarissimum est, auth. de hæred. & Falcid. auth. de triente & semisse & l. quoniam in prioribus de inoff. test. Senatus

insuper statuit, quod in partem reperies apud eundem Baequetium, d. tractatu de iure Albinatus, d. cap. 21. parte 2. Hactenus ergo de pactis festinantibus aduersus ius gentium. *male pereat qui votis aliena anteuenit fata. Bũ mori est, alterius arbitrio mori*: In minimis, vide extera ad d. l. 1. de hær. vel act. vend.

TIT. IV. DE TRANSACTIONIBVS.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Neque pactio, neque transactio cum quibusdam ex curatoribus, siue tutoribus, facta, auxilio cæteris est in ius [illegible]æ separatim communitérve gesserunt, vel gerere debuerunt.

Dixi ad l. si actionem. sup. tit. 1.

IIDEM IMPERATOR.

L. 2.

Cùm te proponas cum sorore tua de hæreditate transegisse, & ideo certam pecuniam ei te debere cauisse: etsi nulla fuisset quæstio hæreditatis, tamen propter timorem litis transactione interposita, pecunia rectè cauta intelligitur, ex qua causa si fisco soluisses, repetere non posses. & si non soluisses, tamen iure conuenireris.

Primùm existimat Cuiacius lib. 9. cap. 24. obseruatio. accipiendam esse hanc l. de vicesima hæreditatum. fingitque ita speciem: frater de hæreditate transegit cum sorore, vt si hæreditas apud eum remaneret, cuius litem verebatur, sorori daret certam pecuniam. Si ex ea causa soluerit frater fisco vicesimam, quasi hæreditatis indubitatus possessor, repetere non potest. Si non soluerit, iure conueniri potest. Sic ille. vide, ad transactiones timore litis interpositas, quę abundè satis notaui ad l. 1. & ad l. cum hi. §. cum lis. per illum textum. ff. hoc tit. sæpe enim qui sunt seu cautiores, seu callidiores, & versutiores, fingunt lites in contractu transactionis, vt eò tenacior sit conuentio. fitque id tantò faciliùs, quantò simplicitas maior eius qui ita luditur. *Credulitas in optimi cuiusque mentem facillime irrepit*:
ait Plancus Ciceroni in epistolis. dixitque iampridem Martialis,

Gallam credulitatem.

Dixi etiam de simplicitate nimia, *quæ vicina sit stultitiæ*, vt inquit D. Hieronymus, ad l. 1. de eo per quē factũ erit, & ad l. 3. de in rem verso. Textus de fatua illa simplicitate singularis in l. vlt. de constit. pecun. ff. nè autem sileatur, intercidárve ad Cuiacianam hypothesim, quod in forum quotidiana experimenta deferant, vicesimæ hæreditatis timor, de qua suprà, perinde est ex nostris moribus, ac si formidatam feudalis alicuius iuris petitionem, causámve hypothecæ, aut onus aliud quod rei hæreditariæ immineat, cohæres meticulosus in cohæredem, transactione facta, reijciat. Transactioni enim standum, neque ab ea recedi potest, quia forsan, vt in vicesima hæreditatis, nihil à cohærede petatur, feudali, alióve nomine. Satis enim est, in incerto situm fuisse negotium.

IMP. ALEXANDER.

L. 3.

Age cum Geminiano (gl. vtili negotiorum gestorum actione) quòd pater eius curator tibi datus negotia tua gesserit. & si apud iudicem negabit se hac actione teneri, quoniam transactio, & Aquiliana stipulatio interposita est, iudex quaeret de quanta pecunia transactum sit. & si apparuerit de minore transactum, quantam pecuniam reliquam ex administratione curae deberi probatum fuerit, soluere eum iubebit quod non in stipulationem Aquilianam obligationis iure tantum deductum est, quanta erat quantitas pecuniae quae debebatur.

Vulgatissimus & in schola, & in foto textus, in hoc, vt quaecumque generalis inferatur transactioni clausula, effectus tamen coërceri debeat ad ea tantùm de quibus actum sit, & quae contractu enunciata sint: quod & ipsum longè clariùs lex etiam tritissima, si de certa. inf. hoc tit. lex, cùm Aquiliana. ff. cod. cùm l. emptor praedij. §. Lucius. ff. de pactis. Regula enim iuris est, vt generalis clausula ad sola ea porrigatur quae expressa sint, l. doli clausula. de verb. oblig. l. 89. ex pluribus. in pr. de solution. ff. nunquam verò ad ea quae specialiter exprimi debeant, l. 53. Stipulationes. eod. illo tit. de verb. oblig. Sic petitio generalis restringitur de more ad res de quibus facta sit persecutio, l. si ex testamento. de except. rei iudic. ff. sic & sententia generalis, in l. 2. de iudic. sic liberatio generalis, d. l. emptor. §. 1. non est nouum, ait lex, si seruus seruum. §. cum eo. ad l. Aquil. vt lex specialiter, quibusdam enumeratis, generale subiiciat verbum quo specialia complectatur. Excurrit hîc Iason, more suo, ad varia, quorum duo selegi. Docet enim inter caetera, nuntio publico non credi, nisi in iis quae circa officium suum. Item, dominum non teneri de delicto suorum, si extra ministerium deliquerint quo eis vti consueuerit. In quo tamen excipe exercitores nauis, aut cauponae, aut stabuli. Cum enim fide publica teneantur erga omnes quos naui, hospitióue excipiunt, culpae aliquatenus rei sunt qui malefidam famulorum operam admittant: ait Imper. in §. item exercitor. inst. de oblig. quae quasi ex malef. nasc. Secus in caeteris, vt nuper, in prima inquisitionum classe, censuit Senatus de seruo, cui cum iussisset dominus vt inanium virgultorum congeriem vreret quae satis procul essent sylua quadã cędua, ignem & iis ille admouit quae ferè syluam attinerent: itaut sylue magna pars conflagrauerit. liberatus enim est dominus: quia §. illius, item exercitor. decisio ad nautas, caupones, & stabularios, fidei, securitatísque publicae reos, referenda sit, nec vlterius producenda. multùm agitarunt quęstionem iudices: eo autem demum desiit iudicium quod ex fide vnius è clariss. Senatoribus, qui interfuit, recenseo. Vidi etiam allegari saepissimè ex initio, hunc textum, nempe, *Age cum Geminiano.* quotiescúmque diceretur conueniendum esse eum cum quo inita esset pactio. sed id magis ex vsu, ac imperitia, quàm ex mente legis in qua de hoc non agitur.

IIDEM IMPERATOR.

L. 4.

Actione administratae curae ab eo qui legitimae aetatis annos compleuit, in Aquilianam stipulationem deducta, & per acceptilationem ex-

tincta, nullam aliam superesse intra concessa tempora, non ambigitur: nisi specialiter etiam de dolo transactum sit.

Clatiùs istud, si adiunctis verbis glossæ, dixerimus in hunc modum: actione administratæ tutelæ per transactionẽ extincta, nulla alia superest. Agi tamẽ de dolo potest, si dolo inductus sit qui transegit, nisi specialiter etiam de dolo transactum sit: actione scilicet de dolo mota, & sopita per transactionem. Vult enim in summa actionem tutelæ posse extingui per transactionem: ita ut si tutor transegerit, non visis rationibus, liberatus plenissimè intelligatur, nisi dolo induxisse minorem probetur vt transigeret: imò & liberatum ferè vult Imperator etiamsi dolosè egerit, si modo etiam de dolo ipso transegerit. hodie autem ex quotidianis rerum experimentis nemo non transactionem eiusmodi riserit: cùm perpetua sit ea regula, tutorem parere sibi non posse vllam liberationem aduersus minorem, quemcumque cum eo contractum inierit, nisi rationes reddat: in quo seruamus religiosissimè legem, eum seruus. de condir. & demon. Nec vnquam transactiones illæ tutoriæ prolatæ sunt, quin imperrata à Principe rescripti restitutorij membranula, reiectæ, rescissæque sint, tutórque damnatus vt rationes redderet. Tutorum enim perplurium nimia, effrænisque perfidia, vt ostendo latius ad l. 1. §. solent. de off. præf. vrbi. & ad l. 3. §. cum Pollidius. de vsur. ff. In quo & notabitur quod semel tantum iudicari vidimus, tutorem nempe non posse aduersus eiuscemodi transactiones restitui: vide & Senatusconsultum ad l. 1. §. rationes. ff. de edendo. quærebatur in ea disceptatione tutor succedaneum sese ac nouum tutorem fuisse, suppressáque ei fuisse à minore instrumenta tutelæ omnia quibus instruere longè cautius, & accuratius rationum redditionem potuisset, transactutum autem non fuisse si instrumenta illa habuisset, dolúmque propterea minoris iuuari non debere aduersus tutoris innocentiam qui dolum illum, id est, suppressionem tabularum tutelarium, nisi aliquantò post transactionem, non detexerat. Ista nihilominus insuper habuit ordo amplissimus, tum quia tutor, quem verisimile non erat accessisse ad transigendum, nisi perpensa priùs rerum omnium, de quibus agebatur, seric, & cur ita faciendum putaret, tum vero quia longè maior 25. annis contraxisset cum minore, maiore facto, quem semper læsum multo magis, quàm tutorem ipsum, præsumunt leges, ita ut frustrà edictum anni 1560. quod de transactionibus est, obijceret, cum ex personis, & causis iudicari hoc debeat; istáq; in specie dolo potius, ac illicibus technis inductus minor creditus est.

IIDEM IMPP.

L. 5.

Cùm te transegisse cùm hærede quondam tutoris tui profitearis, si id post legitimam ætatem fecisti, frustrà desideras vt à placitis recedatur. licet enim nullum instrumentum intercesserit: tamen si de fide contractus confessione tua constet, scriptura, quæ probationem rei gestæ continere solet, necessaria non est.

Quæ ad superiorem legem dicta sunt, ostendent plus satis inusitatum hodie iure Gallico quod hìc ab Imperatore rescribitur. Vbi enim de rationibus à tutore, vel eius hærede, reddendis agitur, vanæ hodie transactiones, *cassaque vt imagines, & inania simulachra*: cùm rationes reddi semper oporteat.

IIDEM

IIDEM IMPP.

L. 6.

Cum mota. Instaurari semel omissam inofficiosi testamenti querelam, iuris ratio non sinit, si de ea transactum est. Tunc enim in id quod interest, agendum est, si fides placitis praestita non sit.

Tantò id magis apud nos per edictum anni 1560. quo vetita sunt rescripta quælibet, vbi de transactione agitur, nè quidem si læsio sit vltra dimidiam, & dolus re ipsa, vt loquitur constitutio: solo nempe dolo personali excepto. Itaque cùm contractibus innominatis annumeretur transactio, & generale nomen habeat instar permutationum, nec certis proinde finibus contineatur, quæ sunt in hoc rationes interpretum, iure optimo sancit Imperator, vt qui queritur, agat, si lubet, ad implementum, id est, vt placitis pareat aduersarius, quod statuit lex, quoniam. & lex, rebus. inf. de ret. permutat. at verò maximè lex, siue apud acta. inf. hoc tit. quæ docet, in transactionibus nunquam dari actionem nisi secuto implemento: quæ est natura innominatorum contractuum. nascitur enim in contractibus ex sola conuentione actio, l. iurisgen. de pact. l. 1 § item emptio. ff. de ret. permut. Fallitur tamen Cortasius lib. 1. Miscellaneorum. cap. 23. inquiens non alia ratione transactionem esse contractum innominatum, quàm quia in eo contractu locus pœnitentiæ non sit, l. quamuis. inf. hoc tit. non enim animaduertit constitutum esse hoc specialiter, fauore dirimendarum litium. Tria maxima sunt remedia expediendarum litium, transactio, res iudicata, & iusiurãdum, l. 1. ff. de iureiur. ad quam, de eo dixi, & pluribus aliis locis ad Pandectas. soláque ea ratione promulgata est constitutio anni 1560. quam recenseo suprà.

IMP. GORDIANVS.

L. 7.

Transactionis placitum ab eo interpositum cui causæ actionem, non decisionem litis, mandasti, nihil petitioni tuæ derogauit.

Sic in l. 4. inf. de nouatio. *Non abstulit tibi procurator tuus actionem, si cùm ei mandasses exactionem pecuniæ quam tibi debebunt contra quos supplicas, parte accepta, de reliquo eos liberauit.* vbi glo. quia, inquit, non habebat generale mandatum, & liberam administrationem. magna olim fuit quæstio in Senatu de eo cui mandatum esset transigere, vtrum posset ille compromittere. diligenter enim fines mandati seruandi sunt. tamen quia transactionis verbo includuntur omnia quibus amicè terminari possit commissum negotium, censuit ordo amplissimus posse. profecto Senatusconsultum integrum ad l. Diligenter. ff. mand. ad quam longo satis sermone quæstiones istas explano. Et sanè temerarius fuit seu patronus, seu procurator, aut quisquis alius mandati executor, ausus quippe transigere de eo de quo, vt vel causam ageret, vel agi curaret, mãdatum fuerat: cùm etiam in desperata prorsus lite, & cui 25. aureorum multa immineat, acquiescere tamen non possit, nec debeat, nisi vel accepta priùs de eo clientis sui epistola, aut alia quauis mandandi formula, aut ad extremum, nisi patronus, qui causam suscepit, deliberationẽ à se, & altero de consultis subscriptam, dederit. vidi longè plurimos qui quererentur grauiter, quòd causæ suæ non in publicis auditorij actionibus, sed in forensibus consultationum exedris, vno tantum patrono iudice, agitatæ, diremptæque fuissent: perpetuáque illa ferè semper querela est, si cui non ad votum via illa successerit. Dixi etiam de perempta lite sup. ad l. postquam liti. de pact. & ad l.

procuratoris ff.de procurat. vtrùm procurator pôssit,nécne,domino inuito, & inſcio, conregere acceptatione ſua forenſi peremptionem, vitæque redonare, vt ſic loquar cum Horatio,litem mortuam. Reperio Iaſonem hîc mirè aduerſantem audaculis qui procurationes ſuas, ac mandata, vlterius proferunt,atque extrahunt quàm concedarur inſtrumento. Regulariter, inquit, non dicitur egredi fines mandati qui facit quod vicinum mandato eſt, citárque in id egregium textum ex l. iam tamen. §.pen. ibi,quaſi iuxta mandarum,etſi nõ fecerint.ff.iudic.ſolui.facit deinde, vt ſubijcit,l.vlt. §.vlt.cum glo. ff. mand. vt dicamus in mandato procuratoris non referre quid ex æquipollentibus fiat.ſed, iſtis nihil morantibus, ait, cenſeo contrarium, quia cùm procurator agit aliud quàm mandatum ſit, non valet quod agit: ſic ille, tuetúrque ſuam ſententiam textu diſertiſſimo legis,19. Si itaque,de iureiur. ff. miror cæteros, Bartolum nempe,& Baldum,Paulum Caſtr. ac Salicetum, quaſi ſicco pede tranſire vadum obuium, leuique calamo, atque in tranſcurſu,libare quod merebatur vt defigerent paulò alterius vomerem.ſed ſolitum illis vt fluctus ſæpiſſimè excitent in ſimpullo.columnáq; ferè ingẽtes impleant,vbi verbo opus eſt. congerũr, de more, quod feſtucarium:longáque ſemper terenda via eſt,vt occurrat quod proſit. verſandæ tamen eorum,tametſi adipatæ,ſtrigoſæque paginæ, quòd in illis longè plura ad forum, quàm in recentioribus, quos deprælhendo nihil penè adoroare verbis, manúque elegantiori, quod illinc non hauſerit occultus labor. maximè verò id ornatiſſimus Cuiacius, de quo propterea iure optimo dixerim quod de Virgilio Macrobius, lib. 5. cap. 18. & cap.16. *fuit Virgilius,ait,vt ſcrupuloſè,& anxiè, ita diſſimulanter, & quaſi clanculo doctus: vt multa tranſtulerit,quæ vnde tranſlata ſint,difficile ſit cognitu.amœnitate autem intertexta,faſtidio narrationum medetur*. plura non dicam.

IMP. GORDIANVS.

L. 8.

De alimentis præteritis ſi quæſtio deferatur,tranſigi poteſt. de futuris autem non, ſine prætore,& præſide.

Doctrina Bartoli eſt ad hanc l.vt intelligatur de alimentis relictis vltima voluntate:ſecus verò eſſe in debitis ex contractu, vt de quibus indiſtinctè poſſit tranſigi. dixi iam ad l.cum hi.ff.hoc ti. Ratio autem cur de præteritis alimentis, relictis teſtamento,tranſactio valeat,non alia eſt, opinor, niſi quòd perditæ forſan mentis nebulonibus,aut alia quauis ratione miſeris,proſpexerit teſtator, quaſi brutis; fringéſque tantùm conſumere natis hominibus,qui nec arte,nec ingenio,manúve, ſibi poſſint conſulere. Ita vt cùm ad tolerandam dumtaxat vitam relicta ſint, parum de præterito curarint Imperatores,& Iuriſconſulti: vita enim eoúſque ducta eſt cùm contrahunt: & quicquid ex ea tranſactione in ganeas, aut quiduis aliud ſimile abſumant, habent tamen in futurum vnde victitent. Sed vbi de futuris agitur,tunc iudicis officio, ſagacitatíque incumbit,vt videat quam in cauſam miſer alimentarius tranſigat,atque vt nè fraudetur ſaltem demenſo teſtamentario. De alimentis enim pendet, caueodúmque ne, per ignauiam ac incuriam admiſſa tranſactione *mendicus mendicando viuat*, quod dixit Plaut. Bacchid. inanes vt plurimum illæ animæ, pondera terræ inutilia, aut, vt Homerus, αἰσχύνεα ἄχθεα ἀρούρης, *illuſtrium familiarum dedecora ſunt*, quæ cùm ſex forſan menſes vixerint, ſeptimum orco facilè ſpondeant, vt de his Cicero lib. 2. de finibus. eò autem & ſæpiùs rediguntur viduæ, quibus nempe dotalitium pro alimentis, vt olim Athenis dicebatur, σίτου δίκη, actio quæ ad alimenta viduarum, ac pupillorum,quaſi actio frumenti; meminit Demoſth. κατ' Ἀφόβ. In hoc enim inſtitutum hodie dotalitium, ſeu doarium, quod vocant,vt habeant viduæ vnde alantur, vitámque tolerent, quæ cauſa eſt vt nec obligentur dandis fideiuſſoribus, ex conſuetud. Pariſ.ad conſequendum iſtud vitæ ſubſidium. Eiuſmodi etiam ſunt Monachi, ac moniales,quibus annua quædam præſtantur à conſanguineis. Iudicauit verò Se-

natus, me causam agente aduersus Ant. Oysellium, Abbatem fiduciarium, seu commendatarium, vt loquimur, teneri non modò in ducentas libras annuas erga S. Michaelis in Eremo, Monachos, sed, vt prærogaret pensiones, anticipatísque temporibus solueret, adiectum est, vulgò dicimus, *qu'il payeroit par auance à chasque Religieux par chascun an.* Putauit nempe Senatus eundum esse obuiam dispendiosis litibus, quibus pro obiectamento haberet fiduciatius motati erogationem illam monasticam.

IMP. PHILIPPVS.
L. 10.

Fratris tui filiis de paterna successione, ac statu etiam nunc contra fidem sanguinis, itémque placitorum, quæstionem inferre parum probè postulas. Nullus etenim erit finis litium si à transactionibus bona fide interpositis cœperit facilè discedi.

Doctrina Baldi est, vt de quæstione status, id est, natalium, vel libertatis, vt putat Glossa, possit transigi, cùm indistinctè dicat textus, *de statu*. Verisimilius tamen est, de labe τῆς νοθείας, seu Bastardiæ, vt loquimur, actum fuisse, quam vult Imperator posse elui transactione. Secus autem iure Gallico quod duas tantùm restitutiones natalium admittit, vnam per subsequens matrimonium, alteram per rescriptum Principis, adhibitóq; rationalium iudicum, seu, vt in vernaculo est, cameræ computorũ, decreto, vt trado latiùs ad l. cùm adoptio. ff. de adoptionib. Ita ut quæcumque cum naturali, siue illegitimo, transactio interuenerit qua admittatur ille ad successionis paternæ diuisionem, vt in specie huius legis contigit, nihil propterea mutari possit de iure publico, vulg. l. ius publicum. ff. de pact. coërcendámque conuentionem ad sola bona de quibus transactum sit, docet lex, venditor. ff. commun. præd. ad quam vt de pacto aduersus ius publicum inito diximus, ita & ad l. post mortem. ff. de adoption. de eo qui facto suo aduersari voluerit. Nihil planè attigit de quæstione huius legis Bacquetius, vt profitetur etiam in calce extrema tractatus, de iure nothiæ, seu Bastardiæ, omisisse se plura ex iure Romano quæ ad nothorum causam faciant. Suppleri autem & istud possit forensi hoc nostro auctario. Cùm enim vsque ad Iustinianum nihil conferret ad natales matrimonium subsequens, vt liquidò cõstat ex l. cùm quis. & l. nuper. inf. de natur. liber. quæ sunt Iustiniani, verisimile est ortam fuisse de statu quæstionem inter hunc, de quo Imperator, & fratrem verè naturalem, ac legitimum, quia forsan natus esset ante ritum nuptiarum, id est, priusquàm mater aqua, & igni, tedáque iugali acciperetur (loquor more tunc vsitato, cùm auctor rescripti istius sic Philippus, Imperator, quo imperante nondum leges christianæ in publico, quamuis ille, vt testarur Zonaras, primus omnium Imperatorum, operta professione, Christianus fuerit) ita ut defenderet iure summo legitimus nihil obesse transactionem, vt qua vitium natalium adumbrari non posset, argum. l. filio. ff. de lib. & post. arguit ergo & optima ratione Imperator manifestæ impietatis fratrem legitimũ, népe qui contra fidem sanguinis, & transactionis, inferret rursus quęstionem status fratri, quẽ ipse agnouerat vsque adeò legitimum, vt ad diuidenda paterna bona admitteret. *Quis*, ait Sallustius in Iugurtha, *amicior quàm frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuus hostis fueris?* sic ille. Indignáque vox Herculis apud Senecam Trag. in Hercule Oetæ, actu 4.

Est frater quidem, sed ex nouerca.

Docet enim Demosthenes contra Bæotum, de dote materna, fraternum indistinctè affectum esse oportere, vbicúmque fraternum nomen est.

Μήτε κασιγνήτῳ ἶσον ποιεῖσθαι ἑταῖρον.

id est, nè sodalem, seu amicum quemlibet feceris æqualem fratri. apud Hesiod.

Quęsitũ verò est, vtrùm restitutio nataliũ, vel legitimatio, fieri possit in caput, & præ-

iudicium legitimorum. Non posse autem decidit Molinæus ad artic. 48. consuetud. Burgund. & §. 8. gloss. 1. quæst. 8. ad consuet. Paris. Quæsitum etiam, an infringatur legitimatio spurij, nato legitimo: nec ita diu propositum illud est in forensium deliberationum exedris. constat verò, non infringi, ex sententia Alexandri, consil. 138. lib. 1. qui tamen decidit consil. 2. d. lib. 1. legitimorum appellatione non venire legitimatos. Amplius ait Bartolus d. l. 1. sup. de summa trinit. legitimationem nimirùm factam in vna ciuitate, non habere locum in alia. Iason ad hanc nostram l. ansam arripit, vt dicat ad finem sui commentarij, ex ratione quæ mouit Imperatorem, atque ex l. cum proponas. sup. tit. 1. locum non esse pœnitentiæ in contractu transactionis, licet sit contractus innominatus, quod agitaui sup. ad l. cum mota. auertere deniq; ab auara hac lite fratrem legitimum debuit conuentionis tantæ autoritas, & fraterna pietas, vt perspicuè lex arguit. dixit egregiè Horatius,

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

IMPP. VALERIANVS, GALIENVS ET VALERIANVS, Nobb. Cæs.

L. 11.

De fideicommisso à patre inter te, & fratrem tuum vicissim dato, si alter vestrum sine liberis excesserit vita, interposita transactio rata est: cùm fratrum concordia, remoto captandæ mortis alterius voto improbabili retinetur.

Dixi ad l. 1. sup. de pact. quàm malè existimauerit Othomanus eandem esse vtriusque legis hypothesim, cùm in hac l. agatur de substitutione reciproca: in lege autem illa prima, de nudo ac simplici fideicommisso quo alter tantùm erga alterum grauatus fuisset. nec proinde exigere videtur hic locus vt plura de his subijciam,

—omnémque reuertar
Per Troiam.

Vnum tamen monebo ex Boërio, q. 204. num. 16. pactum scilicet de futura successione reciprocum valere quidem inter fratres, sed reuocari illud posse, prout alterutri visum fuerit. Quam tamen reuocationem nuntiari oportere alteri qui pactioni steterit, eò magis dixerim quòd & decisum ita sit in testamento mutuo, ann. 1618. die. 9. Iulij. inter Edelinium, & Quedarnium, ambo Catnutes, perorantibus Mauguinio, & Doujatio: nè scilicèt fallatur simpliciter: cauétque nominatim hoc ipsum consuetudo Picton. art. 213. in donatione mutua.

IIDEM IMPERATOR.

L. 12.

Præses prouinciæ existimabit vtrum de dubia lite transactio inter te, & ciuitatis tuæ administratores facta sit, an ambitiosè id quod indubitatè deberi possit, remissum sit. nam priore casu ratam transactionem manere iubebit: posteriore verò casu, nocere ciuitati gratiam non sinet.

Refert hanc l. Molinæus, § 30. num. 121. consuet. Paris. ad prælatos ecclesiæ. Imò & ad maritos, eod. §. num. 125. vsque ad num. 129. Iason hîc ad tutores, & curatores: Paulus Castr. ad tutores, & syndicos. quod attigi ad l. si is qui bona. in pr. ff. de pignorib. quia textus ille non aliud quàm prima legis istius pars, statuit. nota autem ex glo. ad l. 4. §. in eum. ff. de administratione rerum ad ciuitatem pertinentium, præsidem prouinciæ, vel curatorem ciuitatis qui se obligat ex necessitate, obligare adeò seipsum, & ciuitatem, vt eo casu conuenire possit creditor vel curatorem ciuitatis, vel ciuitatem ipsam, p rout lubuerit. Dixit, ad similia quæ pro variis causarum figuris incidunt, lex 2. ff. qui satisd. cog. *si non sit conueniendi alterius facilitas.* Spectâtque equidem decisio huius legis maximè ad decuriones ciuitatum, seu Scabineos, vt loqui mos est, de quibus in capitulatib. Car. Magni, cap. 75. & 77. addit. 4 & Chopin. lib. 3. tit. 20. de doman. *Sunt hi qui, ciuitatem quis deceat status, curant, & vrbi sollicite timent:* vixque est vt cõtractus eo nomine initi, præsertim transactiones, rescindi soleant: id verò potissimùm si longa ætas firmauerit. adhibito enim semper consilio fieri consueuerunt, & plena cognitione, quæ vt sit posteà irrita, rarò admittunt mores. nisi tamen eò ascenderit gratiosa pactio, vt grauissimum inde patiatur detrimentum respublica: siquegratia sit euidentior: aut nisi intercesserint dissensiones, ac motus ciuilès vnde legum sequatur interitus, vt rescidit Senatus acta ferè omnia, contractus, & conuentiones quascunque initas à Scabineis Parisiensibus toto eo funesto, internecinóque quinquennio quo flagrauerat, vastatáque vndequaque fuerat vniuersa Gallia ab anno 1589. vsque ad annum 1594. Tunc enim, quod in simili rescripserunt Imperatores Arcadius, & Honorius, tit. de infirmãdis his quæ sub tyrannis gesta sunt, cod. Theod. *tyrannici temporis labes specie dignitatis fermè omnia, quasi euerso regno, infecerat,* exigebâtque noua rerum facies, vt nè, instauratione facta reip. pulsísque ex vrbe tyrannis, vlla superessent ex actis publicis præteritorum funerum simulachra.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 13.

Interpositas, metus causa, transactiones, ratas non haberi, edicto perpetuo continetur. sed talem metum probari oportet qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat. ad vim tamen, vel dolum arguendum qualitas causæ principalis non sufficit. vnde si nihil probari potest, consensu quæstiones terminatas minimè instaurari oportet. Sed quoniam, &c. si vera sunt quæ precibus complexus es, alia ratio pactum reformat.

Græca legitur, sed non tam effuso sermone, lib. 10. Basilic. tit. de metu. Abundè autem dixi ad l. 6. metus. & toto tit. ff. quod met. causa. atque ad tit. de contractibus iudicum, sup. lib. 1. notandæ autem insuper quæstiones Boerij, 100. & 101. quibus docet post Iasonem ad hanc l. plus credi duobus de metu, ac violẽtia testantibus, quàm mille de spontanea voluntate, nisi qui de aliquo spontaneo testantur, adijciant suo testimonio quod omnem, iuris præsumptione, excludat opinionem metus. veluti si dicant contractum fuisse celebratum præsentibus consanguineis, hoc enim excludit suspicionem metus. l. transactionem. inf. hoc tit. nec restitui mos est, nisi ob læsionem insolitam, ac enormem, vt loquimur, & nisi protestatus fuerit qui metum allegat. Subijcit etiam metum reuerentialem, vt vocant, aut, ait Vlpianus, τὸ ἐκπεφοβῆσθαι, cum læsione enormi sufficere: vel si maritus, pater, aut alius qui contrahit, sit frontis hirtæ, toruæ, ac minacis in vxorem, liberos, vel alios quoslibet. Docet præterea q. 101. sufficere si metus probetur per coniecturas, & indicia, quòd aliàs difficilis sit metus probatio, ma-

ximè cùm vxor queritur passam se arcana verbera, clausóque cubili, quæ omnia vt ex duabus illis quæstionibus, 100. & 101. ita & versantur præcipuè in arbitrio iudicis. persequitur autem adeo ille ipse consil. 20. nu. 37. vt dicat nuptias contractas cum Ioanna filia Ludoici xi. à Ludoico xii. solutas tandem, nec alia ratione à Rom. Pontifice, quam quòd metu Ludoici xi. cuius nunquam languescebant minæ, contractæ fuissent. matrimonia autem debent omni metu esse libera, vt eod. consil. subiungitur, nu. 42. & 43. citat Iason in hoc ipsum ad hanc l. non modò vulg. l. Titia. de verb. oblig. sed & l. si mulier. §. si dos metu. quod met. caus. ff. cap. cum locum. de sponsalibus. glo. in l. 1. in fin. de auctor. tut. ff. vide & ad l. 2. inf. quod met. caus. Quærit Bartolus an præsumatur metus, si quis dixerit dedisse se rem magnam modico pretio, quia obniti non auderet potentiori: decîdit verò nihil facere hoc ad metum, nisi aliunde coactum sese, vt ita contraheret, adijciat. Vis enim probanda est seu verbo, aut minis, aut per interpositas personas illata sit, vt ostendo fusiùs ad l. 1. de contract. iud. sup. lib. 1.

Alia ratio pactum reformat.

Dictum vulgare in foro, quo innuitur, iudicandum semper esse non ex generalibus regulis, sed ex eo iure quod in causa sit positum, id est, vt loquimur, ex circunstantiis, de quibus dixi fusè satis ad l. si ex plagis §. in cliuo capitolino. ff. ad l. Aquil.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 15.

Vt responsum congruum accipere possis, insere pacti exemplum.

Ad blandum hoc, & humanum Imperatoris responsum, obseruandum fuerit quàm rusticè econtrà Celsus, in l. Domitius. de testament. ff. cùm ait, aut non intelligo quid sit de quo me consulis, aut valdè stulta est consultatio tua. Damnat etiam Pomponius in l. 2. §. Post hos Qu. Mutius. de orig. iur. contumeliam qua tractauerit Mutius ille Seruium sulpitium, (verba ipsamet Pomponij refero) cùm à Seruio consultus ei caperata fronte respondit, *Turpe est patritio, & nobili, & causas oranti, ius in quo versatur, ignorare.* notaui ad eum locum quod sit satis. distinguendi enim non sunt in eo rustici à cæteris, vt putat Paulus Castr. hîc. Speculator tit. de aduocato. §. 3. nunc tractemus. num. 2. monet aduocatum ex hoc textu, vt sibi à cliente causæ coniectionem dari curet, (vulg. dicimus, *vn memoire du faict*) sed malè istud, pace tanti interpretis, qui est Gallus. Imò enim Quintilianus docet lib. 12. cap. 8. Institutio. oratoriarum, optimum esse patronum, qui, in discendo, id est, in capienda specie litis, & causæ, quam tuendam suscipit, incredulus est. promittit, inquit, litigator omnia, testem, populum, ipsum denique aduersarium quædam non negaturum. Ideò opus est, ait, intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum erit. Ita maximus patronorum doctor, Quintil. qui ostendit manifestissimè quàm periculosum sit concinnatis, interpolatísque causæ coniectionibus, quę dantur à clientibus, fidere, nec ex re alia causam apud iudices exponere. peccatur tamen & in hoc, peccatúmque ferè semper est, maximè ab iis quorum fama hilarior. memini damnatum non semel inter sermones, patrium in eo motem à Ren. Chopino, cuius quanta rerum, literarúmque omnium peritia, eruditus nemo nescit, nam quis literas nouit, & Chopinum non nouit? Ille cùm Andensis esset, & ingentem causarum, litiúmq; Andensium, ac Cænomanarũ numerũ habuisset, dicere solebat, causas, & lites vel optimas interire sæpissimè quæ ab Andibus, & Cænomanis in Senatum deuolutæ essent, quoniam numquam afferretur lis quæ facti etiam exemplum sacco eodem non includeret. Itaur cùm vel procurator, vt solitum id plurimis, aut patronus sacci forensis instrumenta effunderet, ac euolueret, occurrerent statim damnosæ illæ litis offuciæ, aut fabulæ interdum, quas vel procurator, vel patronus, vice cæterorum omnium quæ ex

lite ctant, legebat, ac perlegebat, ex iiſque aut ſcribebat, aut cauſam agebat. Peſſimũ ergo ſpeculatoris conſilium, vnde tot euentus exitioſiſſimi incautis clientulis. memini, cùm primùm in forum veni, *facta* iſta litium, quæ hodie vocamus, tam rara fuiſſe, vt niſi in grauiſſimis cauſis, ac negotiis, offerri nunquam ſolerẽt iudicibus, qui eócontrà reſpuebant de more in cæteris: metuentes ſcilicet, nè fucus ipſis fieret ab alterutro litigantium aduerſus inſtrumentorum, actorúmque iudicialium fidem. hodie tuta non putatur lis, niſi excuſo typis, propoſitóque, ac dato æquiſſimis, ſagaciſſimiſque iudicibus *facto* ſæpiſſimè fabuloſo, parúmque ad informandam eorum religionem efficaci, ac idoneo. admittunt tamen comiter, nè deeſſe videantur deſideriis partium. prudentiſſimè equidem, cùm, in pręfatione Chalcedonenſis Concilij quarti œcumenici, Romanus pontifex, Leo, ad Flauianum archiepiſc. Conſtantinopolit. ſcribit, in hæc verba: Ἀλλὰ προσέχοντες τῇ αἰτίᾳ, θέλομεν τοῦ σοῦ φάκτου τὸν λογισμὸν μαθεῖν. id eſt, ſed attendentes ad cauſam, volumus *facti tui* rationem diſcere. Agebatur de impio illo Eutychete cuius hæreſis cogendi concilij cauſam dederat. Vnum ſuccurrit quod clariſſ. pet. Liſeti, olim Senatus noſtri Principis, & iuriſprudentiam, & ſingulare, ad forenſes quæſtiones, iudicium commendabit ſemper apprimè apud togatos, & quantoperè diſtingui debeant circumſtantiæ ex actis ipſis cauſæ, ſepoſitiſque damnoſis illis litium exemplis, ſeu factis, vt vocant. cùm enim vna, eadémque ſeſſione matutina, medióſque inter cauſarum æſtus publicos, duo ſectores Zonarij intra fori cancellos, ἐπαυτοφώρῳ, atque in flagranti (quod dicimus) depræhenſi fuiſſent, quorum alter teſtibus actutum commiſſis conuictus eſt, ſtatimque damnatus ad furcas, pro more: alter deprehenſus quidem, ſed citra teſtes, ſoláque ſua confeſſione indutus, vnde & ſolis triremibus perpetuis addictus eſt: rationem diuerſitatis vtriúſq; iudicij hanc aperuit, palam pronuntiatione facta, præſes ille maximus. Iudicauit Senatus, dixit, ex diuerſis facti vtriuſque figuris. Alterum ex damnatis euerterunt teſtimonia: quo caſu pœna laquei, ex loci dignitate, læſáq; illius maieſtate, irrogari debuit: Alter nullo teſte confeſſus eſt: Diuus autem Seuerus reſcripſit confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat: ait Vlp. l. 1. de quæſtion. Ita tantus Præſes. perierat verò iſtud niſi Conchylius, qui tunc auditorio interterat, literis publicis conſignaſſet, ad tit. de iure fiſci. in conſuetud. Niuern.

IIDEM IMPERATOR.

L. 16.

Cauſas vel lites tranſactionibus legitimis finitas, imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet.

Tota græca eſt lib. 11. Baſilic. hoc tit. legitimas autem tranſactiones hîc intellige quæ inter maiores, quæ ſponte, nulláque vi vrgente factæ ſint, & in quibus dolus non ſit perſonalis. Alioqui enim dolus re ipſa, id eſt, læſio vltra dimidiam, numquam aduerſus tranſactionem obtinet, ſeu ex iure Romano, in l. vulg. Lucius. §. vlt. ad Trebell. ff. ſeu etiam ex iure Gallico, conſtitutione anni 1560. quæ nec minus ex hac l. quàm ex d. l. Lucius. accepta eſt, vnde & in præteritum ſeruari, nec tantùm in futurum, cenſuit ſæpè Senatus, cum ſit declaratoria iuris antiqui. vide ad l. *6.* cum mota. ſup. hoc tit. & ad l. leges, & conſtitutiones. ſup. de legib. ad vtrámque enim dixi quod ferè ſit ſatis.

IIDEM IMPP.

L. 17.

Cùm proponas. Si lis transactione decisa est, & aduersarius aliquid, dirimendi negotij causa, acceperit: petere potes vel pacto stari, vel data restitui: siquidem de his reddendis, manente transactionis placito, statim stipulatione, (i. clausula speciali) *si contrà fecerit, prospexisti.*

Explicui ex professo ad l. pē. qui fidē. ff. hoc tit. cùm eandē clausulā, *rato manente pacto*, vsurpet in illo textu Hermogenianus. vt autem ex hac l. axioma istud discitur, *vel pacto, & transactioni standum, vel restituendum quod datum est*; cùm maximè ad contractus innominatos spectet, quibus annumeratur transactio, vide ad l. 6. cum nota. sup. hoc tit.

IIDEM IMPP.

L. 18.

Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est. In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem.

Legis huius celeberrimæ & in scholis, & in foro, partes duæ sunt. primùm enim concedit transactiones, & pacta quælibet in capitali crimine: vetat autem hoc ipsum in crimine non capitali, nisi de falso agatur. Ratio cur in capitali crimine liceat transigere, traditur disertissimo textu legis. 1. de bon. eorum qui ante sentent. mortem sibi consciuer. ff. ignoscendum nempe ei qui sanguinem suum qualitercúmque redemptum voluit. vide & in id action. dom. Seru. volum. 3. act. vlt. Cur etiam excipiatur adulterium, sententia Bartoli, Baldi, Pauli Castr. Salic. Iasonis, omniúmque adeò interpretum, hæc est, ob frequentiam scilicet delicti, & in gratiam matrimonij. Nam quid acerbius, grauiúsque apud maritum, quàm videre subductum sibi vxoris affectum ab adultero? trado in id locum singularē Lysiæ ad l. t. ff. de seruo corrupto. quid, suspicari semper strictum in se adulteri gladium, aut parata in epulis toxica! Ita enim de more perdita illa venus: & olim suæ ætatis querelas fundunt inter cæteros Fabius lib. 5. cap. 11. atque alter rursus Fab. in declam. & auctor ad hærennium, lib. 4. Sed ita sæpissimè infœlici hoc seculo: recénsque in hunc diem memoria Antoniæ illius mœchæ, quæ laqueo luit cum fracto brachia, & cura adultero qui ciuem optimum, ac ditissimum, maritum suum, trucidauerat. taceo de potentioribus. Quid denique, habere illatum, per vxorum adulteria, hæredem auiti forsan patrimonij extraneum? eiusmodi enim sunt adulterini liberi, quos nempe ex alio, quàm ex marito vxor peperetit. At verò reip. summoperè interest, dignitatis familiarum conseruari: ait Iurisc. in suppositos partus, l. t. ff. de ventre inspic. eóque sensu accipiendi versus Horatij od. 6. lib. 3.

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populúmque fluxit.

& lib. 4. od. 5.

Nullis polluitur casta domus stupris.

Imò & Vitgilianum hoc lib.12. Æn.

Deformare domum, & luctu miscere hymenæos.

Quàm infœlix domus in qua adulterij argumentum! exclamat auctot conttouerſ. lib.6.contron.6. Scio vatiatū apud antiquos in pœna adulterij, & quid Lipſius in Tacitum lib.4. Annalium: *Adulterÿ pæna quæ olim, nō in promtu: recludam ſi potero, & tenebris priſci cui radiū dabo aliquē nouæ lucis: ſunt eius verba.* & longo poſt interuallo: *pæna adulterÿ in corpore digeſtorum, quod miremur, non expreſſa.* ſic ille itetum, quem tamen oſtendam nec obſeruaſſe ſatis pandectas, nec habuiſſe qui ſtudioſè legiſſet: imò nec meminiſſe quid de pœna illa Græci, Romaníque ſctiptotes, atque id longè ante Iuriſconſultotum tempora, quorum nomina in Pandectis: quin & ante Diocletianum, & Maxim. Impp. auctores huius legis, *tranſigere* itaut non immeritò adultetium inter capitalia ctimina locarint, de quo tamen ttanſigere haud quaquam ſeu marito, ſeu alij cuiuis liceat, nè, tanto reip. malo, væneat, quaſi decurſis haſtis, gentis, familięque ingens, exectandúmque opptobrium. Non aduettit Lipſius ad l.5. de quæſtionib. ff. vbi depottatio in inſulam, adulterij pœna eſt. Legit titulum genetalem, de adulteriis, quaſi πανταχόθεν, latéq; diſpiciēs quid vbiq;, ſed in poſticis, ac ψευδοθύροις quid fotet, curæ ſuæ non fecit, vit ad cętera equidē eruditiſſimus ſede greſſus in eò Gātmaticos fines, meliúſq;, & cautiùs, ſi alibi clatiſſima illa iutiſprudētię lumina, libetiore ſtylo, nè dicā, dētre, carpſiſſet. niſi ſctipſiſſent, niſi cuſtodem, quaſique ætarium teſponſorum ſacrum Tribonianum habuiſſent, vt electiora poſteris ttaderet, barbara eſſet hodie, paſſim, atque vbique gentium iutiſprudentia, vt annis ante Lotharium 2. Impetatorem ferè quadringentis fuerat, qui ptetioſiſſimam illam ſupellectilem ex vmbris tandem pluſquam cimmeriis eruit circa annum milleſimum centeſimum. Obſeruare etiam debuit Lipſius capitalem etiam apud Græcos, ex legibus Draconis, adulterij pœnam fuiſſe, vt liquet ex Athenæo, lib. 13. qui Xenarchi priſcos verſus tradit in hæc verba:

Πῶς πότ' ὦ δέσποινα ποντία Κύπρις,
Βινεῖν δύνανται, τῶν Δρακοντείων νόμων
Ὁπόταν ἀναμνησθῶσι;

id eſt, quomodo vnquam, ô domina marina, Venus, vxores (ſup. alienas) permolere poſſunt, quotieſcumque legum Draconianarum meminetint?

Pœnam ex his capitalem in adulteros iute intetptetatur Hadrianus Iunius, cùm leges omnes Draconis ſanguine, non atramento, ſcriptæ dicerentur, quia paſſim ferè ſupplicium ſtatuiſſet. Apud Romanos, non modò ante Conſtantinum, qui ſacrilegos nuptiarum gladio puniri voluit. l. quamuis. inf. de adult. ſed & ante ipſa Iutiſconſultorum tempora, quorum conciſa reſponſa in Pandectis, plures Impetatores hoc ipſum quod Conſtantinus. itaut, cum ſctibit Tacitus lib. 3. Annal. Auguſtum clementiam maiorum, ſuáſque ipſas leges egreſſum, in eo quod Iuliæ, filiæ, neptíſque adulteros morte, aut fuga punietit: nihil ab eo præſtitum dici debeat quod non anteà, & pòſt pro cauſis, & perſonis. veriſimiléque eſt, cùm Diocletianus atque Maxim. auctores noſtræ legis, annumeratint adultetium delictis quorum pœna, mors, aduertiſſe eos potiſſimùm ad ea quæ frequentiori in vſu eſſent vbi de pœna adulterij agetetur. Iam enim Auguſti ætate, pœna illa grauior dicebatur, apud Sueton. cap.5. qui & in hoc Senatus acta meminit. Iam verò etiam inter exempla erat crudeliſſimum illud ſupplicium quo Macrinus, qui paulò ante Diocletianum, & Maxim. imperauit, adulterij Reos viuos ſimul incendere, iunctis corporibus, ſolebat: apud Capitolinum, in Macrino. Denique ſolitum illum morem ſic exhibet Arnobius lib. 4. aduerſ. gent. vt & ſemper ita factitatum dicas, ſi verba hæc legeris: adulteria, inquit, legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera generalis ſe lectuli expugnatione ieciſſe: ſic Arnobius, quem & ætate Diocletiani, ac maximè. vixiſſe, facilè, opinor, fatebitur qui eum ſub eorum imperio repetiat. Apparet ergo manifeſtiſſimè ex his, malè eos ſupputare hiſtoriam temporum qui quaſi abſurdi quippiam legi noſtræ tribuunt, vt qua adultetium capitale crimen

dicatur à Diocl.& Maxim.cùm multò pòst Constantinus deportationem, de qua Iurisconsulti,in pœnam mortis verterit.d.l.quamuis. Negari enim non potest deportationis pœnam aliquando fuisse, cùm ita memorent iurisconsulti : sed agnoscendum quoque est pœnam etiam capitis fuisse & ætate Diocletiani,ac maximi.& longè ante Constantinum. his ita ex fide temporum discussis,superest vt subijciamus verissimam rationem cur transactio in adulterio prohibita sit. factũ enim inde illud est, quòd criminis vindicta potissimùm ad maritum spectet, patrem,vel alios propinquos,l.2. in fi. ff de adult.nouissimáque Constantini constitutione excluduntur extranei.d.l.quamuis. At in his personis , præcipuè in marito, non potest esse non turpis , infamísque transactio,vt poté quæ in Lenocinium incidat,d.l.2.in princip. l. qui domum.l.mariti.ff.l.qui de crimine.Cod.d.tit.de adulter. Adulterium reputatur industria in Gallia,ait Io.Faber ad § Item lex Iulia.instit.de publico.iudic. Tamen cùm aduocato aliquando excidisset,vt istud ex Fabro in causa diceret , censuram Senatus passus ille est,mulctatúsque præter solitum,vt testatur Rebufus ad proœmium constitutionum regiarum. *Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat,nónne indignatur & fremit,& per Zeli dolorem fortassis & gladium in manu sumit ?* Ita d. Cyprianus lib. 1. epist.11.excusari denique eum à pœna scribit D.Thomas , non à peccato: quod persequitur fusius Tiraquellus lege nona connubiali,num.4.notúmque in id Senatusconsultum Scipionis Itali , qui cùm vxorem in adulterio depræhensam occîdisset , ei solùm suum bonorum societatis coniugalis semissem addixit ordo amplissimus , cæteram partem occisæ vxoris negauit , consanguineos ad probationem suarum cuiúsque cognationum , gradúsque remisit, bonáque interim penes curatores regios esse censuit,ann.1603.die 20.Mart.perorantibus Aud.Talæo,Cl.Dureto,& Paillerio.Ista igitur de adulterio,& eius pœna,déque marito,genialis thori vindice. Transeo nunc ad partem alteram legis , vtrùm transigere in vniuersum & de crimine non capitali liceat, & cur excepta sit accusatio falsi. Primùm sciendum est , transactiones , quæcumque illæ sint , siue in capitali crimine, siue in non capitali , fieri olim potuisse apud Græcos, vt videre est ex Demosthene,παραγραφῇ, seu,exceptione, τῆς πανταίνετον,& παραγραφῇ πρὸς Ναυσίμαχον, ἐξωματίων: vnde proinde accepta videtur hæc lex , cum l. ipse significas.inf.de fals.& l.vlt.ff. de præuaricator.Tamen moribus nostris nihil propterea decedit de publico,quin illud semper promouere , ac persequi possit procurator fisci, quippe vindex disciplinę publicæ,& lingua fisci,aut vt apud Græcos,γλῶσσα ταμείου,quod & ipsum constitutiones pontificiæ,cap.1 & 2. de collusio. deteg. Et cùm disceptatio illa occurrisset,ann.1593.die 15.Iunij,considēte Senatu Cæsaroduni Turonem, vtrùm scilicèt super falso possit transigi:confirmata istiúsmodi transactiu est, seruato semper agendi iure procuratori regio ad vindictam publicam. perorabant Antonius Arnaldus,& Lud.Dolæus,qui posteà consistorianus Comes.litigatorum nomina, Boue, & Desleux. Celebre istud fuit iudicium, vt quo explosa deinceps esse apud nos debeat Alciati sententia, ratáque fieri communis veterum omnium interpretum , cui & acquieuit Cuiacius,lib.7.cap. 11. obseruatio. maximáque equidem ratione. Habemus enim textum disertissimum in d. l. ipse significas. inf. de fals. cuius nulla alia decisio, nisi hæc ipsa legis nostræ, vt nimirùm de falso transigere liceat. Sed quia exceptio illa est à cæteris omnibus criminibus quorum pœna nõ sit mors, cur id ita sanxerint Diocletianus,& Maxim.in hac l.transigere,ac multò anteà Valerianus,& Galienus in d.l. ipse significas.sic habe. falsi enim labes, & accusatio tantam inurit infamiæ notam ei qui accusatus sit,vt nè oculos quasi attollere audeat apud populum , homo deinceps reiectaneus, palearis , ficulnus, ominosus , & quem, quasi anathema,auersentur, qui norunt, singuli. Famam quippe amisit,quæ vitæ comparatur in l. iusta. ff. de manumiss.vind.quam & in hoc citat Iason ad hunc textum.

— *fama manet facti.*

ait Ouid.sic verò Horatius lib.1.Sat. 2.

— *vnde*

Fama malum grauius, quàm res, trahit.an tibi abundè
Personam satis est,non illud,quicquid vbique

Officit euitare, bonam deperdere famam?

Nè quis ergò in eiusmodi dedecora, solitudinésque infames incidat, tam humanè egerunt Imperatores Dioclet. & Maxim. Valerian. & Galienus locis suprà citatis, vt concesserint, transigi posse, vbi de falsi accusatione agitur. Planè nescio quæ somnia sibi finxerit Alciatus, dum, summota illa interpretum omniũ sententia, quæ ex mente, ac ratione legis est, ambiit, pro opinione, quod μόνη κατ' ὄψιν, inquiens non licere transigere de capitali crimine citra falsi accusationem, quia nempe qui de eo transigit, falsi reus esse incipiat. Quinimò & Grammaticum agit festiuè equidem ad dictionem, *citra*: aut hariolatur etiam in Turpiliano, ex quo prohibitum erat, accusationem deseri. Lex enim, *ipse significas*. cuius decisionem amplexi sunt, multis pòst annis, Diocletianus, & Maxim. in hac l. *transigere*. loquitur manifestissimè de eo qui falsi compertus, accusatúsque est. Quod autem falsum est, manum necessariò exigit, vt videlicèt scribatur in totum, vel in partem quod posteà exit, sub specie recti, in publicum. Quid ergo, cùm docet Alciatus, falsum committi si quis de crimine non capitali transigat? vbinam falsum hoc? quid scripsit in transactione qui transigit vnde falsarius dici debeat? quid deleuit, interleuit, mutauit, extriuit, finxit? Obscura certè verba sunt, *citra falsi accusationem*, vt verissimè scribit Cuiacius, d. cap. 11. sed quorum nihilominus obscuritas omninò tollitur ex d. l. *ipse significas*. nusquam verò proditum est, inquit Cuiacius d. cap. 11. eum qui transegit de crimine non mortali, quasi falsariũ teneri. Itaut mera ad somnia, vt dixi, redigi debeat Alciati opinio, quem & certè verisimile est recessisse potius animi causa à sententia veterũ, quàm quòd ita reuerà senserit. Scripsit enim contrarium lib. 5. paradox cap. 9. vbi & quærit cur in crimine falsi licita sit transactio. Miror autem Donellum, egregium iuris interpretem, ac Nicol. Vallam, Senatorem Paris. eruditiss. eò impegisse, tract. 17. de rebus dubiis: cùm deficiantur ipsimet rationibus quas inuoluunt magis, quàm explicant. Parum moror Imberti leuicula in Enchiridio iuris Gallici. motus enim forsan est Alciati, doctoris sui, affectu, nec verò ratione vlla quæ iuuaret somnij istius imaginem. Non ita præstantiss. Molinæus, qui breuissimo suo scholio, vt in re clarissima, communem veterum sententiam amplectitur, ad consuetud. Hannoniensem (dicimus de Haynault) cap. 45. finiam denique commentationem hanc necessariam textu ipso Basilicῶn lib. 11. hoc tit. vt quo aperiatur verissimus nostræ huius legis, aduersus ioanes Alciati argutias, intellectus Ἐπὶ μὲν τῶν δι' αἵματος ἐχόντων τὴν τιμωρείαν ἐγκλημάτων, ἔξεστι διαλύεσθαι, χωρὶς τοῦ τῆς μοιχείας ἐγκλήματος. Ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων, τῶν μὴ ἐχόντων ἐν αἵματι τιμωρείαν, οὐκ ἔξεστι διαλύεσθαι, χωρὶς τοῦ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος. Τὸ γὰρ τῆς πλαστογραφίας ἔγκλημα, εἰ καὶ μὴ ἔχει δι' αἵματος τὴν τιμωρείαν, ὅμως ἔξεστιν ἐπ' αὐτῷ διαλύεσθαι. &c. id est, in iis quidem criminibus, quibus pœna sanguinis irrogatur, transigere licet excepto adulterio. In aliis verò quæ sanguinis pœnam non habent, non licet transigere, excepto falsi crimine. Falsi enim crimen licèt non habeat pœnam sanguinis, tamen de eo licet transigere &c. Sic ergo textus Basilicῶν, cuius verba hæc vltima commonstrant quàm cæcuticrit, quasi luce in meridiana, Alciatus. Antonij Del-rio repetitionem, ad hanc l. facilè prætereo. verè enim verba, non res, longissimo tractatu effudit: tantumdémque temporis mihi in nugis, quasique festucis, fuit. Miror Hotomanum nec seciùs hic quàm in l. 1. de pact. sup. dum quasi eum puderet accedere cæterorum sententiæ, afferre & vim rursus textui, id verò, ait ille, vt perplexa disputatione se expediat. mauult scilicèt transponi particulam, *Non*, quasi alieno loco positam, restituique in locum priorem: itaut veterem suam coniecturam retinere se dicat, quæst. 21. quæst. Illustrium, in hunc modum. *Transigere, vel pacisci de crimine non capitali, excepto adulterio, prohibitum non est.* sic ille: feréque tam fœliciter, quàm in d. l. 1. aduertere enim debuit totum hoc rescriptum non ad actorem solùm, vt censet, sed ad Reum etiam pertinere, vt sentiunt cæteri omnes interpretes. Duas enim regulas, duásque exceptiones tradit. Prima est, prohibitam non esse transactionem in crimine capitali: cuius exceptio, adulterium. Secunda, prohibitam non esse transactionem in crimine non capitali cuius

exceptio, falsum. Singulas, quà fieri potuit, tam ex schola, quàm ex foro explicuit, vitauique, vt licuit, *breuia & syrtes*.

IIDEM IMPP.

L. 19.

Sub prætextu instrumenti pòst reperti, transactionem bona fide finitam, rescindi iura non patiuntur.[1] *Sanè si per se, vel per alium subtractis instrumentis, quibus veritas argui potuit, decisionem litis extorsisse probetur, pacti exceptio remouetur auxilio replicationis doli mali. Si verò actio iam perempta est, intra constitutum tempus, tantùm de dolo actionem potest exercere.*

Textus hîc tritissimus ad supplicationes contra Senatusconsulta lata ex subtractis ab aduersario instrûmentis, siue proditis à procuratore, vt notat lex, si quis aliquid. ff. de pœn. aut fraude quauis alia occultatis, quibus procul dubio superasset qui superatus est. Iunge l. sub prætextu instrumentorum. inf. de re iudic. facit verò huc maximè quod docet Molinæus ad Io. Galli, q. 218. apocham nempe, quæ, iudicio lato, reperta est, præstare causam idoneam, qua impugnari possit Senatusconsultum. quod & idem, si instrumenta, ex quibus iudicatum est, falsa posteà reperta fuerint, vt dicam ad l. si ex falsis. inf. hoc tit. Baldus hîc casum alium adijcit quo infirmari debeat datum iudicium, nempe si, iureiurando delato in litem, ob inopiam probationum, iudex secundum aduersarium pronuntiauerit, & posteà repertum sit instrumẽtum quo conuincatur manifestissimè aduersarij periurium. In quo singularem certè textum allegat ex l. admonendi. ff. de iureiur. in genere autem & ille, ac cæteri interpretes qui ad hanc l. scripserunt, Bartolus, Paul. Castr. Iason, & Salic. amplectuntur in hoc vulgarem regulam qua dicitur, rescindi contractum cui dolus causam dederit, l. eleganter. & aliis locis. ff. de dolo. Aduertendum autem est, nec semper istud ex voto succedere, si quis retractari velit iudicium ex instrumentis posteà repertis, tametsi dolo partis auersa sint nec reperta nisi lite decisa, ac mortua. vidi in publicis causarum actionibus ferri hunc semper, aut sæpius primum obicem aduersus supplicationis, seu requestæ ciuilis, actores, vt diceret qui pro Senatusconsulto agebat, aliud longè mouisse iudices, futurúmque illud semper eiusmodi, quamuis & tunc protulisset actor instrumentum cuius causa supplicauerat Principi. Iudicant iudices non quod asseritur à litigatoribus, sed quod liquidò constat ex instrumentis iudicialibus: laudatúsque est Domitianus apud Suetonium, cap. 8. in Domitia. quòd *recuperatores, nè se semper persuasoriis assertionibus accommodarent, admonere soleret.* & quia pro re nata, próque variis, quas quisq; sibi induit, rationibus, iudicãt, Plinius ex ea causa peroptimè dixit tũ imperspicua iudicum ingenia, lib. 1. epistol. 20. memini audiisse me longè plurimas causas, quibus extemporali iudicio decisis, cum vel eodem die, vel aliquantò pòst inuiserem Dom. Harlæum, Senatus Principem, ac rogarem motum animi iudicum in hac, vel illa disceptatione, in qua sese patroni & in cancellis, & extra diuisissent, aliis pro Senatusconsulto, aliis contrà sentientibus: aperiebat ille causas iudicij longè aliàs quàm quæ vel ab iis qui dixerant, vel à cæteris qui audierant, propositæ, excogitatæq;, inter fori tumultus, fuissent. Inter cætera id contigit in causa cuiusdam Aurelianensis, Pasquetij nomine, qui cùm Fulianius esset, votúmq; emisisset, cuius voti chartulã procul dubio subduxerat, póstque monasterio, quasi numquam professus monachus, vale dixerat, accinctus ille paulò pòst conuenit cohæredes vt paterna, maternáque bona secum diuiderentur. Obiecerunt illi continuò professionem monasticam. pernegauit, reiecitque confidenter in eo testes, inquiens scriptam esse oportere professionem monasticam

monasticam Blæs. edicto. Impetrarunt nihilominus cohæredes à Principe, vt & prior, & alij quidam religiosi audirentur. Auditi fuerunt, restatique professum esse à pluribus annis Pasquerium, restationésque, cùm causa peroraretur, erant penes patronum regium qui eas recensuit. Tandem in æstu causæ lectus est libellus quidam dimissorius, quo cùm à priore ad quasdam Sanctimoniales missus esset, futurus ipsarum confessarius, scriptum erat, missum eum fuisse, adiecta quidem qualitate presbyteri, sed omisso nomine Religiosi. Erant & verba hæc, *missum esse eum in locum alterius, qui nominabatur & presbyter & religiosus.* Ex his, aiebat Dom. Harlæus, censuerunt iudices fuisse nunquam ipsum professum. Et tamen putauit vniuersum auditorium liberatum esse Pasquerium nomine, ac vinculo monastico, quia licèt per testes probaretur professio, securus tamen esset Senatus summo iure, ἢ ἐκ τῆς ἀμφιβολίας, edictum Blæsense, quo scriptura necessaria est. Sexcenta sunt similia quæ prætermitto. Dum incerta enim cogitatio illa est de vero motu iudicantium, rectissimè scripserit Plutarchus τὰ τῆς κρίσεως ἄδηλα πᾶσι.

IIDEM IMPERATOR.

L. 20.

Non minorem auctoritatem transactionum quàm rerum iudicatarum esse, recta ratione placuit. Si quidem nihil ita fidei congruit humanæ, quàm ea quæ placuerunt custodiri. nec ad rescindendum pactum sufficit, quod hoc secunda hora noctis intercessisse proponas.

Tria hîc obseruanda sunt, quæ rei iudicatæ auctoritas, quæ transactionis, & quæ noctu gesta apud iudices valeant. Primùm de rerum iudicatarum auctoritate proferre testimonia, perinde fuerit, ac si quis γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, id est, noctuam Athenas. eò enim spectant quotquot indies promuntur ex actis Senatusconsulta. *Cùm prætor re cognita, per errorem, vel ambitiosè iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui: etiam publicè interest, restitui, propter rerum iudicatarum auctoritatem.* Ita lex, 65. Seruo. §. cùm prætor. ff. ad Trebell. Cic. pro Flac *prætor actionem se daturum negauit, re iudicata stari ostendit placere.* rationem adfert pro Syll. *statum enim reip. maximè rebus iudicatis contineri.* maximè verò id quando ritè, ac rectè omnia peracta sunt, & firmauit ætas iudicatum: tantóque id magis, cùm celebritas, ac multitudo iudicum commendant iudicium, vt apud Sophocl. in Aiace:

> Κοὐκ ἀρκέσει ποθ' ὑμὶν οὐδ' ἡσσημένοις
> Εἴκειν, ἃ τοῖς πολλοῖσιν ἤρεσκε κριταῖς;

id est, non sufficient vnquam vobis victis quæ plurimis placuere iudicibus, vt tandem cedere velitis? De Senatusconsultis autem quæ plenissima cognitione lata sint, iure dixerimus cum Demosthene, ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους· οὐ γὰρ ἄν ποτέ γε μὴ δίκαια θεοὺς ψηφίσασθαι, id est, non enim ista dij decreuissent, nisi iusta fuissent. loquitur de matricidio Orestis, eiúsque absolutione. memini cùm primùm veni in forum, audiuisse me sæpius de potentissimo, prudentissimóque totius Galliæ sub Henrico II. curasse eum semper vt si quid ei controuerteretur quod ad ditionum suarum augmẽta, ornamenta, aut munimenta spectaret, malle se longè magis sibi cauere Senatusconsultis, quàm contractibus. æterna enim, aiebat, atque inconcussa Senatusconsulti rite ac rectè facti, auctoritas. Dixi de trãsactionum effectu, ad l. 2. de iureiur. ff. & cur eas nihilominus anteferat Demosthenes iudiciis. attigi etiam ad l. non distinguemus. §. item non est cogendus, de arbitr. ff. De actis verò quæ noctu fiunt, cúmque *nox cælum sparserit astris*, hoc habe. ex Bart. Bald. Paulo Castr. Iasone, ac Salicero, hîc: actus nimirum voluntarios valere, etiamsi noctu initum sit negotium, contractus celebratus, aut similia. In necessariis secus: veluti si de sententia agatur. nullius enim momenti illa est, si fera-

tut noctu, & *cùm sol tellure subalta est*. singularem in hoc textum vide in cap. consuluit, circa fin. ext. de off. deleg. Vbi ita deciditur. Sic autem & hîc resoluunt Baldus, & Bartolus. Distinguit Paulus Castr. vt scilicet valeat sententia, etiam lata noctu, si modò in loco honesto (verba eius sunt) lata sit, sique intra fines, ac metas iurisdictionis. motem Gallicum fusè digessi ad l. ex diuerso. de rei vendic. ff. Duo autem subijciam: alterum de contractibus: alterum de in ius vocationibus. Quantum ad contractus, censet Tiraquellus §.1. gl. 11. num. 8. de retr. valere quidem ipsos, licèt noctu initi sint, fore tamen tutius, si notarius scribat horam noctis, qua nimirùm appareat, vtri diei, præcedenti, an sequenti tribuatur quod gestum est. plura ille eo loco. Quod si actus sit iudicialis, putà, si de aliquo in ius vocando ex causa redhibitionis gentilitiæ, seu retractus, agatur, vult Argẽtarius ad consuetud. Armor. art. 20. *des iustices*. iudiciales actus, & extraiudiciales noctu expediri non posse, nisi conuentionalis dies, aut legalis cuiuscúmque actus gerendi exitura sit, vt in retractu, ait, ac similibus. In quo tamen quàm parum illius, ac Tiraquelli, Chassaneique sententia à Senatu nostro admissa sit, proferam latum sat diu iudicium. Cum enim in publicis causarum actionibus, ann. 1602. die 18. Mart. disceptatum acerrimè à Garnerio, & Doujatio fuisset, vtrum in ius vocatio ex causa retractus, facta hora 7. pomerid. Ianuarij, valeret, amplius primò delibe[r]andum placuit. Infirmatum verò paulò pòst ex scripto, consessúque interiore, præfectianum iudicium, ann. 1602. die 7. Septembr. vetitique viatores vllum noctu, in redhibitione gentilitia, diem dicere. litigatorum nomina, Pet. Poncetius, sacelli Paris. Canonicus, & Cl. Chappelier, in Sen. procurator, Eustaclus Cossart, eiúsque vxor. Ita nempe ex summo iure eiusce modi actionis, in qua nihil de præscriptis à lege formulis remittitur. Cum enim hora illa 7. pomeridiana, sol occasu suo diem mens. Ianuario exemisset, mirum videri non debet, si, per odium actionis, solis occasum supremam (quod & olim in l. 12. tab.) tempestatem esse oportere, pronuntiarint iudices. Scio aliud iudicatum à Senatu Rothom. ann. 1603. 9. Iunij. scribit Beraltus, ad consue. Norm. tit. *de retraicts, & clameur* art. 452. in verb. *l'an, & iour*: cum scilicet citatio Mens. Octob. hora 8. noctis, vltimo anni die, facta fuisset. nec omittit Beraltus Tiraquelli sententiã loco suprà citato, & Chassanei, ad consf. Burg. tit. de retr. §. 1. in verb. *dans l'an & iour*. quem & citat Tiraquellus. Sed vt de anno, & die loquitur consuetudo Paris. ac cæteræ huius regni, rationem habuit Senatus noster diei veri, ac naturalis, seu solaris, non autem diei ciuilis, maximè in actione odiosa, vt dixi, & in actu qui ad instituẽda iudicia pertinet, cuiusmodi est citatio. miror omissam à Chopino hãc quæstionẽ seu ad consuetudinẽ Parisiẽsem, seu ad Andensem, in qua præsertim & disertùs in hæc verba articulus 371. *Et est à entendre que le iour d'executer le retraict, dure pour tout iceluy iour iusques à heure de Soleil couché*. Distinguit enim procul dubio illa epexegesis diem solarem, vel naturalẽ, à ciuili, qui & aliàs artificialis: vt scilicet annali isto solis occasu terminetur tota illa actio, quæ, auctarij vice, ad incidendas lites, diem insuper, reuoluto plane anno, accepit: *par an, & iour*: inquiunt omnes regni consuetudines. Præclara igitur, & in hoc, Senatus nostri, ad veram Romani, Gallicique iuris mentem, prudentia. distinguendus enim procul dubio dies naturalis, seu solaris à ciuili qui diem complectitur non modò, sed & noctem qua verum conticinium, ait Nonius.

Iamque quiescebant voces hominumque, canumque.

Ouid. 10. Metam.

Cuncta silent. in descriptio noct. Deinde verò, quorsum aliàs adiectus ab omnibus consuetud. dies ad annum, nisi vt vlterius nihil quicquam sperandum esse, constaret? dixi plura ad l. more. Romano. de fer. ff.

IIDEM IMPERATOR.

L. 21.

Cum ea. Jis quæ simulatè geruntur. pro infectis habitis.

Docet hîc Iason, si simulatio contractus probari liquidò non possit, sufficere verisimiles coniecturas, sicut in dolo, l. dolum. inf. de dolo. De simulatis autem contractibus, & quot modis probari possint, ac detegi, dixi ad l. 1. §. dolus. de dolo. & ad l. si quis conduxerit nummo vno. loc. ad l. Sulpitius. de donat. inter vir. & vx. ff.

IIDEM IMPERATOR.

L. 23.

Nec intentio. Cùm quæstio ex transactione decisa est, & ex causa transactionis numerata pecunia, indebiti soluti prætextu, & velamento repeti pecunia non potest.

Ista ex verbis textus ad faciliorem legis sat implicitæ intelligentiam. sic verò & interpretes popularius: si conuentus vt hæres non allegauit se non esse hæredem: sed vt hæres transegit, & soluit, repetere non potest, licet verè non esset hæres. Ratio hæc fuerit, quia repetitio nulla est ab eo qui suum recepit, tametsi ab alio quàm à verò debitore solutum est: l. repetitio. ff. de condict. indeb. repeter tamen à vero hærede, ex æquitate tituli, de petit. hæred. vbi dicitur, posse eum qui hæreditatem restituit, & retentione rei hæreditariæ sibi satisfaecere. l. 17. quod si possessor. & deducere quod sibi debetur. l. 31. Si quid possessor. § 1. illo tit. notabitur etiam ex Iasone hîc, non magis repeti vt indebitum quod soluitur ex causa transactionis, quàm si ex sententia solutum fuisset, citat legem 1. inf. de condict. indeb. quæ diserta in hoc. Cæterùm quantum sit transactionis velamentum vt quod solutum est, licet indebitum, numquam repetatur, vide vulgatum textum legis, in summa. ff. de condict. indeb. & quæ ad eam de iustissima exceratione litium adieci.

IIDEM IMPER.

L. 24.

Si quidem ex causa transactionis acceptis iis quæ instrumento continentur, nihil amplius peti conuenit, solutio illa partis debiti ex causa transactionis, inducit liberationem à toto.

Videtur contrarium in l. si de certa. inf. hoc tit. sed hîc dimidia pars soluebatur debiti, itaut, clausula illa, *amplius non peti*, quæ & in l. si de certa. referri necessariò debeat ad residuũ totius debiti. Deinde in l. si de certa. transigebatur de re certa, cuius causa mota erat lis, aut in propinquo erat vt moueretur, itaut quæcumque generalis subiecta esset clausula, certum illud de quo transigebatur, coërceret pactionem, nè liberatio illa, *amplius non peti*, porrigeretur ad ea de quibus nulla in contractu facta fuisset mẽtio. Sed hîc pars debiti soluta est, proindeq; pars altera in totum remissa per d. clausulam quæ aliàs foret inutilis contra regulam iuris quæ non patitur vt verba contractus, seu stipulationis, quibus quis sibi cauerit, maneant irrita. l. 1. in fin. ff. quod quisque iur.

IIDEM IMPP.

L. 25.

Si maiores 25. annis cum patruo, siue auunculo vestro transegistis, vel ei, debita donationis causa, sine aliqua conditione remisistis: non icirco quòd hoc eius hæreditatis captandæ causa, & spe futuræ successionis vos fecisse proponatis: aliis ei succedentibus, instaurari finita debent.

Iunge l. cum donationis. inf. hoc tit. & l. cũ quidam. §. 1. ff. de vsur. arguunt enim tres illi textus fatuitatem eius qui, vt canis ille Æsopicus, vmbram pro corpore eligit. adipato id, strigosóque sermone interpretes: *Defectus causæ impulsiuæ, vel finalis in corde retentæ, non vitiat transactionem, vel debiti remissionem.* Egregiè Isocrates ad Nicoclem, Οἱ μὲν εἰωθότες ὑμῖν τοῖς βασιλεῦσιν ἐσθῆτας ἄγειν, ἢ χαλκὸν, ἢ χρυσὸν, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων χρημάτων, ὧν μὲν αὐτοὶ ἐνδεεῖς εἰσιν, ὑμεῖς δὲ πλουτεῖτε, λίαν μὲν ἔδοξαν καταφανεῖς οὐ δόσιν, ἀλλ' ἐμπορείαν ποιούμενοι, καὶ ταῦτα πολὺ τεχνικώτερον πωλοῦντες τῶν ὁμολογούντων καπηλεύειν. id est, qui solent vobis regibus vestes ferre, aut æs, aut aurum, aut aliud quid talium rerum, quibus ipsi indigent, vos autem abundatis, valdè quidem mihi visi sunt manifestè non donum, sed mercatum facere, & hæc multò artificiosius vendere quàm qui profitentur cauponas. sic ille. cò autem & fecerint plura apud Iuuenalem de iis qui muneribus quotidianis palpabant cælibes ditiores in spem hæreditatis qua tamen defraudabantur sæpissimè. dixi de donis eiuscemodi captatoriis ad l. 3. ff. de condict. causa data. & quam iure in prouerbio sit, ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκεν. id est, Thesaurus Carbones fuerunt: nempe in eos qui, magnificis rebus expectatis, meras tandem nugas reperiunt, sanna ista Euripidea dignissimi:

πολλαὶ ἐλπίδες ψεύδουσιν αἱ ἄλογοι βροτούς.

id est, multæ spes insanę fallunt homines. Auaras illas & credulas dixit merito Horat. Fallaces, stultas, & caducas Cicero, ac Ouidius: quod experti sunt & in hac l. & in d. l. cùm donationis. inf. hoc tit. qui tutoribus suis, quos, vt fit verisimile, vel cœlibes, vel illiberes videbant, remiserunt, ac donarunt longè plurima ex tutelæ suæ grassaturis magis quàm administrationibus, quia spem in futuris eorum hæreditatibus ponerent. Contigit istud multis, nec ita diu visum est in nepote ex fratre, cui auunculus tutor, & bonorum partem quam decoxerat, & expectatę hæreditatis spem, moriens, testamento in gratiam alterius facto, eripuit tandem, planéque sustulit.

IIDEM IMPER.

L. 29.

Sub prætextu specierum post repertarum, generali transactione finita rescindi prohibent iura. error autem circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentium, tempore transactionis, constituta nihil potest nocere.

Notanda Glossa, quæ docet ex hac l. generalem transactionem super petitione

generali, officere transigenti etiam ad ea de quibus cogitatum non sit. Distinctio est inter transactionem qua petitio generalis includitur,& eam quæ super petitione speciali facta sit: vtraque enim petitionum insertarum naturam sequitur, vt sit vel generalis ad omnia, si generalis fuerit petitio, vt in hoc textu, vel specialis ad certas quasdam species,& capita,si petitio specialis, vt in l. si de certa. inf. hoc tit. Sic in sententiis seruari solitum est, vt sit earum effectus generalis, aut specialis, prout libellus,& contestatio fuerint, l. vt fundus, ff. commu. diuid. & l. vlt. Cod. de fid. libert. vnde vulgarum in more iudiciorum, sententiam cōformem esse oportere libello,id est petitioni,& contestationi, vt alibi ostendo,quæ comparatio, transactionis nimirùm, & sententiæ, Bartolo, & Iasoni adeò perplacet, vt Bartolus longiùs paulò istud discutiat, Iason autem dimidiam ferè commentarij sui partem in hoc ipsum extrahat. Baldus dat pro hypothesi, si quis petat ab administratore, seu dispensatore suo, vt rationem reddat omnium quæ gesserit,quique audito,discussóq; primo rationum capite, dicat sibi abundè satisfactum, libereťque dispensatorem liberatione generali ad omnia quæ ille gesserit. Tunc enim frustrà postea dicturus est reperisse se species longè plurimas, de quibus, cum liberationem daret, non cogitauerit. Non ita autem de Bartoli, & Iasonis applicatione ad rationum tutelarium rationes,liberationésque,& transactiones inter tutorem, & eum cuius tutelam gesserit, initas. Docemur enim quotidianis rerum experimentis, nihil prodesse tutori quòd transegerit in genere de tutelæ suæ administratione: Imò nec si audita parte rationum suarum, minor,factus maior,liberationem generalem de cæteris omnibus ad tutelam spectantibus dederit. Oportet quippe rationes reddi, discuti, dispungi, & claudi tandem auctore iudice. Aliàs, & nisi ita hæc fiant, nihil agit, cum vsque ad annos 30. possit minor petere rationem sub prætextu specierum pòst repertarum,quæcumque generalis intercesserit transactio: seruamúsque in eo religiosissimè legem, cùm seruus. ff. de condit. & demonstr. quæ vult eum qui sit rationibus reddendis obnoxius, reddere oportere rationes, vt discutiatur sigillatim quicquid egerit, vel non egerit, cùm agere debuisset. Vnū superest de iure nobilitatis decisio aduersus aliquē qui post omisisse se dicat in lite quæ proculdubio iudices mouissent, vocassént q; in aliam sententiā, si prolata, pro ductáve, vt loquimur, instrumenta fuissent, pòst reperta. Vidimus in subsidiorū curia, impetratum ex his supplicationis, seu requestæ ciuilis, rescriptum, vt reuocaretur latum in eiusmodi lite supremum iudicium. Videbatur sanè habenda supplicationis illius ratio ex l. 2 §. vlt. ff. si libertus ingenuus esse dic. Illéque est in vniuersum causarum liberalium fauor, l. diui fratres. de liber. causa.& l. ingenuum. de sta. hom. ff. cōtrarium tamen in causis nobilitatis censuit subsidiorum curia, ann. 160r. mens. Maio. Sed vt præcidatur deinceps mouendæ cuiuscúmque, ad eas quæstiones, actionis, litísque occasio: doctissimam redegit actionem Dom. Bretius, fisci tunc in subsidiorum curia, patronus: hanc vide, Tricesima septima est, libello quem de potioribus curiæ illius arestis edidit.

IIDEM IMPER.

L. 31.

Si de certa re, pacto transactionis interposito, hoc comprehensum erat, nihil amplius peti: etsi non additum fuerat, eo nomine: de cæteris tamen quæstionibus integra permanet actio.

Triuialis ferè non minus hæc lex apud forenses, quam forum ipsum, vt ex ea dicatur, transactionem referri numquam ad non cogitata, distinctionem vide ad l. 29. sub prætextu specierum. sup. hoc tit. similis decisio in l. emptor prædij. §. Lucius. ff. de pact. vbi sic Scæuola: *respondi, si tantum ratio accepti, & expensi esset computata, cæteras obliga-*

tiones manere in sua causa.dixi ad d.§.Lucius. & cum contraria videatur lex, si quidem. sup.hoc tit.ait enim clausulam, *nihil amplius peti*, inducere liberationem generalem, quod hîc negatur,conciliaui vtrámque ex diuersa ambarum hypothesi. Similis verò etiam decisio in l.33.legatorum. §. 1.de legat. 2. vt scilicet clausula generalis etiam in testamentis,redigatur ad enuntiata,seu specificata,vt loquuntur interpretes. Quinimò & clausula generalis, in fine posita, refertur non solùm ad proxima, sed ad omnia etiam præcedentia,l.vlt.de reb.dub.ff.capitq; ex illis interpretationem, lex, quisquis.de verb.oblig.stipulationes ergo,ait Iulianus, seu conuentiones commodissimũ est ita componere,vt quæcumque specialiter comprehendi possunt, contineantur. l. stipulationes commodissimum est.de verb.oblig. addit VVil. Bened.ad cap.Raynutius in verb.testamentum.2.num.23. si adiecta sit in hunc modum, *omnia pro expressis habentes*,clausulam hanc tantum operari, ac si singula specialiter enuntiata fuissent. Quæsitum verò est, per occasionem huius legis, quid velit Papinianus, cùm ait in l. 119.de verb.oblig. Doli clausulam quæ stipulationibus subiicitur, non pertinere ad eas partes stipulationis de quibus nominatim cauetur:Baldus ad d.l. 119. paucissimis verbis istud aperit,quod,inquit,specialiter exprimitur,generali sermone non includitur. Id est,vt Iason ad eam ipsam l. explicat, species eo casu eximitur à genere, itaut quamuis stipulator generalem doli clausulam, in fine contractus adiecerit, doli tamen ea clausula intelligi debeat, vt nè quid promissor per dolum faciat in iis quæ enuntiata non sint, quominus id de quo conuentum est, effectum accipiat. pertinet enim tãtùm hęc clausula generalis *ad casus incertos & qui in præsentia contrahentibus occurrere non potuerunt*,quod ait lex 53.stipulationes commodissimũ est.de verb.obl.sic generalis confirmatio non porrigitur ad ea quæ nominatim, ac specialiter rescissa, irritáq; facta sunt. Glossa in hoc singularis ad l.si quis priore. ff. ad Trebell. fusius ista Iason ad d. l. doli clausula. sic denique generalis substitutio non refertur ad specialem, de qua testator testamento suo cauerit: sed specialis ei derogat, l.cohæredi §.qui patrẽ, & filium.ff.de vulgari.textus ille singularis.& cùm Bartolum,Baldum,Paul.Castr.Salicet. Iasonem ad hanc l.vt ad cæteras,quas obseruo, legerim, cúmque rursus Bart. Baldum,& Iasonem, ad d.l.doli clausula. maximè autem Cuiacium, tractatu suo ad Papinianum,legis illius auctorẽ,repeti nihil apud Cuiacium quod illi ad eiusmodi, quæstiones non mouerint,ac deciderint, sed elegantiùs scriptum à Cuiacio quod illi per seculi sui infœlicitatem, rudi, incondita, strigosáque verborum congerie. Cæterum aduersus clausularum captiones,in quibus scilicèt perfunctoriè, id est, non disertè sed obscurè quippiam scribitur, notanda lex 69. qui libertatis. § vlt. ff. de euiction. morem etiam Iurisconsultorum, in obseruandis potissimùm contractus cuiúsque, ac testamenti clausulis,vide,inter cætera,in l.itaut.ff.mand.in l.cum duobus.in princip. in l.duo societatem contraxerunt.ff.pro soc.in l.fideiussores magistratuum.ff.de fideiussorib. Vnum subijciam quod cùm, acerrima fori disceptatione, agitatum esset, desijt tandem in didacticum, notandúmque ad quotidianas quæstiones, iudicium. Cautum erat tabulis connubialibus,in consuetudine Carnutum, vt si quæ hæreditates obuenirent alterutri coniugum, sique vlla ex eo pecunia vice permutati dominij, numeraretur,totum id proprium coniugis fieret ex cuius capite,res contigisset, at verò & eorum qui ex ipsius stirpe,cognationéque essent. Cautum erat secundò,vt si vxoria quædam emptio rum redituum sors redimeretur, nummi succedanei ad vxorem,ipsiúsque hæredes spectarent. Postremò autem concepta erat de reliquis rationum vxori à tutore debitis, stipulatio in hunc modum: vt scilicet refecta ex eis pecunia in emptionem prædiorum collocaretur:vtque ea prædia propria vxoris fierent, vt suprà.vernaculus sermo magis fetiet,qualis in ipsismet tabulis. *S'il arriuoit quelques successions à l'vn ou à l'autre des futurs conioincts,lesdites successions,ou les deniers qui en prouiendront,seront reputez propres à celuy du chef duquel seront lesdits biens,& aux siens de son costé, & ligne. Si aussi quelques rentes sont rachettées appartenãtes à la future espouse, les deniers seront reputez propres à elle,& à ses hoyrs. & est pareillement accordé que les deniers du reliqua de compte deu à ladite future espouse, seront employez en heritages qui luy seront propres, & aux siens comme dessus.* Decessit ex puerperio vxor,relicto infantulo,qui etiã obiit paulò pòst, donaue-

rat tamen illa marito mobilia, & quæstus factos constante matrimonio: quod licet ex cõsuetud. Carnutum. maritus igitur petit reliqua illa rationum, tanquam mobilia: defenditque clausulam hanc vltimam, verbáque hæc, *vt suprà*: referri oportere ad proximam, non autem ad remotam, quantumuis superiorem complectentem verba stirpis, cognationísque generalia. sanéque ita iudicandum videbatur prima fronte ex iis quę suprà ad hanc l. profero. vicit tamen maritus: clausulámque vltimam, vt nec generalem, Senatus ad eam, quæ propinquior, coërcuit, an. 1618. die 9. Iulij. dicebant Martellerius, & Doujatius.

IIDEM IMPERATOR.

L. 33.

Si pro fundo quem petebas prædium certis finibus liberum dari transactionis causa placuit, licèt hoc prædium obligatum pòst, vel alienum pro parte fuerit probatum: instaurari decisam litem prohibent iura. sed augere potest apud rectorem prouinciæ, pro euictione, si stipulatio intercessit, vel si non intercessit, præscriptis verbis agetur ad id quod interest: Si verò res ipsas apud te constitutas, ob quarum quæstionem litis intercessit decisio, fiscus, vel alius à te vendicauit: nihil petere potes.

Lex etiam hæc vt superior de quotidianis fori est, ex qua interpretes certissimam expromunt hanc regulam: si datur fundus ex causa transactionis, debetur euictio: si verò dimittitur fundus, non debetur. Aliud enim est dare fundum transigendo: aliud dimittere. Primo casu, euictioni locus est: secundo, non. Inde dicitur in articulo, 360. consuet. Andens. *que celuy à qui demeure la chose pacifique, ne doit aucunes ventes, & n'y a retraict: posé qu'il ait baillé argent, ou autre chose par ladite transaction.* Molinæus ad eum art. 360. citat hanc l. vide & eundem ad consuet. Paris. §. 55. gloss. 3. nu. 16. & §. 22. num. 60. Exceptio est, nisi pecunia transactione data, vel pacta accedat proximè ad verum rei pretium, vt supplet Chopinus ad consuet. Andens. lib. 3. cap. 1. tit. 5. nu. 3. Tunc enim, ait, fraus est, & transactionis figura tecta venditio. Tamen cùm in id disceptatio incidisset in magno auditorio, Senatus deliberandum amplius censuit ann. 1602. 27. Iunij, Butillerio, & Monstrolio, dicentibus. Agebatur de retractu feudali quem ex causa transactionis petebant patronus feudalis, Cardinal. Gondius. Dom. Seruinus, patronus fisci, censebat locum esse retractui ob numeratos bis mille aureos ab eo qui in possessione manserat ex transactione, citabátque vulg. legem, cum quæritur, de sta. hom. Anteuertit verò emptor vltimum iudicium transactione cum patrono feudali inita, territus, vt verisimile est, arcano consultorum consilio. transactionem illam à patronis ipsis, qui causam dixerunt, didici.

IIDEM IMPER.

L. 34.

Cum donationis, &c.

Dixi quod sit satis ad l. 25. Si maiores. sup. hoc tit. ambæ enim eiusdem & hypothesis, & decisionis sint.

IIDEM IMPER.

L. 35.

Transactionem, &c.

Si transactio interuenientibus amicis processit, metus velamento rescindi non potest.

Tota græca est apud Harmenopulum lib. 1. titu. 10. ex quo pars hæc notabitur. ἔνθα φιλία ἐστὶν, ἡ βία τεχνάζεται id est, vbi amicitia est, vi nulla tractatur. verbũ nempe latinũ, vt emphaticũ, Græcus auctor retinuit: quod innumeris locis apud eundẽ, græcósque posteriores, frequentissimum est. Bartolus, & Baldus, hîc memorant statuta totius Italiæ, quibus cauetur nè vel minores, vel mulieres contrahunt nisi præsentibus cosanguineis. fit hoc, inquiunt ad tollendam doli, & metus præsumptionem. Quod si absint consanguinei, consulit Baldus vt contrahatur præsente iudice. Seruamus autem id maximè in minoribus, si negotia vrgeant vt quid moueat, aut promoueat tutor: veluti, inter cætera, si collocanda sit pecunia pupillaris in emptionem prædiorum, aut danda fœnori, si redigendum quippiam immobile ad naturam mobilium, vt nubat pupilla. Adit enim ille, iis casibus, iudicem, & postulat vt conueniant consanguinei, deliberaturi quid agat ad oblatum negotium. hoc statuit iudex: deliberant: redigitur deliberatio: redit tutor ad eundem iudicem, qui, viso propinquorum consilio, pronũtiat hoc ipsum quod melius, tutiúsque ab ipsis animaduersum, deliberatúmque est. Imò vbi de collocanda nuptui puella agitur, mutandáque parte immobilium quæ societatem connubialem ineat, circuitum, quem delineaui suprà, sustulit vltimis suis iudiciis ordo amplissimus, satisque esse censuit si in capite, atque ingressu contractus matrimonij, quo mutatio illa fit naturæ fundorum pupillarium, describantur sigillatim consanguineorum præsentium nomina. deliberasse enim & tunc maximè præsumuntur, cùm de his in contractu actum est. recenseo Senatusconsulta, ad titu. de iure dotium. ff. Docet præterea Chassaneus ex hac l. ad consuet. Burgund. §. 7. in verb. *qui doiuent succeder.* tolli adeò præsumptionem doli, & metus, vt quærendi postea spes non sit, si interfuisse consanguineos constet. Altérque è nostris Gallis, nempe Rebufus, tanti istud momenti esse adnotat ad artic. 93. constitutionis anni 1539. tractatu de chirographor. recognit. num 52. vt dicat perinde id esse, ac si palam omnibus, eorámque iudice gestum fuisset negotium. propendent enim illi affectu spontaneo, ac naturali in suos, seu cõsulantur de tutando patrimonio minorũ, aut etiam de eligendo puellæ marito, prout obscuri, clarive natales fuerint, quod Papiniani consilium est in l. cum post. de iu. dot. necessarios verò appellari inde cognatos, & affines scribit festus, nimirùm ob necessaria quæ, præter exteros, cõnferunt in genus suum officia. τοὺς οἰκείους τῶν ἀλλοτρίων ποιοῦνται περὶ πλείονος πάντες ἄνθρωποι sic orator Andocydes, oratio. contra Alcibiadem, id est, propinquos nostros, plusquam alienos, pluris facimus: vbi & addit certissimam esse cuiuscumque impietatis notam in extraneos, si quis negligat suos, eorúmque bona, & commoda non curet, promoueat, atque augere malit pro rebus, & causis. τοῖς ἐν γένει τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν: dixit Sophocles.

IIDEM IMPP.

L. 39.

Quamuis eum qui pactus est, statim pœniteat, transactio tamen rescindi, & lis instaurari non potest.

Dixi de quæstione huius legis ad l.6. Cùm mota, sup. hoc tit. quæ tota ad contractus innominatos, cuiusmodi est transactio.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS.

L. 41.

Si quis maior 25. annis aduersus pacta, vel transactiones, nullo cogente imperio, sed libero arbitrio confectas putauerit esse veniendum, notetur infamia, &c.

Comminationes istæ Imperatoriæ aduersus transactionum temeratores arguunt plus satis quàm sancta sit constitutio anni 1560. qua transactionibus eadem prorsus, quæ Senatusconsultis ipsis, tribuitur auctoritas. vide ad l.2. de iureiur. ad l. non minorem. supr. & hoc titul. Inanis enim esset ac pudenda de his repetitio. Quod autem in fine adiicit de nomine Imperatoris contractibus præponi solito, specialis in hoc nouella est 47. vt instrumentis præponatur nomen Imperatoris. ad quem pauca Cuiacius. hodie seruatur istud in solis Senatusconsultis, ne vilescat ex frequentioribus contractuum etiam vilissimorum inscriptionibus regia dignitas, increscat autem, tantóque sit maior in Senatusconsultis. Dixi etiam ad l.13. Si duo patroni. §. vlt. de iureiur. ff. de iis qui iurant per genium Principis, & peierant: atque vt iampridem vetitus sit ille mos in Gallia.

IMPP. LEO, ET ANTHEMIVS.

L. 42.

Si ex falsis instrumentis transactiones initæ fuerint: ciuiliter falsò reuelato, eas retractari præcipimus. Tamen illa tantummodò pars transactionis retractabitur quæ ex falso instrumento composita conuicta fuerit: aliis capitulis firmis manentibus: nisi fortè etiam de eo quod falsum dicitur controuersia orta decisa sopiatur.

Iunge omninò l. qui agnitis. ff. de exceptionib. & tit. si ex fals. instrument. iudic. sit. inf. vide etiam ad l. 19. Sub prætextu instrumenti. sup. hoc titu. Quantùm autem ad eam partem legis, qua dicitur alia transactionis capitula firma manere, licèt quædam eiusdẽ transactionis falsa iudicata sint, dixi ad l. 30. Etiam §. 1. ff. de minorib. notat quidẽ ad hanc nostram l. glossa, in verb. ciuiliter. agi posse de falso & ciuiliter, & criminaliter. Quatuor modis, inquit, agitur de falso, criminaliter, per actionẽ in factum ad id quod interest, per exceptionẽ, per replicationẽ. Sed quãtumuis sequãtur istud Bartolus, & Baldus hîc, inane tamen apud nos, formulariísque omnibus absurdum, cùm vno tantum modo procedatur ad falsum, nempe criminaliter, inscriptione facta aduersus instrumentum, quod illico infertur actis curiæ, dátque postea accusator documenta, seu, vt loquimur, modos falsi, quibus visis, probationes fiunt auctore iudice, seu per testes, vt quotidianum hoc, aut etiam ex scripto, vt factum nuper est in lite, in qua cùm instrumentum comperisset aduersarius, cuius falsitatem cæteræ omnes totius litis tabulæ detegebant adeo clarè, & perspicuè vt ambigi de eo amplius non posset, itum non est ad testimonia, sed ex solis iis quæ prolata productáque fuissent, fides falsi luce meridiana clarior facta est. Fr. Chauuelinus, aduocatorum consultissimus, in lite scripserat: denique solo isto in crimine seruamus legem 2. libellorum. ff. de accusationibus, neque vnquam auditum vt quis ciuili actione ad falsum egisset. Magna autem

quæstio, quam attigi, ὡς ἐν παρόδῳ, quasique in transcursu ad d. l. etiam, an verum semper illud sit quod ait nostra lex, instrumentum nempe posse falsum fieri in partem, in cæteris autem non. Distinguunt autem hic rectissime Bartolus, Baldus, Paul. Castrens. Iason, Alexander, aut instrumentum falsum est propter vitium notarij: quo casu falsum totum est, maximè si affecta sit fides notarij, famæque minus integræ aut etiam ex alia causa falsitas incidit: & tunc si sit circa substantialia, veluti circa diem, & consulem, vitiatur prorsus instrumentum: sin autem circa substantiam instrumenti, tunc obseruanda sunt singula illius capita, an separata, an connexa: si separata sint, obtinebit nostra lex: si connexa, tunc integrum instrumẽtum corruit. quod & ipsum de testibus dici oportere, docent fuso commentario, cuius hic particulas electiores insero, sine quibus vix est vt sese vel sagaciores quotidianis hisce fori quæstionibus, nisi tanquam per rudera, & salebras, explicent. intendo enim dumtaxat digitum ad fontes à quibus hauriantur quæ prætermitto, nè, vt plurimi, dare videar effusa manu quod oneret. vidi non paucos qui ex vsu fori esse dicerent, vt vel vna, solâque in instrumento competta falsitas viriet, perimâtque secum cætera. Imò scripsi aliquando ad appellationem deuolutam in Senatum ab Issiodunensis iudicis, apud Bituriges, iudicio, quo ex vna, & sola parte instrumenti, totum illud falsum pronutiauerat, mirarique mihi contigit cum & confirmatum istud vidi à Senatu in tertia inquisitionum. resciui autem à iudicibus factum id esse quia admissa fuisset in partem substantialem, id est quæ totum contractum componeret, falsitas: distinctiones verò, quæ ex interpretibus iuris prolatæ ad litẽ fuerant, vtilissimas ac foro necessarias, vbi vel capita instrumenti separata sunt, nec connexa, ita vt aliud ex alio pendeat, vel si læsa non sit contractus substantia.

IMP. ANASTASIVS.

L. vlt.

Iubemus in omnibus litigiis iam motis, & pendentibus, seu postea, super seruili, vel ad scriptitia conditione mouendis, transactiones &c. vires suas obtinere. nec ob hoc videri tenorem earum titubare, quòd pro conditione seruili, vel adscriptitia confecta sint.

Variæ obseruationes, eæq; nobiles ad hunc finẽ tituli. Prima est ex benigno more Romanorũ veterũ quo, vt iusta seruitutũ odia videbant, ita & conniuentibus oculis (verbũ enim est Vlpiani in hoc ipsum, in l. 4. de manumissionib.) annuebãt vt & serui de seruili sua conditione transigerẽt, vt hic, & sese suis nummis redimerẽt, vt in d. l. 4. cùm tamẽ nũmos suos habere serui nõ possent, ait Vlpianus. Secunda obseruatio est ex interpretibus, maximè ex Iasone ad hanc l. vlt. qui decidit, liberari posse voto Monachum à Romano Pontifice, ita vt, nihil motante professione monastica, redeat liberè ad secularem vitam, ducâtque, vt laicus quilibet, vxorem, si modò ita exigat, ac vrgeat publica, victrixque consiliorum, vtilitas. veluti si agatur de sanguine regio in quo superstit solus, per fata quædam aspera, monachus, qui, concessis hymenæis, sufficere possit idoneum regno Principem. narrat in id Iason de regibus Arragonum quod vt aliunde, ex scriptoribus Hispanicis, indubitatæ fidei est, ita nec sileri hic debeat. Quidam Rhemigius, inquit, monachus, & sacerdos de sanguine regio Arragonum, cùm cætera omnis propago regia defecisset, duxit, dispensatione apostolica, vxorem, ex qua suscepit petronillam, quę successit in regno. nupsit verò illa pòst Raymondo, Comiti, & marchioni, ex quibus ortæ sunt octo generationes domus illius Arragoniæ. sic ille, nimirùm ad suæ ætatis historiam. Vidit autem non ita diu vniuersa Gallia quod & hic, vt loco valdè idoneo, adijciendum putem. Anno 1587. Herc. Ioëusa, Herrico 3. charissimus, defuncta coniuge, sese Parisiis in Capucinorum

societatem monasticam dederat: profectúsque Tolosam, anno 1589. in Capuccinorum loci illius monasterio tacitus, quasi extorris, terræque immemor, degebat. Cùm igitur, fato ineluctabili, aut quia potius [illegible], totum cædibus, flammis, direptionibus, certantique omni flagitiorum turba, madéret, æstuaret, miseréque & à suis, & ab exteris vastaretur imperium Francicum, maximéque Tectosages, cæso tandem Scipione Ioëusa, qui gentis illius mauortiæ vltimus, turabatur celebritate nominis, armorúmque perita prouinciam: postularunt tandem Tolosani à Romano Pontifice, vt tantus eques, quem dixi suprà, quíque frater defuncti, monasterio excederet, atque arma tutelaria liber, votóque solutus capesseret, quibus sperata quædam præstaretur exanimi, per tot ferales motus, prouinciæ incolumitas. Concessit istud, plenissima cognitione, Pontifex, ob ardentem, vt dixi, cædibúsque vndequaque vndantem non modò regionem Tectosagum, sed vniuersam, partes in omnes, Galliam. Exit ergo ille inuitus qui rebus humanis iamdiu nuntium remiserat, & ann. M.D.XCII. XII. Calend. Nouemb. cuculla posita, paludatus, ferróque succinctus, bellauit acerrimè, vsq; dum compositi hinc inde Galli omnes subsederint. Pace enim conciliata, nec suspecta, vt cuius æternus custos, ac sequester existeret Herricus quartus, Regum maximus, pactorúmque tenacissimus, dedit charissimam Illustriss. Principi Mompenserio, filiam, hodie Illustriss. etiam Ducis Visij vxorem sanctiss.) quo facto, memórque voti monastici, quod est [illegible], ait D. Basil. rediit paulò pòst in cælestes Capuccinorum cellas, aut mandras potiùs, quas numquam, nisi per supremum Romani Pontificis iussum reliquisset. Decessit ann. 1608. tam religiosus Christi miles, quàm generosus fuerat anteà vltor, ac sospitator æstuantis, intereuntísque patriæ. Cætera de pluribus prætermitto qui, defecta masculorum stirpe regia, educti sunt olim de antris monasticis, votíque gratia facta à Pontifice, inierunt nuptias ad reparandum genus regium: vt apud Polonos, inter cætera. vide etiam, si lubet, Bened. ad cap. Raynutius. in verb. duas habens. num. 138. vbi docet fieri & hoc interdum in illustriss. familiæ gratiam. quo tamen casu consensu regio apud nos opus est, ex ratione cap. per venerabilem, qui fil sint legit. Parergum denique istud: neque clarissimi Ducis, cænobitæque religiosissimi historiam ex nostris attexuissem, nisi ab Iasone præstrata ex Arragonum Regibus fuisset via. Superest ex Io. Fabro quod & hîc ad forum faciat. Docet enim, argumento transactionum quas in adscriptitiis, seruilibúsque conditionibus, concedit Imperator, transigi etiam de decimis posse, ac de iure visitationis, déque beneficio ecclesiastico, vt redimatur vexatio, plura sunt similia. Cùm autem caput integrum, nempe 35. lib. 12. obseruatio. scripserit ad legis istius interpretationem, Cuiacius, solam ille conditionem seruilem, vel adscriptitiam attigit: nihilque prorsus quod forenses trituras adiuuet.

TIT. V. DE ERRORE CALCVLI.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. vn.

Rationes etiam sæpè computata denuò tractari possunt, si res iudicatæ non sunt, vel transactio non interuenit, (glo. scilicet super errore computationis.

Clarissimè ostendit hîc textus nihil esse in quo erretur facilius quàm in ratione calculi. Inde *anxia calculorum sollicitudines*, apud Senecam. *Dextera digitis rationem computat feriens femur.* Plaut. in milite. *Rationum publicarum reliqua infausta sunt ægritudini comparandæ nisi sub celeritate discedant:* Casiodor. lib. 12. epist. 10. merito ergò calculi erroris retractatio etiam post decennij, aut vicennij tempora admittetur, ait

Modestinus, in l. calculi. de administratio. rer. ad ciuit. pertinent. lib. 50. Pand. suspectáque negatiua est quæ etiam in libr. Flor. duobus asteriscis includitur, in l. in omnibus. ff. de diuers. temporal. præscription. doctrina enim est Glossæ ad l. calculi. & Pauli Castrensis omniúmque interpretum ad hanc nostram l. vn. vt vsque ad triginta annos retractari possit error calculi. excipit d. lex, calculi, *nisi gratiosè expunctæ rationes dicantur, tunc enim non retractabuntur*: id est, vt explicat gloss. ad eundem textum, nisi gratiam fecerit curator reip. ei qui calculum posuit, rationésque reddidit. Tamen aliud seruamus ex ratione legis, præses prouinciæ. sup. de transactionib. Et cùm de eo cum primæ famæ patronis, ad fori hemicyclium, contulissem, variauit nullius sententia quin distinctioni Modestini, in eis verbis, *nisi gratiosè expunctæ rationes, &c.* præferenda esset decisio d. legis, præses & legis, t. de off. procur. cæs. quibus nihil licèt gratiosè remittere in rebus perspicuis, nec implicitis, vbi de publica administratione agitur. putauit vnus obtinere istud humana ratione in filio qui, dum pater rationes tutelæ redderet, gratiosè, & propter naturalem affectum, nonnulla expunxerat, in quo celebratur textus legis, Aurelius. § 3. Titius testamento. ff. de liberat. leg. Alius verò & iudicatum contrarium à Senatu dixit in publicis causarum actionibus, perorantibus Baussano, & Tronçonio, pro quodam Biturige, qui dicebatur Riuetius: ierúntque omnes in eam sententiam, vt quotiescunque aliquis ad calculos reuocatur, rationésque de publico reddere cogitur, nulla administratorum gratia eximere possit debitori rationum, quin calculi error retractetur vsque ad annos 30. quod & ipsum in priuatis, nisi quod expunctum est, de mera ipsius, cui ratio redditur, gratia remissum esse doceat facta manu propria remittentis, & scriptio, & subsignatio. vulgaria in hoc fori nostri vocabula sunt, *erreur de compte, remission de compte. erreur de calcul.* Excipiunt Baldus, & Decius ad hanc l. vn. atque ex eius decisione, nisi res iudicata intercesserit. quod tamen intelligit glossa hîc, si modò super errore computationis transactum, iudicatúmve sit. eóque sensu accipiendum quod scribit Butillerius in summa rurali, inquiens indefinitè, errori calculi præscribi non posse. Vt autem textus disertissimos iuris, glossas, sententiásque interpretum ad mores nostros confero, qui non ita, nisi ex tritura forensi, capi possint, atque intelligi, perpendet, vt spero, studiosus, benéque animatus, quisquis ille sit, quantum absumatur temporis sæpissimè in perlegendis Imperatorum rescriptis, Iurisconsultorum responsis, at verò & in glossis, commentariísque veterum, nisi accedat vsus quotidiani peritia. Reperio textum in l. 1. §. 1. & 2. ff. quæ sententiæ sine appellat. rescind. cuius & hîc mentio habenda est, nè quid intercidat quod interpretandum sit ex iure quo vtimur, verba sunt in parte: *Si calculi error in sententia esse dicatur, appellare necesse non est. nā quoniā error computationis est, citra appellationem corrigitur.* Seruamus adeo & hoc ipsum, vt qui sunt peritiores, appellatione sepo sita, agendum esse consulant executione rei iudicatæ aduersus debitorem rationis, ad retractandum errorem calculi, vt qui sententiam non vitiet, res enim iudicatæ si sub prætextu computationis instaurentur, nullus erit litium finis, ait lex. 2. Cod. de re iudic. vulgò dicimus, *agir en execution de sentence pour reuoir le compte.*

TIT. VI. DE POSTVLANDO.

IMP. ANTONINVS.

L. I.

Cùm à Præfecto Ægypti perpetuò causas agere prohibitus non appellaueris: placitis obtempera.

Accuratissima hîc glossa, & quam interpolant dumtaxat, citráque vllius nouæ interpre-

terpretationis inuentum, Bartolus, Baldus, Paulus Castr. & Salic. Duo igitur obstabant quominus Artemidorus hic, cui rescriptum est, postularet, tum quia perpetuò causas agere prohibitus esset: tùm verò quia non appellasset. In perpetuò prohibitis distinctio necessaria est. Aut enim per temeritatem aduocati factum illud est, quia videlicèt non semel, sed sæpius, indecentibus, temerariisque ausis læsa sit patientia iudicis: vt de irreuerente milite legitur in l. milites. §. irreuerens miles. ff. de re milit. & tunc qui ex ea causa interdicitur, postulare in alio foro poterit, in quo nempe sit prudentior, iudicique obsequiosior. Nisi tamen appellatione interposita ad Senatum, gratia condemnationis facta sit, interdictióque summota: vt nuper in aduocato Castri noui (vocant, Chasteauneuf) visum est, cui iudex sæpissimè lacessitus, aduocationibus in perpetuum interdixerat. Ea enim fuerat aduocati istius audacia, aut dementia potius, vt mentiri iudicem suum diceret. Constabat de hoc apertissimè exactis iudicialibus. causa perorata est, pomeridiana sessione, in maiore auditorio, ann. 1618. die 23. Maij. Io. Grenetius pro interdicto varia in iudicem disseruit quæ ad famam, & mores: tamen hoc ille libello memoriali clientis, nulla enim in iudicem conscripta elogia. (informationes dicimus) vetúsque sola exerebatur transactio de rixis quibusdam fortuitis, quæ olim, cùm apud Autricum carnutum iudex ille causidicinam faceret, contigissent, vt clarissimè aperuit Car. Doletus, gener meus, elisis aliunde suggillationibus quibus concitatum videbat odium in iudicem. Procacitates verò aduocati, petulantias, proteruiásque frequentissimas valdè extulit, quarum & partem scripto, actísque publicis docuit, vt dixi suprà. Cæterùm, nisi iuridici illibata in suos maneat auctoritas, inánia, penéque ridicula fore deinceps tribunalia, at verò & irrita iussa, iudiciáque iudicantium. Itaut rectissimè, optimísque ex causis scripserit Io Faber ad l. vlt. de procur. Cod. spectandum non esse, iudex sit maior, an minor, cum de tuenda tribunalium dignitate quæritur: *maximum namque esse quécumque iudicem qui audit causas*: sunt eius verba. Tamen Dom. Bretius, patronus fisci, violentum morem iudicis longo satis sermone explicuit, mulctandúmque eum non expensis modò, sed & damno omni interdictionis, qua aduocatus, per sex menses, & ampliùs, ab aduocationibus cessasset, censuit. Car. Doletus contrà vt fabulis, non tabulis actum esse in causa aduersus iudicem, quem susceperat, dixit, inculcauitque denuò, ita & inhæsit maximè auctoritati iudicum, quæ si calcata vel tantillùm, dici vix possit quò abituræ forent deinceps petulantiæ, lasciuiæq; appellatoris, acturi nempe triumphum de suo iudice. Senatus restituit quidem muneri aduocationis appellatorem: seuera autem interminatione reuereri iussit iudicem. Iudex vocabatur Iac. Laurentius, vir literis politioribus tinctus: Appellator verò, Teuuy. Cætera iam persequor. Aut enim secundò per vitium, malámq; aduocati fidem, interdictio pronontiata est: veluti, si falsò forsan instrumenta quædam legerit, vt disertus de eo textus in l. 13. falsi. §. ordine decurionum ff. de falsis. qua ex causa interdictus est iamdudum aduocatus à Senatu, an. 1590. apud Cæsarodunum Turonum, rebellante Lutetia. Parco nomini. Aut denique aliud quippiam similiter actum est, vnde contrahatur infamia. Vtróque autem illo casu, vix est vt postulatio vnquam apud alios iudices licita sit: textus enim in hoc vulgatissimus, in l. 1. §. 4. & 8. ff. de postul. ad quem dixi: Aliud si ad tempus dumtaxat interdictum sit, vt in l. motis. ff. de pœn. quam in hoc memorat glossa. Quæ tamen temporalis interdictio rarissima est. eóque erumpit numquam, nisi grauissimis ex causis, seueritas iudicum: & sanè optima ratione. famam enim, id est, τὸ ἔνδοξον, quam tantopere in aduocato commendat Aristoteles in Rhetoricis, plus æquo afficit: duóque ferè à quadraginta annis tantùm visi sunt qui censuram illam à Senatu tulerint: Alter, quem suprà memini, & cui, quippe nebuloni perditissimo, *virtus*, vt sic loquar cum Lyrico, *reponi nunquam potuit*. Alter verò cùm ad tres menses interdictus esset, cessit foro in perpetuum, seséque tandem miserè in ferales quásque scriptiones, per occasionem temporum, pessumdedit, vnde casus ipsi infœlicissimus ann. 1587. plures in hunc diem notunt, & dolent suspiriosè. erat enim vir literatus, atque optimus. Quantum ad secundum legis nostræ obicem, quo Imperator petitionem Artemidori summouet, nempe quòd non appellauerit à sententia præfecti Aegypti qui illum per-

peruò causas agere prohibuerat, temeritatem ex eo Artemidori istius tanto maiorem arguit, vt qui notatus prouinciali iudicio, auderet nihilominus apud Imperatorem causas agere. Aut certè omissa illa appellatio cogitandum etiam nescio quid deterius relinquit, quia scilicèt ausus forsan non sit appellare per metum maioris mali, & nè, in explicanda appellatione, dignissimus interdictione illa perpetua comperiretur. Prudentissimè ita semper de more consulitur periclitantibus de fama, aut vita etiam interdū, nè, vt dicitur, *de fumo in flammam*, quod & apud Ammianum de lachrymabili appellatore, Lohano, lib. 28. exscripsi locum integrum ad l. cæteræ. ff. famil. hercisc.

IMP. ALEXANDER.

L. 2.

Nec cæterorum liberti, nedum mei, si ita sunt literis eruditi, vt patrocinia desiderantibus præstare possint, prohibentur id facere.

Vult igitur, nec verbis obscuris, patronum esse literis eruditum, quia autem agitaui hoc fusissimè ad l. 1. ff. hoc tit. plura non dicam. Interpretor inter cætera, ex vsu, sententiam glossæ tam hîc, quàm ad d. l. 1. in eo quod vtraq; addit de ineruditis: de quibus & hoc succurrit ex Eurypide in Hippolyto: οἱ ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν. Frequentissime hoc.

IMP. GORDIANVS.

Si sub specie honorarij quod vsque ad certum modum deberi potuisset, certam quantitatem te daturum aduocato cauisti, & quasi mutuam pecuniam accepisses, eam te redditurum promisisti, nec tamen gesto negotio consensum, ac fidem accommodasti: excipere potest intra triennium de pecunia non numerata, & ex hac causa cautionem interpositam vsitato more condicere. (*glo. agendo scilicet condictione sine causa.*

Præter studiosum, longūmq; satis scholiū quod de honorario aduocatorū adieci ad l. qui operas ff. loc. nota ex Agellio lib. 11. cap. 10. fuisse numquā gratuita, nisi in paucis, aduocatorum officia. Dinarchus, orator ita de Demosthene: αὐτὴ μὲν λογογράφος, καὶ μισθοῦ τὰς δίκας λέγοντας, πλουσιώτερον ὄντα τῶν ἐν πόλει. id est, ex orationum scriptore, & mercede causas agente ditissimum factum omnium ciuium. sic ille oratio. contra Demosth. in fin. vocat & ipsum Æschynes oratio. contra Cresiph. inter sua conuitia, βαλαντιοτόμον. i. sectorem Zonarium, seu, vt fert dictio, crumenisecam. dixi de his fusissimè ad l. nequicquam. §. circa aduocatos. ff. de off. præsid. Cæterùm quod hîc apud Imperatorem conquestus est cliens de cautione, seu chirographo dato à se patrono, quasi ab eo mutuam pecuniam accepisset, distingunt, post glossam, interpretes, maximéque Paulus Castr. & Salicetus, in cautione data in spem futuræ numerationis, quæ secura non sit, vel ex causa futura, nempe, ait Castrensis, sub spe patrocinij præstandi. si enim præstatur, condictioni locus non est. Si autem non præstatur, vt quia forsan lis transactione, vel pacto finita sit, quam esse solam rationem huius rescripti omnes sentiunt, tunc optimè, vsitatóque more condicetur cautio, textúsque in hoc singularis in l. vlt. inf. de condict. ob causam dator. quem ab omnibus omissum vi-

deo. malè autem audiret apud nos, si quis hodie eiusce modi cautionem à cliente acciperet. nec vnquam contigisse in foro nostro memini.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 5.

Si qui aduocatorum existimationis suæ immensa, atque illicita compendia prætulisse, sub nomine honorariorum, ex ipsis negotiis, quæ tuenda susceperint, emolumenta sibi certa partis cum graui damno litigatoris, & depradatione poscentes fuerint inuenti: placuit vt omnes qui in eiusmodi sæuitate permanserint ab hac professione penitus arceantur.

Textus quotidianus cū l. 6. Si remunerandi. §. maurus. ff. mand. ad pactiones de quota litis, de quibus dixi latissimè ad d. §. maurus. Succurrit verò & nunc Plinianū hoc, ex lib. 5. ep. 21. *Senatusconsulto cauebatur, nè quis ante actionem pecuniam acciperet, vel pacisceretur.* Quæsitum est de prædiis, verùm aduocatis, & procuratoribus liceat nonnulla emere à clientibus: monuerunt autem me aliquādo Lud. Buissonius, & Pet. du Lac, consultissimi suæ ætatis patroni, licere istud, dummodò fiat instrumēto publico, atque apud tabellionem publicum: & ita obtinuisse P. de Chappes, in Senatu patronum, cuius in hunc diem celebratur memoria. citabant illi in argum. legem, non existimo. ff. de administr. tutor. miror acrimoniam Cominei, in Lud. xi. cap. 125. vbi loquitur de aduocatis fori Paris. videtur enim quasi pro oblectamento habuisse vt dictionem, *depradatione*, quæ in nostro textu, verteret, *pilleries.* nescio an malè aliquando à nonnullis habitus, affectúsque fuerit. animosior enim ipsius eo loco stylus: vt sanè & istud apud Dionem, lib. 54. in hæc verba: τοὺς ῥήτορας ἀμισθὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον, ὅσον ἂν λάβωσιν, ἐκτίνειν ἐκέλευσε. id est, Oratores gratis causas agere, aut quadruplum eius summæ quam acceperint, exoluere iussit. sic ille de Augusto. Obseruationem autem breuiusculam, mereri arbitror quod ex diuersitate titulorum est in Codice hoc Iustinianeo, & Theodosiano, cum de honorariis aduocatorum vtrobique agitur. In Codice enim Theodosiano lib. 8. titulus est decimus in hæc verba, de concussionibus aduocatorum. In Codice autem Iustinianeo lib. 12. sub finem libri, Tribonianus temperauit asperitatem vocabuli, titulúmque ita inscripsit, de lucris aduocatorum, & concussionibus officialium, siue apparitorum. Scholasticos patronos ambobus illis titulis vocant Imperatores qui in actu sunt, & munere defensionis causarum, vulgò dicimus, *aduocats employez*, de Scholasticis verò sic Constantius Imperator l. 2. d. tit. de concussionibus aduocatorum. Cod. Theod. *Nec latet mansuetudinem nostram sæpissimè scholiasticos vltra modum acceptis honorariis in defensione causarū omnium & annonas, & sumptus accipere consuesse. quibus tantis commodis fulti itinere suam auaritiam explere nequeant. prouinciales itaque cuncti iudices tueantur, nec iniurias inultas transire permittant.* sic ille. Tiraquellus cap. 29. de Nobilit. num. 3. vsque ad 20. persequitur mercedes exiguas aduocatorum. de quibus tamen interseram & hoc obiter ex Speculatore, tit. de Aduocato. §. 9. vtriusque. num. 13. *Cautus sit aduocatus*, ait, *nè passim pro modico salario aduocet. nam ex eo vilis, ac degener habetur.* merà illius verba recenseo. Tiraquellus autem loco, quem citaui suprà, & à numero 20. vsque in finem capitis, ostendit longissimo sermone, quàm sit quæstuosum, causas agere. itaut haud abs re Stratocles & Dromoclides sese mutuò inuitare solerent ad messem auream. Egregiè Plinius lib. 11. cap. 10. *Adolescentiores ad opera exeunt, seniores intus operantur.* Inaudiui proinde sæpius celeberrimas Parisien. familias à clarissimis ferè semper patronis Senatus cæpisse Ro-

mæ & Athenis quam nobile, ac frequens, nemo nescit qui operam auctoribus Romanis, græcisque dederit. Præstantissima denique & olim, & nunc toto orbe, pretiosissimáque semper ea opera. itaut iure optimo cecinerit Pindarus, εἰδ. ε. ὀλυμπ.

Υγίεντα δ' εἴ τις ὄλβον
Αρδει ἐξαρκέων κτεάτεσσι,
Καὶ εὐλογίαν προστιθεὶς,
Μὴ ματεύσῃ θεὸς γίνεσθαι.

id est, si quis cum integra valetudine facultates, & eloquentiam habeat coniunctam, non est quòd Deus esse velit: sic ille. fœnum est quod hîc consarcinant, & conferciunt Bartolus, Bald. Paul. Castr. & Salic. nihil enim nisi ferè in textu ipso legis, de pactionibus de quota litis.

IMPP. VALENTIN. ET VALENS.

L. 6.

Quisquis. Ante omnia vniuersi aduocati ita præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vltrà quàm litium poscit vtilitas in licentiam conuiciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant quod causa desiderat: temperent se ab iniuria, &c.

Nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam receperit fidem, ineat aduocatus: nullam conferat pactionem, &c.

Nemo ex his quos licebit accipere, vel decebit, aspernanter habeat quod sibi semel officij gratia, libero arbitrio, obtulerit litigator. nemo ex industria protrahat iurgium, &c.

Si lucro, pecuniáque capiantur: veluti abiecti, atque degeneres inter vilissimos numerabuntur.

Nec putet quisquam honori suo aliquid esse detractum, cùm ipse necessitatem elegerit standi, & contempserit ius sedendi.

Apud vrbem Romanam etiam honoratis qui hoc putauerint eligendum, eousque liceat orare, quousque maluerint: videlicèt vt non ad turpe compendium, stipémque deformem hac arripiatur occasio, sed laudis, per eam, argumenta quærantur.

Multæ huius legis partes quæ peculiarem interpretationem exigant. Prima est de libellis memorialibus quos componit litigator ad stomachum, variáque in eos permiscet quæ vt aduersarium laneinant, morsúque appetunt, vrget ille precibus aduocatum, aut blando etiam interdum imperio, vt dicendo explicet, proferátque omnia in aures, & conspectum iudicum, nec quicquid congesserit, minimam partem causæ constituat. In eo autem prospicere sibi patronum oportet tanta sagacitate ingenij, támque industriè, primùm vt ne dicatur non aduocati fidem, sed inimici impleuisse amaritudinem, quod dixit Plinius lib. 7. epist. vlt. Pòst, vt libellos illos manu clientis subscriptos habeat: Tertiò. vt, si fieri possit, præsente ipso, eoque spondente, causam dicat. in quo notãda apprimè lex 1. inf. de errore aduocat. Deinde verò, vt intueatur, rimetur, ac obseruet cautissimè num quod expetit cliens ad causam faciat, itaut si prætermittatur, non tam ei benè sit, sed circumstent pericula. Nonnulli indignanter

adeo, támque ægrè tulerunt, quòd aduersarius, cùm causa ageretur, scripta in eum conuitia non audisset, sed temperata, paulóque inflexa fuissent, vt mutato eo qui egerat, ad alium in aliis causis diuerterint. Alij inter potentissimos, tametsi ex scripto, atque assidentibus in liliatis subsellijs clientibus, paulò liberius iussum apud iudices desiderium exposuissent, appetiti insidiis, parum absuit quin in vltimum vitæ discrimen acti sint. quinimò & viderint mecum plurimi Lud. Dolæum, qui posteà consistorianus fuit Comes, pro seipso, pomeridiana sessione, dicentem, quia quatuor, aut quinque antè diebus, vnum ex Rhotomagensis curiæ infulatis contumeliosè, vt ferebat iniuriarum formula, inter medios causæ cuiusdam animosioris æstus, affecisset. fingunt alij iniurias in eum qui aduersus eos egregiè dixerit, & contra morem iudiciorum, scribi confestim curant fortuita elogia, quibus vlciscendo, quà fieri possit, animum expleant. Verè equidem scripsit Ammianus lib. 30. non deesse incommoda aduocatis plurima, parúmque sustinenda rectè victuro. veluti, ait, rupta maledicendi ferocia mulros offendere. sic ille. quò & spectant verba hæc secundi in dialogo. de claris oratoribus: *Ego iam meum munus expleui, & quod in consuetudine est, satis multos offendi.* Vitandum propterea consulit Quintil. lib. 4. cap. 1. nè contumeliosi, maligni, superbi, maledici in quemquam hominem, ordinémve videantur, præcipuéque eorum qui lædi nisi auersa iudicum voluntate non possunt. sic ille. obliqua quantò meliùs, ac tutius dicta, vt optimè de aduocatis Victor in Vespas. plura denique è priscis, quę tantò lubentiùs prætergredior, quantò frequentiora apud nos & hodie, & quamdiu orabunt causas diserti. Litium enim illæ sunt putres, perpetuæq; vomicæ, quibus vt carear vnquam litium, causarúmque pars maxima, vix est, instárque miraculi. *Datum ius potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, cùm se plurimi disertorum nè à quidem Scipione, aut Sylla, aut Cn. Pompeio abstinuerint &c.* Ita apud auctorem dialogi, de claris oraroribus. sub fin. Solent proinde boni iudices iubere dumtaxat vt libellus, qualis à litigatore subsignatus est, inseratur actis curiæ, nè inultum pereat quod temerè, nimísque interdum audacter scriptum sit, patronóque, vt ita dicat, mandatum. Tamen, vt habet noster textus, si prolatum nihil videatur vltra quàm poscat causæ, litísve vtilitas, incolumi tunc verborum fiducia, depositáque omni formidine causa agitur, vt quæ alias defendi idonée nun possit vel apud infestos. Et sanè qui Græcos, Romanósque oratores legerit, constare sine his haud posse facundiam, comperiet: cauéntque de more potentiores, atque adeò honestiores, vt si viderint erupturą procul dubiò, atque ex irritamentis partium, quæ ad familiam, ad nomen, ad famam, velo reducto, occlusísque, vt loqui mos est, auditorij ianuis, peroretur: maximè si qui acturi sunt, emineant oratorio stylo, & qui, vt sæpe fit, gratus venat seris posteris. cuiusmodi plures orationes forenses vidimus, quibus læditur familiarum honestissimarum existimatio. Asseruantur illæ per manus, ex stylóque magis qui arrideat, quàm ex causa. Sic & apud Græcos, Demosthenis, atque Æschynis duæ orationes reteguntin hunc diem, retecturæque sunt, quamdiu innotescent græca, quæ ad vtriusque oratoris infamem notam. Imò & Philippicæ Demosthenis, quæ, quasi ad pudenda vsque, Philippi vitia in apricum proferunt. Nesciretúrque Ciceronis domus infamia, nisi aduersus eloquentissimum Salustium egisset. Clodium non proscinderet literata posteritas, nisi Cicero pro Milone orasset; Antonijque Triumuiri sordes domesticæ, publicæque laterent, nisi *diuina illa Philippica, voluitur à prima qua proxima*, ferre ætatem potuisset. pauca ex immenso. Denique vt monet optimè Ælianus lib. 5. cap. vlt. formidandus ante omnia præstantis non oratoris modò, sed scriptoris etiã calamus. Medéa enim, ait ille, liberos suos trucidasse non diceretur, cùm Gorinthij illud patrarint, nisi Euripides, rogantibus illis, ita finxisset. Veritas enim, inquit, à mendacio superata est, διὰ τὴν τοῦ ποιητοῦ ἀρετὴν, sunt eius verba, id est, propter poëtæ præstantiam. plura in hoc dixi ad Pandectas. Secunda pars de quota litis: Tertiáque etiam, quæ est de honorariis, explicatæ sunt supra hoc tit. ad l. 5.

Nemo ex industria protrahat iurgium.

Vide quæ adieci ad l. 60. cum in plures. §. mandaui. ff. loc. scribit Athenæus lib. 4.

comitatem valde esse necessariam aduocatis. damnat verò Tacitus luctosam, & saginantem eloquentiam. Quódque litigatoribus sæpissimè tribui debeant litium propagines, quippe quos accendere soleat animosa seu in cohæredes, seu in vicinos, aut alios quosuis contentio, Fronto docet hoc breuiusculo: *lis nascitur, pertinacia efficit controuersiam*. memini semper annosæ illius Ducis Vticensis quæ ferè omnem suam ætatem in litibus exegit. mouet illa iamdudum, & cùm primum in forum veni, aduersus vnum ex Tornodorensibus, qui sub eius ditione erant, liticulam ob caput arietis quod sibi ex loci illius lanena deberi contendebat, iure dominico, vt plura eiusmodi debentur patronis feudalibus à laniis per statos hebdomadæ dies quibus promercales habent suas carnes in publico. res eò processit, per torque litigiosos flexus, ac reflexus, vt lato tandem Senatusconsulto vltimo, tria librarū millia, impensarum iudicialium nomine, illa soluerit. Sic equidem Curetes olim, ac Ætoli de apri capite & setis graui prælio decertarunt, vt describit Greg. Nazianzenus tractatu poëtico de externi hominis vtilitate. sic ceruus ille apud Virgil. lib 7. æn. vulneratus ab Ascanio.

Cum ipse necessitatem elegerit standi, &c.

Dixi ad l. vlt. sup. de offic. assessor. lib. 1. Docet verò Faber hîc quod sæpissimè eusu, ordinarium nempe iudicem posse nihilominus præesse iudicio causæ, in quo aduocatus anteà fuerit, nisi recusetur ab eo contra quem aduocationem præbuit.

Apud vrbem Romam etiam honoratus, &c.

Egregia certè pars legis quæ nec etiam defraudanda merito scholio. ostendunt enim Imperatores in transcursu quanti facienda eloquentia, & quàm nobile sit munus, dicere pro actore, & reos tueri apud eminentissimos iudices, quales olim Romæ, & Athenis, nunc autem Lutetiæ Paris. in cuius solius tribunal Senatorium videtur transmissa tota quondam Romani, Atheniensisque dignitas. Primum de Iullio Cæsare, id est, de dictatore illo perpetuo vnde Romanum Imperium, sic Suetonius cap. 71. in eius vita: *Studium, & fides erga clientes, ne iuueni quidem defuerunt*. sic ille, *Crassus admodum iuuenis, & omnium maturrime ad publicas causas accessit, annósque natus vnum, & viginti, Carbonem accusauit*. Ita Cic. lib. 1. de oratore: & eod. rursus de Scipione, ac Lælio, *multi oratores*, inquit, *fuerunt, vt illum Scipionem audiuimus, & Lelium, qui omnia sermone conficerent paulo intentiore; nunquam, vt Seruius Galba, lateribus aut clamore contenderent*. Germanicus, Romam ab exercitu reuersus oratoriæ sese gloriæ reddidit. Egregiè autem apud Plin lib. 2. epist. 14. *Ante memoriam meam (maiores nata ita solebant dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, vt dicerent apud Centumuiros, nisi aliquo consulari producente tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur*. Sic ille. denique, vt optimè Plato, in Cratylo, Oratorum est Heroïca natio. [illegible] enim, dicere est: & Ἥρωες, antiqua Atticorum lingua sunt ij qui dicendi facultate valent. Liquet ergo ex his quàm longè antè Valentin. & Valent. Imper. auctores huius legis, honoratis, id est, magistratibus non modò, sed & nobilissimis quibúsque Romanis in more esset vt causas apud Senatum agerent, speciménque ingenij, ad iuueniles annos, ederent. Sic apud nos eminentissimi olim, & nunc, id est, infulati Præsides, aduocatione in Senatu ipso ferè semper functi sunt. Imò Pet. Blæsensis refert Richardum Angliæ Regem causas perorasse Lutetiæ: proindéque professio quasi insuper habitæ in eo artis oratoriæ, (qua nihil diuinius) vt dedecoraret proculdubio profitentem, ita & nouum, aut alienum potius, quod de maximo, purpuratóque iudice scripsit ante annos quinquaginta vnus è nostris: illùm videlicèt sciscitanti, inter regni optimates, Principi, eò incurrisse, vt se numquam fuisse patrônum diceret. vocem istud, ait scriptor, inclusit cōtinuò audientibus longè plurimis, quibus [illegible], & contrà quam deceret, responsum visum est. E tanto enim ordine, vt seminario dignitatum, prodiere semper magistratus, ac iudices. gradúsque ille olim apud nos fiebat ad primas purpuras, vt de clariss. Selua, & Pratensi, illo tandem Cancellario Franciæ, ac legato S. sed. in Gall. perpetuo, de Poyetio, etiam Cancellario Fr. de Lisetio, Thuano, Seguerio, Riantio, duobus mestræis, aliísque pluribus Galliæ nostræ luminibus, ornamentisque maximis, no-

tum est. longa enim tantæ celebritatis, quæ & quondam, & nunc, historia: numerosiórque, vt spectatur, futura est per sublata tandem ab opt. Principe, magistratuum, dignitatum, iuridicinatum, munerúmque publicorum inaudita prius, exitiosáque patrimonia, ann. 1618. die 16. Ianuar.

L. 7.

Prouidendum est nè ij quos in foro aut meritum nobilissimos fecit, aut vetustas, in vna parte consistant: aliam à rudibus atque, tyronibus necesse sit sustineri. Atque adeò si in vno auditorio duo tantùm præ cæteris fuerint, vel plures quorum fama hilarior: in iudicantis officio sit, vt par causidicorum distributio fiat, & exæquetur partibus auxilium singulorum, & æqua diuisio procedat. Si quis autem è litigatoribus detectus fuerit separatim tractasse cum plurimis, & aduersario suo tali fraude subtraxisse paris defensionis copiam: ostendet proculdubio iniquam à se litem foueri, & auctoritatem iudiciariam à se delusam experietur.

Egregia hîc mixtura: de qua proinde subiungendum hoc Quintiliani lib. 10. cap. 1. sunt hodie summa quibus forum illustratur, ingenia. Namque patroni iam consummati veteres imitantur, ac eos iuuenum ad optima tendentium imitatur, & sequitur industria, sic ille. Permiscendos enim vult lex ista patronos & veteres, & eos quorum fama sit hilarior cum iunioribus, seu tyronibus, vt vocat. cumque sint omnes statuti, id est intra certum numerum, & capiant salaria è publico, (quod nec prætermisere hîc Bartolus, & Paulus Castr. dicamq; de eo plura ad seq. tit.) rescribitur hic adesse eos oportere litigatoribus, vt æqua sit diuisio, nec auferantur petitiores alterutri litigantium per fraudem alterius. Defertur nempe veteribus quod ex ætate est, defertur aliis mediæ ætatis quod ex merito est: eoque semper temperamento ac lege, vt qui sunt seniores nihil de prærogatiuis amittant quas erogat senectus. Sic apud Philostratum in vita Apollonij Thyanei, Ἑλλανοδίκαι τοὺς γεραιτέρους ἡμῶσι. Cic. in senect. *Apex senectutis est, auctoritas.* Imò docemur hoc rescripto, spectandum non esse, vbi scilicet de prærogatiuis senilibus agitur, an meritum iunioris anteuertat quod in sene superest, nēpe, vt dixit Aristoteles cap. 21. ἐν τῷ, περὶ ποιητικῆς; ἐν ἑσπέρᾳ βίου, id est, in vespero vitæ. Iure enim optimo Laërtius lib. 4. in Bione, scripsit gloriam, annorum esse matrem, μητέρα ἐτῶν, τὴν τιμήν.

Αἰδεῖσθαι πολιοκροτάφους, εἴκειν δὲ γέρουσιν
Ἕδρης, καὶ γεράων πάντων, &c.

id est, reuerere canos circùm tempora, cedeque senibus sede, & honoribus omnibus: ait Phocylides. quod & ipsum ferè Ouid.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Versus Iuuenalis, Sat. 11. de ruga senili, ac barba, prætereo, quia vulgatissimi. Verum ista, (vt arguunt plus satis Imperatores) quatenus ferat senii prærogatiua, vt videlicet anteeat tantùm qui senior est: in cæteris enim, & cùm de merito agitur, non tam abs re vocatur hîc fama aduocati hilarior, cui *turba clientium sit maior*: quique orat fœliciter, vt ait rursus in hoc ipsum auctor cultissimus. Quid enim dulcius libero, & ingenuo animo, & ad voluptates honestas nato, quàm videre plenam semper, & frequentem domum concursu splendidissimorum hominum, idque scire non pecuniæ,

non orbitati, neque officiis alicuius administrandis, sed sibi ipsi dari illos quinimò orbos, & locupletes venire plærumque ad iuuenem, & pauperem, vt aut sua, aut amicorum discrimina commendent? vllàne tanta ingentium opum, ac magnæ potentiæ volupras, quàm spectare homines veteres, & senes, & totius orbis gratia subnixos, in summa omnium abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere? Iam verò qui togatorum comitatus, & egressus? quæ in publico facies? quæ in iudicijs veneratio? quod gaudium consurgendi, assistēdique inter tacentes, in vnum conuersos, coire populum, & circumfundi coram, & accipere affectum quacumque orator induxerit? &c. Nam quò sord idiùs, & abiectiùs nati sunt, quóque notabilior paupertas, & angustia rerum nascentes eos circum steterunt, eò clariora, & ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ vtilitatem, illustriora exempla sunt, quòd sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter. habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi, ac donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia agunt, feruntque cuncta, atque ab ipso Principe cùm quadam reuerentia diliguntur. Hactenus eximius auctor dialogi, de claris oratoribus, cùm recîdi nihil quicquam potuerit ad exerēdum, quasique oculis subiiciendum patroni nobilissimi meritum, & cuius, vt in nostro textu, fama sit hilarior. Argutè equidem Lucianus in dialogo, πρὸς τὸν εἰπόντα, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις, cùm de summis illis causarum actoribus ita sermone patrio fritinuit: πόσῳ δικαιότερον ὑμεῖς ἂν εἰκάζοισθε τῷ Προμηθεῖ ὁπόσοι ἐν δίκαις εὐδοκιμεῖτε ξὺν ἀληθείᾳ ποιούμενοι τοὺς ἀγῶνας. ζῶντα οὖν ὡς ἀληθῶς, καὶ ἔμψυχα ὑμῖν τὰ ἔργα. καὶ νὴ Δία καὶ τὸ θερμὸν αὐτῶν ἐστι διάπυρον. καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη, πλὴν εἰ διαλλάττετε ὅτι μηδ' ἐκ πηλοῦ πλάττετε, ἀλλὰ χρυσᾶ ὑμῖν τοῖς πολλοῖς τὰ πλάσματα. id est, quantò iustiùs vos assimilari possitis Prometheo, quotquot in iudiciis dicendi gloria, verisq; certaminibus floretis. Verè igitur viua, & animata opera vestra sunt. & sanè per Iouem quod in eis feruet igneum est. Atque hoc ex Prometheo fuerit; nisi quòd ex luto nihil effingitis, sed aurea vobis apud multos vestra sunt opera. sic ille. gratia autem tota est in Græco ipso archetypo, vt obseruabunt meliùs eruditi. De Tyronibus verò subiungendum & hîc rursus necessariò quod elegantissimus ille, de quo iam suprà, dialogus, vt intelligatur plenissimè nostra hæc constitutio quæ etiam tyrones in dicendo meminit. Decies, vt ita dixerim, tam diserti scriptoris repetita verba placebunt. Iuuenes, inquit, & ipsa studiorum incudè positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire, sed etiam referre domum aliquid illustre, & dignum memoria volunt: tradúntque inuicem, ac sæpe in colonias, ac prouincias suas scribūt, siue in suis aliquid arguta & breui sententia effulsit, siue locus exquisito, & poëtico cultu enituit. & pòst, iuuenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus, & assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges, non noui iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, siue accusationem susceperat, siue defensionem, solus statim vnicuique par erat. sic ille. verè igitur illi sunt tirones, auspicantes nempe in foro eloquentiam, vt M. Sen. lib. 3. declamatio. de his ipsis oratorum discipulis dixit in hæc verba, *Ille in foro primùm dicturus, tiro dictus est.* permisceri enim solebant clarissimis oratoribus, vt discerent, quemadmodum Liuius scripsit lib. 10. belli Macedon. veteribus militibus tirones immiscendos esse, partim nimirùm vt discant, partim verò vt vires seniles commoueant, & concalefaciant, quod præclarè Plutarchus in Pompeio, de eóque ipso, dum sese, iuuenis eùm esset, suáque agmina metello seni iunxit. Quantum ad fraudem litigatorum subtrahentium aduersariis patronos qui celebriores, fortioresque sint, dixi ad l. nec quicquam. §. vlt. ff. de off. proconſ. Atque illa non ita diu assumpta est in lite Cresquiana, aduersus Comitissam Malreuertiam, cùm disceptaretur Comitissæ Saltus (vocant, de Sault) hæreditas, in qua erant decies centena aureorum millia, & amplius, vt ferunt. factum & in aliis longè plurimis inter optimates. Nihil in cætero de senectæ prærogatiuis adijciam, cum de ijs dixerim ad l. 2. sup. de off. magistri officior. Vnum autem superest ex Aufrerio ad cap. 1. styli Pat-

lamenti. Vult enim aduocatum ſeniorem præſtate ſe oportere in vultu, in geſtu, & voce: ſunt adipata nimirum illius verba, quæ haud lgè à Ciceronianis his abſcedāt lib. de claris oratorib. Quum oratio iam noſtra caneſceret, ait Tullius, haberétque ſuam quandam maturitatem, & quaſi ſenectutem. In his deſinam.

TIT. VII. DE ADVOCATIS DIVERSORVM IVDICIORVM.

Cuiacius in paratit. ſolum hunc tit. reiecto ſequenti, explicat. Certa, ait, matricula fuit aduocatorum in vno quoque foro: & qui intra numerum erant, dicebantur ſtatuti; qui vltra, ſupernumerarij. Item, aduocamus patronum vt agat litem noſtram, inuocamus iudicem, vocamus aduerſarium, euocamus teſtem: Sic ille eo loco. longè plura in hoc ipſum, roro cap. 1. lib. 13. & lib. 16. cap. 22. obſeruatiu. vbi de aduocatis ſtatutis præfecturæ prætorianæ ac vrbicariæ: & vt aduocatorum præfecturæ prætorianæ albo, ſeu matricula eradebatur qui vltra biennium, ſiue commeatu, peregrè abfuiſſet, vel vltra quinquennium cum commeatu. Item, vt eorum certus erat numerus, ita & qui ex eo erant numero temporarij, non perpetui, vt in l. cum aduocatio. hoc tit. niſi forſan penuria, & paucitas iuriſperitorum faceret vt perpetuarentur, Nou. Valentiniani, de contin. his qui admin. vel off. publ. ger. fuſius d. cap. 22. longóque iam ſatis ſcholio diſſerui ad l. 1. ff. de poſtul. Nota autem ſupernumerarios ſemel allectos eij ci poſteà amplius non poſſe, ſed ſtatui oportere vt nè qui deinceps admittantur, vſque dum numerus ad antiquum ſtatum redactus ſit: vide auth. vt determinatus ſit numerus clericorum: ſempérque ita Senatus, vbi de procuratorum exereſcenti numero, in tribunalibus prouincialibus, agitur. Plura in id Senatuſconſulta ad Pandectas recenſeo.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS.

L. 3.

Nè quis ex corpore togatorum, minimè curialibus nexibus illigatus prouinciales ſuſcipiat functiones: ſcilicet vt ambientibus claudatur ingreſſus, & inuitis neceßitas auferatur.

Bartolus, Baldus, Salicetus, prouinciales functiones, de quibus hîc, intelligunt de coactionibus, ſeu collectionibus tributorum, vt ſcilicet aduocati non poſſint eſſe coactores capitalium illationum, ſeu talearum, vt loquimur. Atque vt textus arcet vel volētes huiuſmodi oneribus reip. viliſſimis, in quo dici poſſit renūtiare eos poſſe iuri, ſeu priuilegio quod introductum, datúmque ſit in eorum gratiam, ex vulg. l. ſi quis in conſcribendo. de epiſc. & cl. & l. ſi quis in conſcribendo. de pact. ſup. ſubijcit, ad conciliationem, conceſſum iſtud non huic, vel illi togato, ſed vniuerſo ordini, vt de clericis docet gloſſa altera ad cap. ſi diligenti. de foro compet. Baldus addit, quia in albo, ſeu matricula ſcripti ſint, aut, vt dixi ad rubricam, quia ſtatuti: eùm, in opprobrium togæ, vilia munera, miniſteriáve obire non debeant. vidi qui immunitatem iſtam redigerent ad eos qui cauſidicinam in præſidalibus tribunalibus faciant. ſed porrectum iamdudum illud eſt etiam ad patronos qui in præfecturis. Ita enim Senatus in gratiam duorum cauſidicorum ſedis Caïnoniæ, apud Turones, quorum alter vocabatur, Barbier, perorabant Pet. Martelletius, & Chopinus, filius, ann. 1602. 17. Ianuar. vile

adeò istud vt Horatio exprobratum fuerit quòd patre, coactore exactionum, natus esset: hoc adiecto, quoties vidi patrem tuum brachio se emungentem? sic Horatiani interpretes.

IMPP. THEODOS. ET VALENS.

L. 5.

Quicquid animi largitate, & magnificentia principali, præstitimus togatis per orientem eminentissima præfectura, reuerentia studiorum! id sibi præsenti sanctione præstitum esse cognoscant patroni causarum illustris vrbicariæ præfecturæ.

Quàm benigna interpretatione accipi debeat quicquid in gratiam studiorum, seu, vt loquitur hic textus, reuerentia studiorum, ostendo ad l. quæ pater. ff. fam. hercisc. prærogatiua autem patronorum, qui in supremis tribunalibus, ea est, vt proponat eis Theodosius, Nouella 16. palmam dignitatis ad finem aduocationis. sic Sidonius lib. 1. epist. 11. aduocatorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates. dixi fusè satis ad l. pen. sup. de postul. subticendum verò non puto de patronis Senatus Paris. eam nempe eorum esse, inter cætera, prærogatiuã, vt in aliis omnibus tribunalibus postulare possint nullo præstito sacramẽto, quippe aduocati generales. Reperióq; apud Bartolum & Baldũ quod notabo in transcursu, nè quid de vsu legis intercidat, cum enim communicata velint Imperatores patronis præfecti vrbis, priuilegia omnia quibus fruebantur patroni præfecti prætorio orientis, adiiciunt boni illi interpretes, præstitisse & quid simile Romanum Pontificem, Bonifacium, in eo quod priuilegia concessa fratribus minoribus, & prædicatoribus, porrexerit ad fratres Heremitas S. Augustini. Ita nempe nihil quod suæ ætatis sit, prætermittunt. quod & ipsum tentaui passim, ad Pandectas, & ad Codicem, quatenus per occasionem rerum licuit.

IIDEM IMPER.

L. 6.

Sancimus. Nulla togatis inspectio, (gl. id est, vt inspiciant qualiter opera publica fiant) *Nulla peræquatio* (gl. id est, vt exequentur tributa quorum exactio facienda est) *ingeratur, nulla operis instructio, nulla discussio, nullum ratiocinium imponatur.*

Persequitur aduocatorum immunitates in omnibus iis quorum vilitati aduersatur tam nobilis, tam præclari, támque laboriosi muneris dignitas. in quo longè plurimis mors in procinctu, deficientibus quippe, ac pereuntibus ante annos, vt multos à 37. annis vidimus. Sic apud Cicero. lib. 3. de oratore: Crassus cùm diceret contra Philippum Consulem, febri correptus est, vt è foro domum redire coactus sit, diéque septimo lateris dolore consumptus est. Hortensius, etiam, quem regem causarum vocat Asconius, defecit clamore diruptus in causis agendis, de quo proinde vetus poeta. Q. Serenus,

—sic est Hortensius olim
Absumptus, causis etenim confectus agendis,
Obticuit, quum vox domini viuente periret,

Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.

Taceo Audocydem, Dinarchum, & plures Athenis quibus intercepit opera forenſis ſen.le ſolatium. itaut verè equidem, ac eximiè Plutarchus ſcripſerit. ἐν πολιτικοῖς παραγγέλ. de labore oratorio hæc verba: Δεῖ καὶ φωνῆς εὐεξίας, καὶ πνεύματος ῥώμη πρὸς οὐ φαῦλον, ἀλλὰ παμμάχον ἀγῶνα, id eſt, opus eſt & voce bene cõpoſita, & ſpiritus robore, ad certamen non leue, ſed in quo totis viribus opus ſit, quod Amiotus noſter fœliciſſimè: *Il faut apporter une bonne voix, un bon & puiſſant eſtomach, & une longue halene à ce combat qui n'eſt pas leger, ains ou il faut que tout aille.* Cæterùm quòd inſpectionem operum hic vocant Imperatores, dixerimus nos Galli, *intendance des baſtiments publics.* ſic & peræquationem tributorum, dicimus, *charge d'aſſeeur des tailles.* cætera in textu per ſe inclareſcunt plus ſatis. addit Baldus quod notatu digniſſimum: cuſtodiæ videlicet portarum vrbis, excubiarúmque immunem eſſe oportere aduocatum qui occupatur cauſis agendis: ſeruarique iſtud religioſiſſimè in vrbibus limitaneis. Nota, inquit ille, quia magnum priuilegium eſt.

IIDEM IMPERATOR.

L. 9.

Si quis de togatis. Notanda hæc, *ſine opinionis labe.* vernaculus etiam noſter ſermo eſt, ſans perte de ſa reputation. Notanda & hæc rurſus: *vnde ſibi vitæ ſubſidia comparabat.*

Ad primum, quod περὶ τῆς εὐδοξίας, ſeu de fama egregia aduocati eſt, refereretur conuenientiſſimè, quod Ignatius ſcribit epiſt. ad Mariam Caſſobolitem, bonorum nempe animas ſimiles lympidiſſimis fontibus, qui nec ſitientes pulchritudine alliciunt, & pertrahunt vt aquam hauriant, ac bibant: cùm autem potiſſima pars in oratore, ſeu aduocato hæc ſit, vt credatur ab omnibus vir bonus, & dicendi peritus, docet hos Tullius, ſub perſona Antonij. lib. 1. de oratore, duas eſſe cauſas cur maximi quiq; oratores pertimeſcant, & exalbeſcant in actionum ſuarum principiis: vnam, ob dubium euentum dicendi: alteram, quòd oratoris peccatum, ſi quòd eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatum videatur: ſtultitiáque excuſationem non habeat. ſic ille. *Peto à vobis non pecuniam, ſed bonam exiſtimationem, atque honorem,* votum olim iſtud Gracchi, apud A. gell. lib. 11. cap. 10. Rectiſſimè equidem, ac veriſſimè ex ea cauſa dixerim cancellos auditorij Senatus Lutetiani, vbi patroni linguas cauſis acuere conſueuerunt, τὰ χωνευτήρια: totidem ſcilicet tumulos, quibus aurea, id eſt, elegantiora, fortiora, melioráque indies quaſi coquantur, explorentúrq; ingenia, vtrùm viuacioris ſpiritus futura ſint: de quo apud Suidam. promineot non ſemel, ſed ſæpius qui voce, ingenio, iudicio, ſtudiíſque non immaturis vitam, famam, aut bona eorum quos ſuſceperint, defendunt. Excidunt autem facilè, quibus haud ita auxiliares eiuſcemodi copiæ. Labes proinde illa opinionis eſt quam formidant egregiè cati: nè impares nimirùm videantur cauſis grauioribus: nè minùs idonei mediocribus: ne ſuperentur frequentiùs: néve dicatur in ipſos clanculum quod de Pluto apud Ariſtophanem:

—καθάπερ ἰατρὸς κακὸς,
τυφλοὺς, βλέποντας παραλαβὼν,
πάντας ποιεῖ.

id eſt, vt medicus malus, cæcos omnes relinquit, quoſcúmque benè oculatos curæ ſuæ fecerit. quotidianum enim quod Quintilianus ipſe adnotat lib. 2. cap. 15. in fin. In aduocato ſcilicet non bonam conſcientiam, ſed victoriam, litigantis eſſe præmium. verè orator Antiphon ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου, de opinione ſeu bona, ſeu

mala oratorum suæ ætatis, vt quæ sola sæpissimè obtineat apud iudices. vetus poëta apud Plutarch.

τὴν μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα
κερδανεῖς.

id est, indue opinionem iusti, réque ipsa agentis quicquid ferat occasio, hinc lucraberis. Alteram autem opinionis labem, & quæ cauenda non minùs, immò & magis quàm prior, tradit, quasi ex indice, Cassiodorus, cùm ait, moribus armatam esse oportere eloquentiam. Ea enim repræhensione carere aduocatum necesse est, vt quisquis de ipso loquatur, dicat, atque agnoscat ille confestim quod scribit Aristoteles lib. 1. ethic. cap. 10. Plato, ex Simonide, in Protagora: Immò & Iulianus ipse Imperator, in Cæsaribus, virum videlicet esse quadratum, aut vt loquuntur, τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον. id est, quadratum & sine vituperio compositum. vel, vt Sallustius in coniuratione: *insolentem malarum artium*. Ad secundum, quod est de honorariis, vnde viuat patronus, quia iam abundè satis de his dixi ad l. qui operas. ff. loc. pauca hæc, auctarij vice, subiiciam. Reperiò enim apud Lamprid. in Alexandro, dedisse eum oratoribus plærisque forensibus annonas quos constituisset gratis agere: & cùm antiquitus caueretur, nè quis, ob causam orandam, pecuniam, donúmve acciperet, quod ferè Senatus renouauit, hortante Suillio Consule designato sub Claudio Imper. cuius Suillij vitia perstringit egregiè Tacitus lib. 11. aliena tamen nec ista ratio fuerit eodem loco qua Suilliana illa inuidia repressa est, eloquentiam scilicet gratuitò non contingere, omittique curas familiares vt quis se alienis negotiis intendat: verba sunt Taciti. Taceo autem Bartoli ineptum in eo, contrà aduocatos, conuicium, ad l. omnes populi. ff. de iust. & iu. nesciebat ille quàm molestum, funestúmque plurimis, maximè in supremis tribunalibus, literis, & literatis, & illiteratis perpetuò immori. ferè pœna olim haud maior damnatorum in metallum. loquuntur propterea nostro hoc textu Imperatores de honesto, idoneóque honorario, quo adiuuetur indefessa aduocati opera. Boni enim, & graues, pudorísque sui amantes sunt, ad hoc munus, longè plurimi.

IMP. VALENTINIANVS, ET MARTIANVS.

L. 10.

Binos, qui priores in tui culminis sede inueniuntur, ad patronatum fisci, singulis quibúsque annis accedere, paribus dignitatis, & priuilegiorum insignibus ambiendos esse præcipimus, quibus antehac vtebatur is qui solus fisci creabatur patronus.

Huc referendum quod habetur in Nou. Valentiniani, de postulando, esse nimirùm aduocatorum corpus, seminarium dignitatum, quò & spectat optimè epistola Synesij, 103. Componenda etiam lex, 13. petitionem. §. 1. vsque ad finem legis, ac lex, restituendæ. inf. hoc tit. atque adcò totus titulus, de Aduocatis fisci, inf. vide autem quæ de eminentissimis patronorum fisci, in Sen. Paris. apicibus perstrinxi ad l. inter eos. ff. ex quib. cauf. maiores. Prætermisi eo loco quæ per occasionem huiusce Imperatoriæ constitutionis, supplenda hîc necessariò arbitror. Vt enim rescribunt Valentinian. & Martianus, vt singulis annis, ex foro præfecturæ prætorianæ, & vrbicariæ, assumantur duo fisci patroni, qui cæteris omnibus statutis antecellant, ita & seruatum istud in foro Paris. vsque ad annum 1573. quo vir summus, extráque omnem fori aleam positus, cuius parco nomini, cupit primus aggerem, quod aiunt, emitque inter mussanti

fantes totius aduocatorū ordinis querelas, debitum, ex more, aduocatis primæ famæ præmiū, quod & tūc, nisi anreuertisset, sperare ipse ex merito poterat, quippe aduocatorū suæ ætatis coryphæus. Successere tamen semper, suspicimúsq; in hunc diem de quibus elogiū istud longè maximū, quod olim Tullius *fori* scilicet *primarios semper fuisse viros*. Cęterùm verisimile est, imitatione huius tanti populi prudentiæ, binos fisci, in supremis tribunalibus, randémque in præsidalibus, institutos fuisse patronos, cum vno tantùm procuratore regio, præterquàm apud Aquas Sextias. Soláque hodie Augustoriti Pictonum præsidalis sedes, in qua duo sint hucúsque cum fisci patronis, procuratores regij: nempe à Ludoici vndecimi imperio, quo procuratoris Pictauensis vicarius, seu substitutus, vt vocant, (natus erat rebus agendis, cúmque tunc Proprǽfectus Pictonum ducere solebat ad anniuersarios sessionum dies, habitos quotannis apud Fontenacum, Niortum, Sammaxentium, vbi nescio quis, vt fertur, atticismus idiomatis Pictonici, Ciueraeum, Castrum Eralti, & Oratum Lemouicum) cùm procuratorem regium, qui dicebatur, *Cheiredens*, vidisset in vinculis, iussu regio, quasi consiliorum Ducis Biturigum intimum, qui sese, cum Duce Armorico, ad turbandam Galliam accinxerat, ann. 1464. ansa ille arrepta, motúsque inter patrios, impertauit à Principe, vt insigniretur deinceps procuratoris regij titulo. In quo munere, ita semper, pacata, diuisáque administratione, etiam post liberatum carcere Cheirendentium, consensuit, vt conferre tandem, ex voto, in alterum, seu resignare, vt loquimur, licuerit. Ex eóque tempore nunquam fortuitum hoc munus per obitum vacare contigit. Ita ex Annalibus Bochetij Aquitanicis: confirmauitque mihi Ioan. Constantius, fisci hodie Pictauensis patronus solertissimus, qui cùm in Senatu causas, fama egregia nominis, per longos annos orasset, natale solum, id est, Augustoritum, maiori tandem fortunæ antepos uit, vt penè semper *primas in affectu partes sibi vsurpat terra quæ genuit*, inquit, Sidonius lib. 3. epist. 3.

IMP. LEO.

L. II.

Nemini licere sancimus aliquem, sub adsidendi colore, statutis centum quinquaginta aduocatis, quos sibi eminentissima præfectura in consilium adsumpserit, aggregare.

Vult statutis, seu ordinariis, præiudicium inferri non posse per supernumerarios. Hoc & ipsum de decanis, in l. non plures. Cod. de sacrosſ. eccl. ad quam dixi. vide de statutis, id est, ordinariis, vt monui suprà, apud Cuiacium ad l. vlt. Cod. de decurionib. lib. 10. atque textum ipsum tam legis, 7. vnicuíque inf. de proximis sacror. scrin. lib. 12, quàm legis vn. de professor. qui in vrbe Constantinopolit. docêres ex lege meruerunt Comitiuam. eod. lib. 12. nullus verò hodie legis istius vsus esse possit nisi inter procuratores cuiúsque sedis prouincialis. Statuti enim illi sunt, modò 30. modò. 50. modóque ampliùs, aut minùs, prout maius, minúsve tribunal fuerit. sic in sede Pontæsiana, circa Lutetiam, redactus à Senatu procuratorum numerus ad viginti, anno 1603. die 10. Februar. Sic & in sede Fontenaci, apud Pictones, nè procuratorum collegium supra duodeuiginti esset, iudicatum est ann. 1599. die 7. Iunij. Augustoriti autem Pictonum, nè supra centum, perorantibus, Dolæo, Sammarthano, & Choartio, ann. 1603. die 8. Iunij. Apud Suessonim, nè supra 40. anno 1608. die 8. Decembt. plura in hoc Senatusconsulta, quæ prætermitto, nè sim nimius. Imò & admissio procuratoris in sede Blæſ. irrita facta est, quia procuratore regio non consentiente, facta fuisset, an. 1603. die 5. Febr.

§. *Iurisperitos Doctores iubemus iuratos, sub gestorum testificatione, depromere, esse eum qui subrogare vult, peritia ne iuris instructum. Item, filios togatorum cæteris supernumerariis anteferri iubemus.*

Ad primam partem, seruamus ex vsu, vt, cum aduocati iuuenes assignantur foro, constare etiam debeat de literis testimonialibus doctorum iuris, quibus operam dederint. In quo quàm nimium sibi permittant antecessores, nemo non videt, nemo non queritur. dant testimoniales non discipulis quos erudierint, & quorum peritiam ex responsis iuris probarint, sed ignotis, sed notariis, & tabellionibus, sed ipsis etiã scribis ecclesiarum, sed rusticis, quasique bubulcis: visúmque hoc non semel, sed sæpius in triumuirali exedra per querelas prouincialium. Vendunt quippe sua testimonia de eo quod numquam vel viderint, vel audierint. Tantum abest vt probari vnquam possit, affirmatiue, vt solent, peritia, imperitiáve eius qui subscripta profert, emptáque quasi è quæstuariis quibusdam promerealium officinis testimonia. Aliud longè eùm VVil. Bened. ad cap. Raynutius. in verb. & vxorẽ nomine, Adelasiã. decis. 5. nu. 24. in quosdam Academiæ Tolosanæ lytas, doctorámque affectantes, inuehitur. Illi enim quantumuis imperita, seu, vt loquitur, asinina ad quæstiones iuris responsa facerent, at respondebant tamen, sella posita, interrogabantúrque saltem ab antecessoribus. Sed hodie non de exploratione, seu examine, agitur, sed de sola pecuniæ numeratione, qua membrana testimonialis ab eo emitur cui ignoti antecessores, ignota aulæ recitationum iuris prima limina, at ignota, quod magis est, & ipsa etiam voluminum iuris nomina. quotidianum enim hoc. referóque ad l. 1. de postul. ff. causam, quæ de eiusce modi testimonialibus in Senatum deuoluta est, planè ridiculam. Ad secundam partem, quæ est de filiis togatorum præferendis, iunge l. 13. petitionem. in princip. inf. hoc tit. & l. 3. iubemus. tit. seq. de aduocat. diuersor. iudicum. ad quam l. iubemus. glossa censet, (& hoc sequimur.) filios doctorum largiri nihil oportere cùm exploratur eorum studium: seu, vt loqui mos est, cùm examinantur. Censet verò etiam illos æquè bonis præferri, quò & spectant verba Theoderici apud Cassiodorum lib. 5. Var. *recolimus*, ait, *patris officiosos labores*. memini hypothesim causæ quam egi ann. 1587. die 17. Iullij, illustrationi glossæ istius conuenientissimam. Agitata appellatio est in maiore auditorio inter Abrahamum Lesgret, & primarium patris Abrahami ipsius defuncti amanuensem, (vulg. diceimus, *le maistre clerc*) cui nomẽ, *olim*, vter præferri deberet in munere procuratorio defuncti, filius, an amanuensis. Meldenses enim præsidales prætulerunt amanuensem: nihilque morante appellatione ad postulandum admiserant, quia filius annos nondum viginti excessisset. tuebatur autem se filius l. 1. in pr. ff. de postul. vbi annus decimus octauus dicitur esse idoneus ad procedendum in publicum: nec proinde Senatum ipsum tam summo iure vti in procuratorum suorum filios, quin eos sæpissimè anno etiam decimooctauo, atque etiam interdum decimo septimo, admittat. addebat posteà quotidianum glossæ huius argumentum, quę, in concursu competitorum, præferri vult filios, modò sint æquè idonei: prætereà ingratum amanuensis illius animum palam plus æquo fieri iudicibus, vt qui deturbare conaretur illius filium à quo fortunæ suæ incrementa, qualia qualia essent, acceepisset. Senatus infirmata sententia, Lesgretum, filium, in locum patris cooptandum esse censuit, eique compendia omnia restitui quæ de munere procuratorio amanuensis præceperat: probibitis in cætero præsidalibus nouos posthac procuratores ad postulandum admittere si appellatio interposita fuerit. hæc vt dixi ann. 1587. die 17. Iunij, Anton. Arnaldus, & ego causam diximus.

IMPP. LEO, ET ANTHEMIVS.

L. 13.

Petitionem. *Hac sanctione decernimus, quinquaginta statutos*

haberi: eorúmque nomina, pro tempore, matriculæ conficiendæ inscribi: & eos aduocationis officium in iudicio tam viri spectabilis præfecti Augustalis, quàm viri spectabilis ducis Ægyptiaci limitis petentibus adhibere: cæteros vltra memoratum numerum constitutos, apud alios iudices eiusdem Alexandrinæ ciuitatis perorare: filiis scilicet statutorum in locum deficientium, supernumerariis anteponendis, &c.

vide quæ perstrinxi ad l.11. Nemini. in princip. & ad §.1. in secunda parte. sup. hoc tit. seu ad quæstionem de statutis, seu ad præferendos filios doctorum, quo nomine omnes cuiúsque artis artifices complectimur, vulgatum enim apud nos vernaculum, *il est fils de maistre.*

§. 1. *Egredientem post biennium, fisci patronum, contemplatione laborum exconsulari moderatoris prouinciæ dignitate decorari decernimus.*

Sic & non ita pridem apud nos aduocati fisci, munere tam laborioso, támque addicto glebæ forensi egredientes, decorari solebant dignitate summa Præsidum in Senatu, quem sanctissimum morem primi euertere numinis cœperunt illustriss. duo Præsides, alter gente antiquissima, & opulentissima, apud Lutetiam, alter literarum scientia fori experimentis, ingenióque capitali eminentissimus: de quo reip. vulnere iuges in hunc diem apud bonos, & graues querelæ, consignatæ etiam publicis scriptorum insignium monumentis.

§. vlt. *Quando fisci patronum mori contigerit, gradu eum sequentem sine vlla dilatione in locum eius subrogari: hæredibus defuncti nihil exinde sibi commodi acquiri posse speraturis* (glo. præter salarium anni in quo decessit) *cunctis priuilegiis intactus, inuiolatísque seruandis, quatenus delato eis liberalitate nostræ serenitatis honore, possint in otio, & tranquillitate reliquum vitæ suæ tempus peragere, nulla eis inuitis ingerenda sollicitudine.*

Iunge l.15. post duos, inf. hoc titu. & nota motam diu satis quæstionem, num inter fisci patronos prærogatiuæ antiquioris transirent ad eum cui antiquior ille resignasset, imò & adiecta codicillis in hoc erat clausula. sed vlterius progressum non est, subintrauítque secundus in locum prioris qui munere cessrat, sola enim exceptio est in iudicibus qui seu in Senatu, seu in præfecturis quibuslibet, principatum iurisdictionis gerunt. Cæterum de salariis defuncti transeuntibus ad hæredes, quæ aliàs dicuntur militiæ ex casu, vide Cuiacium ad l.3. ff. de minorib. & ad Nouel.53. vbi id explanat accuratissimè vide etiam quæ adieci ad l. diem functo. ff. de offic. Assessor.

IIDEM IMPP.

L.14

Aduocati qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis, viribus sæpe publicis in rebus, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant: non minus prouident humano generi quàm si præliis, atque vulneribus patriam, parentésque saluarent. nec enim solos nostro impe-

rio militare credimus illos qui gladiis, clypeis, & thoracibus nittuntur, ſed etiam aduocatos. militant námque cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt.

Tam nota hæc lex aduocatis penè omnibus quàm forum ipſum. Tractabo igitur nonnulla opera quæ ſint neque de triuio, τὰ συρφετώδη, vt vocant, neque adeò nota longè plurimis. Primùm in eo quòd orator, ſeu aduocatus, comparatur hic à Leone Imper. generoſiſſimo militi, quódque athletam iudiciorum ipſum nuncupat Iuſtinianus in epiſtola ad anteceſſores, totum id prodiiſſe nemo non dixerit ex vſu rerum, qui imaginem militiæ cuiuſdam induit, at verò & ex ſcriptis veterum. Orator nobis ita conformandus eſt & verbis, & ſententiis, ait Cic. lib. 3. de orat. vt, quemadmodum qui vtuntur armis, aut palæſtra, non ſolùm ſibi, vitandi, aut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam cum venuſtate moueantur: ſic verbis quidem ad aptam compoſitionem, & condecentiam, ſententiis verò ad grauitatem orationis vtatur, vt ij qui in armorum tractatione verſantur. hactenus Cic. Inde tonabat Pericles, fulgurabat, & conturbabat Græciam,

Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

verſus eſt Ariſtoph. in Acharnibus, quem ſupra latinè reddidi. militant vſque adeò cauſarum patroni, vt, (quod tradit auctor dialogi, de claris oratoribus) illuſtribus oratoribus, poſt mortem, clypeus ſacrari, & in curia apponi ſoleret. Imò ſtatuas equeſtres ponebant ipſi in ædium ſuarum veſtibulis, vt oſtendit plus ſatis Martialis lib. 9. epigram. 70. eo enim ſenſu accipiendum hoc diſtichum:

Tam graue percuſſis incudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cùm Faber aptat equo

Iuuenalis:

Aemilio dabitur quantum licet. & meliùs nos
Egimus huius enim ſtat currus aëneus, alti
Quadringes in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens, curuatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur prælia luſca.

haud abs re huc retulerimus quod habet Froſſartus de variis togatis noſtræ Galliæ, qui cùm equites à Carolo quinto, quem ſapientem dicimus, creati eſſent, vocabantur, *Cheualiers de loix.* Caſſiodorus lib. 9. epiſt. 19. de generoſo quodam patrono qui diu in perorandis cauſis æſtuauerat: *is*, inquit, *contra magnum Olybrium ſtetit is palmarum Eugenetis linguæ vbertate ſuffecit, & illis par fuit quos ſingulares Roma cognouit.* Sunt nempe nerui illi forenſes, de quibus non modò Plinius, ſed poſt eum Sidonius lib. 8. epiſt. 10. cùm lacerto ægricolæ ſimilem eſſe oratorem diſſerit, quia ſcilicet in more ſit eloquentibus viris ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus, & illic ſtylum peritũ, quaſi quemdam facundi pectoris vomerem figere. πραγματοδίφαι proptereà vocantur aduocati à Scholiaſte Heſiodi, quaſi διφῶντες, id eſt, inquirentes, penitiùs in totius cauſæ, quam ſuſceperint, viſcera, vt habeant tandem quod ad victoriã ſit ſatis. prætermitto cætera: ſupereſt in hunc diẽ militaris Pallãſcũq; haſta, & ægide, ſublimibus diſertiſſimi nuper Patroni valuis, qui reuera eloquio, ac iudicio (quod olim de Cicerone) ſuperauit omnem ſuæ ætatis, in Senatu Gallico, facundiam, clientéſque habuit omnes, propè dixerim, vniuerſæ Galliæ proceres.

Glorioſæ vocis confiſi munimine, &c.

hoc D. Cypriã. epiſt. ad Antonianũ: *iactet ſe licet, eloquentiã ſuã verbis ſuperbis prædicet.* hoc & pſaltes diuinus, pſ. 12. *Qui dixerũt, linguã noſtrã magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt.* ſic ille. Vt ergo orator glorioſa, ſuperbáq; voce exequitur quicquid animo cõceperit ad ſternendũ alterum qui acerrimũ etiã certamen committat,

dum acies velut inter manus sunt, & feruet gloriosi certaminis prælium, quod rursus idẽ Cypr. ita & optima equidem ratione erumpit in hæc verba Tullius lib. 1. de oratore: *Quid est oratori tã necessarium quàm vox?* hinc κεκράκτης, καὶ κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων, id est, *clamator, & chalybaam vocem habens*, apud Aristoph. Oratorias proinde palmas contingere nunquam potuit Isocrates, quia esset ἰσχνόφωνος, id est, exilis vocis. Silius Italicus de publ. Scipione, lib. 15.

Ille vbi suspensi patres, & curia vocem
Posceret, vt cantu ducebat corda Senatus:

Manilius lib. 3. cap. 1.

— fundentem verba patronum,
Pendentémque reum lingua, rostrisque loquentem
Impositum, & populo nudantem condita iura, &c.

vtebantur magni oratores faucalibus, ducto nimirùm circa fauces amictu, ad tuendum eundem tenorem vocis, atque vt nè quid de solito excideret, sed liquida semper esset, fusa, ac profluens. Iure igitur Imperator gloriosam aduocati vocem dixit, vt qua laborantium spem, vitam, ac posteros defendat. *Beati*, ait D. Augustinus, sermone 112. de diuersis, tom. 10. *qui in foro populari claritate versantur, causásque defendunt, vitam, mortémque hominum lingua moderantur*. Finiam hæc denique grauissimo, supremóque Crassi iudicio, apud Cicer eod. lib. 1. de orat. *nihil scilicet in hominum genere rarius præfecto oratore inueniri posse. qua enim*, inquit, *singularum rerum artificibus, singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sint in oratore, probari non possunt.* Tanti istud, vt scribat Martianus. Capella, lib. 9. de nuptiis Philologiæ, & Mercurij, *eloquentiam & Senatum, & rostra, iudiciáque domuisse in gente Romulea, Athenis verò curiam, gymnasia, theatráque pro arbitrio reflexisse, ac totam funditus Græciam instituisse.* Sunt eius verba. sic verò, vt ne gentij nostræ subducam quod de ipsa iamdudum Charisius Sosipater, Gallos scilicet argutè semper locutos, aut etiam Iuuenal. Satyr. 7.

— accipiat te
Gallia, vel potiùs nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguæ:

edidit ante annos aliquot, de eloquentia Gallica libellum illustriss. Dom. Varus, hodie custos annuli Gallici celeberrimus, in quo plures è patronis fori Parisiensis meminit, qui haud cesserint Romanæ, Græcæque facundiæ. ita vt, cùm nec minus militent quàm qui manus in acie conserunt, mirum videri non debeat, si nobiles eos esse, & omni nobilitatis iure, quoad onera, tributa, ac subsidia, fruentes commonstrat longissimo sermone Tiraquellus cap. 29. de Nobilitate. quod & eadem ratione ad cæteros porrigit qui in aliis regni supremis tribunalibus causas agunt, Vidus Papius quæst. 388. Eò nempe procedit fori Gallici gloria: quæ nec vnquam, quamdiu disceptabunt homines, deficiet. Scripta equidem quæ à pluribus edita sunt, testantur quanti illa sit, sed ea semper sorte, ac fato, penè dixerim, quo Valerius Max. libr. 8. cap. 10. de Demosthene: *In Demosthene*, ait, *magna pars Demosthenis abest, quod legitur potius quàm auditur*. Nemo est qui, si Marionium audierit, non animaduertat protinus longè aliam à scripto dicentis actionem. fœlix ergo seculum in quo nec priscis cedant noua. quod ipsum olim sub Augusto Horatius tota epist. 1. lib. 2. Vnum mihi iam superest, indicare nimirùm in transcursu, quasique extento digito, quanta ex his tributa sit semper à celeberrimo nostro Senatu patronis tanti nominis, tantæque famæ, auctoritas. Datum enim eis est vt causas, quę etiam mille aureorum sint, & amplius, vnus tantùm solúsque prouectioris ætatis patronus, audire, ac terminare possit perinde ac Senatus. memini, cum Per. Dulac, Aruernus, iuris Romani, ac Francici scientissimus, fori nostri patronus, assumptus esset à duobus iunioribus causidicis, vt mos est, expediendæ litis gratia, quæ mille quingentorum coronatorum erat, atque ille in exedris consultationum Basilicæ forensis, audito hinc inde quod ad controuersiam faciebat, præsenti, extemporalique iudicio solus totam litem diremisset, qui superatus fuerat, stare iudicatis noluit, inquiens rei summam suprà esse quàm ex constitutionibus, curiæq; placitis liceret. Causa appellationis in maiore auditorio acta est. pronuntiauit verò

ordo amplissimus manere oportere quod ab vno Pet. Dulac, iudicatum fuisset. Vetitum tamen posteà ann. 1612. 28. Febr. nè de re vlla, quæ ad gerenda iudicum munera faciat, feratur à patronis iudicium: dicimus vernaculo forensi, *qu'aucun reglement entre iuges ne se peut vuider par expediët.* dicebant in causa Mauguinius, Doujatius, Marefchallus, inter iudices Ricomagẽses & illustr. Principem Mompenserium. supplicatio enim, seu requesta ciuilis, vt loquimur, admissa est aduersus arestum quod, eo more, quem attigi suprà, Iac. Choartius, patronus antiquior, de quibusdam iuridicinæ Ricomagensis ordinandæ capitibus tulerat. Arrogare sibi & hanc Parisiensis aduocationis prærogatiuam ausi sunt aliquando causidici prouinciales in foro Præsidalium, saltem ad summas vsque in quibus vltimo iudicio terminantur lites à Præsidalibus, sed repressa adeò licentia illa est à Senatu, ann. 1567. vt nihil vnquam ex eo tempore motum à prouincialibus togatis fuerit. Grauissimè autem istam procedendi libidinem increpuisse fertur elegantissimus fisci patronus, Baptista Dumesnil, vt accepi ab antiquioribus, atque ex eo maximè quòd fori Parisiensis consultos in hanc Senatus ipsius partem, auctoritatémque admissos diceret, quia prouinciarum iudicibus non æquales modò, at verò etiam superiores censeri debeant. Succurrit ex Isocrate, in panegyrico, pag. 117. quod eò faciat summoperè. de oratoriæ enim Athenarum eloquentiæ, prudentiæque celebritate, ac præstantia, sic ille: τοσοῦτον ἀπολέλοιπεν ἡ πόλις ἡμῶν περὶ τοῦ φρονεῖν, καὶ λέγειν τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ὥσθ᾽ οἱ ταύτης μαθηταὶ τῶν ἄλλων διδάσκαλοι γεγόνασι, &c. id est, in tantum po[illegible] se reliquit vrbs nostra cæteros homines seu ad prudentiam, seu ad eloquentiam spectes, adeóque cæteris hominibus ex duobus his titulis antecellit, vt qui Athenis discipuli sunt, aliorum præceptores existant. sunt ibi in hoc plura.

TIT. VIII. DE ADVOCATIS DIVERSORVM IVDICVM.

Hic titulus superiori adiungitur à Cuiacio, & in vetustis exemplaribus deest. Glossa verò sic habet: superiori titulo dixit de aduocatis qui adhuc sunt in officio aduocationis. sed hic loquitur de iis qui iam deposuerunt officium.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 3.

Iubemus. §. 1. Nec de cætero quemquam, antequàm per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhæsisse, aduocatorum consortio sociari. & filios aduocatorum vel eos qui fisci patronatum deposuerint, superstitum, vel mortuorum, extraneis ad idem officium accedentibus anteponi: eique gratis, & sine sumptibus sociari, si & ipsi solito tempore legum doctrinam meruerint.

Iunge l. 5. petitiones inf. hoc titu. Cùm autem vulgata hîc glossa doceat, filios doctorum nihil dare oportere pro sumptibus, cum examinantur, ac cæteris æquè bonis præferri, dixi quod satis ad l. 11. nemini. §. 1. sup. de postul.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 4.

Laudabile, vitaque hominum necessarium aduocationis officium, maximè principalibus præmiis oportet remunerari. Ideóque iubemus viros clarissimos, fisci patronos, solemni die festiuitatis calendarum Ianuariarum, ipsius anni, per quem tale peragunt officium, inter spectabiles sacri nostri consistorij Comites diuina nostræ serenitatis, manu punctos, consequi solatia, &c.

Anxiè quærit Cuiacius num legi debeat *punctos consequi solatia*, an, *puncti*, aut *pacti*. Putat, *puncti*. sed ita nihilominus, vt in incerto relinquat. Vide lib. 13. cap. 2. obs. putatim ego rectiorem esse vulgatam lectionem: vt sit, *punctos*, pro, *signatos*, vt cal. Ian. acciperent solatia de quibus in textu. Spissæ autem vt operæ est quod contuli ad l. Aduocati. & ad l. Binos. sup. tit. 1. de l. munere, ac præmiis aduocatorum, ita nec ferè hîc quod adiiciatur, video: nisi dicatur, quantum ad præmia, præualuisse semper, pérque omnes ætates, affluentem potentioris aulici, erga electæ notæ amicos, ad apiscẽdas dignitates, gratiam: consenuisse autem semper, præclara etiam fama nominis, plurimos in fori Basilica, qui perperuo nec minùs domi quasi magistratu apud cuiusque loci, dignitatisque consultores, functi sint. Tantæ olim venerationi fuit sanctissimum Mathæi quadrigarii senium, ac incomparabilis Romani, Gallicique iuris peritia, de qua tam frequens in Molinæi scriptis elogium, vt celeberrimus cùm esset per vniuersam Galliam, & vita, verbis, consilióque cæteris antecelleret, quasi fasces ei persæpe summiserint quorum eminentissima in senatu ardebat tunc purpura. Mira equidem in hoc ipsum Fr. Chauuelinus, patronorum nuper consultiss. mihi, aliisq; pluribus non semel asseruit: Vidisse nimirùm aiebat sese, sacris in ipsis, de tanto viro, illustrissimóque Christoph. Thuano, tunc infulato Præside, qui, eo auspice, nomen militiæ forensi dederat, vter scilicet, ad offerenda curioni missam facienti; præcederet, quod visura sit numquam vlla posteritas. Ad primam ergo legis partem istud. De clarissimis verò fisci patronis, cùm par nihil sit laborioso, erudit óque eorum muneri, vide ad l. inter eos ff. ex quib. caus. maior. Vnum, inter cætera eorum iura: quòd & illi, & claris. procurator catholicus, seu generalis, vt loquimur, nobilitatem transmittant ad liberos, etiam quoad bonorum diuisionem. Iudicatum hoc sua ætate, anno scilicet 1540. scribit Tiraquellus cap. 6. de nobilitate. num. 22. fusiùs alibi, vt dixi. De solemni autem festiuitatis calend. Ianuariarum die, quo missitãtur ad amicos strenæ, cùm longè plurima congesserim ad l. 31. Sed si vir. §. pen. ff. de donat. inter vir. & vx. ex decretis ecclesiasticis, DD. Augustino, Ambrosio, aliísque tam sacris, quam profanis scriptoribus, quantumuis interdictum hoc Christianis, amant tamen vnicè, seruantque priuati, optimates, ac Principes, & sanè humano magis more, quàm gentili, ac ethnico. Tesseras enim, atque indices mutuæ voluntatis, eiuscemodi munera dixit meritò literatissimus vnus è nostris qui & hoc adijcit: mutitare, id est, date, & accipete solitos primùm veteres munuscula, putà caricas, mellis fauos, palmæ arboris baccas, siue caryotas, quæ que alia saliuæ gratioris essent, vt totius anni dulcem, ac blandientem fortunam augurarerur quisquis ita donaret. Ouid. lib. 1. Fast.

Quid vult palma sibi, rugosáque carica, dixi,
Et data sub niueo condita mella cado?
Omen, ait, (sup. Ianus) *causa est, vt res sapor ille sequatur,*
Et peragat cæptum dulcis vt annus iter.

At verò & lautos oblatas magistratibus, aduertit iterum sagax ille, quem dixi suprà, Grammaticus, ad commodæ valetudinis votum. quia neque comitialis morbus, neq;

lymphaticus, vbi laurus affixa vel reposita: hoc Cassianus Bassus in Geoponicis, tradens rationem cur, τῇ πρώτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, ait, id est prima Ianuarij mensis, prætenderent ut à populo rami laurei τοῖς ἄρχουσι, vt vocat rursus, id est, iis qui magistratu, munere, imperióque publico fungerentur. Imò & sibi honorem illum haberi à populo Romani auebant Imperatores, ceu magnũ popularis in ipsos obseruantiæ, & amoris indicium: notant Dio lib.54.& Sueton.in Augusto, Tiber. & Caio Calig. Herodianus in Commodo. Ipsique etiam & hoc ipsum præstabant, vt ex illis locis, ac aliis permultis liquet. Tradit Cassiodorus quid sua ætate, atque vt regiæ tunc liberalitatis curam in eo ageret Comes sacrarum largitionum, indicabit formula Comitiuæ sacrarum largitionum epist.6.lib.6 Enumerat Luitprandus, in historia rerum per Europam gestarum, omnia ferè Augustæ domus officia, quibus diuiderentur nummi aurei ab Imperatoribus Constantinopolitanis modò mense Martio, modò & Aprili, prout variaret Paschalis dies, pauloque ante Palmarem dominicam: singulis scilicet, pro suo cuiúsq; officio, ac dignitate. *Strenarum nomen*, inquit Symmachus lib.10. epist. 29. *indicio est, viris strenuis hac conuenire ob virtutem atque ideò vobis huiusmodi insigne deberi, quorum diuinus animus magis testimonium vigilantia, quàm omen exspectat* sic ille. De peregrinis ergo hactenus, de quibus & professus ager ab eruditioribus plurimis. Subiicio nonnulla iam, ceu καθ' ἡμᾶς, quæ nostris nimirùm in more, passímque per orbem Christianum. nec enim vsitarius quicquam regia in hac Lutetia, quàm vt, calendis Ianuariis, societates, corporáque opificum, quæ eminent, quin & capita verbis, seu Scabinei, vt vocant, primario Præsidi, Triumuiris fiscalibus, propræfecto Paris. vicariis, tegióque procuratori, cuius ingens in artifices vrbicos imperium, ceteos, tragemata, salgama, calamus, attocreatum, Apicianas eupedias, statóque vini prætiosissimi lagenarum numeros, ac similia conferant, quotum honoratius ille in annos reditus. Quinimò Basilicæ Parisiensis anniuersarium, perpetuúmque & tunc munus erga Senatus Principem, cui etiam ac Triumuiris, mittere nec secius solebat quotannis Henricus III. dædala quædam ex auro, argentóque vascula. quam liberalitatem exercuit, quamdiu vixit, nobiliss. regina, Margarita Valesia, Henrici III. soror, princépsque erudita. Peto à supercilios is veniam qui fortè & ita à laudatis scriptoribus describi interdum suæ ætatis mores nesciant.

§. *Sexcenti aurei, quibus, pro tempore fisci patronis fori tuæ celsitudinis, ad exemplum priorum temporum, ex arca tui iudicij consulatur: nè post decursum celerem aduocationis, & labores gloriosos, egeni exeant: non, vt sæpe contingit, incerto die præstentur, sed cùm ad medium iter peruenerint patrocinij rerum fiscalium, id est calendi Octobribus, per annos singulos, sine cunctatione, soluentur, &c.*

Notandum hodie ad stipendia patronorum fisci. Sexcentos autem illos aureos intellige de mille ducentis ex vsu regni; aureus enim Romanus duos Gallicos efficit, vt moneo ad l. quotiescumque. de susceptorib. & arcariis, inf. lib. 10. Amplior hodie pensio est ex Principe. vixque vt cunctatio, de qua hîc, apud *clarissima eloquetia lumina*, qui vetus aduocatorum fisci titulus, in l.6. hoc tit. aut potiùs, dixerim, apud tantæ, auctoritatis optimates, fiat ab arcariis. dixi plura ad l. inter eos. ff. ex quib. eau s. maior.

§. *vlt. Si quis sine commeatu vltra continuum biennium abfuerit, vel cum commeatu vltra quinquenium, de matricula penitus aboleatur: nulla licentia ei danda gradum suum vendicare, nec iterum viris togatis eiusdem sedis assistere.*

Nullo in vsu esse possit hîc textus. agit enim de aduocatis qui erant tunc statuti

atque intra certum numerum, quique ſtipendia capiebant de publico, quod hodie ſecus. Rectiſſimè iſtud per occaſionem animaduertebat Fayus, eruditiſſ. fiſci patronus, in aduocatum qui ex intellectu vulgari legem hanc citauerat, vt inferret, cauſidicum qui in foro Pariſienſi ſacramentum, more leui, vt ſolent, præſtiterat, præcedere non oportere eos qui poſtea in foro aliquo prouinciali admiſſi fuiſſent, cauſidicinámque ſemper feciſſent, dum iſte intereà fori Lutetiani, per aliquot annos, auditor, ita forſan vileſceret, vt patrias tandem fores repetere putaret ſatius. Cenſuit nihilominus Senatus, præferendum eum prouincialibus à die Sacramenti præſtiti. Pichonatius, & Petitius, agebant, anno 1587. die 22. Iunij. certiſſimóque hodie eo iure vtimur, cùm aliàs nulla eſſet ex Sacramento illo prærogatiua.

IMP. IVSTINVS.

L. 6.

Reſtituendæ. Vniuerſis redditur quod pro voto omnium primatibus indulgetur.

Gloſſa optimè, cùm primates intelligit de aduocatis fiſci, vt qui præſint cæteris. Eligebantur quippe olim ex primatibus aduocatorũ, in l. 3. iubemus. ſup. hoc ti. Decanos hodie eiuſmodi primates dicimus, non modò qui ordinis totius aduocatorum ſint antiquiſſimi: ſed & qui eandem etiam ætatis, in Senatu intérque Senatores, prærogatiuam habeant. ſingularia in hoc vide apud Cuiac. tit. de primicerio. lib. 12. Cod. In eccleſiis Metropolitanis, ſecus, vt in quibus decanatus ſit ſecunda ab epiſcopo dignitas, de qua dixi fusè ſatis ad l. non plures ſup. de ſacroſ. eccleſ. Eo tamen textu alia Decani acceptio eſt, vt & in tit. de Decanis. inf. lib. 12.

Noſtram adoraturos purpuram.

Similis adoratio purpuræ in l. 4. de conſulibus, lib. 12. eod. Hoc autem ideò fiebat, quia numquam ſalutaretur imperator niſi flexis genibus, vt videre eſt apud Zonaram: Duraſſéque eum morem, quamdiu imperatores Conſtantinopolitani, commonſtrat, inter cæteros, plus ſatis Gotofred. Villohardoynius libris de ſubacta à frãcis Conſtantinopoli. Eò accedit mos qui hodie, deoſculandæ togæ imæ fœminarum Principum. Alius autem & mos adorandi tam imperatoris, quàm imperatricis, in publico, hic fuit: quòd ſcilicet præferri fax ſoleret, cùm iter facerent: eratq; Lampadarius, qui nimirùm geſtabat facem, inter officia aulica. Verba Balſamonis de priuil. patriarch. hæc ſunt: Αἱ λαμπάδες μὲν τῶν βασιλέων διπλοῖς περικεχρυσωμένοις περιζώννυνται στεφανώμασι: τῶν δὲ πατριαρχῶν, καὶ τῆς βασιλίσσης, ἑνὶ κατακυκλοῦνται θριγκώματι. Id eſt, faces imperatorum duplicibus auratis cinguntur corollis: Patriarcharum verò, & imperatricis vna tantùm. Rationem motis illius adiicit Codinus, de offic. aulæ Conſtantin. τὴν λαμπάδα φέρουσιν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, διὰ τὸ φάσκειν λόγιον, οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσι τὰ καλὰ ὑμῶν ἔργα, καὶ δοξάζωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. id eſt, facem ferunt ante ipſum, quia ait ſacrum oraculum, nempe Euang. Matth. cap. 5. *Sic luceat lux noſtra ante homines, vt videãt bona noſtra opera, & laudent patrem noſtrum qui eſt in cælis.* Locus herodiani, vbi agit de igne prælato imperatoribus, vnicus eſt apud auctores veteres. Aliò enim ſpectant verſus Horat. lib. 1. Sat. 5.

IMPP. GRATIANVS, VALENT. ET THEODOS.

L. vlt.

Rationales(gl.id est procuratores Cæsaris) *priuatæ rei causis, vel sacris ærarijs præsidentes, examen, præsente fisci aduocato, suscipiant.* (gl.aliter rescinditur sententia.

Cur rationalis dicatur procurator regius, dixi ad l. 1.ff.de offic. procur.Cæs.Vt autem superioribus duobus titulis ostensum est, aduocatos fisci allegi quotannis solitos è statutorum præfecturæ prætorianæ, ac vbicariæ collegio, ita & seruatum per longissimas ætates in vniuerso imperio Gallico, vt vnus, solusque procurator regius vtramque paginam faceret, nullosque secum collegas aduocatos fisci haberet. Scripsit proinde Io. Faber in hæc verba, quæ,vt emphatica sunt, plenaque maiestatis cuiusdam regiæ, subiiciam: *Procurator regius magnus est magister in Francia.* Constat verò ex regestis curiæ, patronos fisci, qui anteà temporales tantùm, & acciti à procuratore regio, prout idoneum, ac necessarium, ad causas orandas,putaret,accepisse tandem perpetuum hoc munus ab ipso Principe,circa tempora Ludoici XI. ex quo tempore increuit semper laboriosissimæ aduocationis regiæ auctoritas, particeps hodiè omnium, cum procuratore catholico,quæ ad fiscum, & forum Gallicum. Totidem verè dixeris eloquentiæ lumina, ex Niceph. Constantinopolit. ad Leonem,pontif. max. epistola. quæ nimirùm λογιότητι ἐλλογιμῶν ἐπιστημῶν, καὶ τεχνῶν κατακοσμούμενα, τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἐμουσούργησαν: vocanturque valde proprio, conuenientissimoque nomine, triumuiri, imitatione scilicet illa veterum, quam alibi interpretor, decuriáque eorum, exedra triumuiralis, applicita nempe Basilicæ forensis lateri, & ex qua primum regni totius, non ad forensia tantummodò, sed ad ordinandam remplublic. ἀλλάγε καὶ πρὸς δήνθι τὴν σύνταξιν, oraculum. Chopinus in extremo fine elogii ab eo conscripti ad calcem libri 3. consuet. Paris. patronos fisci in senatu, enumerat ab an. 1301. sed non adiicit quo tempore perpetui facti sint. Vidi autem, ac legi testamentū Ludoici XI. illatum, mandato illius, actis curiarum publicis, quo statuit, non patronorum fisci duntaxat, sed omnium, in genere, magistratuum, iuridicinarumque functiones esse deinceps perpetuas. Confirmauitque istud postea Carolus octauus, eius filius. Anteà erant procul dubio omnes magistratus temporales. Cætera vide ad l. inter ff. ex quib. caus. maiores.

TIT. X. DE ERRORE ADVOCATORVM, VEL libellos, seu preces concipientium.

IMP. ALEXANDER.

LEX I.

Ea quæ aduocati, præsentibus iis quorum causæ aguntur, allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis litium proferantur.

Ex hac l. infertur,sufficere in iudicialibus præsentiam eius qui debet consentire, vel auctoritatem præstare, dummodò non contradicat. In iudiciis enim videtur loqui qui tacet. vide de his Tiraquellum ad art.15. consuet. Pictauens. glos. 7. in verb.

expres. num. 37. Notandum etiam maximè ad aduocatos qui auditore cliente facta ex sese perorando adiiciunt ex quibus de læsa existimatione velit aduersarius agere. Sunt enim extra aleam si modò cliens in se recipiat quicquid dictum est. *Vtimur tunc fictione personarum* , *& velut ore alieno loquimur*, ait Quintilian. lib. 11. cap. 1. pag. 623. vide Vid. Papium q. 619. Io. Galli, q. 240. Butillerium in summa rurali. fol. 43. & quod latè disserui ad l. 6. sup. de postul. spectandum enim semper an facta illa ad causam conducant. Meminerunt plures in hunc diem quid aliquando molitus sit vnus è potentioribus , nec paruæ literaturæ , episcopis , quòd sese in dicendo suggillatum diceret. Libellum obrusit ad conscribenda in patronum , qui perorauerat , elogia ; imò & traducere illum in consistorium Principis conatus est ; adiuitque in hoc consultissimos. tutati autem sunt innocentiam aduocationis vsque adeò benigni , cordatique iudices , vt audiendum patronum duntaxat decreuerint. Causam dixit , non publicè , sed velo reducto, occlusisque decuriæ foribus. Aderat verò semper cliens pro quo, de controuerso inter eum,& antistitem , beneficio egerat, & qui prætermandatum optimè subscriptum, assertorem sese præbebat omnium quæ causæ vtilitas, vt ita dicerentur , poposcerat. Emissarii equidem ex antistite plurimi, variaque hinc illinc, quæ ad oblatum libellum facerent, concinnata. Tandem tamen reiectæ episcopales querelæ æquissimo iudicum qui causam & antè audierant iudicio: pudoremque ita aduersus potentissimi aduersarii pertinacissima studia,petitionesque minis insolitis æstuantes,asseruit qui laudatissimam clienti in dicendo fidem exoluerat, numquam emensus innatam, per furtiua clientuli vota,innocentiam. Ea sunt nimirum patronis,qui debita opera functi sunt ferenda; exudandaque interdum tædia.Scio quantoperè iudicibus placeant verecunda sobria , ἢ ἄδικα, perorantium ingenia. Bene sit acerrimo illi vindici, beneq; depulsori illæso , cui doluisset equidem, si per ambitiosa episcopi studia aduersus quem susceptus erat in re æquissima sacerdos, læsus in aliquo fuisset pudor.

---- Palmam mouet ordine nemo.

Me liceat casum miserari insontis amici.

Claudam nihilominus istud grauissimo in temerarios iudicio quod apud Symmachum lib. 5. epist. 19. & lib. 9. Epist. 28. tradit enim Epictetum quemdã causidicũ,qui incauto sermone virum omnibus probatum perstrinxerat, togæ forensis honore priuatum fuisse, foróque caruisse,& sic inconsultæ linguæ pretium tulisse. Incauto nimirùm sermoni, inconsultæq; linguæ tribuitur si patronus aliquis ἄδικα, citra quàm causæ necessitas exigat,absente parte,ac sine obsignato mãdato, famam aduersarii dicendo presserit, inquinarit, lacerauerit. Dignissima tunc certè animaduersionibus iudicantium tanta temeritas.

IMPP. GORDIAN. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 2. & 3. seu vlt.

Errores eorum qui desideria,id est,preces scribunt , veritati præiudicium afferre non posse, manifestum est : si modò litigatores palam ex continenti,id est triduo proximo, contradixerint.

Triduum hoc intelligit glossa,si videlicet causa,inquit,per tres dies durauerit post errorem. hodie autem etiam post triduum. vide Rebuf. art. 1. glo. 1. num. 28. de restitutionib. censuit tamen Senatus, an. 1603. die 20. April. declarationem aduocati, sententiæ insertam, non posse, post annum, à cliente reijci, minúsque aduocatum ipsum culpæ argui. Cum enim appellatio interposita fuisset à iudicio Cænomani iuridici, solàque appellationis causa in eo esset quòd improbaretur aduocati , citra clientis mandatum, consensus, ferè mulcta ei inflicta est qui sese in appellationis eiusmodi periculum conicecisset. Alter litigantium vocabatur, Brissart.

TIT.

TIT. XI. VT QVÆ DESVNT ADVOCATIS PARTIVM IVDEX SVPPLEAT.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. vn.

Si quid à litigatoribus, vel iis qui negotiis assistunt, minus fuerit dictum, supplere, & proferre debet Iudex quod sciat legibus & iuri publico conuenire.

Optimè glossa, cùm ait, supplementum illud intelligi de eo quod est ex iure: veluti si, in quæstione iuris, aduocatus, (quod raro occurrit) seu dicendo, seu scribendo, tanta imperitia differtet, vt, quasi scissa veste, nudatum causæ corpus exhibeat. in quo equidem comperta culpa est, & frequentior literionum, qui formularij cùm sint, scribunt ipsi seu appellationis causas, seu responsiones, at verò etiam contradictiones forenses, quibus per grauitatem negotij, quæstionésque ex schola Iuriscõsultorum difficillimas, & arduas, nè patroni quidem eruditissimi pares plus satis sese præstituri sint. vnde comminatur pene semper de more ordo amplissimus, fit enim ex eo vt, fraudaris spe sua litigatoribus qui mittunt iogentem pecuoiarum vim ad explicandas à patronis lites, reperiant iudices ceu deserta, & inhospita tesqua, rus inaratum, scripta nempe de quibus dici possit,

Sambucam citiùs caloni aptaueris alto.

Aut etiam monstrum Horatianum, statim ab ingressu artis poëticæ. Supplendum igitur necessariò eo casu à iudicibus quod intactum reliquit non aduocatus, sed literio aliquis quem & damnauerint lubentissimè procuratores plærique optimi: damnántque indies, quotiescumque, ad emendãdos mores, in S. Ludoici decuriam conueniunt, cùm non furto duotaxat accedere istud nemo nesciat, sed & exitiosissimum esse clientibus. vnam esse hanc memini ex querelis doctissimi illius Ren. Chopini frequentissimis. Supplere etiam solent iudices in supremis tribunalibus quod pro causis, & persoois videtur æquius, ac melius: vt in l. oratio. de sponsalibus. in l. quamuis. de in ius voc. ff. & in vulg. l. placuit. Cod. de iudic. in qua tamen notabitur obiter, *æquitatem scriptam*, cuius ea lex meminit, referri oportere ad solum id quod ex iure & legibus hauriri in iudicando debeat: quo more scilicet interpretor ad l. placuit. inf. de iudic. Deinde verò suppleri posse notoria à iudice docet Baldus, hîc, cuius sententiam sequitur Matthæus Afflict. decis. 372. sed quatenus fieri hoc debeat, docet Alexander ad hanc ipsam l. vn. num. 6. cùm nempe notorium iudici ex actis. Aliàs eoim non licet, vt explicat illo eo locò paulò latius. Quinimò & rursum Baldo, ad hanc nostram l. visum est, consuetudines scriptas suppleri posse. contrarium autem seruamus. Vix enim vt suppleatur vnquam coosuetudo, licet scripta sit, atque excusa typis publicis. profertúrque propterea de more, seu producitur, vt loqui mos est, atticulus consuetudinis qui ad decisiooem litis faciat. fit autem istud maximè vbi de consuetudine aliqua prouinciali agitur, nec verò de Parisiensi, cùm sit ius verè Gallicum, quod non minus, quàm iura ipsa Romana, noruot Seuatores Parisienses. postremò suppletur à iudice quod ex coniectura voluntatis defuncti verisimilius est, de quo notandi, inter cætera, sex textus, l. 88. qui quadringenta. ad l. Falcid. l. 17. ex facto. §. si quis togatus. ad Trebell. l. cum Auus. l. quæ conditio. §. t. de cond. & dem. ff. l. cum acutissimi. de fideicommiss. Cod. l. 7. voluntatis. de fideicommiss. Cod. vide etiam si lubet, quæ latè satis

in hoc, adieci ad l. id quod pauperibus. Cod. de episc. & cler. eò denique spectant constitutiones omnes coniecturales, de quibus apud Rhetores.

TIT. XII. EX QVIBVS CAVSIS INFAMIA IRROGATVR.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Infamiæ detrimentum minimè tibi affertur ob id solum quod in carcerem coniectus est, vel vincula tibi iussu legitimi iudicis iniecta sunt.

Eget istud interpretatione. distinguendi enim sunt carceres, vt alij sint ad debita, alij ad crimina, alij pro iussu Principum. Omnes autem in genere qui in carcere, & vinculis, cuiuscumque dignitatis sint, non alio quàm miserabilium personarum nomine appellantur, vt vnus è nostris differit ad tit. de sententiis prouisionãl. art. 3. tit. 33. ratio autem fuerit ex l. 2. ff. de liber. hom. exhib. quòd scilicet non multum à specie seruientium differant quibus facultas non datur recedendi. meritóque proinde carcer diffinitur à Græcis, στέρησις αὐτοπραγίας, id est, priuatio agendi quicquid ipsi voluerimus, notat Cuiacius in præfatione feud. pag. 2. Carcer denique, quisquis ille sit, & quacumque ex causa, si non infamiæ notam inurit, at famam nihilominus onerat. Verba Gaij hæc sunt in l. si vero. qui satisd. cog. *sanè non qualibet iniuria est, duci in ius qui satis idoneum fideiussorem det.* quod vt de violento, indecoróq; rapiendi in ius more est, ita & hodie de carcere. scribit Io. Faber, ex Galliæ nostræ moribus, ad §. vlt. num. 9. de actionib. in instit. in hæc verba: *in regno Franciæ nemo incarceratur, nisi sit ad hoc expressè obligatus.* mera eius verba, quantumuis rudiora, exscribo, vt res inclarescat magis. præclaréque Iurisc. in l. 1. & 3. ff. de custod. reor. vbi dicitur, iudici obseruandum maximè an Reus in carcerem recipi debeat, an militi tradendus, an fideiussori committendus, vel etiam sibi: atque hoc pro criminis qualitate, & personarum. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est, ait lex 3. de exactionib. Cod. Th. itaut & in d. l. 3. ac l. 7. prohibeatur nè quis detrudatur in carcerem pro debitis ciuilibus. *orabat.* C. Claudius, inquit Liuius lib. 3. *nè claudiæ gẽti eam inustam maculam vellent vt carcere & vinculis viderentur digni.* agit de Appio Decemuiro, de quo in l. 2. de orig. iur. sed nec in ciuili etiam negotio, vt dixi suprà, carcer sine labe aliqua nominis, famæque. prudenter enim, vt omnia, magnus Seneca, lib. 3. cap. 37. de benef. *nescis durissimum esse ostium carceris.* sic ille. atque vt paulò vlterius progrediar, reperio apud Demosth. ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους, acriorem non fuisse Atheniensium querelam in 30. tyrannos, quàm quòd iniuriosè, & cum publici dedecoris quauis nota, raperent ciues ex compitis vrbieis, traheréntque in carcerem.

—procerum squalore repletus
Carcer, & exulibus meroe, campíque gemiscunt Aethiopum.

Claudian. lib. 1. in Eutropium.

Legimus apud Iosephum, lib. 4. ἁλώσεως, de Iosepho ipso captiuo, Vespasiani iussu, abruptas, non explicatas catenas, & hac ratione seruatam fuisse ei τὴν ἐπιτιμίαν, id est, illæsam existimationem. Denique simplex carcer est species torturæ, & æquiparatur morti, ait ex Baldo, Molinæus consil. 19. num. 16. qui ex facto, eùm, imperante Principe, mancipatus fuisset carceri Palatino, ob scripta quędam ab eo edita, tantum

ex eo mœrorem concepit, vt accepimus, vt quamuis Clariss. Christoph. Thuanus tunc Senatus Princeps, censentibus ita conscriptis cæteris, eum quasi, more Iosephi, de quo supra, captiuum, non per infamem areæ Palatinæ ianuam, sed per deauratas auditorij patentes valuas, eduxisset, combussit tamen, vt ferunt, statim atque domum suam adiit, omnia, quæ in propinquo erant, vt ederentur, vniuersæ Parisiorum consuetudinis scholia, qualia sunt quæ ad feudales, censua léfque quæstiones seruarunt in hunc diem typi publici, inquiēs, *nihil se debere ingratæ patriæ*. Ita mihi, inter cæteros, eruditissimus Renatus Chopinus. Parisienses igitur nihil tam cauent splendori vrbis antiquissimo, quàm nè vllus vnquam cooptetur in Ædilium ordinem (Scabineos vocant) qui non sit & ciuis natus, & numquàm anteà in vinculis, custodiáve libera. Imò qui vel solam vestibuli foriculam, nec vltrà, transierit, eodémque ferè momento excesserit, si nihilominus commentariensis manum passus est qui nomen ferali vinctorum Codici inscripserit, fit exors in perpetuum dignitatis illius vrbicæ. Caret, vno verbo, nullus est qui, etiam in nexu æris alieni, famæ pudorem non afferat, si modò ducente viatore, ex iussu, præceptóque legitimi iudicis, (quod ait nostra lex) id fiat. Vide cætera ad tit. quod met. causa. ff. nihil hîc Bart. Bald. aliique eius notæ interpretes vnde quicquam conferri possit in publicum.

IMP. ALEXANDER.

L. II.

Debitores qui bonis cesserint, licèt ex ea causa bona eorum venierint, infames non fiunt.

Distincti semper ante aliquot annos fuerant qui vitio fortunæ decoxerant, à cæteris qui vitio suo, vt nè gestare cogerentur pileum viride. sed hodie ex vsu, atque ex nouissimis arestis æqua omnium conditio est. Ita enim iudicatum ann. 1609. die 7. Maij, aduersus Andensem debitorem, non modò octogenarium, sed & nobilem: vocabatur, Dumont. magna equidem dicebamus illa esse munimenta quę obstarent quominus ad ridiculum, ac infame tegmen istud capitis vrgeretur, maximè cùm creditores agnoscerent lapsum eum fortunis per casus inopinos qui incidunt rebus mortalium, quod alibi Vlpianus: insuper habuit tamen & hoc ipsum Senatus, infirmatáq; sententia Andensis iuridici qui ad cessionem bonorum simplicem damnauerat, pilei viridis notam adiecit. perorabant Martellerius, & Odespunius. Idem verò & ante quindecim dies decreuerat quinta imquisitionum decuria contra alium, cuius nomen non teneo, consultis maioris auditorij iudicibus, qui & rursus hāc eandem inusserunt infamiā mercatori Lugdunensi, anno 1610, die 13. Iullij, tametsi doceret euersum sese bonis per motus ciuiles anni 1589. quia esset planè regius, factionique Hispanicæ, quæ tunc vniuersam Galliam vexabat, infestissimus. causam agebant Lud. Robertus, & Lametius. pilei istius condemnatio cœpit anno 1586. in futorem quemdam Vallensem, quia sic statueret loci illius consuetudo: tandémque, per corruptos hinc illinc mores, fraudatorúmque frequentium, ita semper ex eo tempore aduersus quoscumque: nec alio hodie iure vtimur. Varij autem sunt casus qui nec cessiones istas admittant, putà, si colonus debeat pensiones frumenti annuas: furtum enim putatur, nisi annuatim soluat: textúsque in id quotidianus, & quem cùm à clariss. Pet. Mestræo, qui posteà infulatus præses, aliisque consultissimis didicissem, confirmatum posteà vidi sæpius à Senatu: reperies in l. si fetuus. §. locaui. ff. de furt. Denegata etiam cessio illa est in in eos qui vinum non modò in publico, sed in apotheeis ipsis inferioribus, seu caueis, vt loquimur, emissent. cauerat hoc olim constitutio Caroli 7. confirmauit autem ordo amplissimus an. 1613. die 2. Augusti. perorantibus Doujatio, & Fertonio. Denegata deinde in flagitiosos stelliones, cuiusmodi vnum in basilica forensi,

ad rogatorum pudorem, non ita diu vidimus: parco nomini. Denegata est in debitorem conuentum à fideiussore, qui fidem eius nomine adstrinxerat non modò, sed & soluerat. perorabant Fr. Chauuelinus, & Th. Martinus. litigatorum alter vocabatur, Delabat. Denegata est in extraneum, nempe, Germanum, quamuis iuris studiosum, seu scholasticum, vt loquimur, qui Aurelianensibus antecessoribus per annum, aut amplius, operam dederat. hospes fideiussorem sese, eius nomine, in quingentas libras præstiterat, cuius propterea intererat summoperè nè carcere exiret, donec ipsum liberasset, quippe aliàs numquam rediturus in Galliam si, cessione bonorum facta, Germaniam suam repetiisset. Ita igitur censuit ordo ampliss. ann. 1608. die 31. Iullij. Secus tamen si inter extraneos hinc illinc, extràque ditionem Gallicam, contrahatur negotiū. eo enim casu remittuntur litigatores ad suos iudices. Dabo hypothesim quæ ann. 1607. die 23. Ianuar. in hunc modum decisa est in maiore auditorio, perorantibus. Aug. Gallandio, & Audem. Talæo. Hispanus quidam nobilis obligauerat sese Belgæ Gandauensi, apud Gandauum, in sex millia, soluenda in sex menses. conuentum autem fuerat, ni stato die solueretur, liberum fore Belgæ persequi Hispanum, *quacumque eum vocarent terræ*, quinimò & Hispanus renuntiauerat priuilegio nobilitatis Hispanæ, quo cedi bonis potest per procuratorem, per epistolam, & quacumque alia ratione, citra vllam cedentis notam. Hispanus recipit se in Galliam, nec soluit quo die conuenerat. Belga sequitur, acceptáque à Bruxellarum iuridico authoritate, seu, vt loqui mos est, commissione rogatoria, impetrat à præfecto Parif. vt ad ipsum comiter, famáque incolumi, deducatur, allegaturus quicquid videret. præhenditur, deducitúrque tacito eo more ad iudicem, qui, ipso audito, carcerem statuit. Clausus ergo facit nouas tabulas, spondétque se intra statum aliud tempus soluturum, imò & eiurat secunda illa sponsione cessionis bonorum beneficium. petit tamen postea vt ei cedere bonis liceat. quod & ita statuit præfectus Parif. Appellat Senatum Belga. Senatus habet peregrinitatis vtriúsque rationem, & quòd primus contractus initus esset Gandaui: remittitque ex his ambos litigatores ad Bruxellense tribunal in dies quindecim, quò & censet ductum iri Hispanum opera, impensísque Belgæ: aliàs fore iter illud, vice carceris, Hispano. In cæteris, vt vno verbo, ac paucis absoluam, cessionis bonorum beneficio frui non possunt fraudatores depositarij, nec quisquis fraudem, crimenve, aut quod crimini accedat, admisisse compertus fuerit. At verò nec, in causa pietatis, si filius, liberandi patris causa à carcere, nomen creditori faciat. Ita enim, & magno exemplo, pronuntiauit Senatus in criminali auditorio ann. 1608. die 22. April. perorantibus Caluetio, & Gallandio. alter litigatorum vocabatur, Delestam. Plurimi certè facta est æquitas legis, eum is qui. §. si in ea opinione. ff. de condict. indeb. sed vicit tamen ratio, & causa liberationis, cui aliàs consensisset nunquam creditor, quem propterea eludi, decipíque prætextu pietatis, æquitas non ferebat. celebratur vetus Cimonis Atheniensis iudicium qui, patre Miltiade victo, & clauso, cùm in 50. talenta spopondisset, soluere summo iure damnatus, coactúsque est, vt latius scribunt Plutarch. & Æmyl. probus. vide etiam ad l. si hominem. §. quoties foro cedunt. ff. mandati. vbi ago de pœnis eorum qui foro cedunt, vocamus vulgò, Baneroutiers.

IIDEM IMPER.

L. 12.

Si te expilasse hæreditatem sententia Præsidis constiterit, furti improbioris infamiam non euitasti, ex eo quod non & alia pœna tibi irrogata est.

Expilata hæreditas semper furtum est, sed impropriè. furtum enim proprie fieri non potest nisi domino. Itaque si quid subtractum, auersúmque sit ex hæreditate,

antequàm adita sit, vel antequàm res ab hærede possessæ sint, etiam post aditionem, tunc crimen expilatæ hæreditatis est, eóque nomine intendi potest. vera hæc interpretatio legis, 2. atque adeò totius tituli, de crim. expil. hered. & legis, hæreditariæ rei. de furt. ff. dicimus nos Galli, *spolier vne succession.* vt spoliare, &, expilare regem, promiscuè dixit Tullius. 6. verr. vt autē expilatio appellatur hac l. furtum improbius, ita & apud Asconium, expilatores appellantur atrociores fures, vt qui nè pilum quidem relinquant in corpore spoliatorum: quemadmodū Plinius dixit lib. 17. *Depastam arborem turpi facie relinquunt.* Crimen ergo, furtúmque eò grauius, ac improbius senserunt Iurisconsulti, & imperatores, cùm, nullo ad huc certo hærede, spoliatur, expilatúrque hæreditas. quoniam, vt rectè attingit obiter Salicetus hîc, nulla adhuc persona est cui furtum fiat, quíque tueatur, ac defendat res hæreditarias. Tunc enim, quasi, arbore deiecta, colliguntur ligna, vt est in prouerbio, *liberáque per vacuum ponunt vestigia fures,* & quicquid lubet, nullo vetante, auferunt, perinde ac si quis detraheret vestimenta infantulo orbato custode, & tutoribus. *malè audiunt, furtíque improbioris infamiam non euitant,* ait noster textus. In quo tamen distingue ex iure quo vtimur. Si enim extraneus ille est qui hæreditatem expilauerit, notoriæ in eum conscribuntur, seu, vt in vernaculo nostro est, informationes fiunt, capitalíque iudicio agitur, & tanquam prædo punitur qui expilasse compertus est, pœnáque pro causis, & personis infligitur. Si autem cohæres, tunc condemnatur de more, atque ex nouissimis Senatusconsultis, restituere quicquid ex notoriis, seu informationibus, vt vocant, abstulisse eum probabitur. textus in id quotidiani, ac forenses, & qui penè nunquam omittuntur ad has quæstiones in fori deliberationibus, sunt lex, rescriptū. de his quæ vt indig. & lex, 48. Paulus. ff. ad Trebell. Ita primùm iudicatum est Cæsaroduni Turonum, ann. 1592. mense Iunio, Gasp. Chesnæo, litis interprete, pro vidua Puteani, consiliarij Turonensis, aduersúsque creditores qui eam ex causa societatis connubialis teneri in semissem æris alieni cōtendebant, quia ex notoriis, seu elogiis, liqueret plus satis, amouisse ipsam plura mobilia, putà triticum, Tapeta, fænum, ac plurima quę in promptu erant. Damnata verò est restituere quæ amouisse probaretur. vide Chopin. ad consuet. Paris. lib. 2. art. 316. & 317. vbi eadem planè decisio.

IDEM IMPER.

L. 13.

Ea quæ pater testamento suo filios increpans scripsit, infames quidem filios iure non faciunt: sed apud bonos, & graues opinionem eius, qui patri displicuit, onerant.

Primùm huc facit lex 3. ff. de lib. & post. vbi hæc verba: *etsi cum conuitio dixerit, non nominandus,* vel, *non filius meus, latro, gladiator:* magis est vt rectè exhæredatus sit. quamuis enim alio iure vtamur, & exhæredatio à patre facta cum elogio, seu maledicto, nullius momenti sit, vt iudicare solet ordo ampliss. ex l. 1. §. idem ait. ff. de carbon. ed. censura tamen illa famam filij perpetuò afficit inter honestiores: vt quando socer, conquerens de genero, sic testatur in l. vlt. §. t. de doli exceptio. ff. Auus nepotibus ex filia legauit singulis centena: & adiecit: *Ignoscite: nam potueram vobis amplius relinquere, nisi me fronto, pater vester, malè accepisset,* &c. Huc verò & spectat censurá patris de filio, quam sequēdam esse à magistratu cēset Tryphoninus in l. pen. ff. de curatorib. furioso. quæ lex penult. appellatur de more à peritis, *la loy des sages peres.* Sequiq; eam eminentissimos fori nostri iudices persæpe in publicis causarum actionibus vidimus. narraui memorabile filij perditissimi exemplum, cuius ingenium, & mores pater immutare, nulla vnquam adhibita solertia potuit, ad l. 2. ff. de seruo corrupto. Vide autem Tiraq. tractatu, de pœnis tempet. causa, 51. num. 43. 44. 45. de filiis virorum illustrium qui vt pluri-

mùm degenerant, fato quodam, nec ad vitæ decora domesticę laudis exemplum prouocant, vt loquitur lex vn. de emendatio. propinq. lib. 9. inf. dixi longè plurima toto tit. ad Senatusc. Maced. ff. quæ hîc iterare vetat pudor. Notandum verò est, si acerba forsan admonitione vtatur pater, tantò id magis gratum esse oportet filio, quantò & verius, téque ipsa pater sese in eo exerat patrem optimum, quod egregiè ita Menander:

Ὁ σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν,
Τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ' ἔργοις πατήρ.

id est, *valdè in monendo si quis asper filio*
Verbis acerbus est quidem, sed re pater.

scripsit ex ea ratione bonus auctor, tractatu, de officio parentum erga liberos, parentes, qui liberos officij sui admonent, verè præstare se vicarios Dei: fore tamen longè melius, ac prudentius, si nec palam, nec testamento, tabulísve publicis, id fiat, nisi desperatæ omninò sit salutis filius: cùm litura ferè semper, ex vulgatis eiusce modi, tametsi paternis, animaduersionibus exstare soleat, licèt filius (vt in pluribus visum est, ipsóque, inter cæteros, Themistocle, apud Valerium) defæcatis, ceu in generoso vino, moribus, euaserit tandem in virum optimum, prudentissimum, reique publicæ vtilissimũ:

Κρεῖττον σιωπᾶν, ἢ λαλεῖν ἃ μὴ πρέπει.

dixit comicus de silentio in rebus indecoris necessario. frequentissimum equidem quod apud Sen. tragicum, in Hercule Oetæo, act. 2.

Rarus fœlix, idémque senex:

fœlicissimus hoc ipsum Augustus de infami filiarum venere, vt scribit Suetonius: Sed contegendus tamen, quà semper fieri possit, à parentibus liberorum pudor, nè inuratur familiæ eò grauior, ceu per domesticum classicum, nota. Sunt qui in eo sibi temperent: sunt & qui non.

Imp. Gordianus.

L. 15.

Decreto amplissimi ordinis luctu fœminarum diminuto, tristior habitus, cæteráque hoc genus insignia mulieribus remittuntur: non etiam intra tempus quo elugere maritum moris est, matrimonium contrahere permittitur. cùm etiamsi nuptias alias intra hoc tempus secuta est, tamen quàm is qui sciens eam duxit vxorem, etiamsi miles sit, perpetuo edicto labem pudoris contrahat.

Dixi quod satis ad l. 9. vxores. & ad l. tt. liberorum. ff. hoc tit. seruatur enim hæc lex religiosissimè in vniuersa ea parte Galliæ quæ iure Romano pro moribus vtitur. notant Senatusconsulta Illustriss. Dom. Varus, hodie custos annuli Gallici, in suis miscellaneis Gallicis, & Pet. Maynardus, Senator Tolosanus, in arestis Tolosanis. dici possit, indulgeri nimiũ effreni huic viduarum libidini in locis qui scriptos mores prudentiæ Romanæ anteponunt, vt scilicèt secundò nubant non modò intra annum luctus, sed duos aut tres menses à morte mariti. ridentur, luduntur, damnantur, penéque vitantur, ac emouentur ab honestioribus: nihil verò vltrà. Recens non ita diu exemplum media in hac nostra Lutetia, de fatua quadam eiusce modi vidua, cuius paulò pòst cum iuueni marito ἐς τὸ μαλακὸν χηνοπλούμαζον, vt ita loquar, atque opportunè, cum D. Chrysostomo, Homil. in Herodiadem. Adeò infœliciter sæpius viduitatis libertatem in suam ipsarum necem vertunt exleges, œstróque quasi percitę viduæ: quod alicubi etiam D. Hieronymus.

IIDEM IMPP.

L. 16.

Fustibus cæsum, cui per præconem ita dictum est, ἐσυκοφάντησας: vt calumniatorem videri notatum, ideóque esse famosum, manifestum est.

Iunge l. seq. Id. Auth.

L. 17.

Verbum precibus insertum potiùs verecundiam onerare, quàm vllam existimationis maculam videtur aspergere, veluti si ad postulatum patroni, interlocutione iudicis, responsum sit, causa non cognita, ἐσυκοφάντησας.

Primùm de ictu fustium vide ad l. ictus fustium. ff. hoc tit. De titulis condemnatorum, & superdictis, ad l. admonendi. de iureiur. ff. præsertim verò apud Cuiacium, lib. 13. cap. 3. & lib. 8. cap. 7. obseruatio. Vbi ex D. Ambrosio, Iosepho, Petronio, Arriano, Niceta, Zonara, Xiphilino, Spartiano, seruatum apud Græcos, Romanosque iudices superdictorum morem, dum cruciarij plecterentur, verbis ex ipsis auctorum, graphicè exerit. Quæsitum est in maiore auditorio, an. 1618. die 7. Augusti, vtrùm iudex dominicus, lata in Reum criminis sententia, qua statuta erat pœna verberationis infligendæ à carnifice, beneficium ecclesiasticum, quo fruebatur in titulum, amittere deberet. Nitebatur qui beneficium ex ea causa à Rom. pontificè impetrauerat, capitulo, Clericis, & cap. sententiam. Nè clerici, vel monachi. quibus iubetur sacerdos abstinere à iudiciis quæ pœnam sanguinis irrogent: pluráque in hoc recésui ad Auth. Sed nouo iure. sup. de epist. & cler. verberatur autem nemo à tortore citra effusionem sanguinis. Contrà Beneficiarius iuridicus tuebatur se decisione capituli, in Archiepiscopatu. de raptorib. vbi nominatim excipitur verberatio. Senatus summouit eiuscemodi beneficiorum rapacem aucupē, & quominus beneficiarius, vt anteà possideret, vim fieri vetuit: fructuum restitutionem adiecit: impensas remisit. Litigatorum nomina. Arrogerius, qui & procurator in præfectura Paris. & curiosus inquisitor, seu Commissarius, vt vocant, iudex insuper Gentiliacus. Alter qui impetrauerat, dicebatur, Hucherus. Patroni, Petr. Mauguinius, & Io. Niger. Pergratè audiui quæstionem, vt quæ egeret maximè senatusconsulto interprete. Quantum ad sycophantas, seu calumniatores, & vnde hoc nomen, vide, si lubet, Galenum, lib. de alimentis. Dicebantur eo nomine apud Athenienses qui maturescentes ficus custodiebant in tota regione Attica, nè quis eas latrocinaretur, aut consumeret. Festiuum verò hoc adiicit Galenus, illos nempe, quamdiu seruarent ficus, pinguescere solitos præter modum, ex esu nimirùm continuo, ac immodico ficuum. Sed quia sæpe falsò deferebant quoscumque, quasi ficus attigissent, ideò voces illæ, συκοφάντης, ἢ συκοφαντεῖν, ad omnes calumniarum species transiere. Grammaticum hoc, sed scitu dignum, & quod hîc in transcursu notari debuit. Ceterùm quàm ægrè ferri debeant, ab aduocatis quorum fama hilarior, mala illa verba obiurgantium, incusantium, increpantiúmque iudicum, maximè in tanti fori luce, cuiusmodi Lutetianum est, delibari necesse fuit quippiam ad l. 20. Ob hæc verba ff. hoc tit. manent enim, inhærentque animis auditorum, quamdiu ille in quem ea ratione animaduersum est, viuit, imò & quotiescumque, vt sæpe fit, de casibus defunctorum incidit inter sermones vel tantilla mentio. Tan-

ti Aristotelica ἐνδοξία illa est, seu bona, illæsáque existimatio apud generosi, æstuantisque animi patronum, cuius perpetuus hic labor, vt, per varia causarũ palmaria, emineat tandem in palæstra forensi, laudetur vnus, ametur, suspiciatur, ambiatúrque à sollicitis clientum maniplis, ἀγοραὶ inde verè κυδιάνειραι, καὶ πολύφημοι, id est, illustres, multæque famæ homines facientem, dixerimus cum patre omnis virtutis Homero. Nec abs re equidem fuerit Plautinum hoc:

Dum bonam mihi famam seruasse, sat ero diues.

Audiebam ab antiquioribus patronis, cùm in forum veni, decubuisse olim per longos menses, ex tabe, & morbo, aduocatum, cui tunc surgebant in foro mœnia, & qui multi posteà nominis, quòd acerbiùs paulò habitus in dicendo fuisset à clarissimo tũc Senatus Principe. Secessit enim continuò Febri aspera correptus, diutissiméque contabuit. contigit verò vt peteret tandem Præses ille maximus quid ipse, & cur amplius causas non ageret. Tunc, bono certè omine, narratur repentini casus iniquitas. quo audito deposita ille maiestate imperij forensis, veluti que summissis fascibus, ne diceretur quasi interfecisse nascentem, venit domum decumbentis, blandè allocutus est, animos fecit, opem promisit. Quid plura? Æger ille animus, qui quasi vltimum vale foro, & causis dixerat, mox conualuit, *verbisque impar, ac præsente gaudio*, (quod de inopino seuis sui miraculo Apuleius, lib. 10. metam.) redit sensim ad palmas forenses, in quibus postea diu, multáque cum laude consenuit. Ingratum istud fore non puto vel superciliosis. facit enim ad duarum istarum constitutionum illustrationem maximè, tantíque etiam iudicis humanitatem commendat, ingentis verò animi patronum, qui prima sua iuuenta ebulliens, ac æstuans, *martiáque pugnando vulnera passus*, Sanatus est κατὰ θείαν τινὰ τύχην ἢ ἀφορμὴν, ab eo ipso qui vulnus inflixerat. Præstitit certè Præses literatissimus hoc ipsum quod de Augusto legitur, in hæc verba, apud Suetonium, cap. 53. *Gallum Terrinium, Senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando, reuocauit ad vitam.* Ita Sueton. miror autem vt omiserit patronus ille argutissimus, qui versus plures edidit, delineare casum ex oraculo vetere: ὁ τρώσας ἰάσεται. id est, qui vulnerauit, sanabit. Tam benigna sors Seruio Sulpitio, patritio quondam, nobili, & causas agenti, non contigit. Illum enim Q. Mutij, Scæuolæ, non iudicis, sed priuati tantùm Iurisconsulti, quem, ad consulendum de re amici, adierat, obiurgatio insolens, penéque, dixerim, rustica, foro in vniuersum depulit, ac euertit, cùm primum locum post M. Tullium in causis orandis obtineret. neque vnquam nisi ægerrimè, quamdiu aduixit, Mutianum illud, rusticúmque, & indignum literato homine, ingenium tulit. Notauit Pomponius noster in l. 2. de orig. iur. vt vitandum id consultis, imò & iudicibus, erga patronos iuniores, reique in foro faciendæ cupidos. Vnum superest de verbo, ἐπιφαίτησας, quod etiã in textu. cum enim dicat Cuiacius, cap. 3. lib. 13. citato suprà, legendum esse, συνεπαιτεῖς, nec irrogari infamiam, seu verbo præsenti ita increpet iudex, seu aoristo, oneratur tamen fama apud bonos, & graues: temperántque propterea prudentissimi iudicis ab eiuscemodi erraticis in publico voculis, maximè apud patronos, nè aspergatur quippiam vnde hæreat vel tenuis dicenti macula.

IMPP. VALERIANVS, ET GALIENVS.

L. 18.

Non damnatos. Qui nummos aduersariis, pro mala conscientia, ex transactione numerat, infamis est. simplex autem eius rei gratia integram pacti existimationem, illibatamque conseruat.

Dixi quod satis ad l. quoniam & ad l. furti. ff. hoc tit.

IMPP. CARIN. ET NVMERIAN.

Interlocutio. Præsidis verbis grauatus, & admonitus, vt ad melioris vitæ frugem se reformet, infamen non facit, cùm non specialiter ob iniuriam, vel admissam vim condemnatus sit.

Magis enim monendo ista, quàm minando: ita dixerim ex Augustino, epist.64. ad Aurelium Episcopum. Cassiodorus, *Clementer irascimur quando vitia sola damnamus*. Plato id vocat νουθέτησιν, καὶ λόγον ἐπιτιμητικὸν ἀπὸ γνώμης. id est, sermonem cum repræhensione ex cõsilio. longè plura vide, si lubet, apud Demosth. ἐν Ἐρωτικῷ. congerit enim varia ex quibus doceat eos qui consilia de vitæ officiis non rectè accipiunt, aut contemnunt, erroris sui monimenta circumferre quamdiu vixerint. facio nempe latina quæ multò ille elegantiùs, molliùs, ac luculentiùs. plura deinde in hoc ipsum apud Herodian. lib. 1. apud Lucianum in Demosth. encomio, & in Demonacte. Gregor. Nazianzen. in parænetico carmine. rudes enim velut traho lineas, nè videar nimius in re, quæ quasi de triuio ex vulgatis pluribus Senecæ, & similium documentis. sed me impulit locus vt nonnulla ex penitiore literatæ antiquitatis penu promerem, nè desertum eum, inaratúmque, ac incultum reliquisse diceret. Doctrina denique ex nostro textu hæc fuerit: verba iudicis generalia, & quæ citra iudiciales formulas fiant, infames eos non facere apud quos priuatum sese quasi doctorem præstiterit iudex, nimirùm de plano, non autem de terrente reos tribunali, selláque maleficiorum vindice. Tunc enim, & cùm iudicio laro animaduersum est, vera hæc infamia est, & quæ inurat notam. miserúmque propterea eorum ingenium quod tam indocile, *vt flecti non possit, frangi autem possit*, ait Atreus apud Senecam, in Thyeste actu 2. nihil planè Bart. Bald. aliíque interpretes. trado ex aduersariis quæ togatis possint esse vsui.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 20.

Improbum fœnus exercentibus vsuras vsurarum illicitè exigentibus, infamiæ macula irroganda est.

Pro iusto commentario, vide quæ latissimè digessi, in præfatione tituli, de vsuris, ff. dicam intereà, atque in transcursu, improbum fœnus hîc dici, quod vltra legitimum modum est, vt laborem improbum ex ea ipsa excessus immodici ratione dixit Virgilius.

IIDEM IMPER.

L. pen.

Minor qui in ludicræ artis ostentatione spectaculum sui populo præbuit, inuiolatam existimationem obtinet.

Coërcenda hæc lex ad minores annos ludionis, vt ferè in omnibus, præterquàm in delictis, minori ætati parcitur, per rationem legis 1. ff. de minoribus. secus verò in maioribus, vt in l. 1. ff. hoc tit. quid enim vilius histrionibus, & mimis? *Iocantes obscæna mimi*: apud Ouid. *Romani cùm artem ludicram, scenámque totam probro ducerent, genus id homi-*

num non modò honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri, notatione censoria, voluerunt: Ita D. Augustinus ex libris Ciceronis de republ. cap. 13. lib. 2. de Ciuit. Dei. Modò eiecti Roma, totáq; Italia, modò reuocati, apud Tacit. lib. 4. Annal. apud Diõ. lib. 57. & 59. vide apud Isocrat. inter cæteros, in Areopagatico, quam misera istorum vita. pelluntur sacra synaxi, seu communione Christiana, quamdiu mimos, & scenicam agunt, ean. pro dilectione. & can. scenicis. de consecrat. distin. 2. tolerantur passim, improbati tamen apud omnes, cùm & apud nos, & vbique gentium solas principibus, & cuiuis de populo, statísque rarùm temporibus, delicias, discincta, ignauáque inter otia, faciant. Imò nec agi amplius causas histrionicas, hilariorum die, patiuntur nunc, vt anteà, iudices. dixi de his plura ad Pandectas tit. de Ædilit. ed. abrogauit eum morem Dom. Virdunius, hodie Senatus Princeps literatiss.

TIT. XV. DE PROCVRATORIBVS.

Promiscuum apud Andes, Cœnomanos, Ambaquienses, Aduocati, & procuratoris munus, eóque vna, ac eadem persona coniunctim fungitur. Tentarunt hoc ipsum aduocatorum pleraque variis in tribunalibus collegia: Blæsenses videlicet, Turones, Carnutes, Regiomontani, aliique plurimi quorum causæ in Senatu non semel actæ sunt: Sed in cassum id. Cessere enim omnibus cœpta in irritum, licèt codicillos à Principe impetrassent. quæ præcipua, ad res nouas constituendas, fultura. memini, cùm anno 1605. die 17. Februar. peroraret Lud. Dolæus, qui, posteà Consistorianus Comes, pro aduocatis Turonensibus aduersus procuratorum collegium, lancinasse illum stylo acriore equidem, atque in genere, ordinem procuratorium, qui propterea per primates fori, factóque seniorum delectu, conqnestus est acerrimè apud Dom. Harlæum, tunc Senatus Principem, sed frustrà etiam, quia qui perorauerat, ei charissimus: flagrantésque iras temperauit acrurùm dignitate oris, renidenti vultu, blandóque imperio. Nihil ergo tandem superesse aduocatis cuiuscúmque sedis Gallicæ visum est vnde ausint amplius, possintque deinceps litem hanc, plus æquo decisam, ac terminatam, repetere. Nec certè foro superiori cuiusque prouinciæ ornatius quicquam, atque ad instruendas, explicandásque lites vtilius, imò & tutius, quàm vt separata, distincta, sepositáque sit formulariorum, qui moliantur, parent, ac præsternant, & iurisperitorum, qui lapsa erigant, ambiguáque iura explanent, solers, ac sollicita hinc illinc professio. Dignitatis autem Senatus Parisiensis futurum semper est, at verò & illibata in perpetuum collegio procuratorũ constabit sua fides, peritiáque antiquo, ac laudatissimo, iudiciorum ordini, in quo addiscendo tota amanuensium iuuentus exigitur, si non ex edicto, ac pecunia, sed ex delectu Senatus, vt optimè semper in hunc diem, conferantur tam necessaria ad lites rectissimè ordinandas, instruendásque munera.

IMP. ANTONIVS PIVS.

L. 1.

Cautio ratihabitionis tunc exigitur à procuratore, quoties incertum est, an ei negotium mandatum est.

Alexander, & Paulus Castrensis ad hanc l. mouent quæstionem quæ verè forensis. vtrùm scilicet qui habet instrumentum causæ principalis, censeri debeat, seu præsumi, vt loquuntur, habere mandatum. Decidunt autem, præsumi, admittendúmque esse dummodò caueat de rato. vtitur Alexander in hanc sententiam, auctoritate glossæ legis vltimæ. inf. de pact. conuent. Quæsitum est, si, vt sæpe accidit, diffiteatur quis mandatum à se aliquid ei qui ipsius nomine egerit, aut, vt in vero aculo nostro, *s'il desaduoüe le procureur qui a occupé, & qui n'a ny lettres missiues, ny procuration, ains seulement quelque piece du procez qu'il dit luy auoir esté enuoyée, ou baillée pour occuper*, vtrum abue-

gationi sit locus: aut, vt longè melius sermone patrio, *s'il y a lieu de desaduouër*: non esse autem, docet plus satis vsus, rerum magister. Ita enim seruamus. censuitque ita ordo amplissimus ann. 1599. mens. Martio. vide quod & huc faciat, ad l. si procuratorem. ff. hoc eod. tit.

IMP. ALEXANDER.

L. 9.

Qui stipendia merent, suis negotiis superesse, inoffensa disciplina, possunt.

Miles enim habere ibi domicilium videtur vbi meret, si nihil in patria possideat: ait lex, municeps. §. 1. ff. ad municip. ex lib. flor. vide quæ notaui ad l. 7. milites. & ad l. pen. ff. ex quib. caus. maior. Cæterùm animaduertendum est, dici in nostro textu, militem qui meret, posse quidē esse procuratorem in rem suam, cogi verò nō posse. Ratio, quia iure singulari, id est, ex priuilegio, facultas agendi illa sit, quod & mulieri tribuitur, in l. qui absente. ff. de procurator. Quod autem est facultatis, seu potestatis, non est necessitatis, l. sæpe audiui Cæsarem, de off. præsid. Intelligendum verò istud perpetuò, dummodo inoffensa sit disciplina militaris, ait hic textus, id est dummodò propterea officio, fungendóque muneri non desit statis hòris, ac diebus quibus *cecidit custodia sorti*, & mauanda militaris opera. Quotidianum hoc inter protectores, (custodes regios dicimus, δορυφόρους Zosimus) quos & in forū, & alias passim vrbis regiones proficisci cernimus, vt seu aduocatos, seu procuratores suos adeant, imò & ipsos iudices, si immineat iudicium, negotiis denique suis superesse, extra quàm si manendum sit in statione arcis luparæ, aut impetretur à duce venia.

IMP. GORDIANVS.

L. 13.

Ita demum. Cùm primùm litem contestatur quis, debet ei opponi præscriptio militiæ (gl. à milite, vel à iudice, quia scilicèt miles est) *aliàs exceptio illa dilatoria, seu procuratoria opposita post litem contestatam, nihil operatur.*

Huc spectat titulus, *Qui legitimam personam standi in iudic. hab. inf.* sed quicquid decîdat glossa quam suprà interserui: & licèt decisio 124. cap. Tolos. velit valere litem quæ instituta cum religioso, contestatáque est, nisi exceptio procuratoria allegata in eum ante contestationem fuerit: seruamus à contrario, peti posse in quacumque parte litis, si per incuriam, aut imperitiam admissus sit vel religiosus simplex, sine authoritate superioris, ad agendum, vel minor, nullo tutore auctore, vt religiosus ille abbatem, priorémve habeat actionis, exceptionisve suæ auctorem, atque vt idoneus minori curator detur. Ille proculdubio vsus est legis 1. & 7. admone. inf. qui petant tutores, vel curat. Ratio, quia si vincamus vt actores, aut vt Rei, nostra vtróque casu interest nè irritum sit iudicatum. Imò etiamsi vel Senatus plenissima cognitione iudicasset aduersus minorem, semper nihilominus immineret supplicatio, seu requesta ciuilis, vt loquimur per omissas defensiones, ex vulg. l. minor. autem magistratus. §. 1. de minorib. ff. & l. 4. si aduersus rem iudic. inf. hoc lib. 2. facit verò & quod adieci ad l. in delictis. §. si detracta. de noxalib. ff. Faber hîc notat quod in quotidianis & nunc experimentis: religiosum nempe posse esse procuratorem sui monasterij: multáque

cendo) *ab agendo repellitur. Procuratoris enim officium debet esse gratuitum.*

Dixi de quota litis, ad l. si qui aduocatorum. sup. de postul. Supplet autem meritò hîc glossa, non adeò esse gratuitum procuratoris officium, quin inde sequantur mercedes variæ, altæque in multis ex litium fœtura segetes, maximè in supremis tribunalibus, in quibus vix vt, quod ait Tullius, pereant vitio pretia egregiè cordatis, si spectemus quid per leges fori cuiúsque debeatur, quid mores ferant, quid maioris, mediocrísve clientis, qui vicit, quotidiana, exuberánsque interdum, vt in foro Parisiensi, munificentia. Δωροφόρος νίκη: & honorata sæpius liberalitatis occasio est, inquit Valerius: præsertim verò id, vbi ἀπροσδοκήτως, qui nimirùm, vt in Olympicis, vincunt, (quod sæpe fit) insperata victoria. Raræ autem lites de procuratoris salario: præscriptionique locus est, si biennium, citra petitionem; transierit à die litis finitæ, sicq; planè desierit cliens, toto eo tempore, vti procuratoris opera qui postea actionem de forensi salario instituit. attingit & istud Chopinus lib. 2. tit. 8. consuet. Paris.

IDEM IMPERATOR.

L. 17.

Inuitus. Prouocationis causa procurationem extendere potest procurator.

Seruamus hoc de more. Procurator enim vbi sententiam aduersus clientem suum latam videt, appellat confestim. nec sibi, clientíve suo officit ea appellatio. Suprema enim illa vox, quæ spirat affectum erga eum quē procurator susceperit. Accedat verò quòd procurationis instrumento semper facultas appellandi, inter cætera, tribuitur. Forensia hæc. Subnotandum autem puto & quòd egregiè Cuiacius lib. 13. Obseruatio. cap. 5. de duabus constitutionibus Græcis profert ad tollēdam dubitationem quæ ad hanc l. moueri solita est, an scilicet procurator datus ad litem agendam, possit non modò à sententia dicta appellare, sed causam etiam appellationis exequi. vetat enim constitutio, quam exscribit è Basilicis, nè quis duobus iudiciis cuiusquam procurator sit: sed vt alius sit in maiori auditorio procurator, veluti in foro Præsidis Prouinciæ, alius in minori à quo soleat ad maius appellari, vel referri, veluti apud iudicem pedaneum. Sed vt ex priscis Romani Imperij vestigiis obseruatio illa est, quibus procuratorum in vno quoque foro, vel iudicio, certus fuit numerus, ita & irrita nunc, inanísque per nostros mores disputatio, quibus nemo non videt procuratores eosdem fungi suo munere (*occupare*, vulgò dicimus) non modò in præfecturis inferioribus (dicūt, *prauostez*) sed & in superioribus Balliuatibus, vt in vernaculo est: eosdem etiam apud recuperatores Basilicanos, seu fori libellensis iudices, qui postea, appellatione interposita, apud Senatum. Tantum excipitur, si distincta latè finibus, ac tectis tribunalia, sique vt maiores iudices, ita & pariter minores sibi separatim, suóque in tribunali proprios procuratores habeant.

IDEM IMPER.

L. 21.

Maritus citra mandatum, in rebus vxoris, cum solenni satisdatione (gl. scilicet de rato) *& alia obseruatione,* (gl. scilicet de de-

I

fendendo) *intercedendi liberam habeat facultatem, nè fœminæ, persequendæ litis obtentu, in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant, & conuentibus virorum, & iudiciis inesse cogantur.*

Inde maritus dicitur Dominus ciuilis, id est administrator rerum dotalium, in l. in rebus. de iu. do. l. doce. de rei vendic. inf. nec vllo propterea vxoris mandato opus esse, ait hîc iure optimo Imperator, cùm & Romæ, & Athenis, ac vbique gentium, mulieres fuerint in perpetua maritorum tutela, potestate, ac manu. dixi plura ad Pandectas lib. 23. & 24. hinc Homericum istud, [illegible] id est, gubernare vxorem, quasique leges ei condere. quod nescio cur damnet Aristoteles lib. 10. ethicor. cap. vlt. vt Cyclopicum, ille ipse qui instituit principatum viri in vxorem, lib. 1. politic. cap. 11. [illegible], dicit passim in hoc ipsum D. Chrysostomus. D. Augustin. tractatu, de vtilitate ieiunij, cap. 4. tom. 9. *dat*, inquit, *vnusquisque in domo sua disciplinam coniugi suæ.* rursúsque lib. 5. quæstionum super Deuteron. q. 33. *Satis hinc apparet quemadmodum subditas fœminas viris, & penè famulas lex esse voluerit vxores. &c.* Alienare autem non possunt bona dotalia, neque auctoritatem ipsis ex ea causa præstare, nisi in casibus exceptis, putà si vt liberaretur carcere, si ad alimenta familiæ, aliúdve quippiam necessitatis extremum subsidiũ, de quo plura ad l. si dotare. ad Velleian. ad Auth. si captiui. de episc. & cler. aliisque locis ad Pandectas, & Cod. per occasiones quæstionum, diximus. notandus verò in hoc, artic. 541. consuet. Norman. tit. *de mariage encombré*, id est, *empesché*, (ita enim interpres) cùm scilicet alienata est dos. Ista nempe in genere de administratoribus rerum vxoriarum maritis. quotidiana autem paucis ita interpretor: Primùm enim censuit Senatus ann. 1586. die 24. April. perorantibus Chopino, Bochello, & Buissonio, Molinensi, præstandã esse vxori à marito auctoritatem in alienationibus, etiamsi, separatione bonorum facta, vtérque res suas sibi habeat. pronuntiatum istud in consuetudine Aurelian. causæque vt interfui, ita & notaui semper accuratissimè, cùm ex illo anno 1586. nullum aliud ius obtineat, licet ex re quadam singulari, & spectatis personis, iudicatum sit contrarium ann. 1597. die 21. Ianuar. dicentibus Tus. Chamelino, & Fr. Portæo. sed ius erat in causa, vt dixi. Imò seruamus, maritum posse litem instituere, redibitionis gentilitiæ nomine, ex capite vxoris, quantumuis illa dissentiat, nec eius procuratione opus esse. quod & ita statuit vnicè consuetudo Borbon. art. 465. Deinde iudicatum anno 1601. die 18. Iunij, commissis ad causam patronis fortissimis, Annæo Roberto, & Lud. Dolæo, qui posteà consistorianus Comes, abnegari à marito non posse (dicimus nos Galli, *desaduoüer*) eum qui procuratorio nomine in ipsius mariti litibus occupat, si operam pariter præstet expediendis vxoris litibus, cuius indiuisa bona sint, tametsi vxor illa litiget auctore tantum iudice, non marito, seu, vt stylum interiiciamus vernaculum, *estant authorisée par iustice au refus de son mary*: impugnaríque proinde non posse posteà à marito vt irritum quod, solo vxorio nomine, decisum fuerit. Summotus ergo non ita diu Comes Desquartius supplicatione, seu requesta ciuili, vt loquimur, quam aduersus Senatusconsultum impetrauerat latum secundum viduam de Villequier ex his quæ trado suprà. Dubitatum an minor 20. annis maritus possit auctor esse vxori quæ 25. annos excesserit, si de paternis, auitísve illius bonis agatur: pronuntiatum autem est in purpuris à Clariss. Dom. Ant. Seguerio, infulato Præside, posse maritum & istud, arg. l. 2. ff. de manumiss. vind. ann. 1608. ad Paschales ferias, quicquid Chopinus in contrarium scripserit lib. 2. tit. 1. ad consuet. Paris. Textus enim legis illius secundæ, in hoc singularis, qui etiam varia tunc, elegantíque interpretatione discussus est. Quæsitum est an & maior annis 25. maritus possit dari curator vxori quæ annos forsan 20. nondum exierit: non posse autem constat ex disertissimo textu legis 2. inf. qui dare tutores, vel curatores possunt, & qui non possunt, cuius legis hæc verba: maritus etsi rebus vxoris suæ debet affectionem, tamen curator ei creari non potest. vbi glossa rationem hanc subiicit: quia nimirùm, si malè gerat maritus, remittet procul dubio vxor affectu vxorio. quæ tamen ratio glossæ displicet Argentræo, ad consuet. Armoricam, artic. 483. qua

contrarium statuitur. Ait enim Argentræus ex Bartolo, ideò maritum non posse esse vxoris curatorem, sed procuratorem dumtaxat, quia procurator quandocumque reuocari potest, curator, nisi, plenissima causæ cognitione, non potest. Amplius reperio apud Butillerium in summa rurali, fol. 16. quia scilicet maritus eo casu bona vxoris ad vtilitatem suam, magis quàm hæredum ipsius vxoris, administraret. sic Butillerius, nec alia ratione, quàm vt in tuto sint bona vxoria. Sic apud Rhemenses stylus ille est quotidianus, vt si maritus velit agere ad dotẽ vxori suæ debitam, (vocant, *vn apport*) agere non possit ipsemet, sed curator, de more creetur vxori ad agendum. qui stylus nè tam nouus cæteris Gallis videatur, accepi à Iac. Choartio, qui maxima celebritate nominis, ex vsu rerum, doctrináque politiori, ad annos vsque 85. in foro nostro eminuit, datum se fuisse à Senatu, multis ab hinc annis, curatorem vxori tunc minori, Clariss. Iac. Guesiæi, procuratoris Catholici, ad actiones quas è re, patrimonióque dominæ illius, moueri oporteret. hoc ipsum verò & notat Loetianus libellus in lit. M. num. 1. in cæteris vide Chassanæum ad consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 5. vbi latissimè. non putat tamen, si maritus sit minor, posse eum stare in iudicio, nè quidam procuratorio nomine, pro vxore, nisi iurauerit se non petiturum restitutionem in integrum. statmus autem iudicatis, maximè vbi inter ardentes purpuras, solenni iudiciorum more, pronuntiatum est, vt contigisse ad hanc ipsam quæstionem, suprà refero. Cæterùm vt videmus tota hac lege edici, ideò maritis frequentanda esse fora, litésque amplectendas quę ad vxores spectent, eiúsque earum mandatum, nè illæ conuentibus virorum, ac iudiciis interesse cogantur, néve in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant, litis persequendæ obtentu, scripsit eadem prudentia, Euripides in supplicibus, pag. 2.

πάντα δι' ἀρσένων γυναιξὶ,
πράσσειν εἰκὸς αἵ τινες σοφαί.

id est, omnia per mares efficere fœminas decet quæ sint prudentes. maximè verò id vbi inter forẽses cœtus quibus declinari interdum vix possit à litigatricibus peccatrix eloquentia, quod dixit Hieronymus, & quin aliqua sæpius obscœni in se pudoris detur fabula. nihil tutum, ait ille, in quo totius populi vota suspirant. alius forma, alius ingenio, alius faceriis, alius liberalitate sollicitat, aliquo modo expugnatur quod vndique incessitur. Contumelia igitur matronalis pudoris illa est de qua hîc noster textus, *γυναικὶ γὰρ αἰσχρὸν μετ' ἀνδρῶν ἑστάναι νεανιῶν*, ait rursus Euripid. in Electra, id est, fœminæ turpe est stare cum viris iuuenibus. & cùm vetera Galliæ nostræ decreta nihil magis cauerint quàm nè forensem turbam adeant, vacéntve litibus fœminæ, subiungam pro coronide nonnulla ex concilio Namnetensi, can. 19. mirum videtur, inquit, quòd quædam mulierculæ, contra diuinas, humanásque leges, attrita fronte impudenter agentes, placita generalia (dicimus nos Galli, *les playds, & playdoiries*) & publicos conuentus indesinenter adeunt, &c. cùm indecens sit, & etiam inter barbaras gentes repræhensibile, mulieres virorum causas discutere, &c. vult denique mulieres ex lege Theodosiana nihil aliud prosequi in publico quàm suas causas: Iustinianus autem qui redegit in suum hunc codicem leges cuiusque Imperatoris, quatenus alia aliam emendare, temperare, aut interpretari in melius visa est, istam, quæ Constantini est, tametsi Theodosiana antiquiorem, suffecit, quia honestas longè maior, sexuique conuenientior. quid verò si, vt hodie, tot sanctimonialibus pudefieri basilicas forenses vidisset? detorquebatur aliquando in hoc ipsum, nec abs re, quod olim de Cæsare ferebat fama experenti arma ciuilia, apud Sueton. prætextũ quidem illi, ait Suet. ciuilium armorũ hoc fuit: causas autem alias fuisse opinantur. Sic verò & istæ, aiebat vir doctus, prætexũt causas pudẽdas specioso sæpius nomine persequendarum litium.

ID. IMP. ET IMP. IVLIANVS.

L. 22. & l. 23.

Procuratoribus institutis, & post contestatam litem dominis effectis, &c.

Solum istud ex vtraque hac l. obseruandum putaui, vt qua procurator dicatur effectus dominus litis per cõtestationem. Verum adeò istud iure ciuili, vt si dominus, post litis contestationem, decessisset, mãdatum propterea non finiretur. Ratio Imperatorũ hæc est in hoc textu, quia nimirũ litis contestatione procurator fiat litis dominus: vsq; adeò, vt & alium ipse procuratorẽ facere possit. Laudátq; Symmachus lib. I. epist. nostram in hoc constitutionem his verbis: *Successit aliud, vt obitu Marcianæ, clarissimæ fœminæ, mandatum diceretur exstinctum. sed contra venerabilis Iuliani sanctio stare procuratorum iussit officia, causarũ dominis viuentibus inchoata.* Sic Cuiacius lib. 2. cap. 31. obseru. Aliud autẽ nostris cõstitutionibus. vocat enim cõstitutio anni 1535. clientes, dominos procuratorũ: vt sanè nihil quacũq; in parte litis potest procurator, nisi quatenus & in quantũ velit cliens. reuocare enim potest quotiescumq; lubuerit, & cogere vt sibi instrumẽta litis omnia restituat refusis impensis, si quæ sint, persolutóque omni salario. quod fit frequentissimè. sed domini dicũtur procuratores, quatenus clientum absentium personas referunt, quæ olim, atque ex antiquis fori moribus, adesse solebãt cùm causæ eorum agerentur in Senatu, neque abesse poterant nisi impetrata à Principe venia, vt reperies apud Io. Fabrum, §. 1. num. 8. de inutil. stipulatio. possunt enim tunc, nempe si absit cliens, eligere aduocatum qui scribat, qui peroret, consulat, si opus sit, singuláque in vniuersum peragat quæ causam in tuto collocent, aut certè adiuuent. Ipse autem prospicit formulis, & cauet accurata opera, nè quid sinistri obrepat ab aduersario. edit instrumenta, libellos pro re nata iudicibus porrigit, causas, si quæ agendæ sint, catalogis seu prouincialibus, seu extraordinariis inserit, nec pomeridianis sessionibus permittit, nisi quæ sint leuioris cognitionis, viderit, applicans antemeridianis causas appellationis tanquam ab vsu, supplicationes, seu, vt loquimur, requestas ciuiles, causas beneficiarias, collationes regias, (regalias vocant) & quæ denique altioris indaginis fuerint, vt in hoc sunt Senatusconsulta longè plurima, quæ non semel vidimus. Quod si quasdam non mereri disceptationem fori publicam constet, expediendas eas, id est, diiudicandas ab vno è consultis, quem nominarit, curat, prout patronus, ab eo etiam electus, cui commissæ sunt, commodiùs, meliùs, tutiúsque cum eo arbitratus, vel absente, insciόque, aut etiam interdum inuito cliente, fuerit. leges enim fori illæ sunt in quibus procurator opera sua forensi fungitur, verè vt dominus ciuilis, id est, administrator, rector, quasique nauclerus in agitato ventis mari.

IMPP. ARCADIVS, HONORIVS, ET THEOD.

L. vlt.

In pecuniariis controuersiis, &c. passim vnicuique per procuratorem respondendi tribuimus facultatem, nisi fortè quosdam, iustiores nonnunquam ob causas, vehementiores maximi iudicis vocabit auctoritas.

Dignissima notatu glossa vltima, cuius hæc verba: maximum vocat quemcumque audientem causam. respectu enim partium saltem est magnus. sic glo. quam probat adeò Io. Faber, vt quasi ex eius breuissimo scholio abicrit istud in adagium inter toga-

tos, maximum nempe, esse iudicem quicumque audit causas. sic ille nempe ob honorem, & obsequium debitum omnibus ex æquo qui sedent pro tribunali, & ius dicũt. Illustraui hanc partem variis locis ad Pãdectas, ad tit. si quis ius dic. non obtemperau. ad l. 2. vers. per eos. de orig. iur. ad l. obseruandum. §. sed in cognoscendo. de off. præs. ad l. 1. de postul. vbi & citatur hic locus.

TIT. XIIII.

Ne liceat patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre.

IMP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. I.

Diuinè admodum constituit D. Claudius, consultissimus Princeps, parens noster, vt iactura causæ afficerentur ij qui sibi potentiorum patrocinium aduocassent: vt, hoc proposito metu, iudiciaria lites potius suo marte decurrerent, quàm potentiorum opibus niterentur. hócque interest præcipuè tenuiorum qui sæpe importunis potentium intercessionibus opprimuntur.

Prætermitto facilè quæ consarcinant de hunc tit. Barrolus, Baldus, Salic. Iason. Tot enim sunt quasi incogitanriarum inanitates. Primùm igitur vt ex malis moribus natas leges docet lex. 1. ff. ad Macedon. proculdubio promulgata fuere hæc Imperatorum edicta ad iniiciendos porentioribus frænos, quibus pro oblectamento erat, recipere in se actiones, litésque alienas, quaslibet, modò per gratiam, modò per sordes, aut etiam per vlciscendi animum, vt ceu *maiestate manus*, quod apud Persium, terreretur litigator quiuis infimus in quem admissa ab ipsis esset actio, Adumbranr, ait grauis auctor, potenriores fucato iustitiæ nomine sua ipsorum desideria, vmbratiléque publici pudoris velum veritati obtendunt: Ita Dio, lib. 52. cuius verba: τοὺς βιάζεσθαι δυναμένους, &c. οἴονται πάντες σχῆμα, καὶ σκιαγραφίαν πολιτείας αἰσχύνῃ περὶ τῆς ἀληθείας προπεταννύντας, ὀνόματι ἐννόμου δικαστηρίου τὴν ἑαυτῶν ἐπιθυμίαν ἀποπιμπλάναι. sic ille, id est, eos qui cogere possunr, putant omnes, quia speciem, & vmbratilem publicæ disciplinæ pictutam pudori, qui veritatem obregat, prętendunt, nomine legitimi, æquíque iudicij, suum ipsorum desiderium explere. hactenus Dio. Eò autem faciliùs, audaciúsque istud moliuntur, quò inferiores longè, infirmiorésque plebeios vident aduersus quos actionibus cessis experturi sint, itaut lædi ab eis numquam possint, quacumque ratione damnum, iniuriámque inferant, nec abs re propterea de eiuscemodi Herculeis Regulis intelligitur Homericum hoc ab eruditioribus,

— εἰ ἀάπτους χεῖρας ἀφείω,

ait Iupiter Iunoni, id est, si manus immisero intangibiles, id est, quæ tangi, præhendique non possint ab eo quem percussero, percuriam enim, feriámque parum meruens vt quis repercutiat. Ea denique porenriorum frequentissima fiducia, & quid ipsis animos faciat ad insolenriam, cui vt earur obuiam, edicunt Imperatores, & (quod animaduerterint sagaciores,) verbis rantò grauioribus, & grandioribus, (nempe, *Diuinè*

admodum constituit consultissimus princeps) quantò maiores, ac minaciores viderentur aulici qui pessimo, quasique indomito illo more opprimebant, aut etiam, vt sic loquar, depascebant infra se positos. Agunt ergo querelis quotidianis omnium cuiusque ordinis, vt verisimile est, fatigati, quasi in hæc verba locupletissimi omnium scriptoris, μάλιστα γὰρ αἰδεῖσθαι προσήκει τοῖς ἥκιστα φοβουμένοις: id est, æquissimum est vt suffundantur saltem pudore qui quàm minimè formident. egregiè, vt omnia, Polybius lib. 1. οὐ χρὴ τηλικαύτην οὐδενὶ συγκατασκευάζειν δυναστείαν, πρὸς ἣν οὐδὲ περὶ τῶν ὁμολογουμένων ἐξέσται δικαίων ἀμφισβητεῖν. id est, numquam permittendum, cuiusquam principatum, seu potentiam intantum crescere, vt neque de manifesta iustitia apud eum dubitare liceat. sic ille. Aduertendum deinde qua prudentia illi ipsi Imperatores nihil prorsus in maiores aulicos, nimiámque eorum licentiam constituant, sed afficiendos tantùm iactura causæ qui sibi illorum patrocinium aduocassent quasi enim subterfluit minaciter torrens rapidus, vt hoc dicam cum maiore Plinio, minæque iactantur in inferiores vt & formident quoque superiores aulici, sibique ab eo temperandum cogitent quod & sit lege promulgata irritum, & odiosissimum Imperatoribus, sollicitis vnicè nè pulli deinceps aquilarum præda rapacium, quas opimus fallere, ac effugere, sit triumphus.

——*Pisces*, aiebat Varro, *sic sæpe minutos*
Magnus comest, sic aues enecat accipiter.

Puto ergo ex his latum hoc Imperatorium edictum. Eò autem & spectant plures apud nos constitutiones regiæ, nempe Caroli, S. Francisci primi, & Caroli, 9. quæ eiusmodi cessiones in potentiorem factas damnant, minisque adiectis, coërcent, ac vetant. In quibus tamen seruatur ex vsu hæc distinctio: videlicèt vt valeant nihilominus, effectúmque accipiant, si, nulla mota iam lite, factæ sint, sicque citra impressionem potentioris: nec vllus vnquam rescissum à Senatu vidit quod ita translatum, & cessum. Aliàs enim magno incommodo afficerentur optimates, nemine eum his contrahente, & quodammodo commercio eis interdicto, quod de minoribus Paulus Iurisc. tit. de minoribus, l. quod si minor. Sed prohibitio illa constitutionum tam ex Imperatoribus Romanis, quàm ex Regibus Francicis, intelligitur si controuersum, aleæque iudiciorum commissum sit quod ceditur, itaut quasi desperatione id fiat ab eo qui viribus suis, in pessima causa, diffisus, ad aheneum, quod dicitur, vertat se patietẽ, πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον, vt ferè in simili dixit Aristoph. in ranis, sicque transferat in potentiorem non modò, sed in terrificum, ac ferocem alium quemlibet quod ex se tueri per leges, & iura non possit: eo enim sensu accipiendus locus vulgatissimus Symmachi lib. 10. epist. 41. Admittit propterea de more ordo amplissimus imperratum à principe rescriptum, vt refundere pecunias liceat quæ ex iuris litigiosi cessione solutæ sint: Sequimúrque in eo leges verè forenses, per diuersas. &, ab Anastasio. Cod. mandati. nihil hodie vsitatius. Aiebat non ita diu celeberrimus patronus, quem criminabatur infulatus Præf. Rhotom. quia se ab eo paucis antè diebus lacessitum in causa diceret: Si remotiores sint statuæ, pictæue imagines, agnosci vix possint inæquales earum lineæ: accedere ad eas propiùs necesse est. Sic qui queruntur apud Senatum, vel Principem de optimatum cuiúsque prouinciæ tyrannide, afficiunt quidem vtcumque, atque in animis relinquunt quod aliquam de eo quod narratur, fidem faciat. sed soli notior, qui quotidianis tanquam ictibus subiacent, quanta est vis, ac ferocia eorum quorum audiuntur, nec cernuntur iuges, perpetuique impetus: quasi dicat cum Tacito, lib. 20. *Dij fortioribus adsunt.* transeo ad titulum ferè similem.

TIT. XV. DE IIS QVI POTENTIORVM NOMINE TITVLOS PRAEDIIS AFFIGVNT, vel eorum nomina in lite prætendunt.

IMPP. ARCAD. ET HONOR.

L. vn.

Animaduertimus plurimos, iniustarum desperatione causarum, potentium titulos, & clarissima priuilegia dignitatis, iis à quibus in ius vocantur, opponere.

Item, afficienda sunt publica sententia nota.

Item, affecti plumbo, perpetuus metallorum suppliciis deputentur.

§. vlt. Qui se sponte alienis litibus inseri patiuntur, veluti famæ suæ prodigos, & calumniarum redemptores, notari oportet.

Occasionem Arcadianæ, atque honorianæ huic constitutioni præbuerunt, nec minùs quàm superiore titulo, querelæ priuatorum in subdolos litigatores, qui, cum nullo iure controuersa prædia possiderent, vel in iudicio victi essent, nullum non mouebant lapidem, imò Archæronta ipsum, vt sic loquar, ne exirent, néve post rem iudicatam, viatoribus, vllisve iudicum ministris parérent. Falsò enim contestabantur, vel res de quibus ageretur, suas amplius nō esse, vel liti sese exemisse, quæ propterea cum potentissimo, cuius nomen terrori esset simplicioribus forsan, aut rusticis, & credulis, disceptanda in posterum veniret. puniendos ergo eos esse tanquam falsarios, imò & plumbatis, id est, permixtis plumbo verberibus, cædi, rundique saneiunt Imperatores, darique posteà in metallum: iis autem qui famam, ac nomē tam miserè prodegissent, calumniæ notas inuri. In quo equidem, vt nè, quasi in schola ipsa, leges ex legibus tantummodò aperiam, sed, qua ratione vsui esse possint, commonstrem: seponendum ferè existimo quod dicitur in textu de litibus, quæ potentioris alicuius inserto nomine decurrunt. Vix enim hoc hodie, maximè apud Gallos nobiles, à quibus nihil tam alienum quàm fori iurgia. Spirant potiùs, tractántque arma, & lituos, &, nisi iustissimi nostri Ludoici Christianum verè edictum obstaret, optarent longè ardentiùs dirimere suas controuersias monomachiis, seu duellis, vt antea, quàm nomen suum, quasi viles quidam cerdones, vitilitigatoribus vendere. sed pertrahenda potiùs legis huius vnicæ speciei ad priuilegiarios, qui abutuntur priuilegio suo, ac nomine ad suos quæstus, quod Tullius dixit, verr. 5. per gratiam, inuidiam, aut odium, pro causis, & personis, quibus incidit vt, é re nata, prosint, vel noceant. proferenda autem & similis huic nostræ hypothesis, quæ omissa est ab omnibus interpretibus, & veteribus, & nouis. Habemus enim legem 1. inf. de nauibus non excusandis, lib. 11. cuius decisio egregiè conduxerit ad res varias, præsertimque vbi erumpit necessitas inopina de publico cui ocyus, moráq; omni sublata, subueniri ab vniuersis debeat. dicam istud vernaculo nostro Gallico, *quand quelqu'vn s'aduoue d'vn grand pour s'exempter, ou quelque chose qu'il a, enuers le public.* Verba d. legis 1. hæc sunt, multi naues suas diuersorum nominibus, & titulis muentur (gl. scribendo nomina potentum, quorum decérer nauem esse) cui fraudi obuiantes, præcipimus, vt si quis ad euitationem publicæ necessitatis, crediderit apponendum titulum, sciat nauem esse fisco sociandam. Nam vt pri-

uatos quoque non prohibemus habere nauigia, ita & fraudi locum esse non sinimus: cùm omnes in commune, si necessitas exegerit, conueniat vtilitatibus publicis obedire, & subuectionem, sine dignitatis priuilegio, celebrare. sic textus, qui vt in pauciora redigi non potuit, ita & perutilis, in argumentum, ad longè plurima futurus est, vbi priuatus ambit, atque contegit res suas magni cuiusdam, potentísque ceu purpura, ac nomine aduersus vel priuatos, vel publicum, quod occurrit etiam frequenter satis in prætoriis, domibúsque rusticis, vt nè in eis hospitentur milites, vel officiales principum, ducum, &c. qui iter faciunt. mirè hoc expressit D. August. ad Psalm. 21. in hæc verba: *nè domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de alieno titulo muniri, vt cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abstineat à petitione.* Citauit Cuiacius ad hunc titulum, cui & acceptum fero. Quid enim nesciit tantus literatæ æquitatis indagator? tamen & notaueram ipse, vt aspersi longè plurima ad Pandectas, & librum primum Codicis ex D. Augustini vniuerso latifundio.

TIT. XVI. VT NEMO PRIVATVS TITVLOS PRAEDIIS SVIS, VEL ALIENIS IMPONAT, vel vela regia suspendat.

Sic & optimè dixeris, Cuiaciana paraphrasi, tam ad l. 3. de bonis vac. lib. 10. quàm ad hunc tit. io paratit. Solius fisci est, titulos alienis prædiis imponere, nec licet priuato vel suis rebus potentiorum, alienísve proprios, aut publicos imponere titulos, suspendere vela regia, siue, vt Ambrosius loquitur, cortinas regias, indicta causa, sed publicis personis præsentibus, auctore iudice, & solemni iuris ordine seruato, etiamsi sit iniustus possessor, aut prædo is qui ea tenet, vel, etiam si in ea causa sint prædia, vt fisco vendicari debeant.

IMPP. HONOR. ET THEODOS.

L. 1.

Regia maiestatis est, vt nostra tantùm domus, & patrimonia titulorum inscriptione legantur. Omnes igitur intelligant publico iuri esse deputandum id cui nomen dominicum præscribitur.

Vt referenda primæ huius legis interpretatio ad titulum, ex doctrina legis Imperator. ff. de in diem addict. quæ est, vt leges intelligi semper debeant secundum titulum sub quo locatæ sunt, ita & necessariò dicendum est Honorium, & Theodosium blãdo imperio cõposcere optimate aulicos, quorum magna pars eò temeritatis, ac audaciæ erupet, vt si delatam diuitis alicuius hæreditatem sciuisset, titulos confestim prædiis hæreditariis ex Imperatore imponeret, signaculáque mobilibus, vendicantes sibi ex eo fuco quod legitimorum, scriptorúmve hæredum esset. Sic Nou. 17. in fi. & Nou. 16. in princip. attingúntque eiuscemodi inuasiones non modò D. Augustinus, qui citatur à Cuiacio, sed & D. Gregorius lib. 1. epist. 63. in regist. Symmachus lib. 5. epist. 52. Cassiodor. lib. 5. epist. 6. & lib. 9. epist. 18. Practici autem nostri, maximè clariss. Ægid. Magist. cap. 11. de bonorum publicationibus, deducunt ex his velorum regiorum morem (vocant, *pannonceaux*) ad decreta auctionalia: notántque, inter cætera, fas non esse vllius domini, seu patroni feudalis vela in prædiis prætorij pi-

gnoris suspendere, sed solius Principis. quod & ita semper Senatus, ex constitutione anni 1551. vide etiam caput 1. lib. 3. de cessione in iure, seu de deguerpissamento, vbi latissimè. perstringunt ergo hac lege Imperatores, aut coërcent potiùs nimiam aulicorum, potentiorúmque licentiam, qui sua auctoritate, insciòque principe, inuadebant bona priuatorum hæreditaria, adfixis Imperialibus velis, ac titulis. In cæteris casibus constat licuisse priuatis nomina & imperialia, & sua, titulósque, & inscriptiones publicas prædiis, ac operibus tam priuatis, quàm publicis, imponere: ita in l. 2. §. vlt. l. 9. & l. vlt. §. 1. ff. de operib. public. *Si qui iudices*, ait d. lex 9. *perfecto pecuniis publicis operi suum nomen, sine nostri numinis mentione, inscripserint, maiestatis teneantur obnoxij*. Plena ferè Lutetia eiuscemodi publicis titulis. Tantáq; apud veteres fuit illa inscriptionũ ambitio, vt immortales ferè nisi ex eo sese futuros crederent, vt testantur Plinius, Dio Chrysost. Pausanias, Thucydides, Demosthenes, nouissiméq; Lipsius, lib. 1. electorũ. Notũ eruditis de Phidia, qui cùm esset diis, quàm hominibus efficiẽdis melior, ea arte speciẽ sui similẽ inclusit in clypeo mineruæ, vt citra signi illius eborei vniuersum interitũ, eximi species illa non posset: egregiè id Cic. Tuscul. 1. Sic & Sostratus, Architectus Gnidius, cùm extruxisset illã in Pharo turrim, vnde accensæ faces nauigantibus viam dirigunt, compertum est multò pòst architecti nomen intus, saxóque in imo inscriptum, supernè autem calce illita, quæ priorem inscriptionem occultaret, nomen eius qui tunc regnabat, insculptum, ita vt literæ foris inscriptæ vnà cum calce illita vanescerent, appareret verò interior titulus. Plura apud Lucianum, dialogo, quomodò historia scribenda sit. in fi. Commota deinde tota olim Græcia aduersus Lacedæmonios, quòd, fuso Persarum exercitu, inscripsissent tripodem oraculi Delphici hoc disticho:

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,

Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ᾽ ἀνέθηκε τόδε.

id est, Græcorum ductor postquàm exercitum perdidit Medorum, Pausanias monimentum hoc sacrauit Phœbo. Causa acta est apud Amphictyones, quorum iudicio delere Lacedæmonij eos versus damnati sunt, atque exscalpere omnia vrbium Græcarum nomina, quarum ope, & auxiliaribus copiis contigisset victoria. Ita Demosth. contra Neæram. Grauissimæ & non ita dudum querelæ inter ædiles, seu scabineos, vt vocant, quòd Seruatus in inscriptionibus quibusdam publicis ordo non fuisset. vtilissima autem hæc in parietibus, valuis, portis, imò & in fenestris ecclesiarum vitreis, vt in longos annos sciatur quis dotator, aut alio quouis genere beneficus. causas in hoc ipsum agi in maiore auditorio vidimus, atque inter cæteras, vbi inter Illustriss. Princip. Luxemburgium, & Ducem Spernonium à Lud. Buissonio, & Cl. Dureto peroratum est anno 1600. die 25. Maij. notat Iason ad hanc l. insignia, seu arma, vt loquitur, S. Marci non pingi venetiis supra vllarum ædium ostia, nisi sint patrimonij venetorum. Nihil denique ambierunt vnquã studiosiùs Imperatores, omniúmque populorum Reges, ac Principes, quàm vt exscalperẽtur eorum nomina in operibus publicis: solusque, dixerim, Pertinax, qui imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi vetuerit, inquiens non esse illas imperantium, sed communes Romanorum, ac publicas: ita enim Herodianus suis verbis, in Pertinace, lib. 2. Verùm hæc omnia vt dixi in genere, atque ex vetusto inscriptionum more in ædificiis, operibúsque publicis: quamuis ex hypothesi agat prima hæc lex, totúsque adeò titulus, vt monui ab ipso limine, in eos qui, vt præfixum erat Imperatoris nomen Imperatoriis & domibus, & fundis, ita & audebant temerarij complures aulici isto inscriptionum mendacio, terrere priuatos ædium, prædiorúmque hæredes, quasi eorum non essent, sed Imperatoris: vetántque propterea Imperatores nè deinceps id fiat, néve inscribantur domus, aut prædia, nisi quæ iure publico deputanda essent, id est, applicanda fisco per solitum iudiciorum morem, & postquàm plena cognitione iudex ita decreuerit. Concussionibus nempe, vexationibúsque, aut, vt veriùs loquar, ereptionibus occurritur festinãtium aduersus priuatam innocentiam, quod solitum notat D. Cyprianus ep. ad Cornelium, omnibus qui sibi in simpliciores arrogant quod omni iure inaccessum vident.

IMPP. THEODOS. ET VALENTIN.

L. 2. seu vlt.

Eum qui vela regia suspendere, vel titulum, sine præceptione iudicis competentis, alienis rebus imponere ausus fuerit; si plebeius est, vltimo subdi supplicio, si clarissimus, vel curialis, vel miles, vel clericus, proscribendum, deportandúmque non solùm ciuitate Romana, sed etiam libertate priuari censemus, executoresque huius legis omnes iudices esse oportere. deponendi autem, vel frangendi titulos, & conscindendi vela, omnibus licentiam ministramus.

Rebuffus ad proœmium constitutionum regiarum, gl. 5. num. 35. hunc textum, inter cæteros, refert ad consuetudinem, quam esse generalem in hoc regno, docet ex Masuerio, Aufrerio, Benedicto, ad cap. Raynutius, Boërio, & Chassaneo, firmatámque scribit aresto magni consilij, vt scilicèt bona mobilia clerici cōdemnati ad perpetuos carceres, vel ad degradationem, pertineant ad episcopum, immobilia verò ad regem, vel alium quemuis patronum feudalem, locive, vt loquimur, dominum. Sed secus est hodie, nouúmque hoc dixerunt mecum proceres nostri ordinis quibus, ad fori Hemicyclium, proposui: maximè autem Dionys. Butilletius, fori ecclesiastici peritissimus. monendúmque id ὡς ἐν παρόδῳ, putaui, vt plura alia, quæ vt occurrunt passim in scriptis nostrorum, ita & fallerent prouinciales iudices, ac patronos, quibus vix est vt aliunde, quàm è foro Paris. discant morem Gallicum qui hodie, sepositisque prioribus seculis, obtinet.

TIT. XVII. VT NEMINI LICEAT, SINE IVDICIS AVCTORITATE, SIGNA REBVS imponere.

IMPP. PROBVS.

L. I.

Ante sententiam signa rebus quas aliquis tenet, imprimi non oportet.

Obseruanda hîc ex scriptis veterum, quotidianisque experimentis longè plurima. *Titulos meos posuit, mea res est. vbi nomen meum inuenio, meum est*: ita perspicuè D. Augustinus ad ps. 21. in secunda expositione. quem locum hîc, necessaria interpretatione, κατ' ἀνάμνησιν, exscribo rursus, nè quid desit, cùm de istis vtrámque ferè paginam fecerim ad l. 14. quod si neque. ff. de peric. & com. rei vend. Scribit verò etiam Iullius Pollux lib. 3. cap. 9. solitum olim apud Græcos, vt lapide literato, & columna indicaretur loci signati conditio, an esset liber, an æri alieno suppositus. hinc, *subsignare prædia*, pro, *supponere pignori*, in antiquo lapide, apud Philandrum in Vitruuium. Prisca

hæc, quæ tamen optima ratione referri possint ad præhensiones illas reales quas dicimus, *nantissements*. subiungam verò & duos textus qui huc maximoperè faciant: alterum in l. vlt. §. 2. quod vi, aut clàm, alterum in l. si iniutiæ. de iniur. ff. quos nec etiam prætermisi ad l. non mirum. ff. de pign. act. vbi nantissamentorum vsum perstringo. Vide & fornerium, eruditum iuris apud Aurelian. Interpretem, lib. 1. cap. 24. selectionum. Quotidianus autem vt totus hic titulus ad signa, seu signacula, quæ imprimantur seris portarum, capsarum, armariorum, & cæterorum id genus, per ædes funestas, id est, statim atque mors alicuius contigit cuius bona in tuto esse oportet ob creditores, hæredes extraneos, aut etiam aliquando inter cohæredes. (dicimus *apposer le scelé*) animaduertendum, seruati apud nos aliud ex vsu, quàm hic rescribat Probus, Imperator, non enim expectatur sententia, vt constituit, sed ad simplicem libellum qui iudici porrigitur, signantur quæ dixi suprà, vel à iudice cum ipsius actuario, si non sit curiosus inquisitor, seu, vt vocant, commissarius, vt in pluribus inferioribus, dominicisque iuridicinis: vel à commissario ipso in maioribus, minoribúsve oppidis quibus admissus fuerit. nec tollitur signaculum nisi ab eodem qui impresserit, & nisi ita postulatum sit à iudice. quo facto describitur confestim, atque editur vniuersum patrimonium mobile, (inuentarium id vocant) quo sæpissimè equidem & paupertatis detegitur vilitas, & inuidiæ exponuntur diuitiæ: dolétque propterea hanc vicem Imper. in l. 2. inf. quando & quib. quarta pars, lib. 10. Inde per notarios plærúmque illud fit de consensu eorum quorum interest: tum nè pandantur extraneis domus intima, tùm verò ne depascatur hæreditas quasi à prædonibus, in recti speciem. vide, & nota quæ fusissimè in hoc disserui ad l. 20. de creationibus. sup. de epis. audient. ad l. 41. si quis testamentum. ad l. Aquil. & ad l. vlt. de diuort. ff. vide etiam ad l. 1. ff. de seruis fugit. quatenus ingredi, scrutarique domos alienas liceat. & quantoperè cauendum illud sit, nè cuiuis pateat quod in arcano domus est. Vnum superest de eo quod & in foro, & apud vulgus dicitur, *Arrest, ou brandon*. Ad titulos enim prædiis impositos spectat, ad vela regia, de quibus superiore tit. & ad signa etiam de quibus hîc. Primùm enim exoleuit quod edicunt Imperatores, vt nempe adfigantur tituli prædiis nomine Principum redactis, aut redigendis in fiscum. coërcitum illud ad sola decreta auctionalia, vt dixi ad superior. tit. cùm scilicet domus præhensa est auctore iudice, cùm proscripta, ac, per vrgentes creditores, permissa licitatori cuilibet, vt in publico suam faciat. Atque vt nè vis fiat quominus adsit quiuis, & inuisat, perambulet, obseruétque, quacumque lubuerit, quippe prostitutam: quinimò &, vt innotescat passim, prætenduntur vela regia foribus. Græcum, de suspensis ad fores, motem attigit Cuiacius ex Æschylo, χηνίσκ. sed in vsum longè dissimilem. Pannichellum vocauit vna regum nostrorum constitutio, ea nimirum quæ Philippi quarti, seu pulchri est ex anno 1338. recentiores constitutiones, quę nimirū ab anno 1539. Gallicè cōscriptæ sunt, vtūtur idiotismo hodie vulgatiss. vocant enim, *pannonceau*. vsum Gallicū profert Molinęus ad consuetud. Paris. § 52. glo. 1. in verb. *Arrest, ou brandon*: vbi docet, signari ex his impedimentum, aut interdictum rei, cui adhibetur, & esse, & durare factum: sic ille: qui & addit verba esse nō minus Gallica, quàm morem: ex quibus tamen planum fit, eminere ideo insignia regia ad rem, quæ publicè venditur, vt nè quis temerè ausit vim facere viatoribus, nec cæteris per quos hastæ decurrant ad addictionem vsque vltimam.

TIT. XVIII. NE FISCVS, VEL RESPVBLICA, PROCVRATIONEM ALICVI PATROCINII causa, in lite præstet.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Huiſmodi litium donationem admitti, temporum meorum diſciplina non petitur.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Abhorret à ſeculo noſtro, ſub obtentu debiti, procurationem contra priuatos fiſcum præſtare.

IIDEM IMPP.

L. 4.

Ad fraudem creditoribus faciendam, inuidiam fiſcalem, contra ſeculi noſtri tranquillitatem, implorari non decet.

Digniſſimæ hæ tres leges maieſtate regnantis, vt in eo vſurpem verba legis, digna vox. ſup. de legib. ad quam longè plura ſubieci quæ ad dignitatem regiam. Tranſcribenda autem hîc, vt loco valde idoneo, lex pen. ff. de hær. inſtit. *Imperatorem*, ait Paulus, *litis cauſa heredem inſtitui, inuidiſoum eſt, neque enim calumnia facultatem ex Principali maieſtate capi oportet.* confirmatum hoc à Senatu Toloſano vt tradit Maynardus, Senator, lib. 7. cap. 20. ita & verbis aureis ſcribenda illa Pauli verba inquit Baldus ad d. l. penult. damnátque inſanas voluntates eorum qui eccleſiam Romanam inſtituunt, in hoc vt vexentur tantò magis eorum cohæredes ab eccleſia. Adiici poſſit ex Tacito, in vita Iulij Agricolæ, improbum, veréque tyrannicum morem Domitiani qui per libertos, medicoſq; intimos ambierat hæreditatem Agricolæ, vt vel certè vxoris ipſius, optimæ, vt vocat Tacitus, ac filiæ etiam piiſſimæ. neſciebat, ait ille, à bono patre, non ſcribi hæredem niſi malum Principem. fœlix ergo ſeculum, aut magis equidem hocce iuſtiſſimi noſtri Ludoici imperium, qui, quæcumque apud eum petitiones fiant, profitetur & voce, & factis, nihil ſe admiſſurum niſi cõſilio priùs inter prudentiſſimos ſuos tres neſtoras habito, reſpondereque ei perpetuus hic mos inuerecundis petentium inhiationibus, vt ſic loquar cum authoribus legis, 1. de petition. bon. ſublat. lib. 10. temporum ſuorum diſciplinam non pati quod efflagitant.

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
—redeunt ſaturnia regna:
Maximè Gallorum ductor, ſate ſanguine diuûm,

Te

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Pacatúmque reges patriis virtutibus orbem.

Aduersus inuerecundas illas petentium inhiationes, lata sunt apud nos edicta varia, quæ augustissimis etiam Senatusconsultis confirmauit ordo amplissimus. vetuere enim Carolus 7. Francisc. 1. Carolus. 9. & Henricus 3, fieri donationes beneficij, aut officij, at verò & confiscationis, quæcumque illa sit, antequàm sit eorum vacatio, vel declaratio. causas persequitur Rebufus, tractatu, vt beneficia, &c. Iudicatum verò est ann. 1606. die 16. Ianuar. contra creditores Illustrissimæ Ducis Barrensis, Henrici 4. sororis, qui ex iure ab ea cesso agebant, donum confiscationis esse nullum, atque irritum, quòd impetratum esset ante condemnationem. perorabant Dom. Bergerius, hodie Senator, & Hudonius. Scimus per seculi fracti tempestatem, auferri semper nonnulla ex summo illo iure constitutionum, ac iudiciorum tanti ordinis: aucupes illi bonorum, seu potius vultures, qui cadauer expectant, lites mouent, ac promouent, fisci nomine, & quasi fiscus tacitam procurationem eis, patrocinij causa, præstiterit, sed quoties in apertum profertur quod contra bonos mores, perpetua est, ac immota legum patriarum, sub bonis iudicibus, authoritas.

TIT. XIX. DE NEGOTIIS GESTIS.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Cùm pater munere pietatis fungitur, & sumptus facit in lites quas nomine filiorum persequitur, repetere illos non potest. Quiuis enim alius, si pro affectione domestica sumptus fecerit, nulla ratione eos repetere potest.

Exceptionem & ex iure ipso, & ex Senatusconsultis, vide ad l. vlt. ff. de petit. hæred.

IIDEM IMPERATOR.

L. 5.

Officio, nec minus obsequio liberti functus.

Explicui ad l. si non fortem. §. sed si operas. de condict. indeb. ff.

IMP. ANTONINVS.

L. 8.

Si pecuniam tuam à debitore tuo Julianus exegit, eámque solutionem ratam habuisti: habes aduersus eum negotiorum gestorum actionem.

Notat Faber hîc, negotium alterius geri 4. modis, 1. reipsa, cùm scilicet in rem eius

impendit.2 ipso gesto:cùm pro ipso soluit creditori. 3. cura,& solicitudine, cùm alter curare hoc deberet. 4. ratihabitione. dixi autem in hoc ipsum, quòd ferè sit satis ad l.si pupilli.§.4.hoc tit.ff.& ad l.si fundus.de pignorib.ff.

IMP. ALEXANDER.

L. II.

Alimenta quæ filiis tuis præstitisti, tibi reddi non iusta ratione postulas,cùm id exigente materna pietate feceris. Si quid autem in rebus eorũ vtiliter,& probabili more impendisti:si non & hoc materna liberalitate,sed recipiendi animo fecisse te ostenderis: id negotiorum gestorum actione consequi potes.

Componenda necessariò lex, Nezennius Apollinaris. ff. hoc tit. ad quam fusum nostrum scholium.Faber censet hîc,patrem,qui impensas pro filio fecerit,soluto matrimonio,posse repetere,etiam in alimentis. plura ille eo loco.distingue autem an filij ministerio vsus sit,vt docet ipsemet Faber ad l.si paterno affectu. inf. hoc tit.an etiam bona materna,aut aliunde habeat filius, vt in l.vlt. de pet.hær. in l.cum oporter,&l. vlt. inf.de bon.quæ liber.sique opificio aliquo possit sese alere, vt in l.5. ff. de lib. agnosc.quod & Decius cons.576.ex d.l.5. Aliàs,inquit optimè Crassus Antonio,apud Cic.lib.2.de oratore: *neque boni est,neque liberalis parentis,quem procrearit, & eduxerit,eum non & vestire,& ornare,præsertim cùm te locupletem esse, negare non possis.* sic ille. excurrit in hoc latius Æschines,contra Ctesiphont. ὁ γὰρ μισότεκνος, καὶ πατὴρ πονηρὸς, οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστὸς, οὐδ' ὁ τὰ φίλτατα, καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων, οὐδέποτε ὑμᾶς περὶ πλείονος ποιήσεται τοὺς ἀλλοτρίους. οὐδέγε ὁ ἰδίᾳ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημοσίᾳ χρηστός. &c. id est, Qui liberos odit, patérque improbus est, nunquam bonus erit populi moderator, ac patronus: quique capita charissima, ac summa necessitudine coniuncta,non amat, nunquam vos, qui alieni estis,pluris faciet. nec qui priuatim malus est,publicè bonus erit,&c.sic ille,vide cætera ad l.1.sup. de offic.prætor. Quæsitum est de filiis naturalibus, de quibus quia dixi ad l. si suspecta.§.1. ff.de inof.testam.paucis absoluã: tantùmq; narrabo quid censuerit ordo ampliss. perorantibus Pet. Mauguinio,& Cl.Butillerio, Dionysij Butillerij filio, hodie Senatore sollertiss. ann.1605.20.Ianuat.petebat spurius natus ex vidua, vt ipsa alere eum compelleretur. Mauguinius spurium esse in ea ætate,ac valetudine, dicebat, vt operi posset sufficere, citabátque in id d. l. si quis à liberis. §. sed si filius. *Ne quicquam deos imploret qui socordiæ se dedat*: ait Sallustius in Catilinaria. tradit inde D. Augustinus,lib. 4.de ciuit. Dei, deorum omnia templa in vrbe esse quæ ad laborem promouerent, templum Agoronile,ab agendis rebus: Stimulæ,quod stimularet:Strenuæ quòd strenuos faceret:templum verò Quietis,& Otij, fuisse extra maros,&c. Senatus gratiam mulctæ fecit spurio, qui à sententia matris naturalis absolutoria appellauerat. Molinæus ad consil.576. de quo supra, putat patrem etiam opifici filio posse relinquere pro alimentis,*quoniam*,inquit,*non poterit semper lucrari, & ita practicatur*. mera eius verba recenseo, In quibus tamen, pace tanti interpretis,distinguendum esse dixerim filium qui sit industrius ab eo qui non sit, & qui adeò de alimentis pendeat, quod ait lex, cùm hi. de transf. ff. vt per fatuitatem, animíque delirium, superesse rebus suis non possit:quo casu seruamus l.pen.de curat.furioso.ff. Sin autem pectus filio benè sapiat, sique fortunam ex eo solo incusset quòd immerentem eum odio habeat pater, non video cur sola alimentorum causa sufficere debeat, & cur econtrà non debeatur per leges legitima integra, quicquid bonorum defunctus pater alius reliquerit. tantum

istud ad l si pactum.ff. de probat.& variis aliis locis ad Pandectas.

IDEM IMPERATOR.

L. 13.

Quod in vxorem tuam ægram erogasti, non à socero repetere, sed affectioni tuæ debes expendere. In funus sanè eius si quid eo nomine quasi recepturus erogasti, patrem ad quem dos redit, iure conuenis.

De affectu debito vxori ægræ à marito, præclarè ita Vlpianus in l.22.si cùm dotem. § si maritus.ff.sol.matrim. *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse?* nec abs re, opinor, fuerit aspergere hîc paucissima de ritu quo interloquebãtur olim vir, & noua nupta, cùm ea in ipsius domum duceretur: propiùs accedens ante ianuam mariti, & interrogata quænã esset, *Caiam* se dicebat: paciscebantúrque vt omnia communia essent: pauperes ambo, si pauper esset alteruter: diuites ambo, si diues alteruter: omnis denique fortunæ fore participes. Hæc apud Plutarch. in problem. notabísque in transcursu ex Suida & schol. Aristoph. in lysistr. *Caiam*, Græcum nihilominus esse vocabulum, quod, *bonam*, significat. scripsit Valerius caput integrum de amore coniugali, lib.6. eóque spectat ritos aquæ & ignis, de quo in l.pen.de donat.inter vir.& vxor.ff.ad quam dixi. vide Tiraq.in prima l.connubiali, gl.1.num.18.& seqq. vbi hoc fusissimè. Ægram ergo curari oportere impensis mariti, iure rescribit Alexander Imperator. negat tameo Baldus si per suam culpam expulsa sit à marito. Quòd si decesserit, impensas funebres reiiciendas esse vult altera pars legis in patrem defunctæ ad quem dos redit: quod & ipsum ad cæteros qui hæredes fuerint, porrigi, hac eadem ratione oportere, nemo ambigit: acceptúsq; hinc proculdubio articulus 286. consuetudinis Parisiensis, quo statuitur, maritum, quæcumque inter eum & defunctam donatio mutua intercesserit, prærogare quidem sumptus illos debere, refundendos autem esse ex parte quæ defunctam contigerit, cùm tamen ob donationis emolumentum, statuendum aliud prima fronte videretur. Sed vt fortuitum istud, quia nempe incertum vter, maritúsue, an vxor, prior decedat, animaduersum aliunde est, lucrari nihil aliud superstitem præter fruitionem momentaneam, quæ marito, aut vxori superstiti in paucissimos forsan dies, menses, aut annos duratura sit. Accedat quod debitum, æsque alienum illud sit defuncti. l.t.ff.de religios. quæ potissima aduocationis præfectianæ Paris. ratio est. eóque sensu intelligendi tres eiusd. consuetud. articuli, nempe 295. 298. & 334.

IMP. GORDIANVS.

LEX 15.

Si paterno affectu priuignas tuas aluisti, seu mercedes pro his aliquas magistris expendisti, eius erogationis tibi nulla repetitio est. Quod si vt repetiturus ea quæ in sumptum misisti, aliquid erogasti: negotiorum gestorum tibi intentanda est actio.

Ad huius rescripti interpretationem faciunt quæ notaui ad l.11. Alimenta. sup. hoc tit. de priuigno, aut filio etiam, qui domestica semper ministeria in ædibus vel soceri vel patris, præstiterint. Componendi prætereà tres textus, & quæ etiam ad singulos adieci: videlicet, lex, nonnunquam. de adoptionib. quæ de tutelis vitricorum. lex, Netennius Apollinaris. de negot. gest. quæ de protestationibus auiæ sumptus facientis

in rem nepotum. & l. si id quod. de donat. inter vir. & vx. ff. quæ de studiorum, alimentorúmque impensis: sique, famuli in modum, fuerit aliquis in domo eius ipsius qui aluerit. his ita præmissis, ὡς ἐν τρόπῳ, obseruabitur primùm distinctio Baldi, quæ est vtrùm vitricus impenderit, quasi pater, an vt negotiorum gestor. in rem priuigni quod posteà controuertitur. Bartolus illud explicat, si nimirùm quod impensum est, vitricus libro rationum intulerit. Tunc enim non tanquam pater agit, sed vt quiuis negotior. gestor. protestari enim ex eo videtur animum sibi esse reperendæ impensæ quam fecerit: eáque est hypothesis d. l. Nezennius Apollinaris. in auia, & nepote. Aut rationes nullas composuit, & tunc paterno affectu priuignos aluisse, ac mercedes pro iis expendisse præceptoribus censendus est, vt lex ista constituit, cuius proinde verus, germanúsque hîc intellectus, eùm tamẽ, vt nunc viuitur, perrarò contingant eiuscemodi species moribus nostris Gallicis. ferè enim semper Vitricus tutor est, qui proptereà numquam non rationes tam accuratas cõficit, vt oriantur ex his lites frequentissimæ, querẽte priuigno longè plurima quæ aut egerit vitricus, aut non egerit. Quotidiana nempe hæc, frequentioráque fori nostri iurgia: nec aliunde odium inter vitricum, & priuignum, de more: quod & notauit Donatus lib. 8. Æneid. ad vers. *Vulcanum alloquitur*. Proinde vt eatur, quacúmque arte, & prudentia, obuiam, rarum est, cùm mater superinducit vitricum liberis, (aut potius, vt dicatur hoc cum Cicero. pro cluentio, *cùm nubit in familiæ luctum, atque in priuignorum funus*.) vt non caueatur semper dotali instrumento, aliturum vitricum priuignos, sumptúsque in eorum institutiones, ac studia literaria facturum de suo, citráque repetẽdi animum, dummodo etiam prouentus omnes paternæ eorum substantiæ suos faciat. Cautio ista lites innumeras præcîdit, vitrico quippe nullis ferè rationibus obnoxio: nullúsque maioris cuiusquam malitatis metus in mediocris fortunæ pupillum, vt qui saluas etiam per secundum matris coniugium, res suas habeat. longè autem peiora sæpius è nouercis: de quibus propterea, inter longè plurimos, epigrammatographus,

φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

idest, fugite priuigni & tumulum ipsum nouercæ. nè scilicet vos & mortua cùm sit, interimat. Exclamat Iuuenalis Sat. 6. in fœdissimam illam Agrippinam quæ priuignum suum Britannicum necauit, vt filio suo Neroni conferret imperium:

—iam iam, ait ille, *priuignum occidere fas est.*
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Liuida materno feruent adipata veneno.

Sæuæ nouercæ: lib. 2. Georg. apud Virg.

Facio, iudices, rem non nouam, liberos vindico:

Apud M. Sen. lib. 9. controu. 5. taceo de vnico malitiæ nouercalis exemplo, quod Apuleius longissima oratione porrigit, libr. 10. Metamorph. aliò enim, quàm ad meram nouercæ, de qua eo loco, immanitatem excurrit. Quid autem sit nouercis in more, mirè explicat Lucianus, in Abdicato: ὁρᾷς ὡς οἴονται πάντες εἶναί τι μῖσος πρὸς τοὺς προγόνους πάσαις μητρυιαῖς, κἂν ὦσι χρησταί, καὶ κοινήν τινα μανίαν ταύτην γυναικείαν αὐτὰς μεμηνέναι. id est, vides vt putant omnes inesse odij semper quippiam nouercis omnibus in priuignos, licet probæ sint, & communem quandam istam maniam, seu insaniam, ipsas inquinasse. sic Lucian. Fateri tamen etiam necesse est, comperiri tam materni nonnullas animi in priuignos, vt matrum vel ipsarum naturalem propensionem, aut στοργὴν potiùs, vincant. Sit in benedictione memoria illius cuius numquam ego immemor. vide cætera ad l. 4. de inoff. test. ff. & ad l. si pater. inf. de vsufr.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. I.

Ob negotium alienum gestum, sumptuum factorum vsuras præstari bona fides suasit: quo iure contra eos etiam, quorum te necessitate compulsum (glo. putà quia fuisti curator) *negotium gessisse proponis, per iudicium negotiorum gestorum vteris.*

Vno verbo: in actione negotiorum gestorum veniunt vsuræ ex mora, seu sponte, seu ex necessitate geratur. Prima ratio est ex l. si seruus communis. §. 1. ff. de furt. cuius hæc verba: *Iustissimè allegabit procurator non fuisse se id damnum passurum, si id mandatum non suscepisset, nemini autem officium suum damnosum esse æquius est.* Sic d. l. quæ Africani est: ad quam Cuiacius, id est, inquit, nè ei sua benignitas obsit: & vt damnum potiùs sit eius qui ex officio suo commodum sensit. appositè autem ex Zonara ad can. 33. Concilij Carthaginens. οὐδενὶ γὰρ ὀφείλει τὸ ἴδιον ὀφφίκιον ἐπιζήμιον γίνεσθαι: ὁ νόμος φησί. τὸ δὲ ὄνομα τοῦ ὀφφικίου Ρωμαϊκόν, ἐστι, σημαῖνον διοίκησιν, καὶ ἀξιοπιστίαν. id, est, nemini enim debet proprium officium damnosum esse: lex ait. Officij verò nomen Romanum est, significans administrationem, & fidelitatem. hactenus Zonar. Secunda deinde ratio est ex contumacia, & mora eorum quorum seu negotiis, seu litibus, aut priuatis, aut communibus consuluit amici & labor, & pecunia, vt loquitur Imperator in l. 20. Tutori. inf. hoc tit. vide vtilia in hoc tria scholia quæ adieci ad l. liberto. §. vlt. ff. hoc tit. ad l. 1. § 1. ff. de vsur. ad l. socium. ff. pro soc. nempe

Hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis,

in negot. gestore, in procuratore, aduocato, dispensatore, actore domestico, institore, exercitore, & similibus.

TIT. XX. DE IIS, QVÆ VI METVSVE CAVSA FIVNT.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Cùm te non solùm cauisse, verùm etiam soluisse pecuniam confitearis: verisimile non est ad solutionem te properasse, omissa querela de chirographo, vt potè per vim extorto, nisi & in soluendo vim te passum dicas, (glossa addit, *& fidem iudici facias.*

Vulgatissimus textus in hoc, vt ex spontanea solutione dicatur purgatus metus. vide autem Iasonem ad l. si ob turpem. ff. de condict. ob turp. caus. vbi excipit sex casus ad tollendam præsumptionem sublati metus ex solutione, inter quos præcipua illa est, si duret semper metus, etiam tunc cum fit solutio. tandem verò eò recidit, vt censeat omnem modicam præsumptionem sufficere, vt dicatur non liberè, nec citra metum solutum. aitque si quid per metum promissum sit duobus, quorum alteri solvatur sponte, solutione illa non purgati præsumptionem metus durantis quoad alte-

rum. Denique aduertendum semper est, an omnino causa metus esset: neq; enim ex interuallo temporis metiendum, sed ex causa, vt optimè Bartolus decidit in vxore, ad l. 1. §. quæ onerandæ. ff. quarum rer. actio non datur: metum videlicèt semel incussum à marito, durare, quamdiu constat matrimonium. quod & idem Innocentius ad cap. cum accedens. de conuersione coniugat. gloss. & cap. 1. ext. quod met. causa. Idem etiam in filio quamdiu adiuuit pater, aut dominus. d. l. 1. d. §. quæ onerandæ. Idem in his quæ sub tyranno gesta sint titu. de infirmandis, hisque sub tyrannis gesta sunt, Cod. Theod. & arg. l. Fulcinius. §. quid sit. ff. quib. ex caus. in poss. eatur. l. decernimus. de sacros. eccles. glossa singularis in can. conuenior. 23. q. 8. eo sensu accipienda est regula, eius est nolle, qui potest & velle, de reg. iur. & altera eod. tit. quæ vult, velle eum non credi qui obsequitur imperio patris, vel domini. vulgatum est ex annalibus Gallicis (quod & attigi sup. ad tit. de transf. Interpositas.) Ludoicum 12. cùm duxisset inuitus Iohannam, Ludoici XI. filiam, repudiasse eam, patre, qui coëgerat, mortuo &, concedente Alexandro Pontifice, duxisse Annam, Armoricorum Ducem, quæ Caroli 8. erat vidua. quòd ipsum fœlicis recordationis Henrico Magno, ad Illustriss. Margaritæ Valesiæ soluendum coniugium, indulsit, circa annum, 1600. Romana sanctitas. Boerius, qui olim Burdigal. curiæ insulatus Præses, tanti facit libertates animi in iis quæ seu domi, seu foris gerimus, vt scribat longo sermone, quæst. 100. edixisse prætorem, velut impellente sacro numine, nè tantum esset quod vi, metúsve causa factum probaretur. Glossa ad l. 1. quod iussu, docet blanditias potentum, blanda esse totidem imperia. imo & Glossa altera in cap. licet. in fin. de electione, in pragm. sanct. nec vult computari tempus aduersus subditum quamdiu durat maior, ex qua impendet malum, sperato sine vindice, potestas. quod etiam vnũ solum statuit totus titulus, de infirmandis his quæ sub tyr. gesta sunt, quem allegaui suprà. Vox faucibus hæret cùm potentior aliquis inter suas minas erumpic in Liuianum hoc, *si vocem emiseris, ferrum habeo in manibus.* ἐκπαγλότατος vocatur ex eo Achilles ab Homero, id est, terribilissimus. veréque Oppianus, κυνηγ. δ:

Δείματι δαιμονίῳ πεπληότες. & Apollon. lib. 4.

---τρομερῷ δ' ὑπὸ δείματι πάλλετο θυμός.

vocauit Græcorum alius,

θανάτου πρότερον πολὺν φόβον.

Amplius loquor. Durat enim & metus aliquando ex inferioribus, iustúsque ille est: veluti si aduersarius instrumenta vel status nostri, qui reuocatur in dubium, vel etiam bonorum omnium, penes se habeat, siq; ille interuersurum se, & crematurũ ea omnia comminetur. ita enim in l. isti quidem. §. si is accipiat. ff. hoc tit. vidi ego hoc semel ex nefario quodam aduersus virum optimum, ac meticulosum. Idẽ verò etiam si medicus, vel chirurgus, ingruente graui causa morbi, putà pestis, aut similium, petat quippiam ab ægro, in quem verè equidem habeat ius vitæ, ac necis: sic in l. medicus de var. & extraord. cognit. & quia sæpè contigit, collegit plura in hoc suæ ætatis Senatusconsulta Rebufus, tit. de rescis. contractuum. in præfat. festiuè Martialis lib. 11. epig. 59.

Quid si me tonsor, cùm stricta nouacula suprà est,
Tunc libertatem, diuitiásque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.
Sed fuerit curua cùm tuta nouacula theca,
Frangam tonsori crura, manúsque simul.

Plinius lib. 6. epist. 4. *natura metuentium est, ea maximè, quæ abominantur, fingere.* sic ille. præsertim autem id cùm subitaneum quid terrificat animos. Thucydides libr. 2. δουλοῖ φρόνημα τὸ αἰφνίδιον, καὶ ἀπροσδόκητον, καὶ τὸ πλείστῳ παραλόγῳ ξυμβαῖνον. id est, menti seruitutem imponit, atque iniicit quod repentinum, inexpectatúmque est, & quod affatim inopinato euentu contingit. & pòst, eod. lib. 2. φόβος μνήμην ἐκπλήσσει, id est, metus memoriam turbat. neque vnquam sibi bene constat animus, vt spon-

tè, liberéque actum aliquid dicatur, donec qui terrere seu manu, seu minis cœpit, esse aut posse desinunt. Claudam denique ista de durante quocumque metu, ex eleganti, ac singulari poculo Platonis, lib. 1. de legib. Græca intermittam nè in eo sim nimius, vt sola hæc latina cuiuis placeant, locus enim paulò longior. Timoris poculum, ait ille, deorū aliquis hominibus dedit, vt quantò quis plus velit ex illo bibere, tantò magis existimet se ad omnem illam potionē infœlicem esse, & præsentia, & futura omnia sibi meruat. vt quamuis sit omnium hominū fortissimus, nihilominus ad omnem quasi formidinem tandem deueniat.

IMP. GORDIANVS.

L. 3.

Si vi, vel metu fundum auus tuus distrahere coactus est: etiamsi maximè (glo. quod maximum videbatur vt agere non posses) *emptor eum alij vendidit: si tamen auo tuo hæres extitisti: vt tibi, reddito à te pretio, restituatur, adito præside prouinciæ poteris postulare, quia placuit in rem quoque dari actionem: si modò qui secundo loco comparauit, longæ possessionis præscriptione non fuerit munitus.*

Parum morabor sententias Alexandri, & Saliceti, docentium vtili actione in rem agi oportere, & pretium offerri: vt nec etiam Io. Fabri, qui notat hîc actionem, quod metus causa, quòd sit personalis, durare annos 30. primùm enim seruatur religiosissimè, summóque iure, constitutio Ludoici 12. quæ terminari vult actiones omnes rescissorias annis decem à die contractus, vel à die cessantis metus. Deinde verò cum ex iure Romano, restitutiones in integrum transeant ad hæredes, seu de maiore agatur, seu de minore, vt hîc, & in l. 6. non solum. ff. de in integr. restit. in l. 1. inf. de restitut. milit. nemo ambigit quin & hoc ipsum obtineat apud nos in minoribus, vt scilicet ex capite minoris defuncti, peti possit, intra decem annos restitutio à die maioris ætatis. Quantum ad maiores, vidi aliquando Lud. Buissonium, præstantissimum patronum, atque alios, non ita famæ vltimæ, qui dicerent, non putare se eo casu competere restitutionem hæredi si per annos plures, putà octo aut nouem, à vi illata, defunctus siluerit; personale enim illud aiebant, neque sollicitum esse oportet hæredem, cur actionem defunctus non instituerit: & sanè tres textus repetio quibus fulciatur, nat'i. 4e, ea sententia, lex, 6. quemadmodum. de inoff. test. ff. quæ vult non transire querelam inofficiosi ad hæredem, nisi præparata lis à defuncto fuerit. lex, rei iudicatæ. §. 1. ff. sol. matrim. vbi dicitur hæredem non habere coërcitionem morum defuncti. lex 1. ff. de priuat. delict. qua denegatur actio iniuriarum hæredi. Tamen eum de eo contulissem ad fori Hemyclium cùm nonnulli prima fronte ambigerent, ac putarent actionem istam, quod met. causa, post tam longum defuncti silentium, communicandam non esse hæredi, amplexi sunt postea communem, vt scilicet possit experiri hæres intra tempus constitutionis regiæ, perinde ac potuisset defunctus, meminitque Dion. Butillerius iudicatum & hoc in gratiam creditorum defuncti qui lapsus facultatibus decesserat. Cæterum tres illi textus, quos recensui suprà, spectant ad pudorem familiarū, magis quàm ad bona, nec mirum propterea si ad hæredē, nihil ex ea causa transmitti oportere Iurisconsulti respondeant. viderit lector quanti labor meus sit, exactus quippe ex tritura 38. annorum forensi, ex lucubrationibus immensis, tandémque ex tantæ aduocationis Paris. conuentu.

IMP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 11.

Accusationis instituta, vel futura metu, alienationem, seu promissionem factam rescindi postulantis, improbum est desiderium.

Cur hoc, dixi longo satis sermone ad l. Transigere. sup. de transaction. excipit tamen rectissimè Faber hic, nisi causa expressa fuerit, & accusatio calumniosa, eitàrque in id legem, in summa. de eond. iud. ff. vt doceat reperi posse eo casu quod solurum est. secus si expressa causa non sit. addit verò quod notandum apprimè: terrorem nempe illarum à superiore non sufficere ad rescindendum quod gestum est, si solo imperio terruerit, secus si vi, ac per impressionem. frustrà enim apud iudices si qui metu se adactum queritur vt quid faceret, dicat ille hoc vnum:

Horrebant sæuis omnia verba minis.

apud Ouid. libr. 2. de remed. am: elusorias eas minas dicere possumus cum Paulo in l. 4. ff. si cui plusquàm per l. Falcidiam. Vrgere debet potentior, armísque terrere, vt Agamemnon ille Homericus in Chrysen, Apollinis sacerdotem, cui eripuerat filiam. sic enim ille ait, inter arma, & lituos:

Ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε, σαώτερος ὥς κε νέηαι,
Ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων, καὶ ἐπείθετο μύθῳ.

id est, sed abi, nè me irrita, vt incolumis redeas. Timuit verò senex, & dicto paruit. iustus ille, verúsque est metus, vt qui in cōstantissimum possit cadere. ad atrociora enim ventum est. vt in l. metū h oc tit. At verò & idem, si fuste sublato, aut ictu etiam, vel, si carcere dominico, aliòve violentiæ genere, vt in more est Regulis prouinciarum plurimis in suos, vt ostendo ad l. in orbe Romano. de sta. hom. Ista denique pro causis, & personis, vide ad l. Ad inuidiam. quam etiam non ex setie cæterarum subieci, cùm eo faciat maximè vt nè, per solum quasi violentiæ, & horroris nomen, quod ait in hoc ipsum Claudianus, libro, de bello Gildonico,

(——*plus nominis horror.*
Quàm tuus ensis aget.

sic ille) coëgisse quispiam credatur vt quod in nostra hac l. vel alienatio, vel promissio ei fieret.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 6.

Ad inuidiam alicui nocere nullam dignitatem oportet; vnde intelligis, quod ad metum arguendum per quem dicis initum esse contractum, senatoria dignitas aduersarij tui sola non est idonea.

Textus hîc in foro vulgatissimus in eos, qui, vt malam causam quacumque ratione adiuuent, adducere conantur in inuidiam dignitatem, seu senatoriam, seu aliam quamuis eminentiorem illius cum quo contraxerint, quasi solus ardor micans purpuræ, vt sic loquar, oculorum aciem ita perstrinxerit, vt, quid agerent, quidve consentirent, non viderint. sola igitur dignitas, seu, vt loquimur, qualitas nominis, non nocet, vt quis per effusas minas, ac vim seu apertam, seu tacitam fecisse aliquid existimari debeat, nisi probetur cōsueuisse aliunde terrere, vel ipsemet, vel personis interpositis:

Doctrináque ea Io. Fabri est ad hanc l. Docet tamen Molinæus ad Alexandr. lib. 4. consil. 123. præsumi coactos fuisse rusticos ad præstandum quod per decem, aut plures annos soluerint, nisi appareat de titulo potentioris cui toto eo tempore solutum sit. dixi in hoc quantum satis non solùm ad l. si certis annis. sup. de pact. sed & ad l. vn. de contractib. iudicum, lib. 1. vidi autem sæpius laudari, allegatique hunc textum à Lud. Buissonio, aliísque fori consultissimis, non modò si de alienatione, aut promissione ageretur, vt ait lex, Accusationis. sup. sed & cùm quis sibi impendêre graue aliquod malum à potentiore diceret, nisi tuitioni regiæ iudicum, ac illius, in quem libellum curiæ porrexerat, committeretur: de qua tuitione, seu custodia, vt vocant, dixi etiam latissimè ad l. 4. Denuntiamus. de iis qui ad eccles. confug. lib. 1. opus ergo est capitalium minarum probatione manifestissima, vt cauet nominatim, textúque perspicuo, lex seq. si donationis. inf. ad quam propterea nihil insuper conscribam: vt nec ad l. 8. cùm te. hoc eod. titu. cùm eandem imprudentiam damnet aduersus eum qui sub spe aliqua, vel timore nè ad ciuilia munera, angarias, & cætera id genus reip. onera, nominaretur, vendidisse se, hortum putà, aut similia queritur. de qua imprudentia, duo sunt alij textus, in l. si maiores. sup. de transaction. ad quam dixi. & in l. si repetendi. inf. de condict. ob caus. χρὴ καὶ κελεύεσθαι, καὶ καταναγκάζεσθαι, καὶ θρηνῆσαι, ait Dio, lib. 45. id est, oportet & iuberi, & cogi, & lachrymari, seu plangere. sic enim explicat quod posteà subiicit: ὅσα ἄν τις ἕτερος ὑφ᾽ ἑτέρου βιασθεὶς πράξῃ, μὴ κύρια τηρεῖσθαι. id est, quæcumque violatus ab altero fecerit, rata non seruantur. sic ille.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 9.

Metum non iactationibus tantùm, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari conuenit.

Componenda sunt necessariò quæ ad l. Accusationis. & ad l. præced. Ad inuidiam notaui. addam verò ex Speculatore tit. de præsumptionibus. §. 2. num. 7. non ideò illatam vim probari, quòd certissima de iactatis minis constet fides: præsentem enim metum inspiciendum esse, factásque impressiones: suspiciones autem insuperhabendas à iudicibus, vt quæ in contrarium erupturæ sint, citat in id Speculator legem, Metum. 3. ff. hoc tit. & l. interpositas. sup. de transact. censet Alexander hîc, ex Baldo, obseruandum esse an solitus sit is aduersus quem querela funditur, occîdere, vel vulnerare. *fallunt enim aliàs coniecturæ*, ait Tullius, *atque ingeniis hominum in multas, aut diuersas, aut etiam contrarias partes sæpe deducuntur*: Ita rursus lib. 2. ad Hærenn. & lib. 1. de diuinat. Improbátque propterea Thucydides lib. 6. Atheniensium iudicium, quo plures viri optimi damnati fuissent per suspicionum varia, fallaciáque argumenta ob Hermas compitales, quas noctu ab Alcibiade, aliísque ciuibus deiectas, fractásque rumor erat. Laudat autem Ammianus lib. 22. Iulianum Imperatorem, quòd numquam ex coniecturis iudicaret, vt quæ, quod nō esset, arguerent sæpius. Mirum quod ait Antonius lib. 2. de oratore: *Oratoris omnis actio opinionibus non scientia continetur. nam apud eos dicimus qui nesciunt & ea quæ dicimus nescimus ipsi, &c.* Seligo nempe ex prisci quæ doceant, non temerè iudicandum ex coniecturis, aut saltem leuiùs, ac mitiùs iudicandum. quod aliquando audire me memini à Senatore, multi nominis, Dom. Boinio, magni auditorij Iudice cùm de falsæ monetæ crimine ageretur, & per coniecturas dumtaxat Reus, aduersus quem nonnulla scripseram, vrgeretur.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 11.

Si per impreßionem quis aliquem metuens saltem in mediocri offi-

cio constitutum, rei suæ in eadem prouincia, vel loco, vbi tale officium peragit, sub venditionis titulo, fecerit cessionem: & quod emptum fuit, reddatur, & nihilominus etiam pecunia retineatur: simili pœna seruanda, si qui vel coniugis, vel amici nominibus abutentes, prædam sibi acquirant, (glo. id est, acquirere nitantur.

Tam latè de his dixi ad l. vn. de contractibus Iudicum. sup. lib. 1. vt addi demum nihil possit quod non & de impressionibus optimatum, iudicúmque prouincialium, ac de interpositis personis effuso scholio discusserim. vide etiam quæ huc faciant, ad l. obseruare. ff. de offic. proconf. cur delegati, seu commissarij ducere secum vxores non debeant. notaui sat multa de auaritia muliebri, ad l. si stipulata. ff. de donat. inter vir. & vxo. dixit verò in genere Iuuenalis, Satyr. 6.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

TIT. XXI. DE DOLO.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Si fideiussor à creditore pignora emerit, oblata quantitate sortis & vsurarum, tibi dominium cum fructibus, quos bona fide percipit, consultiùs restituet, nè fidei ruptæ gratia, (dixerimus, pour vne telle perfidie) *de dolo possit actio exerceri.*

Rationem glossa subiicit, quòd scilicèt fideiussor emens eiusce modi pignora, fidem fallat debitori quam ei in vniuersum spoponderat. Vno verbo Alexander: fideiussor non debet sibi emere. Vide autem ad l. Quintus. ff. mand. dixi enim ad eum textum, quantum, præ cæteris, fideiussor parcere pudori suo debeat in omnibus quæ ad fideiussionem suam: accuratúque tantò magis scholium, quantò mihi elegantior textus ille visus est. Cæterùm eo iure non vtimur, vt possit creditor rem sibi obligatam, seu sit mobilis, seu immobilis, per se cui voluerit, vendere. In mobili enim seruamus morem quem describo ad l. emptori. ff. de euict. In immobili, solemnia auctionum, hastarúmque, ex constitutione regia, decurrentium, procedunt vsque dum addicatur, auctore, imminentéque iudice, prædium, hoc etiam explico fusius ad tit. de in diem addict. Quòd si fideiussor publicè, atque ex præscriptis à lege Gallica formulis, emerit, nihil est de quo debitor queri aduersus eum debeat. arg. l. non existimo. de adm. tut. quæ hoc ipsum tutori concedit.

L. 5.

Si superstite patre, per emancipationem, tui iuris effecta, matri successisti: rebúsque tuis per legitimum tutorem, patrem, eumdémque ma-

numissorem administratis, posteà transegisti, cum eo bona fide, sanè si lesa es immodicè, liberatione solemniter per nouationem, atque acceptilationem tributa: num de dolo propter paternam verecundiam, sed in factum actio tibi tribuenda est.

Aliud est iam iuris apud nos, in peragendo cum patre negotio qui tutelam filij administrauerit. Transactiones enim, quæcumque illæ sint, summouentur. nec vnquam liberatio tutelæ plenissima patri tutori competit, nisi dispunctis, expunctísque rationibus, egerit, itaut per accepti, expensique discussionem, res ad purū redacta sit: vulgo dicimus, *iusques à ce que par la mise, & recepte, & chascun article debatu, ou alloué, le compte soit clos*. Tritura illa fori est. nec seruamus legem, Aurelius. §. Titius. ff. de liberat. leg. vt suprà iam monui. Fucus enim obrepit facilè in quibuscumque negotiis quæ cum minore, aut statim atque maior factus est: maximéque aduersus tutorem, qui citra vllam rationum discussionem liberari se curauerit. Nihil denique in quo procliuiores ad rescisionem iudices. caduca, quæ fucata, dixit optimè D. Cyprianus.

Nunc aduoca astus anime, nunc fraudes, dolos,
Et totum Vlyssem: veritas nunquam latet.

Ita & in hanc sententiam Seneca, in Troade. actū 3.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 6.

Dolum ex indiciis perspicuis probari conuenit.

Celebratissima lex in foro, cui & adiunge legem, indicia. inf. de rei vendic. Obseruandum mihi videtur ab ipso limine quod docet Molinæus ad consuet. Paris. §. 13. in glo. 5. num. 52. dolum nempe eò fieri euidentiorem, indiciáque eius tantò magis esse perspicua, quantò abundantior cautio. hoc etiam Bald. ad cap. ex literis. de consuetud. Indicia verò seu coniecturæ, differunt, ἀπὸ τῶν τεκμηρίων, quòd indicia possint fallere, τεκμήρια autem non, cùm sint necessaria: veluti, peperit, ergo lac habet. dies est, ergo sol lucet. & similia: eóque sensu accipiendus locus oratoris Isæi, oratio. de successione Cironis, τεκμήρια κρείττω τῶν μαρτυριῶν, id est, indicia necessaria, sunt potiora testibus. τεκμήρια sunt signa indubitata, quasique ἀποτελέσματα sed indicia sunt, τὰ εἰκότα σημεῖα id est, apparentia, verisimiliáque signa: Ita Quintilianus libr. 5. cap. 9. Institution. orator. Ita & Steph. in verb. τεκμήριον, vbi iusti ad hanc l. commentarij loco fuerit quod ibi reperies. Plus equidem credi oportere indiciis istis, id est signis, & argumentis, quàm testibus, docet Tullius lib. 2. ad Herennium: testes enim corrumpi posse vel pretio, vel gratia, vel metu, vel simultate. vide etiam apud Aristotel. in Rhetoricis ad Alexandr. cap. 13. & 15. de probatione à signis ipsis, & quanti facienda esse existimet. Decius hoc ipsum fusissimè, consil. 587. & Baldus lib. 1. consil. 152. Quærit Boërius q. 166. de sanguine effluente de corpore occisi ad aduentum, & præsentiā accusati: deciditque esse illud indicio vehementi ad quæstionem, seu torturam vt loquimur. sed hoc in arbitrio est iudicantium, vt videant quid pro causis, & personis statui oporteat. Sciendum verò est numquam ex his ferri in Senatu capitale iudicium. Sic ampliatus est à carcere Reus, cuius parco nomini, cum in eum ageretur indiciis, vt videbatur, certissimis, ac indubitatissimis, quòd consobrinum suum, ἀνεψιὸν, ipsius cognominem, aggressus esset ipse domesticus, nocte concubia, atque silice, gladióque ferè peremisset. Senatusconsulto interfuerunt sedecim iudices, quorum tres tantùm ausi sunt *nigrum præfigere theta*, mortíque Reum addicere. cæteri omnes ad quæstionem dumtaxat damnarunt, in qua, vt molliuscula

fuit, de more, & prout redempti sunt tortores, nihil confessus est, sicque euasit, relictus nimirùm Dei solius iudicio, ann. 1609. mense Septemb. sic censet Tiraquellus tractatu de pœnis temperandis, causa 27. procedendum nunquam esse ad pœnam ex solis præsumptionibus, ac indiciis: queriturq; Thomas Grammaticus decis. 8. 42. & 96. in decision. Neapolitan. aliter iudicatum fuisse Neapoli, in consilio cui interfuerat. Tradit Boërius, q. 164. in pr. doctores omnes Bononienses conclusisse, neminem ex indiciis, etiam indubitatis, condemnandum. plura eo loco. Imo & putat q. 165. reum nunquam esse torquendum si indicia vltrò, citróque colluctentur. Lateanter triaque folia, Argentræus ad consuet. Armor. art. 41. tit. de instit. vbi variorum in id auctorum. verba sententiásque reperies. dixi etiam sat multa ad l. proinde. ff. ad l. Aquil. sed pro auctario consule singularem locum apud Heliodorum qui huc valde faciat. scribit enim iudicandum numquam ex indiciis, quantumuis violentissimis, mirámq; proponit speciem de patre qui detulerat filium apud iudices, quòd noctu stricto gladio introiisset ipsius cubile, ac, reductis lecti velis, occidere conatus fuisset, fuit enim tantummodò relegatus, quia non constaret eum voluisse patrem interficere, imò dumtaxat adulterum, quem falsò ei nuntiauerat ancilla concumbere cum nouerca. Notum fere lippis ac tonsoribus criminale litis prodigium ex Corrasio aduersus Arnaldum Dutils, qui per indubitata indicia fermè persuaserat iudicibus Tolosanis, se esse Martinum Guerre, nisi ipsemet Martinus inter contestationes acerrimas, mirabili suo aduentu, imposturam detexisset. Vnum superest de maiorum nostrorum errore fœdissimo quo explorabatur vel innocentia, vel flagitium accusati, modò per ferrum ignitum, modò per candentem laminam, per aquam frigidam, per duellum, per vexillum. Cùm enim appellatum sit sæpius ad Senatum ab huiusmodi latis in sortiarios iudiciis, totum id abrogatum semper est, vetitúmque iudicibus, nè deinceps ita decernant. Causæ, inter cæteras, duæ actæ sunt conuentu maximo, perorantibus Pailletio, & Leo. Doleto ann. 1601. die 1. Decembr. rursúsque agentibus Aug. Gallandio, & Dionys. Butillerio, ann. 1604 die 24. Iullij. Nihil hic ex Bart. Bald. & Salic. quod sententiam legis adiuuet, nisi in eo quòd indicia, probationes indirectas vocant, ex quibus proinde probandus sit dolus, cùm in animo consistat. sed vagum hoc nisi ex iis quæ recenseo suppleas. Solus Io. Faber legit, nō *ex indiciis*, sed *ex insidiis*, & cùm Codex iste Iustinianeus Gallicè olim redditus fuisset iussu Caroli quinti, Francorum Regis, quem aliàs, sapientem vocamus, cuius Codicis Gallici exemplar seruatur in hunc diem in Bibliotheca regia, inaudiui sæpius ex Ant. Oysellio, doctiss. patrono, qui sæpe bibliothecam illam inuisit, legisse procul dubio interpretem, *ex insidiis*: vertit enim, *par tricheries*. Fereque dixerim ita & legisse Accursium, cùm alias frustrà adiecisset, captum vino quemdam Aldricum, ex Hispanorum insidiis, mero amineo, seu albo, semper pro aqua, inter prandium, affuso; itaut statim ab insidioso illo prandio, bene potus, & cùm animi compos non esset, obligatum sese ab eis, fideiussorio nomine, diceret. Baldus duobus verbis ait notandum istud. vide autem apud Boërium, q. 179. quid de Hispanico in commerciis more. Atque vt nè tam facilè emoueatur illa lectio, *ex insidiis*, vide, si lubet, in Basilicis, lib. 10. tit. 3. de dolo, cap. 46. vbi hæc verba, τὸν δόλον ἀπὸ ἐπιβουλῶν περιφανεστάτων ἀποδείκνυσθαι χρή. οὐ δεῖ γὰρ ἀπὸ ψιλῆς οἱασδήποτε ὑπονοίας ὁρίζεσθαι τὴν περὶ δόλου. id est, dolum *ex insidiis* manifestissimis probari conuenit, nec enim ex quacumque nuda suspicione actionem de dolo definiri oportet. Tametsi bonus auctor, Ælianus, lib. 10. cap. 12. nec sine summa ratione scripserit, èx quodam Archyta, quemadmodum difficillimè piscem, sine spinis, ἀκάνθας μὴ ἔχοντα, (ait ille) inuenias: sic & hominem qui non dolosum, spinosúmque aliquid in se habeat. verba rursus Æliani, μὴ κεκτημένον τι δολερὸν καὶ ἀκανθῶδες. minus hic, alius autem amplius: obseruantúrque in id maximè nationes, ac prouinciæ. Demosthenes Philip. 3. vt odium tanto acrius apud Athenienses aduersus Philippum concitet, prædonem eum Macedonem vocat, qua ex regione, ait, serui omnes nequissimi, dolosissimíque esse consueuerunt. Egregiè Iuuenalis Satyr. 3.

——— *Nam cùm facilem stillauit in aurem*

Exiguum

Exiguum de natura, patriaque veneno,
Limine summouetur, perierunt tempora longi
Seruitij.

Locus de hoc singularis apud Vlp. in l. quid si nolit. §. qui mancipia. de æd. ed. ff. ad quam & dixi.

IMP. CONSTANTINVS.

L. vlt.

Ex eo die quo asseritur commissus dolus, intra continuum biennium de dolo mouenda est actio.

Glossa notat omnem actionem, lite contestata perpetuari, duabus exceptis, nempe actione de dolo, quæ biennalis, vt hic, & retractatione status defuncti; quæ quinquennalis. Sed vsitatissima apud nos Ludoici XII. constitutio, quæ pro biennio, decennium indulsit si de solo dolo queratur quis, petátque ex eo rescindi venditionem, aut alium quemuis contractum, imò & transactionem ipsam, cùm dolus nempe personalis est, non realis. Quinquennium verò, de quo etiam glossa, seruamus maximè in muneribus, seu officiis publicis, putà iuridicinis, quæsturis, ac cæteris id genus: vt scilicèt, post quinquennium, quæstio amplius fieri, mouerique non possit ei qui quieta possessione, citráque litem functus sit. ita enim semper Senatus: tribúsque abhinc annis res eo prorsus axiomate decisa in maiori auditorio inter senonenses iudices, ex

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE MINORVM XXV. ANNIS.

IMP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Si curatorem habens minor 25. annis post pupillarem ætatem res vendidisti: huius contractum seruare non oportet, (glo. ipso iure propter defectum tutoris, vel curatoris, vnde nec restituendus) *cùm non absimilis ei habeatur minor curatorem habens, cui à prætore curatore dato, bonis interdictum est.*

Baldus explicat glossam in hoc, vt, quod ait ipsemet textus, si minor curatorem habens contrahat curatore absente, nullius momenti sit contractus, nec restitutione opus sit. quòd si curatorem non habeat, tunc restitui debeat. sed aliud iure nostro Gallico, quo, sublata illa differentia, quæ meri iuris Romani est, minori qui contraxit, seu curatorem habeat, seu nõ, regium semper diploma necessarium. Rex enim Francorum soli Deo acceptum refert quantus quantus est, adiríque semper officinas suas codicillares, seu cancellarias, vt vocant, à populis suis iubet, etiam in iis quæ ex iure nulla, irritáque sint, vt ostendat nescire se Romanas leges nisi in quantum ratione, (quæ sanè vbique mirabilis) cæteras quasuis vincant. trado istud fusius ad l. si mulier. §. si metu. ff. quod met. causa. repetóque hîc vt loco idoneo, vt innotescat prouincia-

libus, extraneoque cuilibet, cut aliena, in eiuscemodi formulis, videantur à iure Romano iudicia Gallica. equidem laudatissimum Ferrariæ statutum, cuius meminit Salicetus ad l. 1. sup. de errore aduocatorum: contractum nempe, quemcumque inierit minor, esse irritum, nisi præsente iudice celebratus fuerit, præcîdit ille mos Jitium immensos nexus.

IIDEM IMPER.

L. 7.

De tutela auunculi, eiusdémque tutoris, cui, falsò ætate probata, liberationem præstitisti, quem ætatis tuæ ignarum non fuisse, tam officium tutelæ, quàm sanguinis proximitas arguit, hæredes eius, (gl. auunculi) *conuenire potes.*

Vt vulgatus sit hîc textus de ætatis probatione per proximiores consanguineos, egregius tamen in temerarium tutorum conatum, qui, grassati in re pupillari, quęrunt tandem qua arte conuelent prædam: itaur anteuertant annos adolescentis cuius imminentes actiones prospiciunt, eique, falso probata ætate, rationes reddunt. pessimè autem cœpta illa cedere semper vidimus. Quantum ad ætatis probationem per matrem, fratrem, sororem, auunculum, patruum, cæteràsque id genus adeò coniunctas personas, vt cuiúsque ipsorum ætas ignorari inter ipsos non possit: (frater enim vocatur ab auctore etymolog. γνωτὸς, id est, cognoscibilis, ἐκ τῶν ἀλλοτρίων γνώριμος. id est, quòd præ cæteris cognoscatur,) dixi de his ferè quod satis ad l. etiam. ff. de probationibus. Decius consil. 174. hac l. de tutela. vtitur nō solùm ad ætatē, sed etiā ad qualitatē, & conditionē consanguinei, vt scilicet eo casu adhibeatur fides cognatis proximis profero autem vlteriùs: vt nimirùm probatio illa fieri possit per affines, generos, soceros, & quotquot non tantùm naturali vinculo, sed ciuili, cognationem nostram attinent. fuit ea prudentia veterum, ad deuinciendas eò magis cognatorum amicitias, vt festa annua celebrarent cognati inuicem, mutuáque munera mitterent quę dicebantur ex eo χαρίστια: Ouid. lib. 2. Fast.

Proxima cognati dixere charistia cari:
Et venit ad socios turba propinqua deos.

vocátque rectissimè Martialis lib. 9. epist. 56. diem quo, festis illis, dona mittebantur, *lucem propinquorum.* Tunc enim *facilè conscius erat quisque sui generis:* quod dixit Capitolinus in Maximino. eóque fecerit optimè quod ait Harmenopulus, libr. 4. titul. 6. in hæc verba: ὅσοι τὴν οἰκειότητα πρὸς ἡμᾶς ἐκ συνθήκης, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἔχουσι. id est, quotquot familiares nobis sunt ex fœdere, & amicitia, nec tantùm ij quibus iniicit natura necessariam ex cognatione familiaritatem. At verò & fieri potest ea ætatis probatio per sodales qui eiusdē collegij sint, quiq; sint, σύσσιτοι, id est, communi cibo vtentes, vt latiùs apud Caium in l. vlt. ff. de colleg. illic. potest deinde per vicinos, & per tribules, seu δημότας, si sint ex eadē tribu, vico, pago, oppido, de quibus omnibus dixi ad l. de ætate. ff. de minoribus. Imò & ad coætaneos notandi hi versus Horatij referentis, Satyra 6. lib. 2. quid de se, ob gratiam mecænatis, ac Augusti, loquerentur plures quibuscum, iuuenis cùm esset, ludos spectauerat, luseràtque in campo, martio. sic enim ille:

Per totum hoc tempus subiectior in diem, & horam,
Inuidiæ: noster ludos spectauerat vnà,
Luserat in campo fortunæ filius: omnes:

sup. aiunt,

Notitia verò illa longè maior in vicis, pagis, paruisque oppidis, atque inter eos denique qui in populosis vrbibus, ex hac, vel illa regione vrbis sint, aut, ita dixerim, ex ea-

dem tribu, συμφυλέται, δημόται, καὶ φράτορες, vt fusè ista hæc explicat Eustatius ad hos versus ιλ.β

Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.

id est, elige viros per tribus, per sodalitates, Agamemnon, vt sodalitas sodalitati opem ferat, & tribus tribui.

Prætermitto vulgaria, putà per obstettices, per eos, eásve qui ex sacro fonte leuatint, (compatres, & commatres vocant) Imò & addit Bartolus ad l. 2. §. si dubitetur. quemad. testam. aper. & ad l. minor 25. annis, ex aspectu. de minorib. probari ætatem posse per testes qui de aspectu solo loquantur. Sed nè quis in re quotidiana cæcutiat, notandum est, probationes istas admitti dumtaxat vbi de vita & moribus ac de ætate, ad obtinendum munus quoddam publicum inquiritur. aguntur enim tunc omnia ἐν πλάτει. Aliud si ad rescindendum contractum ex causa minoris ætatis instituta sit actio. eo enim casu Codex paræcianus, manúsque patris, seu παιδογραφία, de qua in l. 2. de excusar. tutor. totam probationum fidem absoluunt, cum de momento ad momentum obseruantur tempora. l. 3. de minorib. l. 2. de diuers. tempor. action. ff.

IMP. ZENO.

L. vlt.

Non videtur circumscriptus minor qui iure sit vsus communi.
(gl. id est, si fecit quod quilibet diligens faceret.

Tota Græca est lib. 10. Basilic. tit. 4. cap. 58. transiit verò in axioma iuris tritissimum, vbicumque de minore industrio agitur, qui publicè agit patremf. itaut, per quotidiana eius commercia, nemo non cum eo contraxerit nec vana simplicitate, aut iuris ignorantia, sed fama communi, cùm sic ageret, sic contraheret, sic fungeretur muneribus: quæ sunt obseruationes Vlpiani in l. 3. ff. ad Macedon. glossáque in hoc singularis ad l. 1. Cod. eod. illo tit. ad Macedon. in verb. iusta ratione. Sed coërcendum istud ad commercia, sique -- *firmata virum hunc fecerit ætas*, id est, si vicesimi anni clausa ætas adolescentiæ fuerit, vt explicat firmatam ætatem lex vn. Cod. Theod. de his qui ven. ætat. impetrau. priùs enim alienare non potest minor mobilia seu inter viuos, seu testamento, vt liquet, inter cætera, ex consuetudine Paris. art. 239. & art. 293. sed & codicillis venialibus ei, per mores nostros, opus est, quibus impetratis, administrare quidem potest immobilia, prouentúsq; alienare, donare, abligurire, at verò & ludo si tam malè frugi sit, absumere: vendere autem fundos, emptitiósque reditus, ante annum 25. non potest. quod non in solis plebeiis, sed & in nobilibus, clericísque quibuslibet. iudicatum enim hoc ipsum in causa Principum, ac optimarum regni qui Duces, rectorésque prouinciarum, quique consistoriani Comites. Ita euicit sat diu Dux Tremulius aduersus fumeum, cui Insulam, vocatam, Daiguillon, in centum aureorum annuum reditum concesserat, cùm anteà nec centum libras ex pascuis, quæ vniuersum loci illius reditum constituunt, perciperet. Causam agebam aduersus Isaac. Arnaldum, qui postea consistorianus comes. Plura vide ad l. 1. ff. de minoribus. vt etiam de negotiatricibus fœminis ad l. Quintus. ff. de donat. inter vir. & vxor. Superest quæstio de minore qui iure communi vsus est: puta si annos natus quatuordecim, egerit in causa beneficij ecclesiastici, superatúsque sit: tractaui autem, iudiciúmque Senatus consuli, ad l. 7. ait prætor. in pr. ff. de minorib. vt ostendam tantò magis restituendum eum non esse. Idem decidit Cuiacius lib. 16. obseruationum. cap. 14. si puella collocata à curatore in matrimonium, dotem dedit, aut promisit secundum modum patrimonij sui. non enim videtur capta, cùm iure communi vsa sit, dote nimirum constituta, prout ferant vires paternæ, maternæque substantiæ, & curatore insuper adhi-

bito,ritéque constituto.nec proinde potest in integrum restitui. In quo & citat hanc l.cum l.nihil consensui.§.1.de reg.iur.in eis verb.*non capiturqui ius publicum sequitur*.& l.inter eos.§ pen.de fideiussorib.ff.Sexcenta sunt similia,quibus nec minus deneganda sit minori restitutio si iure communi vsus sit, id est, eo iure quo & bene consulti maiores agere consueuerint.

TIT. XXIII. DE FILIOFAMIL. MINORE.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Filiusfamil.si pro patre suo fideiussor extitit, eique diem suum functo non successit:in integrum restitutionem postulare potest.

Nota accuratum scholium ad l.1.ff.quod cum eo. Perstrinxi etiam,ad l.cum is qui. ff.de condict.indeb.speciem causæ Laffamasij qui, filiusfam. cùm esset,& minor,pro patre suo,manciparo carceri, ob æs alienum, fidem suam adstrinxerat. explicabo autem hîc paulò latiùs, impellit enim locus. Præfectus Parisiensis sua sententia dixerat Laffamasium, iuniorem fori patronum, iure impetrasse rescriptum Principis rescisorium obligationis qua, imminentibus patris captiui minis,ac prope iam decretorio in eum maledictionis,imprecationisque stylo fulminantis,sese tandem creditoribus paternis obligauerat,omnis pecuniæ nomine, cuius causa pater perpetuus fore carceris inquilinus videbatur,atque id,cùm ad eius mandatum, & imperium in carcerem venisset,nunquam aliàs passurus obligationem quæ euersura esset ipsum fortunis. Imò & querebatur voluisse creditores vt sese maiorem diceret. Aiebar igitur habendam esse rationem vis illatæ à patre, id est, imprecationis, seu maledictionis paternæ quæ numquam irrita est,citráque vindictam diuini numinis, vel ipso Homero teste, Iliad. nono,cuius verè Christiani in hoc ipsum versus:

---πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς ἐπεκέκλετ' ἐριννῦς,
Μήποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράς,
Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.

id est,pater autem statim suspicatus, multa imprecabatur, plutonias verò inuocabat furias,nè vnquam genibus meis imponerem dilectum filium ex me genitum, dij autē perfecerunt imprecationes,Iupiter verò infernus,& dura Proserpina. Sic Phœnix Homericus. prætermitto vulgatissima ex Deo ipso, ex patriarchis, ac cæteris quibus refertæ sacræ paginæ imprecationibus parentum quæ semel prolatæ, ac inflictæ, luctuosum ferè semper in finē desinūt.vim ergo illā,& insolitā vt probabat filius de quo agitur,ita & restituerat Princeps,vt nè,per vim illatā à patre, quasi mendicatet misere. Plenissimè agitata quæstio est in maiori auditorio, confirmatáque sententia à qua creditores appellauerant, vrgentes in eo quòd sese maiorem affirmasset. adiecit verò ordo amplissimus, quod sine exemplo foret (vernaculus sermo est, *sans tirer à consequence*) spectatæ enim sunt minæ, & inuita maioris illius ætatis affirmatio: vis nempe ex vna parte, & dolus, κατ' ἔθος, ex altera. peroratum est anno 1610. die 4. Februarij. vide ad d.l.cum is qui. Duarenus suos in hunc secundum librum Codicis commentarios incepit ab hoc tit.nihil verò vnde iuuari possit forensis dissertatio, compertum mihi est.

TIT. XXIIII. DE FIDEIVSSORIBVS MINORVM.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 2. verſ. vlt.

Si dolo malo apparuerit contractum interpoſitum eſſe: manifeſti iuris eſt, vtrique perſonæ tam venditricis, quàm fideiuſſoris conſulendum eſſe.

Componenda neceſſariò lex, 7. exceptiones. ff. de exception. vbi diſtinguntur exceptiones perſonales à realibus, cùm de fideiuſſoria obligatione agitur. Si exceptio perſonæ debitoris principalis cohæreant, non tranſit ad fideiuſſorem: dantúrque ibi exempla in ſocio, in parente, in patrono, in marito, qui omnes cùm exceptionem habeant in id quod facere poſſint, exceptio illa fideiuſſori non competit. Reales autem exceptiones etiam fideiuſſoribus competunt: vt rei iudicatæ, & doli mali. Sic d. l. 7. quæ cùm dolũ malum inter exceptiones reales enumerat, abſoluta hinc & paucis, dici poſſit noſtræ huius legis interpretatio, quæ vult reſtitutionem minoris prodeſſe fideiuſſori, ſi ob dolum malum aduerſarij facta ſit. Caſum verò alium adijcit Io. Faber. ad hunc tit. quem ſuppreſſo eius nomine, recenſet Nic. Valla, tractatu 19. de reb. dubiis, ſi nempe creditor regreſſum habeat aduerſus alium: in quo citat Faber legem, minor. ff. de procurator. Caſus alter eſt apud Alexandr. ad hanc l. num. 2. ſi fideiuſſor ſcilicet ſuccedat minori pro quo fideiuſſit. Tũc enim, ait, ex perſona minoris poterit reſtitui, citátq; in id legem, 95. Stichum. §. quod vulgò. ff. de ſolution. In cæteris fideiuſſor facilitatis ſuæ expenſum ferat ſi pro minore fideiuſſerit. ſic enim intelliguntur lex, Marcellus de fideiuſſorib. & l. ſi pupillus. de verb. oblig. ff. quæ negant fideiuſſori communicandam eſſe reſtitutionem pupilli. vide etiam, ad ampliorem totius huiuſce fideiuſſoriæ quæſtionis explicationem, quid in gloſſa legis 3. §. ſed vtrum. ad verb. interdum. & gloſſa legis, 14. in cauſæ. t. in pr. de minorib. ff. verè enim parieti caduco adhæſit, vt in hoc, nec tam abs re, vſurpem vetus Adriani ſuſpirium, de quo Spartianus in eius vita: veréque defixit manus ſuas, vt de epimetheis, ſecordibúſque ſponſoribus dicitur apud Solomon. Prouerb. 27. Rectiſſimè damni vicarios dixit ſcriptor elegans eos omnes qui, per incogitantiam, aut εὐηθείᾳ potius, ſponſioni ſeſe, vel maximè pro diuitibus, ſubiiciant. Ferè enim ſemper comitem habent æris alieni, litiſque miſeriam, vt monebat vetus Delph. oraculum, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, id eſt, ſponde, noxa præſto eſt. ἐγγύη πολλοὺς ἀπώλεσε κατευθύνοντας, καὶ ἐσάλευσεν αὐτοὺς, ὡς κῦμα θαλάσσης, ἄνδρας δυνατοὺς ἀπῴκισε, καὶ ἐπλανήθησαν ἐν ἔθνεσιν ἀλλοτρίοις, id eſt, fideiuſſio multos proſperè agentes perdidit, & agitauit ipſos huc illuc, vt fluctum maris, viros potentes domibus ſuis expulit, & vagati ſunt inter alienas gentes: Ita Ieſu Sirach in Panareto. Benignéque ex his ſuccurrit ordo ampliſſimus fideiuſſori cuidam Rhotomagenſi, qui parem debiti deciſionem (remiſſionem vocant) aduerſus creditorem petebat quam cæteri creditores fugienti debitori feciſſent, pro quo fideiuſſor ille, vt vnus è multis, ſeſe inclementi illi creditori, (vocabatur, *le ſueur*) obligauerat. Tranſlata lis à Rhotomago in Senatum fuerat, pronuntiatum verò eſt in purpuris, an. 1609. ad Paſchales ferias, indulgendum eſſe fideiuſſori illud ipſum quod creditores omnes, præter Sudorium, Reo principali, qui foro ceſſerat, feciſſent: Admiſſus tamen eſt Reus principalis ad bonorum ceſſionem, contra fideiuſſorem, anno 1605. die

16. Martij in edictali auditorio. eóque nunc iure vtimur, licèt semper anteà iudicari aliud soleret. cumulúsque inde miseriarum tantò maior, grauiórque factus est miseris, inneaurísque sponsoribus, quos iactant, versántque huc illinc acerrimi creditores, & laribus, fundis, sepulchrísque auitis distractis, solum vertere, abiréque in longas terras cogunt exilio perpetuo, dum fallax, impiúsque debitor, solutus omni ære, & carcere, mollibus forsan in deliciis vitam exigit. Vnum de fideiussoribus minorum subiungam: accipi nimirùm eos de more, si lis quædam lõgorum annorum futura sit, sique compromissum videatur necessarium quo per arbitrios decidantur implicatissima negotia. Tunc enim, vt nè incassam feratur sententia, interpositis minorum fideiussoribus qui res iudicatas in tuto collocent, compromittitur: sæpéque tutores ipsi suo nomine in eam causam contrahunt: vide textum singularem in l. 4. si creditor. inf. si tutor, vel curator interuen.

TIT. XXV. SI TVTOR, VEL CVRATOR INTERVENERIT.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Minoribus annis 25. etiam in iis quæ præsentibus tutoribus, vel curatoribus in iudicio, vel extra iudicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse placuit, si circumuenti sint.

Delineari hîc ex vsu necesse est quid possit tutor in iudicio, quídque extra. primùm ergo, si de sententiis agatur, vulgatum nimis, appellari posse à minore vsque ad annos 30. à die quo latæ fuerint. Si de Senatusconsultis, sex sunt menses à die maioris ætatis vt aduersus ea supplicetur ab eodem minore, maiore facto, requestam ciuilem vulgò dicimus: at verò id ob defensiones omissas, de quibus forenses duo sunt textus, alter in l. 4. tit. si aduersus rem iudic. inf. hoc lib. 2. alter in l 19. minor autem magistratus. ff. de minorib. Consentire autem nihil potest tutor in iudicio, nomine minoris, quod non praui aliquid suboleat in caput minoris, vt suspecta ferè semper ingenia tutorum apud iudices. Itaut cum, anno 1595. die 2. April. appellasset minor maior factus à sententia quæ, consentiente tutore, lata fuerat, censuerit Senatus appellationem illam sufficere, quamuis vel vltra decennium, à maiori ætate, codicillos aduersus eiusmodi consensum à Principe impetrassent. attigit istud Loëtianus libellus ad lit. C. num. 11. vbi notat currere eo casu decenniũ à die solo notitiæ. Compromittere etiam tutor non potest nisi vno casu quem explico ad l. 34. Si minor. 2. §. 1. ff. de minorib. non potest superuacaneas lites instituere, quin suo periculo illud sit, l. quoties. ff. de administr. tut. qui quotidianus textus est. Imò & donec rationes reddiderit, tenetur cœptas lites promouere, tueri, ac persequi, l. tutor. l. negotiorũ. §. 1. & l. vlt. §. 2. ff. de appellation. l. vn. ff. si pend. appellat. mors interuenerit. tit. vt causæ post pubertatem adsit tutor, inf. lib. 5. Tutor denique serium nihil, si fieri possit, in re pupillari aggredi debet nisi auctore iudice: vocat id Iurisconsultus *optimum consilium*, in l. pen. §. vlt. ff. de rit. nupt. adhibendi que semper ab eo, ad ordiendas lites, patroni consultissimi, quorum subscripta etiam seruabit responsa, futura scilicet totidem suæ prudentiæ, ac sollicitudinis argumenta, & testimonia apud minores, cùm eis rationes reddet: laudát in id Tiraquellus, & Rebuffus legem, si auiam. inf. de ingen. manumiss. l. 5. inf. de iis qui accus. poss. citauíque plures aliàs in hoc ipsum ad primum volumen pande-

ctarum. Ista igitur in partem ad tutorium munus in iudicio. Quantum autem sibi in iis quæ extra iudicium cauere non minùs, ac prospicere debeat tutor ex variis quæ forsan non aduerterit: sic habe. Primùm enim locare eum prædia pupillaria vltra sexennium, vetuit Senatus in maiore auditorio, ann. 1611. die 7. Ianuar. resciditque in publicis etiam causarum actionibus locationem quæ in longiores annos facta à tutore fuerat, argum. articuli, 227. consuet. Paris. perorabant c *des touches*, *& chamoix*, alter litigatorum vocabatur, *morgue*. Deinde potest quidem remittere aliquid de debito non liquido: sed non, si sit liquidum. l. pactum curatoris, & glo. sup. de pact. ad quam dixi. Tertiò alienare nihil quicquam potest ex bonis immobilibus minoris, nisi vrgeant creditores, l. magis puto. §. non passim. de reb. eorum. ff. quæ semper in prauas hasce administrationes allegari solita est: nisi tamen aliud testator statuerit, vt duo sunt in id singulares textus in l. 1. & pen. inf. quando decreto opus non est: quos confirmare semper vidimus, vbi controuersiæ eiuscemodi ortæ sunt. eó que facit maximè doctrina Tiraquelli ad finem tituli, de retractu gentilitio, num. 3. 4. 5. vsque ad decimum. Quartò, si inconsideranter pupillum, vel dolo abstinuerit hæreditate, poterit suspectus postulari, aut luet tandem hāc culpam apud minorem maiorem factum, vt docet lex, 3. §. is tutor. ff. de suspect. tutor. Quintò si seruauerit non seruanda, de periculo casus fortuiti tenebitur, l. 3. si res pupillares. inf. de petic. tutor. Sextò, si repertorium paulò postquàm electus, confirmatúsque est à iudice, non fecerit, spectatis locis, seu remotis, ac dissitis, seu proximis, l. 3. de susp. tutor. ff. Septimò, si nummos pupillares occupare fœnori diutiùs distulerit, aut in emptiones prædiorum collocare de cognatorum minoris consilio, debet procul dubio vsuras, arbitrio iudicantium, & prout de culpa nimia, aut de dolo ipsius constiterit. circumscribi autem istud certis regulis non potest, modò enim totus annus datur, nec nisi à secundo vsuras otiosæ pecuniæ debere incipit tutor, vt decreuit Senatus inter duos Lugdunenses, ann. 1610. scripserat in lite pet. Molinæus. modo etiam dantur tantùm sex menses, vt & iudicatū nō ita diu inter duos Burdigalenses, redactam pecuniā ex venditione mobiliū, aut ex redemptione facta à debitore emptitij cuiusdam reditus, dandam esse fœnori intra sex menses, quibus exactis in vsuras tutor tenetur. quantum ad fructus prædiorum, seponi etiam debet à tutore quicquid pecuniarum, deductis oneribus hæreditariis, poterit intra triennium redigi, collocandúmque fœnori. Aliàs, triennio illo elapso, pendet tutor ipsemet suo nomine: Ita iterum Senatus, causam agente, velo reducto, clausisque foribus, Car. Doleto, genero meo. Denique, vt dixi, temperandum istud pro causis, & personis, & quatenus bona pupillaria libera fuerint, aut implicita oneribus, æréque alieno, cui vix suffecturum videatur quicquid tutor tam ex distractione mobilium, quam ex obligationibus, aut etiam ex ipso anniuersario prouentu refecerit. vide ex iure quid statuant lex, Si tutor. 15. l. 7. tutor qui repertorium. §. vsuræ. de admin. tutor. d. l. 3. §. qui pecuniam. de susp. tut ff. vide & nou. 72. cap. 6. Notandum verò est tutorem posse pecuniam pupillarem fœnerare suo nomine: pupillúsque debet quod gestum est vel in totum agnoscere, vel à toto recedere. l. cum quæritur. l. Lucius. §. tutorem. de administr. tutor. ff. lis se olim in hanc speciem obtulit, in qua cùm scripsissem, Senatus secundum tutorem ex illis textibus pronuntiauit interprete litis Dom. Bouchetio, hodie maioris auditorij Senatore, tunc verò in secunda inquisitionum decuria. Octauò, si in proprios vsus conuerterit pecuniam pupilli destinatam in emptionem prædiorum, vel alium certum vsum pupillo vtilem: aut si pecuniam pupilli interceperit, centesimas vsuras debet, l. qui sine. de neg. gest. d. l. tutor qui repertorium. § quidam. vide & Molinæum, tractatu, de vsuris, num. 588. in fin. Nonò, non est audiendus, cùm dicit ideò cessasse pupillarem pecuniam, quòd idonea nomina non inuenirer, si arguatur & suam pecuniam eo tempore bene collocasse. l. tutor secundum. §. 1. ff. de admin. tutor. Sæpe istud occurrere vidimus. Vltimò si quid donatum minori suo fuerit, cauere debet apprimè vt acceptatio ab eo fiat. aliàs enim, nullius momenti esse donationem, inanésq; codicillos qui impetrati sint vt fiat omissæ illius acceptationis venia, pronuntiatum est in purpuris die 7. Sept. 1603. pridie natalitiorum. d. virginis. quo & adiectum vt deinceps pro lege esset. itaut iudicatum rursus hoc ipsum fuerit aduersus matharelli, patroni, viduā ann. 1604. mense Augusto.

Boni consulant superciliosi. delectu enim facto seposui quæ quotidiana magis visa sunt, cùm longè plura esse sciam quæ pro personis, & causis proferri possint à perspicacibus.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Si creditor non vestram personam, sed curatorum secutus cum ipsis contractum habuit, & ab ipsis stipulatus est: nullam ei prorsus aduersus vos actionem competere manifestum est.

Rationem adscribit glossa. quia nimirùm dixerit creditor nolle se cum minoribus contrahere. vnde Baldus: minor, inquit, non restituitur aduersus obligationem quam in se receperit eius administrator, seu tutor, aut curator. contemplatione enim personæ tutoris contractum est, non contemplatione officij. ait verò pulchrè Imperator, §. vlt. Instit. de replicationibus: Qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, vt possit ab iis, quos pro eo obligat, suum consequi. notanda & in hoc lex, procurator qui pro euictione. iuncta glo. ff. de procuratorib. *sponsor in hoc accipitur, nè creditor in damno sit*: Quintil. declaratio. 273. aduertendum verò obiter non tam solitum curatoribus morem, nempe vt proprio nomine, non tutorio, aut curatorio spondeant pro minoribus, qui persæpe vbi in suam tutelam venerint, insuper habent quicquid in eorum gratiam, commodúmque actum sit, accepti scilicet à bonis tutoribus beneficij immemores, *Tutela vestra non minimo damno rationem meam afflixit*: conquerentis tutoris verba sunt in l. 28. Aurelius. in princip. ff. de liberatio. leg. vide autem insigne aliud exemplum in l. 2. inf. de aliment. leg. laudandúsque hîc optimorum curatorum paternus animus qui pupillis suis tam bene voluerunt, vt non operam modò, sed & bona, in rem ipsorum, sponsione hac spontanea, contulerint.

Indue mente patrem, crescentes dilige fœtus.

dixit in hoc ipsum Claudianus.

Quotquot pupilli tutelæ alicuius commissi fuerint, tot sacra deposita putanda sunt Inde tam sæpe [illegible], apud Demosthenem, cum de minorum cura loquitur, quos eo depositi nomine ferè semper nuncupat, vide etiam, ad tit. de fideiussorib. minorum. suprà.

TIT. XXVI. SI IN COMMVNI, EADEMQVE CAVSA IN INTEGRVM RESTITVTIO postuletur.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. vn.

Licèt maior 25. annis soror in re communi transegerit: nihil tamen de iure fratrum qui ratam transactionem non habuerunt, minuere potuit. quod si ea tunc esset minor, & fratres iis quæ gessit, consensum post 25. annos ætates commodarunt: restituetur quidem soror: sed fratribus

ad communicandum edicti perpetui beneficium, eius ætas patrocinari non potest.

Glossa distinguit, si transactum sit super re diuidua, putà super rei vendicatione, poterit soror vendicare pro parte dimidia quæ ei competebat: si autem esset indiuidua, putà seruitus: secus est. Bartolus profert istud ad præscriptiones, & sententias, quatenus res quæ præscripta est à minore, vel iudicata, diuidua fuerit, aut indiuidua. citatq; in id vulg.l.si communem.ff.quemadm. seruit.amitt. ad quam etiam fusè satis dixi, ex vsu, & tit.si vnus ex pluribus appellauerit. Casus autē nostræ huius legis vnicæ notandus in hoc maximè, quòd soror ista minor, quæ transegerat in re communi, restituta sit, fratres verò non, quia nempe maiores facti ratum habuerint: cùm tamen regulariter vna, & eadem res diuerso iure censeri non debeat, l.cum qui de vsucapion. ff. distinctióq; propterea affertur à gloss., & interpretibus, quam recenseo suprà. Cæterum vsus sum paraphrasi ex eisdem verbis textus ad faciliorem eius intelligentiam.

TIT. XXVII. SI ADVERSVS REM IVDICATAM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Minus ex tutelæ iudicio consecuti, de superfluo habere actionem ita potestis, si tempore iudicij minores annis fuistis, & nunc beneficium ætatis largitur (glo. quia estis intra annum vtilem, vel hodie, quadriennium) *cæterum si post legitimam ætatem sententia prolata est, iteratò eandem actionem de eisdem speciebus inferre non potestis.*

Baldus longè clariùs ad vsum: contra sententiam pro parte potest minor restitui: scilicet quatenus est læsus. sed si sententia incidit in tempus maioris ætatis, restitutio cessat. optimè autem Io. Faber, nisi, inquit, per dolum aduersarij fiat, vt feratur iudicium postquàm minor factus sit maior, vt in l. 3. §. 1. ff. de minorib. sic ille, ad hanc l. ad quam & hoc ipsum Bartolus, doctrina hac adiecta: Quando finis, ait, habet necessariam consequentiam ad principium, (hoc dicimus nos Galli, *quand c'est vn affaire qui à traict*) tunc inspicimus principium, sed quando non habet necessariam consequentiam, tunc inspicimus finem: sicque conciliat legem, si minor. de seruis export. ff. cum d.l.3.d.§ 1. Totum istud explicui clarissimè ex vsu, ad d.§.1. nihilque proinde amplius addo.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 4.

Cùm & minores vos esse affirmetis, & indefensos: nullum vobis praiudicium fieri præses prouinciæ, pro sua grauitate, curabit. quòd si iusta defensione tutorum, vel curatorum vobis assistente, aliquid statutum est, in integrum restitutionis auxilium vobis necessarium est.

Idémque obtinebit, etiamsi per procuratorem vestrum legitimè ordinatum (gl. scilicet à minore cum authoritate tutoris) *lis agitata sit.*

Baldus progreditur vlterius: Sententia, ait, lata aduersus minores indefensos, nulla est ipso iure. Si verò sint legitimè defensi, valida quidem est, sed possunt restitui. sic ille. hodie autem opus est supplicatione (requestam ciuilem vocant) aduersus Senatusconsultum, si omissæ minorum defensiones fuerint, vide ad l. 18. Minor autem magistratus. §. 1. ff. de minorib. vbi explanatur hoc ex fori nostri tritura. Frustrà enim distinctiones Io. Fabri, Bartoli, Baldi, Saliceti, an ab initio, vel ex post facto, an per seipsum, an tutore adiecto: Item, an inchoarit solus tutor, & an pupillus, tutore authore. ἀκριβοδικίας istas, & scrupulosas (quod aiunt Imper. Theod. & Honor. in l. 17. de iur. deliber.) solemnitates planè reijcimus, solum hoc spectantes, an, lati Senatusconsulti tempore, minor esset qui ex ea causa restituitur. Suspecta quippe semper fides tutoris, rarúmque, si, ex deserta pupilli domo nihil sibi comparet seu per sordes, seu per gratiam. præclarè Demosthenes contra Macartatum: Αρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν, καὶ τῶν ἐπικλήρων, καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων. id est, Summus magistratus curam gerat pupillorum & domorum quæ desolatæ, desertæque sunt. Describit graphicè eam pupillorum miseriam Homerus, quasíque subiecta re oculis, ἰλ. χ. seu lib 22. in fi. sub persona vxoris hectoris occisi, quæ & casum suum, & filij, Astyanactis, per triginta versus conqueritur. recensebo pauca hæc:

---αὐτάρ ἐμὲ στυγερῷ ἐνὶ πένθεϊ λείπεις
Χήρην ἐν μεγάροισι, πάις δ' ἔτι νήπιος αὔτως,
Ον τέκομεν σύ τ', ἐγώ τε δυσάμμοροι. οὔτε σὺ τούτῳ
Εσσεαι, Εκτορ, ὄνειαρ, ἐπεὶ θάνες, &c.
---Αλλοι γάρ οἱ ἀπουρίσσουσιν ἀρούρας.
Ημαρ δ' ὀρφανικὸν παναφήλικα παῖδα τίθησι, &c.

id est, At me tristi in luctu linquis viduam in ædibus: puer autem infans prorsus quem genuimus túque, egóque infœlices: neque tu, Hector, auxiliaberis, quoniam occubuisti, &c. alij ei auferent agros: dies autem orbatiuus omnibus æqualibus filium destituit, &c. persequitur posteà quod accidit de more, miserrimum nempe Astyanacta neminem reperire ex amicis patris qui eum adiuuet, imò repulsum esse ab omnibus. Prætetire ista ex tanto auctore, patre omnis virtutis, non potui, vt exhibeatur tantò magis pupilli infœlicitas. nec parua deinde iudicum nostrorum prudentia, admittentium querelas minoris, si quacumque in parte litis indefensum sese, plenissima cognitione ostenderit. nihil vltrà tunc inquiritur, perpetuúmque propterea bene peritis patronis illud est, *herbam porrigere*, quod dicitur, dareque manus, & agnoscere supplicationi esse locum, vbi ita constare viderint. sequimur nempe in eo potissimùm naturalem æquitatem prætoris qui statim ab edicti sui initio, profitetur se ideò tutelam minorum suscipere quia fragile huiusmodi ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorúmque insidiis expositum: sic ille. addi quin imò & possit tantam esse complurium tutorum perfidiam, implexásque adeò illorum fraudes, vt, depastis, interceptísque vndequaque pupilli infœlicis bonis, extorqueatur posteà facilius claua ipsi Herculi, quàm quod pestes illæ, per factam sibi ex pupillaribus annis licentiam, arreptáque diuturni silentij ansa, conuasarint, expilarint, pessiméque vmbris quasi Cimmeriis inuoluerint.

TIT. XXVIII. SI ADVERSVS VENDITIONEM IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER FLORNTINO MILITI.

L. 1.

Si minor annis 25 emptori prædij cauisti nullam de cætero te esse controuersiam facturum, idque etiam, iureiurando corporaliter præstito, seruare confirmasti, neque perfidiæ, neque periurij me authorem tibi futurum spera. Iunge Nouellam Friderici, quæ proximè sequitur.

Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, immobiliter custodiantur. per vim autem, vel per iustum metum extorta, etiam à maioribus, (maximè ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant) nullius esse momenti iubemus.

Obseruabitur primùm notari à Bartolo, contra suum morem, quo tempore promulgata Nouella ista fuerit, nempe temporibus glossematographorum, qui quoniam variè sentiebant de iuramento à minore præstito in contractu, maximè Bulgarus, & Martinus, Imperator Fridericus Nouellam hanc condidit, in qua sequitur, & confirmat Martini sententiam, quæ fuit vt pubes obligari possit iuramento ad id exequendum de quo conuenerit. Theorici tamen practici, ait Io. Faber hîc, sequi malunt opinionem Bulgari, vt scilicèt eiusmodi iusiurandum non sit obligatorium. Verba denique Rebufi subiiciam ex proœmio constitutionum, glo. 5. num. 50. *Non seruant Galli*, ait ille, *hanc Nouellam, qualecumque iuramentum interuenerit.* Sed, quod mirum, consuetudo Armorica nominatim hanc abrogat, art. 471. sublatáque est statutis Parmæ, Papiæ, vt tradunt hîc Paul. Castrensis, & Iason. Cynus, præceptor Bartoli, queritur mille animas demissas ad orcum ex captionibus quæ minoribus infirmis per eiusmodi Sacramentorum necessitatem factæ sint. Herricus septimus, ait Paulus Castr. impatiens querelarum quæ ex eo orirentur indies, decreuerat Nouellam istam tollere. sed mors intercepit cogitantem. Hoc & idem Iason statim à commentarij sui limine. vide etiam, si lubet, Argentr. ad d. consuetud. Armor. d. art. 471. Rectissimè Baldus consil. 2 lib. 3. cùm scribit in iuramentis lucem veritatis, non autem somnium inane fictionis inspici. placet verò & altera hæc ratio hüberti Bouenci ad hanc eandem Nouellam, iuramentum videlicet non supplere defectum vel formæ, vel materiæ.

Consilium, prudénsque animi sententia iurat,
Et nisi iudicij vincula nulla valent.

Ita Cydippe Acontio, apud Ouid. epist. 20.

Nescio igitur quí fieri potuerit vt, in re tãm dubia, Fridericus amplexatus non modò fuerit reiectaneam istam Martini sententiam (cui Martino, vt alienarum ferè semper opinionum assertori, perpetuò aduersator Accursius) imò & constitutionem huius euulgauerit, qua vult ignarum puberem obligari iuramento priosquàm nouerit infirma illa ætas quid spondeat. τὸ μὲν ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας, οὐδὲν οἶμαι θαυμαστόν. ait Xenophon. ἐν Παιδ. Κύρ. id est, nihil mirum, si cuilibet, homo cùm sit, illudat error, sic ille. Sed in adolescentiæ lubrico, nónne, vt in læui glacie, prima illa ætas facilli-

mè labitur? vertitur, motatúrque huc illuc *tanquam fluuialis arundo.* Et tamen si per veteratoris alicuius nequitiam, ac dolos adolescens iurauerit, vult Friderici constitutio vt luat misellus pœnas suæ innocentiæ. miror autem magis cur imitatione tam prauæ legis condita sit constitutio canonica in cap. quamuis. de pact. in 6. cuius per longas ætates tanta hæc vis fuit, vt canonistæ dixerint, Iusiurandum tres habere effectus: primus est, aiunt, vt confirmet contractum inualidum: distinguunt enim interpretes legem primam à Nouella, vt nimirum lex 1. locum habeat in contractu valido, quod ita esse contendebat aduersus Martinum Bulgarus, Nouella autem in contractu inualido, quæ fuit Martini sententia. ad quam citant d. cap. quamuis. cap. cùm contingat de iureiur. in antiq. cap. licet mulieres. de iureiur. in 6. Secundus est, vt impediat restitutionem minoris, in quo etiam citant Nouellam hanc, sacramenta puberum. Tertius est ex cap. vlt. de foro compet. in 6. vbi de priuilegio fori agitur, quòd scilicet, iuramento in contractu præstito, laici conueniri debeant apud iudicem ecclesiasticum. Si autem aliquis, qui ita contraxisset, ad rescindendum contractum, quia læsus, aut ex alia causa, ageret, admitti numquam solebat, quin prius iuramenti gratiam fecisset Rom. Pontifex, aut loci episcopus, nempe ob periculum animæ: Ita Vid. s Papius quæst. 224. atque hoc dumtaxat si vi, aut metu extortum fuisset, vt ad hunc ipsum textum scribit Bouencus. Verè equidem Duarenus, ad eundem tit. notat, relaxationes istas iuramenti impetrari olim solitas à Principibus, citátque in id textum sanè singularem in l. vlt. ff. ad municipal. subiicit tamen quod alibi vix est vt repetiatur vel à studiosissimis: sibi nempe videri Pontificem à Friderico extorsisse quicquid de Sacramento isto puberum promulgatum est. Non siluissent illorum temporum scriptores, ipsique glossematographi, Cynus verò maximè, quem Duarenus in patrem meminit, aut Baldi etiam liberrimus vbique calamus, si, vt ferè coætanei, pontificium istud quippiam inaudiissent. Emendauit denique ætas postera: imò & coërcitum iamdiu apud nos iurisdictionis ecclesiasticæ latifundium, vt quæ exhauriret planè regiam: vide ad l. si consensu. de episc. aud. Diuinare autem est, quod dixit Bulgarus decretum interuenisse in specie nostræ huius legis primæ, cuius etiam interpretationem coniunctim molior: Nihil enim prorsus in textu quod eò accedat. Inane etiam omninò quod Martinus asseruit, puberem scilicèt, id est, adolescentulum, qui excesserit ex ephebis, posse obligari efficaciter, dummodò corporaliter, tactísque euangeliis, iusiurandum, in contractu ineundo, præstiterit. Ἀσοφίας istud, absurdásque incogitantias quis non dixerit? Videtur petenda longè magis explicatio ex inscriptione legis. Cùm enim *Florentino cuidam militi* rescribat Alexander, non ad personas quaslibet porrigenda decisio est, sed ad solum illum militem, cui ex causæ accessionibus, innocentissimus Imperator (ἀναίμακτον fuit eius imperiū, testante Lampridio) neque periurij, neque perfidiæ auctorem sese in specie, quæ proponebatur, futurum enuntiat. Agebat quippe non apud simplicem, iuuenculúmque puberem, sed apud militem, qui necessariò annos duodeuiginti excesserat: cùm sciant eruditi, veteribus Romanis in more fuisse, vt anno tantum decimo septimo, darent nomen militiæ, cœpisséque ab ea ætate tyrocinium, non vt confestim miles, simplici denominatione, vocaretur, sed tyro per annos aliquot, quibus in re militari exercebatur: constat ex tit. de tyronib. lib. 12. atque ex Vegetio. Proindéque verisimile est, attigisse eum tunc annos 20. quæ virilis firmatáq; est ætas, vt ostendo ad l. vlt. sup. de in integr. restitutio. ἀνδρωθῆναι, hoc ipsum dixit Dio, lib. 56. sic deinde agebat, sic contrahebat, sic & munere militari fungebatur, quæ Vlpiani doctrina generalis est, vulg. l. 3. Ad Macedonian. meritóque ex his dici possit, respuisse Imperatorem quod petebatur à callido milite, agnoscente videlicet præstitum à se iusiurandum corporaliter, id est personaliter, & manibus tanquam datis inuicem: aut, vt explicat Cuiacius ex Orphei versu, ad hunc tit. in parat. manu sublata: aut etiā *cùm ad aram accessisset, vt more ciuitatis iuraretur:* quæ sunt Valerij Max. verba lib. 2. cap. vlt. verè enim corporale illud fuit iusiur. vt variis aliis ex locis liquet, quibus solemne erat ethnicis, iurare, tactis aris. Cic. pro Flacco: *qui si aram tenens iuraret, crederet nemo.* Virgil. lib. 12. Æneid.

Tango

Tango aras, mediósque ignes, & numina testor.
Silius Ital. lib. 14.

—pactámque per aras,
Haud facilis temerare fidem,

vulgatum inde adagium: Ad aras vsque amicus. apud Erasm. Egregium verò quod in hoc ipsum apud Græcos scriptorês: ἀλωμίτας enim eiusce modi, ad aras lapideas, iuratores vocabant Athenienses, vt fusius explico, ad l. rem non nouam. § patroni. inf. de iudic. Accedat, quòd peritio fieret apud Imperatorem, cuius tanta, vt dixi, pietas ac religio, vt planum fit ex Lampridio, habuisse illum in larario & Christum, & Abrahamum: vsurpasseque sæpius Christianum hoc, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Aperit enim istud tantò magis, cur in contractu quem iuramento corporali, ac solemni stabilitum cerneret, periurio, perfidiæque huius militis auctor esse noluerit. Sacramentum, inquit, Procopius lib. 2. de rebus Persicis, omnium, quę inter homines aguntur, est vltimum, & fortissimum, mutuæque omnibus, ac singulis, inter se, & fidei, & veritatis pignus. verba Procopij sunt: ὅρκος, τῶν ἐν ἀνθρώποις ἁπάντων ὕστατόν τε, καὶ ἐχυρώτατον: πίστεως ἐν ἀλλήλοις πίστως, καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον. Praui proinde, ac scelerati hominis certissima hæc nota: peierare.

Ἀνδρῶν φαύλων ὅρκους εἰς ὕδωρ γράφε.

id est, prauorum hominum iusiur. in aqua scribe. Ita Menander. Eò igitur longè meliùs redigenda nostræ legis hypothesis, quàm vt ad eam fingatur quod non est, vt somniauit Bulgarus, cuius tamen cùm explosa esset sententia, Martinus, vt dixi, aliique id genus interpretes, quia non aduerterent ad causas rescripti, quas nunc edo, mouerunt inanibus plus æquo nugamentis Fridericum vt nouam de mala sua interpretatione constitutionem promulgaret, in cap. 1 §. Item Sacramenta. De pace iur. firm. in vsibus feudorum. ex quo capite relata est posteà in Codicem, subiectáque perperam sanctissimo optimi Imperatoris rescripto, exhorrentis, vt dixi suprà, perfidias, ac periuria, seu edoctus in schola Christiana, quam venerabatur, seu etiam magni illius, religiosíque Herculis imitatione, quem semel tantùm, in vita, iurasse, scripsit Plutarchus in quæstionibus Rom. q. 28. Cæterum vt explanetur vetus illud Bulgari, ac cæterorũ, de tactis euangeliis, somnium. Christiani quidem moris est, iurare corporaliter, vel, vt in conciliis Græcis, ipsísque Basilicis, lib. 10. tit. 25. σωματικῶς ὀμνύειν: nempe tactis euangeliis: vt apud Gentiles, tactis aris, quas intellexisse proculdubio Alexandrum, eruditus nemo non dixerit. Mos enim ille tunc cæcitatis ethnicæ. Sed detorquere corporale iusiur. quale obseruant Christiani ad corporale aliud gentilitiúm, de quo in constitutione nostra, quæ singulari sua specie concludenda est, ridiculum planè est: Nec alios itaque in vsus proferri debet decisio, nisi vt ex ea dicatur, iudicandum semper esse pro causis, & personis, vel, vt loquimur, spectatis circumstatiis de quibus fusè dixi ad l. si ex plagis. §. in cliuo capitolino. ff. ad l. Aquil. Quisquis augurium hoc, & in antiquis, respuerit, nec morabor ipse, dummodò, vnde accendatur puriùs Lampas, subiiciat.

L. 2. quæ vlt.

In integrum restitutione cautum est minoribus aduersus commentitias venditiones, aduersus tutorum, seu curatorum insidias, (glo. per actionem tutelæ.

De tutorum frequentioribus insidiis, vide sup. ad l. 4. si aduers. rem iudic. ad l. de creationibus. de episcop. audient. ad l. 1. §. solent. de offic. præf. vrbi. ff.

TIT. XXXI. SI ADVERSVS LIBERTATEM.

IMP. GORDIANVS, ET IMPP. VALERIAN. ET GALIEN.

L. 2. & 3. & glo.

Satis est causam fuisse cognitam in concilio, tunc enim vindictæ impositione libertas iusta minuitur. Tamen indemnitati minoris à seruo manumisso sarciendæ consuli debet à iudice si circumscriptus sit minor, quia scilicet multa promiserit seruus, nec soluerit.

Referendum hoc ad tit. De vindicta, & apud concilium manumissione. inf. ferè autem totum hunc titu. præteribam cùm nihil planè viderem quod ad forum nostrum Gallicum, nisi mihi in memoriam venisset locus elegans Theophili, ad §. eadem. quibus ex caus. manumitt. non lic. In Institut. vbi describitur conuentus iudicum in prouinciis, missorum nempe in hoc vt lites prouincialium solemni per statos dies sessione dirimerent: verba Theophili sunt hæc: τί ἐστι κομβέντος; ῥητὸς χρόνος, πρὸς κατάλυσιν δικῶν ἐπινενοημένος. οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι &c. ἀφέντες τὰ ὅπλα, ταῖς δίκαις ἐσχόλαζον. καὶ πολλοὺς εἰς τοῦτο δικαστὰς ἐκάθιζον τέμνοντας αὐτῶν τὰ ἀμφίβολα. &c. ἐλέγετο δὲ ὁ καιρὸς κομβέντος, ἐπειδὴ, conuenire, ἐστὶ, τὸ συνιέναι. συνίεσαν γὰρ ἐν ταυτῷ οἵτε δικασταὶ, καὶ οἱ δικαζόμενοι. &c. id est, Quid est conuentus? certum, statúmque tempus, ad dirimendas lites inuentum. Romani enim, &c. positis armis, iuri dicundo operam dabant. & multos in hoc iudices constituebant vt ambigua causarum dirimerent, &c. dicebatur verò tempus illud conuentus, quoniam conuenirent. conuenerunt autem eo ipso tempore iudices, & ij quorum lites diiudicandæ erant. Hactenus Theophilus. Sic verò & olim apud nos temporibus Caroli Magni, vt fidem faciunt capitularia, lib. 3. cap. 83. in hæc verba: volumus vt propter iustitias, quæ vsque modò de parte comitum remanserunt, quatuor tantùm mensibus in anno missi nostri legationes suas exerceant, id est, in hyeme, Ianuario, in verno, Aprili, in æstate, Iullio, in Autumno, Octobri, &c. Longè autem posteà sanxit Philippus Pulcher, vt bis tantùm quotannis duæ sessiones Iudicum fieret, (Parlamenta dicimus) nempe ad Natalitia domini, & ad Festum Purificationis, seu, Candelasiæ vt loquimur: notat Molin. in pr. sty. Parlam. Iuridici denique semper dies, mutata huc illuc sessione, translati sunt in Gallia, vsque ad Lud. Hutinum, Ph. pulchri filiũ, qui sedem immotam statuit Parif. an. 1302. Imò & hoc ipsum præstabãt comites, maximè Campani. quod fusissimè Pet. Pythæus, tracta. de Comitibus Campaniæ, vbi in hoc differit iura, & morem quem & in dynastis cæteris feudalibus scribunt Butillerius in summa rurali, Molinæus ad cap. 23. styli Parlam. & Chopin. lib. 2. titu. 3. consue. Parif. Vestigia supersunt in comitiis illis iuridicis, seu, *magnis diebus*, vt vocant, quæ habentur interdum, & prout Principi visum est, missis in prouincias duodecim Senatoribus, factóq; in Senatu, per menses Septemb. & Octobr. iustitio. Inde igitur Senatus Parisiensis initium, ita nimirum statuente Philippo Pulchro, cùm tamen, sede incerta, variisque in monasteriis sederit ab anno, 1302. quò sedere in perpetuum cœpit Parisiis, vsq; in annum 1315. quo reliquit Hutinius amplitudini, tanti ordinis paternum qua & hodie forma, & nomine cernimus, ad ripas Sequanæ, mediáque in insula, Palatium. Vnicum istud, vt ferunt annales, nostri Hutinij memorabile, cùm in paucos etiam menses, nempe octodecim, regnauerit. Septem posteà κατὰ μίμησιν, suprema tribunalia instituta sunt, videli-

cèt Tolosæ, Gratianopoli, Burdigalæ, Diuioni, Rothomagi, apud Aquas Sextias, & Condati Rhedonum: qui ordo institutionis vniuscuiusque tribunalis seruatur de more vbi de præcedendo agitur. Et quia aliunde solus Senatus Paris. decoratur nomine, ac iurisdictione Parium, vocatus inde, *Curia Parium*, septem antiquioris, (quod abundè disserit Chopinus lib. 2. titu. 15. de domanio) eminentiorisque curiæ illius infulati Præsides præcedunt adeò cæteros vniuersæ Galliæ, vt seu coniunctim, seu diuisim, cedere ipsis oportere & qui principatū in aliis obtineant, decretum sit nouissimè in comitiis Notabilium Rothomagensibus, anno 1617. mense Decemb. quibus comitiis præfuere Illustrissimi, Cardin. Perronius, & Rupefulcaltius, Illustrissimi Nic. Brullartius, Franciæ Cancellarius, & VVill. Varus, annuli Gallici custos. Magnum verò consilium, quod dicimus, seu Senatus prætorianus, regij comitatus assecla, vt vocatur à nonnullis, cœpit ea forma, qua nunc iurisdictioni præest, sub Carolo VIII. & Ludouico XII. nec esse antiquius docet Chopinus d. tit. 15. num. 7. Semper nimirùm in sacro comitatu est: mutat sedes modò in hanc, modóq; in illam prouinciam cùm ipso Principe: iudicésque vt ex omni Galliarum plaga cooptantur, ita & sunt omni togatorum laude percelebres. Curiæ autem, quas dixi suprà, nunquam abscedunt consessu integro, sed examen tantummodò emittitur interdum, vt res ferūt, in prouincias, mens. Septembri, & Octobri, quibus iustitium est, nec modò ad incidēdas lites, quibus vbertim exundant, Lutetianáque maximè, sed ad purgandas etiam sceleratis prouincias, aut, quasi dixerim cum Tertulliano, ad consutam arrogantiæ potentiorum. Quatuor tantùm huiuscemodi Senatus nostri examina per annos 38. vidimus, purà Augustoriti Pictonum, ann. 1579. vbi dum celebres hinc illinc causas agitarent patroni eloquentissimi, ingeniosa equidem Musæi argumenti occasio incidit, quam neque hic prætereundam arbitror. Castissimæ tunc erant, eruditæque duæ Pictonides, mater, & filia, quas, animi causa, inuisebant interdum elegantiores. Contigit autem vt, literata inter diuerbia, eximeretur sinui pulex verè poëticus. exciuit enim actutùm, velútque ex Helicone, insigniores vates, Ios. Scaligerum, Scæu. Sammarthanum, Nic. Rapinum, ipsósque etiam fori eruditioris proceres, Barn. Brissonium, tunc aduocatum fisci laudatissimum, & celeberrimum, Iac. Mangotium, qui fisci quoque posteà patronus clarissimus, Ant. Oysellium, literatiss. variáque insuper ingeniorum togata ornamenta, quorum collatis versibus constitit tandem poëma nobilissimum. Vidimus deinde examen aliud Senatus apud vrbem Aruernam, ann. 1582. annóque insequenti apud Tricasses, poemariis iterum, ingenti numero, Latinè, Græcè, Gallicéq; argutissimis celebrata etiam est noua, quæ in officina pictoris visa fuerat, Steph. Pascasij, præstantissimi patroni, effigies cùm hoc disticho.

Nulla hic Pascasio manus est, lex Cincia quippe
Causidicos nullas sanxit habere manus.

χελδυσής, κỳ τυχόν τι, καὶ ἀπαρεγόπλως ἔφαμεν. Nouissimum denique Senatus nostri examen fuit apud Lugdunenses ann. 1596. sed arcanis exterorum de causis, nec tantùm vt ex iure Romano, quod eò loci pro moribus est, dirimerentur substitutionum, fideicommissorum, Trebellianiearúmque controuersiæ, vt ab Illustriss. Præside, Dom. Forgetio, qui tunc præerat, inaudiui sæpius. Ista igitur apud nos concilia Forensia, de quibus in genere apud Theophilum, studiosum, ac diligentem iuris, morisque Romani indagatorem, & interpretem, vt non eo loco dumtaxat, quem citaui suprà, sed ex aliis longè plurimis videre est in quatuor institutionum Iustineanearum libris, quos, quasi iusti ad latinas commentarij loco, Græcè, vt vtráque lingua Romani mores passim apud omnes populos innotescerent, concinnauit.

TIT. XXXII. SI ADVERSVS TRANSACTIONEM, VEL DIVISIONEM IN INTEGRVM MINOR reſtitui velit.

Vix equidem vt aliquid tutò vnquam geratur ἢ κατ' ἀμπρισμὸν, eum minore: quod fusè explicui ad tit. de minorib. ff. Duas tamen exceptiones ſubijciam. prima eſt in l. verum. §. vlt. eod. illo titu de minorib. vnde vulgato inconditóque ſermone docent interpretes, priuilegiarium contra priuilegiarium non reſtitui. de hoc latiùs ad d. §. vlt. Secunda exceptio eſt, quòd filia egreſſa annos quatuordecim, reſtitui non poſſit aduerſus renunciationem à ſe factam in contractu matrimonij, hæreditati paternæ, ac maternæ, ſi quid ei à patre, & matre ex cauſa dotis, aut etiam diuiſionis, datum ſit, vt oſtendo ad l. Pomponius Philadelphus. ff. famil. herciſc. Tradit quidem lex, ſi ex cauſa. §. vlt. ff. de minoribus, minorem annis 25. maiorem verò annis 20. non reſtitui ſi de ſtatu ſuo tranſegerit, paſſus videlicet ſeſe vænundari ad pretium participandum. Iure autem Gallico aliud in cauſa nobilitatis, vt reperies ad l. homo liber. ff. de ſta. hom. In cæteris & tranſactio, & diuiſio cum minore initæ, totidem veluti euaneſcunt ſomnia, niſi maior factus ratum habeat. Contraho pauca hæc ad rubricam. vtque nihil in textu, ita & ſuppleri debent quæ hîc prætermitto, ex tit. de tranſact. ac tit. famil. herciſc. ad quos dixi & ſup. & ff.

TIT. XXXIII. SI ADVERSVS SOLVTIONEM A TVTORE VEL A SE FACTAM.

Nihil notandum in textu, nec apud interpretes, præter Io. Fabri verba hæc: Aut debitor, inquit, ſoluit pupillo, ſine tutoris auctoritate, & tunc liberatur plenè ſi ſalua ſit pecunia: aut cum authoritate tutoris, vel ipſi tutori, & tunc pleniùs: aut cum auctoritate tutoris, & iudicis, & tunc pleniſſima liberatio ſingularis in hoc ipſum gloſſa eſt, vnde Faber exſcripſit ſuum ſcholium, lib. 2. inſtitut. tit. 8. quib. alien. lic. vel non. §. at ex contrario. in verb. ſoluerit. Tanti iſtud, vt ſtultitiæ tribuatur ſi ſecus fiat à debitore, qui tam ſupinus, támque oſcitanter, ac ſecurè ſibi in futurum proſpexerit.

TIT. XXXIV. SI ADVERSVS DOTEM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER.

L. vn.

Quoniam circumuentam dicis ſororem tuam omnia bona in dotem dediſſe: ſi ad te hæreditas ſororis tuæ pertinuit: ex perſona defunctæ (dicimus, du chef de la defuncte) *poſtulare in integrum reſtitutionem conceditur.*

Glossa hîc censet, prædia dari non posse in dotem, nisi annis viginti quinque sit maior mulier quæ dotem constituit. Vide quæ congessi ex decretis curiæ ad l.72. Mulier bona sua. ff. de iu. dot. Prætermitti autem non debet quod rerum quotidianarum est: vtrùm nempe assignato fundo in dotem, translatum censeatur fundi dominium, an sola sit ipsius hypotheca quæsita nuptæ. In quo vt præcîdantur tot ansæ superuacanearum litium, quibus implicantur sæpius, ad quotidiana ista, viduæ, certissima fori regula est, assignationem simplicem, factam scilicet sine iusta fundi æstimatione, quæ tabulis dotalibus comprehensa sit, nihil aliud parere quàm hypothecam simplicem. Ita hodie Senatus, cuius profert cònsulta Chopinus ad cons. Andens. lib.2. tit.3. trado etiam ad l. quoties. de iu. dot. ff. Imò & verba ipsa idiotismi nostri Gallici, quibus in id vti solent peritiores. nouissimè insuper Io. Tronconius, ad cons. Paris. artic.247. Disceptatum in maiore auditorio, ann.1614. die 28. Febr. vtrùm præferenda esset dos dotalitio, vel è contra. Anteposuit autem ordo amplissimus dotalitium vt quod sibi quærat noua nupta pudicitiæ suæ dispendio. perorabant. Vid. Fauerellus, & VVil. Rozeus. litigatorum nomina, Du croc, & Domina de la Boyssiere, cui, (quod apprimè notandum) [illegible] illa, seu prælatio dotalitij addicta est, cum tamen ex sola cessione viduæ ageret. videbatur enim priuilegium illud personam viduæ non egredi. dixi plura ad l.5.6. & al. de rit. nupt. totóque tit. de iu. dot. læditur verò etiam nupta si in collaterali ex bonis substitutis dotata sit. hoc enim dumtaxat in directa, non modò ex doctrina Bartoli, ad auth. res quæ. commu. de leg. atque ex decisione cap.1. de testam. in 6. sed ex ipsis maximè superiorum Galliæ nostræ tribunalium decretis perpetuis: Ita námque semper Senatus Paris. variáque in id reperies apud Chop. lib.3. cap.3. tit.1. num.5. cons. And. Bacq. cap.15. num.38. de iustitia & iure. Loër. in lit. d. num.21. nec tamen hoc licet, atque adeo in directa, nisi in subsidium, id est, nisi institutus aliud quicquam nihil habeat vnde elocet filiam. Aliàs enim, sique extent fructus ex huiusmodi bonis qui dori suffecturi sint, non licet, detrahetúrque à substituto quod in id ex substitutione depensum est. Ita explicat Tiraqu. quæst.60. & 61. de iure primigeniorũ. Ita Maynardus in Arestis Tolosanis. Vt cætera igitur quæ frequentiore in vsu sint, persequar, tractabo iam paucis quatenus aliunde queri possit filia, imò & restitui aduersus eam partem contractus connubialis qua paternæ, maternæque successioni renuntiauerit, modico forsan dotis nomine, accepto. Tria enim, aut quatuor in eo notanda sunt: Primum filiam cogi non posse vt conferat quod ei ex causa dotis à patre donatum est, dummodò ab hæreditate illius abstineat, l. fuit quæstionis. de collat. dot. l. Pomponius Philadelphus. famil. hercisc. ff. nisi tamen obsit consuetudo, vt apud Turones, Cœnomanos, Audenses. Secundum, non posse filiam restitui, nè quidem prætextu minoris ætatis, si, accepta dote, renuntiauerit: quod Molinæus decidit etiã in ea quæ annum duntaxat decimum quartum excesserit. non solent enim filiæ dari nuptum post annos 25. ait ille ad artic.261. consuet. Cœnom. & ad art.157. consuet. Blæs. & ita seruamus. Tertiò, filia quæ renuntiauit, computatur, & numeratur inter liberos, partémque facit, licèt non admittatur ad partem. Illius enim portio remanet penes hæredem iure accrescendi, vt cui vnicè parens vtérque prospexerit: Ita Boër. q.104. Quartò, nepotes possunt petere bona auita ex sua persona, nihil morante renuntiatione ab eorum matre facta bonis paternis, si modò ea decesserit, patre adhuc superstite: vel si pater decesserit ante contractas filiæ nuptias quæ ita renuntiauerit. hæc Molinæus ad consuet. Borbon. art.305. in quo nihilominus variauit, vt reperies ad artic.31. tit.12. consuet. Atuern. Adi Vidum Pap. q.227.228. & 229. vnde priorem Molinæi sententiam adiuues. Quantum ad supplementum legitimæ in iis quæ extra dotem, & quatenus renuntiatio eo casu valeat, dicam, Deo bene ita iuuante, ad d. l. si quando. §. & generaliter. inf. de inof. testam. cætera interim vide ad d. l. Pomponius Philadelphus.

TIT. XXXV. SI ADVERSVS DELICTVM. SVVM, &c.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

In criminibus quidem ætatis suffragio minores non iuuantur. etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Si tamen delictum non ex animo, sed extrà, venit noxia: (gl. id est, delictum) *non committitur,* (gl. id est, commissa noxia per in integrum restitutionem excusatur. &c.

Iunge l. si ex causæ. §. 3. & l. Auxilium. §. in delictis. ff. de minorib. ad quas dixi: maximè autem ad l. 5. sed etsi. §. si impubes. ff. ad l. Aquil. ad quam vsque ætatem minorum delicta excusentur. Verùm & vbi ætas non excusat, respiciendum semper est iudicanti nè quid duriùs, aut remissiùs constituat, quàm causa deposcit. planéque in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Imo interpretatione legum, pœnæ molliendæ sunt potius, quàm exasperandæ: Ita Martianus, & Hermogenianus in l. perspiciendum. & in l. pen. ff. de pœnis. Præclarè Seneca, lib. 1. de clement. cap. 24. *Non minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera.* & cùm agit Demosthenes, contra Androtionem, rursúsque contra Timocratem, de puniendis seruis, ac liberis hominibus, perpetuum esse ait apud Athenienses, vt serui omnia semper scelera morte luerent: ratò autem liberi, vel si maxima scelera admisissent: sed sola ingentis æris mulcta irrogabatur Reo. quod tamen hîc recensetur duntaxat ex more gentis. nam quid aliàs sibi non permitteret potentior. Quantò melius, rectius, ac æquius, eùm de Antonino Philosopho Capitolinus in hæc verba: *mos iste,* inquit, *Antonino, vt omnia crimina minore supplicio quàm legibus plecti soleat, puniret, quamuis nonnunquam contra manifestos & grauium criminum reos exorabilis permaneret.* sic ille. Singularem in hoc Veturiæ supplicationem vide apud Halicarnasseum lib. 8. nihil in quo celebratior Senatus Pariensis fama.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 2.

Matri, quæ filiis tutorem, ætatis lubrico lapsa, non petiit, eorum minimé denegari successionem conuenit: licet in delictis ætate neminem excusari constet, cùm ex animo proueniunt.

Vide l. cùm à matribus. qui pet. tut. & l. matres. ad Tertyl. inf. Sed, quod ad forũ cõducat, nota asperitatem legis, 6. omnem. inf. d. tit. ad Tertyl. emẽdatam rescripto Principis, in eo quod d. lex, *omnem.* vult denegari matri successionẽ filij impuberis, si secundo nubat, antequàm tutorem aliũ fecerit ordinari, eiq; quod debetur ex ratione gestæ tutelæ persoluerit. mater enim nihilominus admittitur à Principe, ex edicto, euius suprà facta mẽtio est. pronuntiatúmq; ita est, ann. 1609. mense Februar. in tertia inquisitionũ, Dom. Seuino, litis interprete. P. Morellus, in sen. patronus, in lite scripserat. Vi-

de etiam Chopin. ad consuet. Andens. lib. 3, cap. 3, tit. 2. num. 5. vbi citat Arestum aliud in hoc ipsum, anni 1584.

TIT. XXXVI. SI ADVERSVS VSVCAPIONEM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. vn.

Contra eos qui res minorum tenent, si vsucapione dominium acquisierint, restitutionis auxilium eis decerni debet.

Docet hîc Glossa quamlibet vsucapionem cœptam in persona maioris, currere contra hæredem minorem, sed dari restitutionem si cõpleatur. Citat Loëtianus libellus Senatusconsulta in hoc ipsum, lit. P. nu. 36. Vide autem pro iusto cõmentario, ad l. Æmilius Largianus. ff. de minor. vbi varia, diuersa, imò & cõtraria in id iudicia cõmitto, dissentientésq; consultorum sententias. Cõmunis tamen ea est, vt restitutioni sit locus quod tam disertè textus fulcit lex hæc vnica, & cæteræ quas profero ad d. l. Æmilius. vt iam quo ore, quáque fronte defendi possit contrarium, non videam.

TIT. XXXVII. SI ADVERSVS FISCVM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Si aduersus fiscum in integrum restitutionem postulatis: intelligitis procuratorem meum, vnà cum præside, præsente fisci patrono, adire vos debere: (glo. quòd si non adesset, ex integro cognosci oportet.

Variæ aliæ sunt causæ apud nos, quibus interesse oportet procuratorem fisci catholicum, (dicimus vulgò, *estre en qualité*) aliàs irrita esse iudicia, quæcumque illa sint, pronunciat de more ordo amplissimus: ita & monente glossa ad l. vn. de sententiis aduersus fiscum latis retractandis, lib. 10. vult enim, si iudicetur aduersus fiscum, absente fisci patrono, irritum adeò id esse ipso iure, & speciali, vt nec tempore confirmetur iudicium. Eiusmodi sunt inter cæteras, causæ S. Sacelli Palatini, apud Lutetiam. tradóque id eo certiùs, quòd per viginti penè annos celeberrimo illi collegio aduocationem præbuisse me plures sciant. Eiusmodi etiam sunt causæ mercatorum negotiantium in formoso illo ligeri qui tercenta propè milliaria, vel, vt computatio nostra est, centum quadraginta leugas, aut amplius, emensus, percurrit, sub collibus penè semper continuis, iisque vitisetes, ac amœnissimis, quasi vniuersam Galliam. Codicem habeo Senatusconsultorum octoginta quæ, pro variis causarum figuris, in tam necessariæ & nauigationis, & negotiationis gratiam lata, typisque excusa sunt. nullum verò reperi, in quo nomen procuratoris catholici statim ab ingressu inter personas litigantium non fuerit: vidi denique ita semper seruari, dum causæ illæ incidunt. nota nimirùm certissima illa est, quanti fiat, apud verè Christianos, dædalæ illius ædis, ob reconditam in ea luitionis humanæ ligneam æuiternitatẽ, perpetua sanctitas: quantique etiam formosi, recti, longissimi, partientis mediam ferè Galliam, pérque centum

paulù minus quinquaginta leugas, feracissimi, commerciorúmque efficacissimi fluminis, necessaria, atque ab iniuriis, impedimentísque quibuslibet, vindicanda nauigatio. occurrit verò quæstio nobilis vtrùm restitui possit fiscus ex causa minoris ætatis Principis. Vidus Pap. q. 302. narrat Carolum Francorum Regem restitutum ex ea causa aduersus Ludoicum Pictauensem, S. Valerij dominũ, cui Comitatus duos, Valentin. & Deensem, cesserat, latúmque in id plenissima cognitione iudicium. Ita autem iamdudum ad hanc ipsam de restitutione minoris Principis quæstionem, scripserat Io. Faber ad §. Rursus. in fi. tit. de act. in instit. Idẽ & posteà Boër. decis. 265. Matth. Afil. Senator Neap. dec. 340. Chopin. lib. 3. tit. 9. in fi. & Bodinus lib. 3. cap. 8. Quis verò prima fronte contrarium non senserit? Quorsum enim tanta Nestorum celebritas circa latera Principum, nisi vt, setie temporum perpetua, videant semper atque apprimè caueant, nè quid detrimenti capiat respublica? differo istud ad l. Princeps. ff. de legib. Quinimò fatetur ipsemet Boërius d. dec. 265. pudori esse Regibus si irritos velint esse contractus quos quacumque ætate inierint. Aliud quidem in consanguineis, at verò & in ipsis fratribus Principis, Sed vt priuati illi sunt: Princeps autem vt persona publica, cuius propterea consilium adeò immotum, ac æternum, vt nec mutet uestes Senatus, defuncto Principe. dixit denique iure optimo Theognis Reges, ἐχέφρονας, id est, cordatos, ac sapientes: & Apollonius, lib. 4. θεμιστοῦχοι, id est, iura in seipsis habentes, ob celeberrimum scilicet prudentum consessum qui abscedit numquam ab eorum cura, & consilio. Sacra enim hæc eorum Sparta. Tamen vbi obseruata à me sunt tot illustrium scriptorum, iurisque interpretum singula, consistendum tandem agnoui in distinctione, quam tradit Chopinus ad finem d. tit. 9. restitui scilicet Principem in contractibus, sed non in præscriptionibus. Inde tã frequens istud: cauendas apprimè minores ætates Regũ. Cæterùm de rebus non ita magni momenti intelligendũ est quod ex Modest. in l. nõ puto de iu. fisci. nõ puto delinquere eũ qui in dubiis quæstionibus contra fiscũ facilè responderit. Cùm enim dicatur istud maximè ob ingentẽ fisci, id est, fortunarum Principis, quæ exhauriri numquam possint, affluentiam: (inde liberalitates nimias solis regibus conuenire scribit Aristoteles lib. 6. ethic. vbi & hoc ille: τὸ μεγαλοπρεπέστατον ἐν μεγάλῳ μέγας. id est, magnificentissima liberalitas in magno, ac potente, magni animi indicium est) præcipua tamen hæc vna ratio traditur in l. 1. inf. de condict. ex lege, cur in dubiis fisci causa potior esse debeat, ob necessitates nempe publicas, ait textus, quibus indies prospiciendum è publico: neruósque propterea reipubl. tributa esse, vulgatum est ex Tacito.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. vlt.

Edicto diui Marci, parentis nostri, &c. si quidem debiti causa patris minoris, vel etiam ipsius prædia venundata, quinquennij præscriptionis nullam admittunt quæstionem, &c.

Vult in summa, rem minoris venditam à fisco, iure creditoris, haud solemniter, viliorique pretio, etiam post quinquennium retractari, debitore satisfaciente fisco. vnde elicitur à contrario regula, emptorem fisci præscribere quinquennio aduersus maiores quicquid emerit. Io. Faber hîc quinquennalem illam præscriptionem reijcit, nisi cùm Princeps rem alienam donat, vt suam: celebratúrque in hoc ab omnibus lex, benè à Zenone: inf. de quadr. præscript. qua dicitur, si fiscus rem alienam vendat, vt propriam, securum statim esse emptorem. sed censuit Senatus ann. 1608. die 11. Martij, in maiore auditorio, præscriptiones eiusce modi & quinquennales, & quadriennales, locum non habere in hoc regno. Ita obtinuerunt moniales de malnouë, circa Lutetiam.

TIT. XXXVIII. SI ADVERSVS CREDITOREM, &c.

IMP. ANTONIVS PIVS, ET IMP. GORDIANVS.

L. 1. & 2.

Si minor annis pecuniam fœnori accepit, nec doceri potest, in rem eius versam esse: aduersus cautionem, seu contractum potes auxilium restitutionis in integrum solemniter postulare.

Baldus minor præsumitur læsus in mutuo, nisi mutuans probet versum in rem minoris. hoc speciale est, ait Faber, propter odium vsurarum. sic ille. Iunge autem omninò legem, 27. patri. §. si pœnniam. ff. de minoribus ad quam pauca, vt in re vulgatissima, perstrinxi. Rarum enim vt, quisquis credit nummos minoribus, non credat tanquam perdituris. Exceptio ea est in l. si quis cùm sciret. ff. pro emptore: nisi fortè, inquit, à luxurioso, & protinus scorto daturo pecuniam, seruos emerit. Idem in l. si verò non remunerandi. §. si adolescens luxuriosus. ff. mand. & in l. 2. ff. quar. rer. actio non datur. apposité Cassiodorus lib. 1. Variar. epist. 7. *præsenti iussione censemus, vt quicquid à Neotherio fratre Plutiani prodiga voluntate lasciuo, te non tā comparasse, quàm surripuisse cognoscitur, sine aliqua dilatione restituas.* sic ille. Vide quæ studiosè subieci ad tit. ad sen. Macedon. ff. Sed quia forsan aliquando ambigi possit, quæ probatio esse debeat aduersus minorem, vt locupletior factus dicatur ex credita illi pecunia: docet hîc Baldus, sufficere in eo coniecturalem probationem: putà pecuniam collocatam in emptionem rei annonariæ; aut etiam prædiorum, prout res tulit, commoda, scilicet vtilisque minori. addi verò & possit liberatio carceris, mercedes, solutæ præceptoribus, vt in l. Macedoniani. inf. ad Maced. & in l. 2. inf. de alim. pup. præst. funerariæ patris mortui impensæ, & similia.

TIT. XXXIX. SI MINOR AB HÆREDITATE SE ABSTINEAT.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Si vos paternæ hæreditati non immiscuistis: ob eam rem necessaria non fuit testificatio, (glo. id est, denuntiatio, vel protestatio coram testibus) *cùm fides veritatis verborum adminicula non desideret.*

Immiscere, suorum est: Adire, extraneorum: ait Glossa, quam tamen, vt nec hunc textum, non sequimur in eo quod adiicit. locum hunc D. Pauli: *Si filius, ergo hæres* verum enim est quantum ad nomen, non quantum ad commodum, vel incommodum: moribúsque nostris repudiatio hæreditatis paternæ necessaria est filio, aliàs semper hæres præsumitur. Et vt doceam paucis alienum nihil in eo esse à iure: Bartolus optimè hîc distinguit ius antiquum, ac ciuile à prætorio. Iure ciuili obligabatur necessariò suus hæres hæreditati, proindéque creditoribus qui, æris paterni nomine, quasique

—— *rapidus montano flumine torrens,*

ſibi auferrent quicquid penes infœlicem filium. Inde dicebatur filius non modò ſuus hæres, ſed neceſſarius, quod olim ſeruatunt implacatè Rhodij, vt alibi oſtendo ad primum volumen pandectarum : prætor autem, cuius temperamentum amplectuntur hac l. Impetatores, Seuerus, & Antoninus, beneficium abſtinendi indulſit aduerſus ſæuitiam, rapacitatémque ereditorum, nè *quaſi ſecarent in partes innocentem*. vt ferè hoc ex l. 12. tabul. Sed cùm eo iure humaniſſimo ſuccurſum ſit liberis decoctoris cuius ſaltem bona relinquenda, permittendáque eſſent creditoribus, inuentum eſt nihilominus prædonium neſcio quod beneficium, aut maleficium potius, inuentarij, cuius velamento, contemptóque omni numine, & liberi, & hæredes extranci quilibet, diripiunt hæreditatem à qua ſe abſtinuiſſe, verbis herculeis dictitant. fraudantúrq; ita creditores ab illis ipſis qui pro magno anteà ducebant, non incidere in æs alienum, eóque exire, vltráque nihil proficere. ſperant tamen omnes boni emendaturum hoc, inter cætera regni vlcera, optimum noſtrum Principem, cui bene indies & horas, precatur vniuerſa Gallia.

IMP. GORDIANVS.

L. vlt.

Liberum eſt, repudiata paterna ſucceſſione (gl. quam adijt filius) *per in integrum reſtitutionem, hæreditatem parentum tuorum*, (gl. id eſt, auorum) *licèt anteà non adijſti, nunc obtinere.*

Baldus: hæreditates quæ ex diuerſis teſtamentis, vel ex diuerſo iure deferũtur, non intelliguntur inuicem coniungi : & ideò admittitur eorum ſeparatio. ſic ille. Separatio autem hæc bonorum frequentiſſima hodie in vſu apud nos, impetrato tamen priùs reſcripto à Principe, nec modò intra quinquennium, vt præſcribit lex, 1. §. quod dictum eſt. ff. de ſeparationib. bon. ſed quandocumque, & cùm res ita exigit. In quo proinde deceptus eſt Baequetius, cap. 21. in fi. de iuſt. & iure. Regula enim eſt apud nos, reijci omnes præſcriptiones Romanas in hoc regno, niſi conſtitutione, aut conſuetudine, ſeu lege prouinciali, admiſſæ ſint. eò autem & facit deciſio legis 29. Paulus. ff. de pignor. quæ vult vt qui adit hæreditatẽ, libera tamen bona ſua habeat, nec obligata etiam hæreditariis creditoribus niſi à die quo erga eos condemnatus ſit, ſi modò renuntiauerit intra triennium hæreditati, & portionem ſuam hæreditariam ſoluerit, vt ibi adnoto, cùm tamen olim apud nos, atque ex nõ intellecta deciſione legis illius, Paulus. damnaretur inſolidum quiſquis hæredum à creditore hæreditario conuentus fuiſſet. vide plura. ad d. l. Paulus. Bacquetiùm, cap. 21. de iuſtitia. & iure. nu. 177. & 178. vſque ad 183. & conſuetud. Ambianenſ. artic. 10. cum nota Molinæi.

TIT. XL.

Si vt omiſſam (*gloſſa lapſu ætatis*) hæreditatem, vel bonorum poſſeſſionem, vel quid aliud acquirant, (*glo. per reſtitutionem*.)

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 1.

Emancipatus minor reſtitutus decreto(glo. prætoris)*bona quæ habuit tempore mortis patris, debet conferre fratribus, & ſic ad bon. poſ-*

sessionem (gl. vnde liberi, vel secundum tabulas, aut contra tabulas) *in paternis rebus omissam* (glo. ab ipso emancipato.

Seruamus collationes bonorum alia ratione quàm Romani solerent. non enim conferimus omnia nostra bona, vt necesse erat emancipatis qui accedebant cum suis, per bon. possessiones, vnde liberi, secundum tabulas, aut contra tabulas: sed ea dumtaxat quæ filius, aut filia à patre communi acceperint. Deinde seruamus id tantùm in directa, non autem in collaterali. eò spectant leges omnes huius regni prouinciales, seu consuetudines, vt loquimur, attigi autem istud duobus locis ad Pandectas, ad l. fratet à fratre. de condict. indeb. & ad l. Quæ pater. famil. hercisc. ff. itaut pudori esset iterare hîc iam discussa. Distingo autem ex mero iure ciuili, quod alibi fusiùs de patria potestate, déque emancipationibus agito. Imaginaria enim hæc duo moribus Gallicis.

TIT. XLI. IN QVIBUS CAVSIS RESTITVTIO IN INTEGRVM NECESSARIA NON EST.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 3.

In minorum persona re ipsa, & ex solo tempore tardæ pretij solutionis, recepto iure moram fieri creditum est, in iis videlicet quæ moram desiderant, id est in bonæ fidei contractibus, & fideicommissis, & legatis.

Hinc Baldus: fauore minoris, re ipsa sine interpellatione in bonæ fidei contractibus mora contrahitur. Idem in testamentis, vt quæ æquiparentur actionibus bonæ fidei. sic ille. Vno autem axiomate, cui & vnica ex iudiciis Senatus subiūgatur exceptio, claudetur totum hoc meum scholium. Perpetuo enim iure vtimur, vt, nè quidem in minorum persona, admittatur mora re ipsa, seu irregularis, vt loquūtur nostri interpretes, nec ex solo tempore tardæ solutionis, vsura debeatur legitima, qualem efficiunt constitutiones regiæ, opus est & interpellatione facta apud iudicem, & iudicio. Ita enim constitutio Aurel. art. 60. Tantúmque indulget ordo amplissimus in gratiam minorum, vt fiat constitutio reditus annui ad tempus, auctore iudice: scripsit Chopinus, lib. 3 tit. 1. num. 10. ad consuet. Paris. Ipse autem causam in hoc dixi, iudicatúmque ita est, vt ostendo alibi ad primum volumen Pandectarum. Rectissimè denique dicere solebat Illustriss. Christophorus Thuanus, sen. Princeps, eùm apud eum legis istius quæstio agitaretur ex priuilegio minorum, minores nempe non esse vsurarios. nec mutat, si quis obiecerit, vsuras re ipsa, citráque interpellationem, deberi minori à tutore ex pecunia cessante, vacante, ac otiosa, quæ frequentia in hoc Iurisconsultis nomina. Plectitur enim culpa tutoris, aut perfidia potius, licentiórque grassandi libido aduersus pupillarem impotentiam, quæ eius fidei commissa est, vt ostendo pluribus suprà ad tit. Si tutor vel curator interuenerit.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Humanius est, præscriptiones tam numeratæ pecuniæ, quàm alias, scilicet

scilicet 10. vel 20. annorum, ipso iure non currere, fauore imperfectæ ætatis. Melius est enim intacta minorum iura seruari, quàm, post causam vulneratam, remedium quærere. Tamen exceptiones 30. vel 40. annorum in suo statu remanere debent, (glo. vt scilicet currant post pupillarem ætatem: sed restituantur, quia læsi.

Vult nempe minores collocari semper, quà fieri possit, in tuto, *néve sub cultro linquantur*, quod ait prouerbialiter Horatius, Satyr. 9. lib. 1. egregiè Seneca, in Thyeste:

Serum est clamandi tempus in mediis malis.

Numquam periculum sine periculo vincitur: monebat Publius apud Macrob. lib. 2. cap. 7. dicique possit, cùm circumstant mala, cúmque, post vulneratam causam, (quod ait nostra lex) remedium quæritur, casui, fortunæque subiacere deinceps quod anteà nullo, aut certè exiguo periculo auerti, declinarique poterat. haud abs re propterea Antiphon, orator, ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου: ἅπαντα, φησι, τὰ ἐν ἀδήλῳ ὄντα, ἐπὶ τῇ τύχῃ μᾶλλον ἀνάκειται, ἢ τῇ προνοίᾳ, id est, omnia quæ in incerta sunt, fortunæ magis quàm prouidentiæ subiacent: Ista igitur si in maioribus, siq; in egregiè cordatis, & qui, vbi apertum periculum est, possunt per opes, per amicitias, per suam ipsorum sagacitatem, ac prudentiam, amoliri grauiora, quasique, vt hoc cum nostro Lyrico, *vitare interfusa nitentes aequora Cycladas*, quantò id magis vbi de imperfecta, pupillarique ætate agitur, quæ vt opimæ prædæ loco esse solet nequioribus. Inde est quòd passim ferè eximantur curriculis præscriptionum, & quòd restituantur tam facilè à bonis, carisque iudicibus. Tractaui de hoc fusissimè ad l. Æmilius Largianus. ff. de minorib. Tria denique quasi sola dixerim per mores Gallicos, pérque receptum iudiciorum ordinem, quibus aduersus minorem communi, implacabíque maiorum iure agitur: redhibitionem scilicet gentilitiam, seu retractum linearem, vt loquimur: deinde peremptionem instantiæ, in qua nihilominus temperamentum dicam ex decretis curiæ, ad l. properandum. de iudic. posteáque addictiones bonorum publicas. Nec vero aperuit satis Petrus à Bella Pertica, doctor Gallus, quid sentiret, cùm ad hanc l. scripsit, minores in rebus odiosis aduersus præscriptionem non restitui, si mero suo commodo, & damno alterius restitui postulent: sunt eius verba. præter enim tres illos casus, quos recenseo, & quorum paucissimus erat vsus circa annum millesimum trecentesimum, quo scripsisse fertur Gallicus ille interpres, Cancellariis Franciæ annumeratus, non video. mitto distinctionem Fabri, ad hunc ipsum textum, inter præscriptiones conuentionales, consuetudinarias, & legales, de quibus etiam Matthæus Affl. decis. 370. trado enim in iis omnibus æquitatem, benignitatémque iuris Gallici ad d. l. Æmylius. Cæterùm tangit meritò Bartolus ebrium, ridiculúmq; Placentini calamum, de quo, nè quid nobis inelaboratum, minúsve perpensum, excidat, vide, si lubet, glossam penult. cauendus enim imprimis scriptori serio cachinnus.

TIT. XLII. QVI ADVERSVS QVOS IN INTEGRVM RESTITVI NON POSSINT.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

In consilio cognoscentis de restitutione in integrum, esse oportet, num is qui se minorem annis læsum esse dicit, diligens paterf. fuerit, actibúsq; publicis industrium se docuerit, vt lapsum eum per ætatem verisimile non sit, (gl. cùm dubitatur an lapsus sit.

Addit Bartolus ex textu, restitutionem eo casu non concedi, nisi euidenter, ac plenissimè probata læsio fuerit. Sed Molinæum in id præcipuè consule, ad consuet. Paris. §. 5. num. 28. vbi docet minorem 25. annis, industrium, non posse restitui quòd sine curatore in litem, litigauerit, si comperiatur sese tam plenè defendisse, vt cum curatore nec potuisset melius, ac solertiùs. sic ille. iunge etiam l. verum. § sciendum. de minorib. ac l. 3. ad Macedon. ff. Tamen & in ordine iudiciorum, quæcumque adhibita sedulitas à minore vel industrio fuerit, & in cæteris vitæ humanæ momentis, quotidianum apud nos vt non prudentia minoris, quanta quanta sit, sed sola imperfecta ætas, de qua in l. vlt. sup. tit. 1. spectetur, rescindatúrque ex ea quicquid egerit. vide quid, & quàm latè de eiusmodi quæstionibus scripserim ad l. 1. ff. de minor.

RVRSVS EX TEXTV.

Scilicet quod vrgentibus patriæ necessitatibus decurio minor annis creatus sit, (glo. quia deficiebant idonei: aliàs minores non admittuntur.

Componenda omninò lex, eos. ff de decurion. in hæc verba: *& maximè in eis ciuitatibus, quæ copiam virorum honestorum habeant. Nam paucitas eorum qui publicis muneribus fungi debeant, necessariò hos etiam ad dignitatem municipalem, si facultates habent, inuitat.* dixi ad l. pen. ff. de off. assessor. Io. Faber hîc, argumento huius textus, censet posse iudicem in iis quæ notoria sint, iudicare etiam sine inquisitione: dicimus nos Galli, *sans enqueste precedente*. Sed apud nos, etiam in notoriis, audiendi testes, quorum sint in hoc vnum indubitata testimonia. vide longum satis de ea ipsa quæstione scholiũ, ad l. 3. §. 2. de testibus. ff. vt autem de decurionum ætate, cæterorúmque in genere qui ad munera publica, ante annos, proueliuntur, persequar, sciendum est contigisse olim sæpius, vt minor annis decurio fieret ex indulgentia Principis, quatenus ei acceptior, gratiórque videretur: eo enim sensu accipienda dictio, *dignitas*, in l. penult. ff. de decut. vt in transcursu, strictimq; explicat Cuiacius lib. 17. cap. 34. obseruatio. Tantóque minùs alienum, damnosũmque reip. vt quis ante annos fungatur muneribus publicis, quantò animosior illa quondam Demadis oratio in Alexandrum visa est, ἐν τῷ περὶ δωδεκαετίας, nè ei, quasi iunioti, deferretur imperium totius Græcorum in Persas exercitus, quicquid in contrarium decreuisset vniuersa Græcia, mirata animos, generositatémque tanti Principis. Verba eius sunt: πάντες οἱ τὴν Ἑλλάδα κατοικοῦντες τὸν Ἀλέξανδρον ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν ἀνεβίβαζεν, καὶ τοῖς ψηφίσμασιν ἀναπλάττοντες, φρόνημα μεῖζον τοῦ δέοντος ἀνδρὶ νέῳ, καὶ φιλοδόξῳ περιέθηκαν. id est, omnes Græciæ incolæ Alexandrum Imperatorem totius Græci exercitus constituerunt, (dixerimus, *l'ont fait general de toute l'armée des Grecs*) & decretis interpolantes, animos maiores, quàm par sit, viro iuueni, & ambitioso fecerunt. Sic ille. Valerius autem Maximus lib. 3. de Aemilio Lepido qui puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, ciuem seruauit: *huius*, inquit Valerius, *tam memorabilis operis index est in capitolio statua bullata, & incincta prætexta Senatusconsulto posita. Iniquum enim putauit eum honori nondum tempestiuum videri, qui iam virtuti maturus fuisset*. Sidonius Apollin. lib. 7. epist. 9. De Simplicio, cui denegabatur à plurimis episcopatus dignitas ob ætatem, *vt nos*, ait, *in antistite consecrando non vtilitatem velint eligere, sed aetatem, tanquam diu potius quàm bene viuere debeat, accipi ad summum sacerdotium adipiscendum, &c. Si annos ipsius computemus, habes efficaciam de iuuentute, de senectute consilium: Si literas, vel ingenium conferamus, certat natura doctrinæ.* Prætermitto quæ Isocrates in hoc ipsum, in Archidamo, de festinandis nempe aliquando honoribus, nec spectandam semper ætatem, vbi festina virtus. Citat Cuiacius loco quem designaui suprà Plinium, Lampridium, Spartianum, Capitolinum ad legem Romanorum annariam, cuius venia adeò interdum, pro personis, & causis ab imperatoribus fiebat, vt sacrilegij instar esset, disputare an dignus foret quem Princeps elegisset: ita enim rescribunt Gratianus, Valent. & Theodos. in l. 2. inf. de crim. sacrileg. Alia quædam subieci ad titu. de off. consul. & ad l. quidam consule-

bant.de re iudic.ff. Alia etiam Bodinus lib.3.cap.4.de rep. Iſta autem, vt loco idoneo, proferenda eò magis in publicum putaui, quòd hodie, ac de more, non paucitas, vt in l. eod. de decur. atque in noſtro hoc textu, ſed literata ingeniorum dignitas ſenilem ante annos, per feſtina parentum vota, conſequatur in Senatu noſtro, purpuram.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 2.

Apud veteres dubitabatur an liberi parentes ſuos, vel liberti patronos in querimoniam deducere poſſent, quaſi non iure verſatos. quidam exiſtimabant nullam eſſe contra huiuſmodi perſonas in integrum reſtitutionem, pondere naturali, vel patronali reuerentia huiuſmodi petulantiæ (gl. id eſt, ſuperbiæ) *refragante niſi ex magna cauſa, vel aduerſus turpem eorum perſonam: Alij tunc tantummodò dandam reſtitutionem putauerunt, cum minor ex ſua ſimplicitate, ſe deceptum, non ex dolo patris, vel patroni, circumſcriptum eſſe dicat. Sed vt maneat omnibus honor parentibus, & patronis illibatus, ſancimus nullo modo neque aduerſus parentes, neq; aduerſus patronos dari reſtitutionem. nam perſonarum reuerentia omnem eis excludit reſtitutionem, cùm procul dubio ſit, etiam ipſas perſonās cauere nè quid ſuæ opinioni contrarium exiſtat.*

Putat optimè Franciſc. Duarenus ad titu. 27. Si aduerſus rem iudicatam. ſup. hoc eod. lib. 2. legendum eſſe, *pudore*, pro, *pondere*. Cum enim legis iſtius (quæ vna ex quinquaginta deciſionibus Iuſtiniani, auctore eodem Duareno) rationem petat Cuiacius in paratit. ex lege lætoria, quæ tota in gratiam circumſcriptorũ adoleſcētiam, verè ſuggillatur pudor, & grauatur opinio eius aduerſus quem reſtitutio petitur. Inde Cuiacius, *forſitan & olim* ait *famoſa fuit illa actio*. Paucis Bartolus: *petit filius reſtitui non contra patrem, ſed contra factum patris*. Ampliùs Baldus. vult enim ſubueniri ex æquitate filio qui, ob nimiam reuerentiam, patri remiſerit, quod aliàs, cum extraneo contrahens, non remiſiſſet. Denique pro temperamento vide, & nota apprimè legem 4. inf. de patr. poteſt. textus enim ad hæc valdè ſingularis. & cùmlatè ſatis dixerim de agente aduerſus patrem filio, ad l. nec quicquam. §. 3. de off. proconſul. atque ad l. 4 §. 1. de in ius voc. ff. vnum hoc ſubiungam ex Macrobio lib. 7. Saturnal. cap. 1. Piſiſtratus, ait, Athenarum tyrannus, cùm filiis ſuis rectum dando conſilium, non obtinuiſſet aſſenſum, atque ideò eſſet in ſimultate cum liberis, vbi æmulis cauſam fuiſſe gaudij comperit ex illa diſcordia ſperantibus in domo regnantis naſci poſſe nouitatem, vniuerſitate ciuium conuocata, ait ſuccenſuiſſe quidem ſe filiis non acquieſcentibus patriæ voluntati: ſed hoc ſibi poſteà viſum, paternæ aptius eſſe pietati, vt in ſententiam liberorum ipſe concederet. ſciret igitur ciuitas ſubolem regis cum patre concordem. hoc commento ſpem detraxit inſidiantibus regnantis quieti. Sic Macrob. doctrináque illa perutilis optimatibus, vt nè tam præfractè ſe gerant erga filios, ſed concedant potius, ad longè plurima, in eorum ſententiam, nè æmulos domeſtica illa oblectent. prudentiſſimè Neſtor apud Hom. ιλ. α. vt compeſcat Agamemnonis, & Achillis indecores, Græciſque, Troiano in exercitu, officientes diſcordias, vt ex quibus hoſtes exultandi anſam arriperent:

Αἶκεν γηθήσαι Πρίαμος, Πρίαμοιό τε παῖδες!

id eſt, heu quantum lætabitur Priamus, & Priami liberi.

TIT. XLIII. SI MINOR SE MAIOREM DIXERIT.

IMP. ALEXANDER. ET IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 1. & 2.

Si cùm minor annis 25. esses, tabulis, quæ sunt tuarum professionum, (id est, natiuitatis tuæ) *oblatis tibi, ætatem, quasi maior 25. annis decepta probasti: in integrum restitutionem postulare potes.* iunge l. seq. *Si is qui minorem nunc se esse asseuerat, fallaci minoris ætatis mendacio te deceperit: in integrum restitui non debet.*

Lex 1. agit de decepto minore ab aduersario qui oblato Codice professionum, seu natiuitatum, facilè ei persuasit vt se maiorem in contractu diceret. Lex autem secunda agit de minore eodem prorsus modo decipiente eum cum quo contraxit. vide tamen quod ex Basilicis lib. 10. subiicio ad l. 3. inf. eod. hoc tit. Quantùm ad professiones ætatum, de quibus in d. l. 1. fiebant illæ intra tres dies à patre, & matre apud præfectos ærarij: locus Apuleij Apolog. 2. vulgatus, sed non quod de more illo apud Solinum, & Macrobium legitur. Habemus hodie Codices baptisterianos, quibus presbyter parœcus inscribit nomen intincti, seu baptizati, vt loquimur, statim atque baptismi solemnia peracta sunt. Vide cætera tam ex antiquo, quam ex moribus Gallicis, solemnibúsque curiæ iudiciis ad l. etiam. & l. cum de ætate. de probationib. ad l. 4. Quod cum eo qui in al. pot. est gest. esse dic. ad quas omnes doceo assertionem, seu affirmationem maioris ætatis simplicem non nocere, iuratam autem nocere, vt constabit, inter cætera, ex Loëtianis miscellaneis, Lit. M. num. 7. vnà cum adiecto Brodæi scholio. Vide etiam Chopinum lib. 2. tit. 7. Consuetud. Paris. Cæterùm cùm scripserit Matthæus Affl. decis. 393. non esse restituendum minorem qui, tactis euangeliis, iurauit se esse maiorem, distingue vt in specie legis secundæ hîc: nempe ob fallax mendacium, in quo longè aptius diceretur quod in l. 1. sup. si aduers. vendit. *neque periurij, neque perfidiae, me auctorem tibi futurum spera*: maximéque si falsò ætatem ex baptisteriano libro, cuius pars edita sit, apud creditorem probauerit, atque id non semel, sed apud plures ita finxerit. Ita enim aduersus Fr. Hubert, in Senatu aduocatum, pronuntiatum est, secundum Robert. Akakiam, quem eo colore deceperat, perorãtibus, *Cornuaille & Rozée*, ann. 1618. die 22. Maij. Notum etiam de alio qui sat dudum cum ætas maior inscripta esset tabulæ qua se effingi curauerat, pictorem tamen posteà mercedem petentem, quasi minor eludere gestiebat. condemnatus enim est vt impostor. causam hanc egit egregiè Lud. Aurelianus an. 1575. Quod si absit dolus minoris, quem econtrà aduersatius ex professionibus istis deceperit, tunc, quicquid iuratum sit, minor nihilominus restituendus, vt in specie d. l. 1. hoc titu. vide ad eiusmodi Sacramenta minorum quod laboriosè congessi ad d. l. 1. & Nou. Frid. Sacramenta puberum. sup. Si aduers. vendit.

IIDEM AA. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Si alterius circumueniẽdi causa minor ætate maiorem te probare aspectu laboraueris: Cùm malitia supplcat ætatem, restitutionis auxilium

denegare, sacris constitutionibus statutum est. Si verò Præses prouinciæ tuum dolum non repererit intercessisse, ac te minorem tunc fuisse probaueris, causa cognita in integrum restitui prouidebit. Si tamen in instrumento, per sacramenti religionem, maiorē te esse asseuerasti: & palam, ac euidenter, ex instrumentorum probatione, nō per testium, depositiones, te fuisse minorem ostenderis, non exclusum erit in integrum restitutionis auxilium, quòd sacramentum si fuerit corporaliter præstitum, nullum tibi superesse auxilium, perspicui iuris est.

Hic & Basilica, libr. 10. tit. 25. pag. 135. in hæc verba: Εἰ μείζονα ἑαυτὸν εἴπῃ, ἢ ἀποδείξῃ παρὰ ἄρχοντι, ἢ μεθ' ὅρκου ἐγγράφως βεβαιώσηται, ἢ καὶ σωματικῶς ὀμόσῃ: ποτὲ μὲν ἀποκαθίσταται, ποτὲ δὲ, οὐκ ἀποκαθίσταται. καὶ ὅτι ἐὰν διὰ τῆς οἰκείας θέας ἠπάτησέ τινα, μείζονα ἑαυτὸν διαβεβαιωσάμενος εἶναι. οὐκ ἀποκαθίσταται, id est, si maiorem se dixerit, aut probauerit apud Præsidem, aut per Sacramenti religionem in instrumento adseuerauerit, aut corporaliter iurauerit: aliquando restituitur, aliquādo non restituitur. Item si aspectu proprio deceperit aliquem, séque maiorem esse confirmauerit, non restituitur. Ita in Basil. Duæ autem eum sint nostræ huius legis partes, altera, de probatione ætatis ex aspectu, altera ex instrumentis: primam exequar, præter ea quæ iam tractaui ad l. 32. minor 25. ann. adito Præside. ff. de minorib. nempe ex vulgata, obscænáque inspectione veterum, de qua in l. vlt. inf. quādo tutores, vel curatores esse desinant, & tit. quib. mod. tutela finitur. in institutio. quem probandæ ætatis morem illustrat Cuiacius ad hunc ti. in paratitl. loco Platonis ex lib 11. legum, Quintiliani, declam 279. & Aristoph. in Vespis. in quo vltimo monebo obiter, deprauatum esse locum à librariis, qui ἄδων, fecerunt, pro, ἅδων. Reiecta verò isthæc à me fuerant in d. tit. quando tutores, vel curatores: locus enim magis idoneus: sed vel quia fore vix spero vt quinti libri Codicis, vbi ille titulus, librorúmque insequentium, prout institueram, vllas vnquam posteà obseruationes aggrediar: χαίρειν γὰρ ἐᾶν: aut etiam quia & modò iam vrget adeò oblata, occurrénsque species, vt deserti quasi vadimonij reus videar nisi aliquid quod eò, ex fori nostri disceptationibus faciat, subiungam, dabo agitatæ non ita dudum in criminali auditorio, elegantissimæ controuersiæ fragmentum, quod, ni fallor, miretur haud minus, ex insolita hypothesi, studiosa posteritas, quàm nos ipsi qui audiuimus, causǽque, pro more, interfuimus. Quidam, nomine, Matrius, cùm esset viduus, trésque haberet liberos ex defuncta coniuge, deuirginauit puellam plenæ maturitatis, & annis prope iam gestientibus, vt hoc dicam cum Petronio, filiúmque ex ea suscepit, quod tamen negauit posteà. Puella igitur mouit litem de agnoscendo partu: Et, vt se nihil aliud effecturam videt, ad vlteriora excurrit, aítque infantuli sui coxæ innatam eam ipsam notulam, quam Matrius, ac singuli ipsius, ex priore matrimonio, liberi in interiore, obscænáque illa parte contegerent. Postulat proinde apud iudicem, nudati intima Matrij, natorúmque ipsius femora, vt ex nota semper simili, quæ in singulis spectabitur, liqueat, verissimum esse quod asserit. Hoc statuit malè consultus, decorique nescius iuridicus. Appellat Matrius Senatum. Patroni hinc inde rationes, in publicis causarum capitalium actionibus, committunt. hic argutè imagines, terúmque simulacra percenset, quæ accedens grauiditas in vtero, vt in animo, efformat: nec prætermittit tabellam Æthiopis de qua Heliodorus: aut etiam Patriarchæ maculatas ouiculas: tamen reijciendas eò magis inspectiones illas obscænas, quicquid posceret vilis, infamísq; meretricula, quod turpem, insanúmq earū morem Imperator, l. vlt. quando tutores, vel curatores. planè, indistinctéq; antiquarit, abrogarit, sustulerit. *quod obscœnum, & hoc pariter inauspicatum*, dixit Festus. Egregiè, autem, ac pudenter Q. Curtius, lib. 5. de fœminis Persicis conuiuia ineuntibus: *paulatim pudorem profanant. Ad vltimum opus, (honos auribus habitus sit) ima corporum velamenta proyciunt.* sic ille. Castissima autem Cassandra apud Euripid. in Troadibus:

Σιγᾶν ἄμεινον τἀσχρά, μηδὲ μοῦσά μοι

Γένοιτ' ἀοιδὸς, ἥτις ὑμνήσῃ κακά.

id est, Silete melius est obscæna. nè musa mihi modos canat vnde laudentur mala. Quis non exhorreat quod legitur in instrumẽtis litis capitalis Ioannæ D'arc, quam aliàs puellam Aurelianensem dicimus, eò scilicet erupisse furorem Anglicum aduersus diuinam illam virginem, vt inspiceretur, exploraretúrque ab obstetricibus apud Rhotomagum, an virgo esset? comperta autem est non modò virgo, sed & ita arcta vt mulier fieri non posset. Iure equidem Liuius, lib. 10. decad. 4. *multa adsolet veritas præbere vestigia sui*. hinc & Rhetor ille eximius, declam. 322. *Gratias ago prouidentiæ Deorum, qui numquam ita opprimi veritatem voluerunt, vt non magnis suis vestigiis emineat*. Vt enim tanto magis elucesceret martiræ illius virginitatis veritas, inspectio, exploratióque facta est, adstantibus duobus medicis, Cardinalique Anglo, & Comite Waruicio. Alter verò signa corporum gentilitia denarrat, quæ non alia ratione veteres commemorant, quàm quia ex familia, cui datum hoc fuisset vt signati patre aliqua corporis nascerentur, eandem omnes ille semper, ac similem quasi naturæ tesseram vel femori, vel brachio, aut vultui impressam ex ipso natalium limine ederent: eiusmodi enim fuisse aneotas, quæ Zaleuci nepotes vniuersos ad vnum, incorrupta serie, notarunt in femore: eiusmodi & lanceas, quæ gentilitia signa Spartanis, ac Thebanis. Quibusdam etiam stellæ, quibusdam cancer, vt Thyesti: at verò & sunt inter Reges, ac optimates, quibus tumens labrum, vel obliquus semper oculus. elegantérq; inter cæteros, Iulianus Imperator, oratio. 3. ad Constantium, Imperator. cùm ait, licuisse iis tantùm, adscribi in Pelopidarum familiam, qui in humeris quasi inusta gentis insignia ferrent. Imò & in hunc diem filij, apud Chinenses, similes sunt patribus, naso, oculis, fronte, & barba, quod latè exequitur Andreas Laurentius, medicus regius, lib. 8. quæst. 20. historiæ Anatomicæ. optimè denique Euripides in Electra:

Φιλεῖ γὰρ αἷμα τ' αὐτὸν οἷς αἰεὶ ἡ πατρὸς,
Καὶ πολλ' ὅμοια σώματος πεφυκέναι.

id est, Solent iis, sanguis idem quibus fuerit patris, plæraq; similia corporis natura inesse. Inde igitur, aiebat puellę patronus, qui indagationes, inspectionesque corporum, arcere in hac lite, in qua de agnoscendo partu agitur, voluerit, eò collineet necesse est, nè vestigiis, quibus possit apertioribus, emergat in apertum veritas. Circumfluenti, eruditaque oratione egit, de more, Dom. Bretius, patronus fisci, fœlixque, ac studiosum fuit Brodæi, & Vertij, ad exudandas causas, auspicium. Vterque enim cum elegentia verborum, sermonisque comitate, atque gratia, perorauit: & cùm matutinam iudicum sessionem disceptatio illa, verè natalitia, exemisset, infirmauit demùm ordo amplissimus iuridici Carnutum sententiam, petitionémq; inspectionis pudendæ, vt alienam, turpem, atque infamem repulit, ann. 1608. die 9. Februar. Quantum ad alteram probationis ætatis speciem, quam instrumentis nõ testibus, fieri vult nostra hæc lex tertia, vide ad l. de tutela. ff. de in integrum restit. minor. 25. ann. quotidianam enim in hoc distinctionem explano.

3 Ad verba, *Cum malitia suppleat ætatem.*

Produxerunt istud ad matrimonia canonistæ, in cap. pubetes. & cap. De illis de desponsatio. impub. lib. 4. decretal. cap. vn. eod. titu. in 6. Albericus de Rosate, in verb. matrimonium. additio. 2. testatur ex alio interprete, cognomine suo, visam fuisse puellã nouem annorum, quæ peperat. Sed cum omnes hoc ipsum scribant de puero, quòd scilicet illa ipsa ętate grauidam nutricem suam fecerit, ita testante D. Gregorio in dialogis: percurri, data opera, totam illam scriptoris sancti illius interpretis particulam, sed nihil planè reperi, in rursusque sum postea, Tiraquelli locum reuoluens, vbi latè de hoc differit, nempe legem 6. connubialem, gloss. 1. parte 6. num. 37. nauatam & ab eo illam ipsam in Gregorianis dialogis operam, inanemque fuisse. Ita facile decipi se patiuntur nostri interpretes: hoc enim Boërius q. 318. hoc glos. ad caus. 20. q. 1. hoc & scriptor nuperus, tamersi elegans. Testatur autem verissimè D. Hieronymus lib. 3. ep. 132. ad Vitalem, peperisse nutriculam ex puero decenni: & Salomonem procreasse Roboam anno ætat. vndecimo: Ezron natum fuisse Regi Phazez, adhuc nouenni: De-

cennemque tantummodo fuisse Achaz cùm suscepit Ezechiam. Singularem in hæc omnia, textum D. Hieronymi exscribam, cùm sit notatu dignissimus: Si duodecimo, inquit, anno, Salomon super Israel accepit imperium, & quadraginta annis regnauit in Hierusalem, filiusque eius Roboam, cùm quadragesimum & primum annum ageret ætatis, patri successit in regnum: perspicuum est, vndecim fuisse annorum Salomonem, siue decem, quia decem menses à conceptu vsque ad partum sibi mater vendicat. Rursus Achaz, filius Ioathan, cùm viginti esset annorum, rex constitutus est super duas tribus, id est Iudam, & Beniamin, regnauitque annis sedecim: quo mortuo, Ezechias, cùm vicesimum, & quintum annum ageret ætatis, patri succederet in regnum, ex quo intelligitur, Achaz quoque vndecimo, siue duodecimo anno, Ezechiam filium procreasse &c. quis crederet mortalium, vt vndecim annorum puer generaret filium? &c. Non valet natura contra naturæ dominum &c. Audiui, domino teste non mentior, quædã muliercula, eum expositum nutriret infantem, &c. cubaretque eum ea paruulus, qui vsque ad decimum iam peruenerat annum: accidit vt plusquàm pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis motibus ad coitum duceret infantem &c. & ecce fœminæ vterus intumuit. quid plura? dispensatione Dei factum est vt quæ contra naturam, simplicitate paruuli, in contemptum Dei, abutebatur, à naturæ domino proderetur. Hactenus ille. apud Græcos etiam:

ὥσπερ με διεκόρευσεν ἑπτέτιν οὖσαν.

Id est, qui me vitiauit adhuc septennem: ita meretrix apud Aristoph. ἐν Θεσμοφοριαζούσαις, seu, cerealia dona ferentibus. Romæ: quis literas nouit, & Petronianum hoc non nouit? [cùm hoc diceret, ad aurẽ eius Psyche ridens accessit, & vt dixisset nescio quid, ita, ita, inquit Quartilla, bene admonuisti: cur non, quia bellissima occasio est, deuirginetur Pannichis nostra? continuóque producta est puella satis bella, & quæ nõ plus quàm septem annos habere videbatur, & ea ipsa quæ primùm cum Quartilla in cellam venerat nostram, &c. obstupui ego, &c. nec puellam eius ætatis esse affirmaui, vt muliebris patientiæ legem posset accipere. Ita inquit Quartilla, minor est ista quàm ego fui cùm primùm virum passa sum. Iunonem meam iratam habeam, si vnquam me meminerim virginem fuisse.

TIT. XLIV. SI SÆPIVS IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER, ET IMP. PHILIPPVS.

L. 2. & 3.

Totus hic titulus intelligitur, *nisi nouis defensionibus causa instruatur, & nisi nouæ defensiones prætendantur.*

Hoc in l. 2 & 3. eóque facit lex, de ætate, ff. de interrogat. in in. fac. Duplex tamen exceptio: vna in supplicatione, seu, requesta ciuili, vt loquimur: altera in propositione erroris, vt ostẽdo ad l. 5. sup. de precib. imperat. offer. sic & in delictis regula est, impetrari numquam, aut perrarò culpæ, erratique veniam, si iterata comperiantur sæpius à Reo, l. 3. §. si plures. de re milit. Nou. Leonis. 67. & l. capitalium. de pœn. ff. quin eo & facit vetus publij mimi dictum apud Agellium, lib. 17. cap. 14. *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.*

Γένοιτ' ἀοιδὸς, ἥτις ὑμνήσῃ κακά.

id est, Silete melius est obscœna, nè musa mihi modos canat vnde laudentur mala. Quis non exhorreat quod legitur in instrumētis litis capitalis Ioannæ D'arc, quam aliàs puellam Aurelianensem dicimus, cò scilicet cupiisse furorem Anglicum aduersus diuinam illam virginem, vt inspiceretur, explorarétúrque ab obstetricibus apud Rhotomagum, an virgo esset? comperta autem est non modò virgo, sed & ita arcta vt mulier fieri non posset. Iure equidem Liuius, lib. 10. decad. 4. *multa adsolet veritas præbere vestigia sui*. hinc & Rhetor ille eximius, declam. 322. *Gratias ago prouidentiæ Deorum, qui numquam ita opprimi veritatem voluerunt, vt non magnis suis vestigiis emineat.* Vt enim tanto magis elucesceret matriæ illius virginitatis veritas, inspectio, exploratióque facta est, adstantibus duobus medicis, Cardinalique Anglo, & Comite Waruicio. Alter verò signa corporum gentilitia denarrat, quæ non alia ratione veteres commemorant, quàm quia ex familia, cui datum hoc fuisset vt signati parte aliqua corporis nascerentur, eandem omnes ille semper, ac similem quasi naturæ tesseram vel femori, vel brachio, aut vultui impressam ex ipso natalium limine ederent: eiusmodi enim fuisse ancoras, quæ Zaleuci nepotes vniuersos ad vnum, incorrupta serie, notarunt in femore: eiusmodi & lanceas, quæ gentilitia signa Spartanis, ac Thebanis. Quibusdam etiam stellæ, quibusdam cancer, vt Thyestiis: at verò & sunt inter Reges, ac optimates, quibus tumens labrum, vel obliquus semper oculus. elegantérq; inter cæteros, Iulianus Imperator, oratio.3. ad Constantium, Imperator. cùm ait, licuisse iis tantùm, adscribi in Pelopidarum familiam, qui in humeris quasi inusta gentis insignia ferrent. Imò & in hunc diem filij, apud Chinenses, similes sunt patribus, naso, oculis, fronte, & barba, quod latè exequitur Andreas Laurentius, medicus regius, lib. 8. quæst. 20. historiæ Anatomicæ. optimè denique Euripides in Electra:

Φιλεῖ γὰρ αἷμα ταὐτὸν οἷς ἂν ᾖ πατρὸς,
Καὶ πολλ' ὅμοια σώματος πεφυκέναι.

id est, Solent iis, sanguis idem quibus fuerit patris, plæraq; similia corporis natura inesse. Inde igitur, aiebat puellę patronus, qui indagationes, inspectionesque corporum, arcere in hac lite, in qua de agnoscendo partu agitur, voluerit, cò collimet necesse est, nè vestigiis, quibus possit apertioribus, emergat in apertum veritas. Circumfluenti, eruditaque oratione egit, de more, Dom. Brettus, patronus fisci, fœlixque, ac studiosum fuit Brodæi, & Vettij, ad exudandas causas, auspicium. Vterque enim cum elegentia verborum, sermonisque comitate, atque gratia, perorauit: & eùm matutinam iudicum sessionem disceptatio illa, verè natalitia, exemisset, infirmauit demùm ordo amplissimus iuridici Carnutum sententiam, petitionémq; inspectionis pudendæ, vt alienam, turpem, atque infamem repulit, ann. 1608. die 9. Februar. Quantum ad alteram probationis ætatis speciem, quam instrumentis nō testibus, fieri vult nostra hæc lex tertia, vide ad l. de tutela. ff. de in integrum restit. minor. 25. ann. quotidianam enim in hoc distinctionem explano.

4 Ad verba, *Cum malitia suppleat ætatem.*

Produxerunt istud ad matrimonia canonistæ, in cap. puberes. & cap. De illis de desponsatio. impub. lib. 4. decretal. cap. vn. eod. titu. in 6. Albericus de Rosate, in verb. matrimonium. additio. 2. testatur ex alio interprete, cognomine suo, visam fuisse puellā nouem annorum, quæ peperat. Sed cum omnes hoc ipsum scribant de puero, quòd scilicet illa ipsa ętate grauidam nutricem suam fecerit, ita testante D. Gregorio in dialogis: percurri, data opera, totam illam scriptorum sancti illius interpretis particulam, sed nihil planè reperi, miratusque sum postea, Tiraquelli locum reuoluens, vbi latè de hoc disserit, nempe legem 6. connubialem, gloss. 1. parte 6. num. 37. nauatam & ab eo illam ipsam in Gregorianis dialogis operam, inanemque fuisse. Ita facile decipi se patiuntur nostri interpretes: hoc enim Boërius q. 318. hoc glos. ad caus. 20. q. 1. hoc & scriptor nuperus, tametsi elegans. Testatur autem verissimè D. Hieronymus lib. 3. cp. 132. ad Vitalem, peperisse nutriculam ex puero decenni: & Salomonem procreasse Roboam anno ætat. vndecimo: Ezron natum fuisse Regi Phazez, adhuc nouenni: De-

cennemque tantummodo fuisse Achaz cùm suscepit Ezechiam. Singularem in hæc omnia, textum D. Hieronymi exscribam, cùm sit notatu dignissimus: Si duodecimo, inquit, anno, Salomon super Israel accepit imperium, & quadraginta annis regnauit in Hierusalem, filiusque eius Roboam, cùm quadragesimum & primum annum ageret ætatis, patri successit in regnum: perspicuum est, vndecim fuisse annorum Salomonem, siue decem, quia decem menses à conceptu vsque ad partum sibi mater vendicat. Rursus Achaz, filius Ioathan, cùm viginti esset annorum, rex constitutus est super duas tribus, id est Iudam, & Beniamin, regnauitque annis sedecim: quo mortuo, Ezechias, cùm vicesimum, & quintum annum ageret ætatis, patri succederet in regnum, ex quo intelligitur, Achaz quoque vndecimo, siue duodecimo anno, Ezechiam filium procreasse &c. quis crederet mortalium, vt vndecim annorum puer generaret filium? &c. Non valet natura contra naturæ dominum &c. Audiui, domino teste non mentiõr, quædã muliercula, cum expositum nutriret infantem, &c. cubaretque cum ea paruulus, qui vsque ad decimum iam peruenerat annum: accidit vt plusquàm pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis motibus ad coitum duceret infantem &c. & ecce fœminæ vterus intumuit. quid plura? dispensatione Dei factum est vt quæ contra naturam, simplicitate paruuli, in contemptum Dei, abutebatur, à naturæ domino proderetur. Hactenus ille. apud Græcos etiam:

ὅσπερ με διεκόρευσεν ἑπτέτιν οὖσαν.

Id est, qui me vitiauit adhuc septennem: ita meretrix apud Aristoph. ἐν θεσμοφοριαζούσαις, seu, cerealia dona ferentibus. Romæ: quis literas nouit, & Petronianum hoc non nouit? [cùm hoc diceret, ad aurẽ eius Psyche ridens accessit, & vt dixisset nescio quid, ita, ita, inquit Quartilla, bene admonuisti: cur non, quia bellissima occasio est, deuirginetur Pannichis nostra? continuóque producta est puella satis bella, & quæ nõ plus quàm septem annos habere videbatur, & ea ipsa quæ primùm cum Quartilla in cellam venerat nostram, &c. obstupui ego, &c. nec puellam eius ætatis esse affirmaui, vt muliebris patientiæ legem posset accipere. Ita inquit Quartilla, minor est ista quàm ego fui cùm primùm virum passa sum. Iunonem meam iratam habeam, si vnquam me meminerim virginem fuisse.

TIT. XLIV. SI SÆPIVS IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR.

IMP. ALEXANDER, ET IMP. PHILIPPVS.

L. 2. & 3.

Totus hic titulus intelligitur, *nisi nouis defensionibus causa instruatur, & nisi noua defensiones prætendantur.*

Hoc in l. 2. & 3. eóque facit lex, de ætate, ff. de interrogat. in in. fac. Duplex tamen exceptio: vna in supplicatione, seu, requesta ciuili, vt loquimur: altera in propositione erroris, vt ostẽdo ad l. 5. sup. de precib. imperat. offer. sic & in delictis regula est, impetrari numquam, aut perrarò culpæ, erratique veniam, si iterata comperiantur sæpius à Reo, l. 3. §. si plures. de re milit. Nou. Leonis. 67. & l. capitalium. de pœn. ff. quin eò & facit vetus publij mimi dictum apud Agellium, lib. 17. cap. 14. *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.*

TIT. XLV. DE IIS QVI VENIAM ÆTATIS IMPETRAVERVNT.

Imp. Avrelianvs.

L. 1.

Eos qui veniam ætatis impetrauerunt, etiamsi minus idoneè rem suam administrare videantur, restitutionis auxilium impetrare non posse, manifestum est: nè ij qui cum eis contrahunt, principali auctoritate circumscripti videantur.

Vno verbo Baldus: auctoritate Principis nemo debet decipi. Ratio fuerit, primùm quòd Princeps, purà, Rex, aut Imperaror, sit lex animata, νόμος ἔμψυχος, Nou. de Consulibus. in fi. à quo proinde noo debent nasci iniuriæ, cùm ab eo iura oriantur, arg. l. meminerint. Cod. vnde vi. Qui ergò contrahit cum minore, cui Princeps veniam ætatis fecerit, non obligatum illum, dumtaxat, sed quasi fideiussorem, vindicémque totius contractus habet Principem, vt cuius auctoritas pro lege esse soleat: ait Isocrates ad Nicoclem. πάντα βασιλέως λόγον, νόμον εἶναι: id est, omne Regis verbum, legem esse: sunt eius verba, respondit autem Vlpianus in l. 3. §. diuus. de sep. viol. oportere Imperialia statuta, & rescripta suam vim obtinere, & in omni loco valere. & cùm indubitati iuris sit, fictionem tantum operari io casu ficto, quantum veritas in casu vero, §. item per acceptilationem. inst. quib. mod. toll. obl. l. singularia. si cert. per. ff. l. 2. de vsufru. earum rerum quæ vsu consum. ioiquum esset, vt quem Pinceps rescripto suo maiorem 25. annis finxit quoad alienationem mobilium, & redituum administrationem, id vero anno vicesimo, quam firmatam ætatem vocat Theodos. Imp. in l. vltim. Cod. Theod. hoc tit. ille habeatur nihilominus semper & minor, & impos sui, curatore perpetuo indigens, & quo authore solo contrahat. Deiode verò venia illa ætatis concessa à Principe non eum dumtaxat respicit cui concessa est, sed eos omnes in genere qui cũ ipso contracturi sint, quíque aliàs, citráque rescriptum quod viderunt, numquam cum minore solo contraxissent, quæ alia Scæuolæ ratio est in l. Tutor vrgentibus creditoribus. circa fi. ff. de minor. Cautiùs enim contrahi non potuit, cùm, auctore Principe, contractum sit. Imò nec circumscriptus mioor dici potest qui iure communi vsus sit, vt ostendo ad l. vlt. sup. de in integr. restit. minor. atque hæc satis ἐν τῷ μὴ χώρᾳ, in quibus tamen nè ager omninò inaratus videretur, exarandum istud putaui.

Imp. Constantinvs.

L. 2.

Omnes adolescentes qui honestate morum præditi paternam frugem, vel auorum patrimonia gubernare cupiunt, ita demum ætatis veniam impetrare audeant cùm vicesimi anni metas impleuerint. Annorum autem numerum per scripturam probare debent, & testibus edocere morum suorum instituta, probitatémq; animi, & vitæ honestioris. &c.

Stylus & hîc hodie codicillorum venialium, ac procedendi modus. Inquiritur enim non tamen ex scripto, sed comiorus, accitísque propinquis, apud sedentem pro tribunali iudicem, in mores, & vitam minoris: ætásque modo ex scripto, id est, ex baptisteriano

Codice profertur, modóque etiam de ea, ex aspectu, solísque ipsis propinquis creditur: neque actis iudicialibus penè interest cognitor, procuratórve regius, nisi dicis causa, ac de more, vt qui accedat tantùm postulationi: curator autem aliquis præterea causæ semper, quasique de stylo, constituitur. Denique leuissimæ istud ferè semper, ac sæpius cognitionis, atque operæ, si suspecta aliunde non sit postulantis minoris industria. Imò plærumque tametsi suspecta. hoc enim agunt sæpe consanguinei vt impendens alioquin auertatur quasi ponderosior, periculosiórque sarcina: & cùm sagacissimos, grauissimos, rigidissimósq; in eo oporteret esse iudices, pluris faciunt tamen huius, vel illius amici, qui procul dubio esse debeat tutor, gratiam, quàm salutem adolescentis, effusuri forsan paulò pòst mobilium ingentes moles, prouentúsq; maximos in popinarum alearum, scortorúmque immensas libidines, aut voragines potius, vnde tam frequens decoctorum protetuia, tot perditæ mentis nepotes, tot vomicæ, inquinamentáque familiarum, tot desperatæ salutis ἄσωτοι, (vt valdè propriè vocat Aristoteles) & in quos dici possit non modò Horatianum hoc:

Non pudet ad morem discincti viuere Nattæ?

sed & quod Athenæus scribit lib. 4. exprobratum olim fuisse ab obuiis omnibus Phoco, Phocionis Atheniensis filio, ὦ καταισχύνας τὸ γένος, id est, ô qui dedecoras familiam. πάντα γὰρ ἀνήλωσε τὰ πατρῷα εἰς ἀσωτίαν. id est, paterna enim omnia in libidines prodegit: ait Athenæus ibidem. Vno verbo, hoc vnum agunt degeneres, ad maiorem partem, Heroum filij, ac nepotes, aut noxæ potius, τὰ τήμερα, quod Græcis in adagio, vt ætate fruantur, de futuro parum sollicitì. plura denique de huiuscemodi familiarum portentis quibus paterna, auitáque bona sunt quasi instar sarcinæ, quod dixit Seneca. vide, si lubet, ad tit. ad Macedon. ad titu. de aleatoribus, & ad tit. de seruo corrupto. Quàm expetendum igitur vt vulgaria hæc rescripta indulgerentur industriis tantummodò, sobriis, siccis, atque ad res suas attentis adolescentibus, qui, quod ille Homericus Telemachus, caueant, vel ante annos, nè grassans forsan longiùs tutor

πατρώια πάντα δάονται:

quibus denique superuacanea sit deinceps curatorum morosorum sæpe, ac difficilium, opera. Dixi de industriis hisce adolescentibus, ad l. 1. qui aduersus quos sup. ad titu. ff. quod cum eo. ad l. verum. §. sciendum. ff. de minorib. & aliis locis. hoc anno vicesimo hominia, seu homagia, vt vocant, præstari patronis feudalibus consueuerunt moribus nostris, pérque omnes ferè prouincialium leges patrias, & scita: vt inter cæteras consuetud. Paris. art. 41. Cæterùm non modò vulgares impetrant ætatis beneficium, sed & optimates, Barones, Comites, Duces, omnes adeò præter Principes familiæ regiæ. Quo casu, optimatum scilicèt, ad celebritatem actus, conueniunt de more propinqui maiores apud sedentem pro tribunali iudicem, fiúntque cætera, quæ suprà recenseo, seruatis accuratiore, honoratioréque opera, solemnibus.

§. fœminas, quas morum honestas, mentísque solertia commendat, cum octauum & decimum annum egressæ fuerint, veniam ætatis impetrare sancimus. Sed eas, propter pudorem, ac verecundiam fœminarum, cœtui publico demonstrari non cogimus: sed annos tantùm ætatis probare posse testibus quinque, vel instrumentis, misso procuratore, concedimus. Mares tamen, & fœminæ prædia sine decreto non alienent.

Hue facit optimè lex, maritus sup. de procuratorib. ad quam longè plurima de muliebri industria, & verecundia, atque vt per actores, ac procuratores persequi negotia sua forensia debeant ex ratione, quæ in hoc, & illo textu. nec verò sociùs codicillos veniales impetrãt hodie, nostrisque moribus, fœminæ, anno 18. quàm mares anno 20. nihilque iure isto frequentius ex causis maximè quas adscripsi ad legis huius principium. si modò tamen, vt habet hîc §. morum honestas, mentísque solertia petentem commendet, *meliùs aliquando, quàm viri, callent mulieres*, inquit, Accius poëta apud Nonium Sic de Electra Orestes apud Euripidem, in Oreste:

ὦ πὰς φρένας μὲν ἄρσενας κεκτημένη,
τὸ σῶμα δ' ἐν γυναιξὶ θηλείαις πρέπον.

id est, mentes quidem masculas sortita, corpus autem inter mulieres fœminis conueniens.

Mirè virtutes istas muliebres D. Hieronymus, in Sophoniam, Prophetam. περίφρων Πηνελόπεια id est, prudens Penelope, apud Homer. ὀδ. α. vtrúmque autem, & morum honestatem, & mentis muliebris solertiam, includit ille hoc versu, ἰλ. ι.

Δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας ἔργ' εἰδυίας.

id est, dabo septem mulieres inculpatas, & negotiorum scientes.

Apud Theocrit. εἰδ. κδ.

Γυναιξὶ νόος οἰκωφελέεσσι σὺς ἐπίβολος.

Arguit nempe mulieris animum eò ferri à natura, vt res domesticas vtiliter curent. & cùm parcissimæ sint vt plurimum, sagaces, nec pronæ in sumptus effusos, inanes, pudendos, nepotinos, quales suprà in masculis, ad principium legis, recensui, metus nō est, nè nōn optimè, sobriéque bona administrent. Quærit Salicetus hîc, si statuto præfiniatur ætas legitima, putà 20. annorum tam in masculo, quàm in fœmina, vt statuto Pistoriensi, cuius meminit, an nihilominus impetranda sit venia ætatis à Principe. Rectissimè autem decidit, sufficere statutum: eodémque iure nos Galli vtimur vbicúmque lege aliqua prouinciali quippiam statuitur, vt, inter cætera, beneficium inuentarij à Principe non petitur apud Bituriges, quia de hoc expressè statuit lex patria. quod & idem fieri oporteret apud Paris. in cōpensatione debiti, de qua nominatim etiam articulus 105. in consf. Paris. plures sentiunt, licèt tamen, & malo equidem more, atque ad solum officinæ codicillatis compendium, haud aliter obtineat quàm in aliis prouinciis, apud quas quod omissum de compensatione est supplet diploma regium: Ceræ illius necessitatem nescit ea pars Galliæ quæ iure Romano, pro moribus vtitur, quotiescumque beneficio inuentarij opus est, quia nimirùm de beneficio illo cautum sit, l. vlt. inf. de iur. delib. plura sunt similia.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Legitima ætas intelligitur quæ viginti quinque annorum curriculis completur, non quæ ab Imperiali beneficio suppletur.

Quærit Paul. Castrensis ad l. præced. in fi. vtrùm censeri idem debeat in statutis. veluti, inquit, Statuto Florentiæ, legitima ætas est 18. annorum: vtrùm in ea ætate minor alienare possit bona immobilia? putat verò posse: quoniam lex hæc loquitur cùm fit cōcessio per rescriptum Principis. Rescripti autem fauor tantus non est, quantus legis, vel statuti, aut, vt mera ipsius verba proferam, quando fit aliquid per modum legis, vel statuti: laudátque coætanei alterius interpretis iudicium, quòd ita secum senserit. Sed vterque indistinctè nimis, opinor. quamuis enim anno ætatis 18. & corporum habitus, & animorum inclinatio necessaria appareat: aut, vt valdè propriè in hoc ipsum Dio, libr. 52. ἥτε τῶν σωμάτων αὐτῶν ἀκμὴ, καὶ ἡ τῶν ψυχῶν ἐπιτηδειότης, probabilior tamen, ac melior, tutiórque longè nostrorum videtur sententia, dicentium, apud Andes, vbi eadem fermè statuti prouincialis consuetudo, (innum enim vicesimum præfiniuit) legitimam illam ætatem intelligi de alienatione sola mobilium, déque administratione immobilium. vt nimirùm si immobilia alienauerit minor, valitura quidem sit alienatio ex statuto, sed ita si ad annos vsque 25. restitutus in integrum non sit minor. Ratio perspicua est in l. 1. de minor. quòd scilicèt minor ante annum 25. vigorem animi. (τὴν ἀκμὴν τῆς διανοίας, ait Aristoteles) complete non soleat. nec vlla proinde alia legitima est ætas, ait manifestissimè hîc Iustinianus ostendo id fusius ad l. 1. Si nimirùm de ætate fiat mentio in genere: veluti si ita dixerit vel lex, vel testator: *de hac re, vel illa statuet cùm suæ ætatis fuerit.* aut, vt nos Galli, *pour en disposer par luy*

quand il aura l'aage: referenda procul dubio hæc sunt ad annos quibus vigorem animi natura compleuerit, putà ad annos 25. Indéque propterea Baldus hîc: *Verba naturaliter, ac propriè intelligenda sunt, non ciuiliter, & fictè.* Sic verò præstantissimus noster Molinæus, dum ad regulam Cancellariæ, de infirmis resignant. num. 219. de mortis appellatione loquitur. docet enim verbum mortis simpliciter prolatum, intelligendum esse de naturali, nec extendi ad ciuilem, nisi in casibus à iure expressis,. in quo citat glossam, atque Canonistas interpretes ad cap. Susceptum. de rescript. in 6. addo l. Res vxoris. Cod. de donat. inter vir. & vxor. vbi mors ciuilis, & mors naturalis non æquiparantur. & l. Statius Florus. §. Cornelio fœlici. ff. de pœnis, quæ hoc idem. Quotidiana hæc sunt, quibus propterea immorabor paulò longius, vt consulatur fori literati studiosis. Vidus enim Papius, vt sese his quasi legum laqueis, ac nodis explicet, putat triplici distinctione agendum in hæc verba, quæst. 537: Triplex, inquit, est mors: ciuilis vna est, quando alicui tollitur libertas, vel ciuitas, cuiusmodi est quem minutum maiori capitis diminutione dicimus. Et ista, ait, habet effectum mortis naturalis, vt in l. res vxoris. in fi. de donat. inter vir. & vx. inf. Alia est, quando tollitur ciuitas, & remanet libertas, cuiusmodi est media capitis diminutione minutus, & ista in actibus merè ciuilibus habet effectum mortis naturalis, l. 1. §. etsi filium. ff. de bon. possess. l. si deportati. in pr. de leg. 3. Alia verò est mors ciuilis, quando retinetur ciuitas, & libertas: sed tamen velle, & nolle, tollitur, actúsque ciuiles interdicuntur, vt videre est in excommunicato, & in ingresso monasterium, cùm deportatis æquiparentur. Sic ille. nuper autem prodierunt in lucem Iac. Ferrerij, in Sen. Tolos. patroni, obseruationes ad ipsum Pap. quarum ea mihi perplacet quæ quæstionem illam 537. maximoperè explanat, ac illustrat. Tangit enim quæstiones fori in hunc modum. primùm, si, qui rogatus est restituere hæreditatem Mæuio, condemnatus fuerit ad triremes, sique eius bona applicata sint fisco, mortem hanc ciuilem naturali comparatam non esse existimat. Fiscúmque propterea frui oportere quamdiu qui condemnatus est aduixerit, interquiescente intereà fideicommisso: infértque tandem post collisos hinc inde textus, deportationem pro morte naturali habendam non esse, itaut fruatur interim fiscus: quod & ipsum Iosias Beraltus, nouus interpres consuetudinis Normanæ ad art. 143. titu. de feud. docet verò Ferretius, eum qui damnatus sit ad perpetuas triremes, non esse æquiparandum deportato, cum deportatus non sit seruus pœnæ, sed comparandus ei qui in metallum damnabatur. Metallicus enim, seruus pœnæ fiebat, maximámque capitis diminutionem patiebatur, amissis quippe ciuitate, & libertate. Immò & habebatur adeò pro mortuo, vt locus substitutioni statim fieret. qua distinctione interpretatur Senatusconsultum de damnato ad perpetuas triremes quod An. Robertus meminit, lib. 4. cap. 16. rer. iudicatar. vide autem Molinæum ad consuet. Paris. §. 41. num. 81. & 82. vbi indistinctè decidit, expectandum esse tempus mortis naturalis, in fructuario, vel condemnato ad triremes, aut ingresso monasterium. Maynardus, Senator Tolosanus, solos mendicantes religiosos excipit, si nimirùm hæres grauatus restituere, ingrediatur religionem mendicantium. In ea enim substitutione, iudicatum tradit à Sen. Tolosano non expectari mortem naturalem. plura ille in hoc ipsum, lib. 7. cap. 18. vnde sequitur, aliud ergo esse, si regulæ non mendicanti, sese subiecerit. Quæsitum est de eo in quem perpetui exilij latum sit iudicium, an scilicet sacerdotium illius, si quod habeat, vacet: vacare autem nemo iuris, foríque bene peritus ambigit, cùm mors illa ciuilis obstet perpetuò quominus administrare possit beneficium. Idem si mancipatus perpetuo carceri fuerit. Secus verò, si temporalis sit ea condemnatio: traditque in eo decreta Rhotomagensia Beraltus ad d. art. 143. cõs. Normanæ. Quod si qui, ex Senatusconsulto alligatus est triremi, vxorem habeat, poterit illa eo casu petere dotalitium, quasi insecuta iam morte naturali, vt docet Bacquetius, cap. 5. num. 61. de iust. & iure. celebris equidem causa acta est in maiori auditorio, ann. 1618. die 15. Iunij, de eo qui perpetuo exilio damnatus est, ducitq; posteà vxorem, ex qua liberos suscipit: vtrùm liberi illi, cum legitimi sint, succedere debeant, præsertim apud Andes, qui publicationem bonorũ, seu confiscationem, nesciũt. personæ enim, & bona in agro Andino. videbatur ergo prima fronte, hæredes liberos esse oportere. erant quippe legitimi, vt dixi, cùm exilium perpetuum, quod deportationis Romanæ instar est, soláque ἀτιμία, vt dixit Demosth. contra midiam, matrimonij contrahendi facultatem non tollat, vt quod sit iuris gentium. Deinde verò, abscedente confiscationis pœ-

na, durauerat penes condemnatum antiqua bonorum suorum possessio, in qua & defecerat. Contrà autem defendebant hæredes à latere, matrimonia eiusmodi non valere nisi quoad effectus naturales, non quoad ciuiles: perpetuúmque esse in exilio perpetuo, vt bonorum publicationem inferat, cum deportationis loco sit, cuius & ista, iure Romano, fuit pœna: Imò & Græco, vt constat ex Demosth. loco suprà citato, vbi ἀντὶ τῇ ἀειφυγίᾳ, seu exilio perpetuo, τὴν τῶν ὑπαρχόντων δήμευσιν, id est, bonorum publicationem, adijcit in hæc verba: οἱ φονικοὶ, τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτινύντας θανάτῳ, καὶ ἀειφυγίᾳ, καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων, ζημιοῦσι. id est, capitales iudices cædis voluntariæ reos morte & exilio perpetuo, & publicatione bonorum mulctāt plus ait Libanius declam 30. cum enim exilij pœnas memorat, sic apud eum damnatus: πρῶτα μὲν ἱερῶν, καὶ φίλων σχίζομαι, καὶ πατρίδα ταύτην ἐῶ, καὶ τάφους προγονίων, καὶ μνήματα, καὶ δόξας πατέρων, καὶ διηγήματα, id est, primùm a sacris, & propinquis seiungor? & patriam hanc dimitto, & sepulchra maiorum, & monumenta, & gloriam parentum, &c. ἄοικον, vt vno verbo cætera omnia includat, exulem vocat Phocylides: id est, sine domo, ac tecto. Nec mutat, quòd sublata sit apud Andes bonorum publicatio, seu confiscatio. factum enim id non in gratiam eorum qui ex causa criminis damnati sint, vt qui nihil mereantur de publico, sed in gratiam proximioris agnati qui condemnato successurus sit. frustráque etiam quod condemnatus in possessione semper, & ad extremum vsque vitæ spiritum, mansérit: vi enim istud, benignéque patientibus cognatis, non iure. Liberi denique ex contracto tam infœliciter, póstque ferale iudicium, matrimonio nati, perinde habēdi sunt, atq; si procul, extra fines regni, suscepti fuissent, seu spectetur ius Romanum, in l. vlt. ff. vnde legit. cuius hæc verba: *nati post captiuitatem, vel deportationem, ius inter se cognationis habent, etsi hæredes patri non extiterint.* Ita Hermogenianus. paucis verò Isidorus lib. 5. originū: *Relegatus est quem bona sua sequuntur: deportatus, quem non sequuntur.* seu etiā antiquissimū ius Gallicum, quod procul dubio, imitatione iuris Romani, constitutū est. Sic enim in capitularib. Car. Magni, lib. 3. ti. 47. Sic verò maximè. apud Matth. Paris. in Iohā. Anglorū Rege *Consuetudo est*, ait, *in regno Frācia, quod ex quo aliquis est damnatus ad mortē, vel ad exiliū perpetuum, proles suscepta post sententiam damnationis, non debet succedere: geniti tamen ante sententiam succedere debent.* Senatus ex his addixit bona condemnati hæredibus à latere: adiecto tamen onere pensionis centum librarum annuæ liberis. egregiè, vt omnia, ad causam, Dom. Bretius, fisci patronus. disertéque, ac eruditè, Guerinus, & Hieron. Bignonius. litigatorum nomina, Carolota de la tour abon, &c. & Mich. Dauid, tutor, &c. vide & ad l. corruptionem. inf. de vsufr. & ad l. Tutelas. ff. de cap. minut. pero autem veniam, si cui visus sim nimius. prætermittendum enim non putaui, vt loco valdè idoneo, quod quotidianum est. Dixi quantum satis de plena pubertate, de firmata, de legitima, de statuta ætate, ad l. 1. ff. de minorib.

TIT. XLVI. SI MAIOR FACTVS RATVM HABVERIT.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. I.

Si inter minores facta sine dolo diuisio est, vel scriptura interposita, vel sine scriptura, cúmque post legitimam ætatem ratam fecerint, manere integram conuenit.

Dolus adeò semper excipitur in diuisionibus hæreditatum, vt, cùm ad l. maioribus. in verb. vel perperam. inf. commun. vtriusque iudic. glossa dixerit, agi posse vt in melius reformentur (quæ sunt verba d. l. maioribus) si vltra dimidiam deceptus sit alteruter, ad instar venditionis, iudicari tamen soleat de more, sufficere notabilem læsionem, putà ad

ad quartam vſque, (dicimus, *du quart au tout*) eóque ſenſu accipiendus eſt. §. familiæ. l. ſi filia nupta. ff. famil. hercisc. & lex, ſi maior. inf. comm. diuid. iuncta gloſſa, quam ibi explico latiùs. vide etiam quæ perſtrinxi ad l. tres fratres. ff. de pactis. Quantum ad ratihabitionem, de qua hîc, vide quæ notaui ex vſu, & Senatuſconſultis, ad l. 3. denique. §. ſed ſi ei probaretur. ff. de minoribus. Tradit verò Salicetus ad primam hanc l. tres ratihabitionis ſpecies quæ præteriri non debeant. Prima eſt, ſi verbis expreſſis. Secunda, ſi rebus, & factis: de quibus duabus agit lex, Paulus. ff. rem rat. hab. Tertia eſt, ſi diuturnum interceſſerit ſilentium. quæ etiam doctrina eſt Angeli, ad l. ſciendū. de verb. oblig. Intelligendum tamen id ſecundum materiam ſubiectam, vt docet Molinæus ad Alexandrum, lib. 6. conſil. 191. vbi agit de mandato. Et cùm Cuiacius in paratit. obſeruet, ex hoc titulo, ſi maior factus: caſum dari vltimum quo non reſtituantur in integrum minores, quia ſcilicet per ratihabitionem renuntiare in integrum reſtitutioni videantur, nihilque interſit, facto, an ſilentio ratum habuerint, excipe ſemper caſum d. legis. 3. d. § ſed ſi. de minoribus: vbi nimirùm intercurrit dolus, vt cui numquam faueant leges: δόλον ἄδμαν dixit rectiſſimè Pindarus in Pyth. eóque fecerit quod apud Ouid. lib. 2. Triſt.

At nunc (tanta meo comes eſt inſania morbo) Saxa memor refero rurſus adicta pedem.

Quaſi dicat ingenioſus poëta: eo ſemper, tantóque meo malo deſipui, vt bis in eundem errorem, culpámque inciderim. quæ ſolita eorum querela, qui reſtitui in integrum poſtulant, quia nempe dolo aduerſarij bis, nec vice ſimplici, inducti ſint vt contraherent. Subijciam quod in hanc quæſtionem diſceptatum eſt anno 1606. die 12. Decembr. Agebatur de tranſactione qua minor, modico contentus, nempe 40. tantùm aureis, hæreditatem longè fructuoſiorem repudiauerat. Ille enim cùm maior factus, executioni, in partem, contractum mandaſſet, facit ex eo rebus, ac factis dicebatur ratihabitio: Tamen quia dolus manifeſtus ſuberat, apertáque deinde læſio, quæ omnia contegere, atque adumbrare velut opaco tranſactionis inſidioſæ velo conatus fuerat aduerſarius, tranſactionis, inquam, cuius executio, connexa rerum ſerie, ſpectabat omninò ad minores annos contrahentis: quæ doctrina eſt Gloſſæ ad l. 2. hoc tit. admiſit Senatus reſcriptum reſciſſorium, damnato minore refundendis, quos dixi ſuprà, 40. aureis, & quicquid in cauſam contractus illius receptum fuiſſet. perorabat Maugninius pro Raymundo ipſomet qui tranſegerat. Secus, ſi abſit dolus. in quo nec prætermittenda arbitror forenſia hæc quæ reperio apud Dom. Seruinum, patronum fiſci, eruditiſſ. actio. 22. volum. 3. *qu'vn arreſt eſt valable, eſtant donné ſur procedures commancees pour, ou auec vn mineur, & continuées auec le meſme mineur fait maieur*, ſeruata tamen ſemper diſtinctione legis, 3. §. ſed ſi. verſ. ſcio. de minorib. notandum autem eſt, ratihabitiones iſtas redigi ſemper ad perſonas contrahentium, itaut nec aliis proſint aduerſus quos reſtitui poſtulet minor, vt iamdiu ſecundum Minartium, verè Dom. Minartij, infulati Præſidis, nepotem, id eſt, decoctorem infamem, iudicatum eſt, in tertia inquiſitionum claſſe, nempe an. 1601. vt ab vno ex Senatoribus ipſius didici. Si igitur non inſit dolus, ſi συμμύσιν non ſit, quod ait lex, rerū mixtura. de vſucap. id eſt, connexū negotiū. vt ſupra, explicui, ſed purè, citráq; collatas in maioris ætatis tempus, conditiones, vendiderit minor, & poſteà maior factus ratum habuerit, adeo vt bis quidem ad eumdem, quod aiunt, lapidem offenderit, ſed non temerè, imò recogitatione facta, vt in hoc ipſum loquitur comicus, fruſtrà eò caſu reſtitui eum deſiderare Imperatores hac l. prima ſanciunt: optimáque ratione: nam cùm verſari in variis cogitationibus ſoleat qui probandum, aut damnandum videt quod priùs egerit, vt apud Qu. Curtium lib. 6. regula etiam iuris eſt ex l. vn. inf. de plus petitionib. vt quæ diuerſis temporibus fiunt, certam animi deliberationem inducant: eóque pertinet vnicè vulgatum iſtud ex Euripide in Hyppol.

——καὶ βροτοῖς
Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

In eam verò & rurſus ſententiam dixerimus quod ex Pindaro, in Olymp. od. 1.

Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Si enim maior 25. annis, ſecunda cognitione, maturo iudicio, completóque animi vigore, quod ait Vlp. comprobat, tabulis viſis, ſummotáque omni fraude, quod anteà minor admiſerit, argumento, teſtimonióque certiſſimo illud eſt, nihil ipſum conſenſiſſe quod non ita facilè prudentiſſimus quiuis paterfamilias, peregiſſet, maximéque inter

cohæredes, quæ est legis nostræ hypothesis. Vide etiam ad l. si fundus. ff. de pignorib. quando, & quatenus retrò currat ratihabitio ad id tempus quo conuenit. Transeo legem secundam, vt quæ explicata satis sit, opinor, ex his quæ ad primam.

TIT. XLVII. VBI ET APVD QVEM COGNITIO IN INTEGRVM RESTITVTIONIS agitanda sit.

IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Agitanda est in integrum restitutio apud Præsidem prouinciæ in qua domicilium habent quos conuenis.

Rectissimè Salicetus: in causa restitutionis in integrum actor sequitur forum Rei. Quod tamen intellige in personalibus. Secus enim vbi de reali actione agitur, l. vlt. cod. vbi in rem actio. & cap. sanè. de fo. compet. excipe etiam in quatuor diætis de quibus, tit. de causis in pragmat. sanct. dixi de his fusissimè ad l. 1. ff. si quis cautionibus. Excipe deinde priuilegiarios, quorum nihilominus vexationes delibo ad d. l. 1. & ad l. si idem cum eodem. ff. de iurisd. omn. iud. nimiæ enim sunt: concessaq; immeritissimis passim ganeonibus illa priuilegia. Nec verò etiam prætermittendum videtur studiosorum Academiæ Paris. & domesticorum aulæ principis singulare hoc ius vt ex vniuersis totius regni finibus euocent aduersarios vel ad præfecturam vrbis, si sit studiosus, vel ad recuperatores basilicanos, aut, vt vocant, in palatinum libellorum forum. Atque id quibuscunque supremis tribunalibus subiaceat locus quem incolunt. apex enim ille priuilegii, tametsi inuidiosus. Domestici autem principis, seu, vt loquimur, commensales, ex actis, vsuq; subsidiorum curiæ sunt, magister officiorum: vocant, *le grand Maistre de France*. Maximus aulæ dispensator, *Grand maistre d'hostel*. Artocopus, *panetier*. Pincerna, *eschanson*. Scutarius scissor. *Escuyer trenchant*. Omnes qui à mensa regia, *Gentils-hommes seruants*. primarius eques. *Premier Escuyer*. Scutarii, Item omnes qui à secretis cubiculi. *Secretaires de la Chambre*. Omnes qui ab epistolis refugii Principis, *Secretaires de la Chambre, & du cabinet*. Linguarum interpretes: Longè plurimos eos fuisse in aula Constantinopolitana, quorum qui primus, ὁ μέγας διερμηνευτὴς, vocabatur: tradit Codinus, de offic. aulæ Constantinopol. in hæc verba: ὁ μέγας διερμηνευτὴς πρῶτός ἐστι τῶν ἑρμηνέων, οὓς κοινῶς ὀνομάζουσι δραγομάνους. Sic verò & maximum palatinorum interpretum dixit Will. Tyrius lib. 18. de bello sacro, cap. 30. Sunt deinde ostiarii cubiculi, *Huissiers de la Chambre*. Ostiarij refugij Principis, *Huissiers du Cabinet*. Cubicularii Principis, *vallets de Chambre*. Chlæniferi. *Portemanteaux*. Vestispici, *Valets de garderobbes*. Sartores Caligarij. Archiatri, & simplices medici. Medicus distillator *Medecin spargiric* Pharmacopæi, & Pharmacopæi distillatores. Chirurgi. Luxationum compositores. *Remoueurs*. Lithotomi. *operateurs pour la pierre*. Oculorum medici: *Oculistes*. Herbispices, *Herboristes* Tonsores cubicularij, & Tonsores trimestriani. Obseruatores generales, seu ἀντιγραφεῖς, *Controoleurs generaux seruants pour six mois* Ostiarij atrienses, *Huissiers de salle* proxenetæ vinarii, *Coureurs de vin*. Coqui: quorum varia sunt, plurimáque ministeria. Item qui à lagenis, & œnophoris, *Sommeliers*. Apothecarum vinariarum præfecti, *Maistres des Caues*. supellectilis argenteæ custodes, *Gardes vaisselle*. Baiuli equestres, *Sommiers*, quorũ plurima rursus ministeria. Viridarij, *Verduriers*: qui nimirùm olera, & flores conferunt. victores, seu, victores, *Officiers de fonterie*. oporonæ, al. fructuarij. Item vectores fructuũ Prouinciæ, ac Italiæ. *Aydes pour aller querir des fruicts en Prouence & en Italie*. Præbitores, *Valets de fourriere*. Præbent hi ligna, candelas, & similia. Mensiferi. *Porte tables du Roy*, fa-

bri lignarij. *Menuziers*, victriarii, *Victriers*, Lixiuiarij, *Lauandiers*, quorum varia etiam miniſteria. Panifices, *Boulangers*. Birarchi, *Prouuoyeurs*. Præfecti vehiculorum, *Capitaines du charroy*, lintearij, & lintearíæ, *lingers & lingeres du Roy*. Tapetarij, *Tapiſsiers*. Summus metator, *Grand mareſchal des logis*. Metatores, *Fourriers*. Portæ regiæ præfectus, *Capitaine de la porte*. Ianitores. Aulædi, & muſici, *Ioueurs d'inſtruments de la Chambre pour ſeruir auec la muſique*. Bibliothecæ regiæ præfectus. *maiſtre de la librairie, & garde de la librairie tant du Cabinet du Louure, qu'à la ſuite du Roy, & encores garde de la librairie de Fontaine-bleau*. Automatarij, *Horlogiers*. Tripudiatores, ſeu ſaltatores, *Balladins*. Calceolarij, *Cordonniers*. Mercatores tabernarij, *Merciers*. Pictores, qui & cubicularij vocãtur. Item, Pictores ſimplices. Ornatrices, *Filles d'Atour*. Cubiculariæ, *Femmes de Chambre*. Hydrophorus, *Ser-deau*. Fæciales. *Herauts d'armes*. Cornicines, *Trompettes*. Rectores, famulique pædagogianorum, *Gouuerneurs, & valets des Pages*. Curſores, *Laquais*. Vehiculorum præfecti, *Conducteurs des Coches*. Fabricenſes ærarij. *Mareſchaux des Forges*. Armifabri, *Armuriers*, Machinarij, ſeu tormentarij, *Artilliers*. Comites venationum, *Officiers de la Venerie*. Comites venationis maioris accipitrariæ, *officiers de la grande Faulconnerie*. Comites ſyluarum regiarum, *Officiers des foreſts, bois, buiſſons, & Garenes du Roy*. Curſores centum viginti ſtationarij, *Les ſix vingt cheuaucheurs de l'eſcurie du Roy*. Comites Maris Occidentalis, *Officiers de la marine du Ponant*. Comites quatuor cohortium protectionis regiæ, *Officiers des quatre compagnies des gardes du corps du Roy*. Comites prætoriani, *Officiers de la Preuoſté de l'hoſtel du Roy*. Duæ cohortes centum domus Auguſtæ equitum, *Les deux compagnies des cent Gentil-hommes de la maiſon du Roy*. Summus Comes cubiculi, *Grand Chambellan de Frãce*. Comes cæremoniarum, *Maiſtre des Ceremonies*. Auſpex, ſeu ductor legatorum, *Conducteur des Ambaſſadeurs*. Amanuenſes ſeu qui à ſecretis cubiculi & refugij. *Secretaires de la Chambre, & du Cabinet*. Nani Principis. *Les Nains du Roy*. Sacelli Regij clerici, *La Chapelle du Roy*. Nempe Apocriſiarius, ſeu magnus eleemoſynarius, Concionator, Capellani, clerici ſacelli minores. Sunt hi in ſumma qui fruuntur priuilegiis domus Auguſtæ, ſeu ad immunitates, ſeu ad iuriſdictionem Pariſienſis libellorum fori: vt eò ſcilicèt lites ſuas, quæ vltra decem libras ſint, ex vniuerſis totius Imperij Gallici metis, vel vſque ad radices Pyræneorum montium, transferant. Varia autem iſta miniſteriorum nomina vt, ad res explicandas clariùs, ſigillatim, feréque ad minutias vſque expreſſi, ita & contrahi poſſit ferè totum quicquid eſt ad claſſes ſeptem: putà ad ſacellum regium. vocant, *La chapelle du Roy*, Clerúſque Imperatoris dicebatur in aula Conſtantinopolitana: vt ſcribit Codinus, de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ: in hæc verba: οὐ γὰρ πρωτοψάλτην ἔχει ἡ ἐκκλησία, ἀλλὰ Δομεστικόν. ὁ δὲ βασιλικὸς κλῆρος καὶ ἀμφοτέρους. καὶ ὁ μὲν πρωτοψάλτης, τοῦ βασιλικοῦ ἔξαρχος κλήρου. id eſt, neque muſici cleri principem habet eccleſia, ſed domeſticum. Clerus autem Imperatorius habet vtrumque & qui primus inter cantores, Imperatorij vocatur ille Princeps Cleri. plura eo loco. Secunda in claſſe collocatur Artocopica, quam etiam dicimus, *la Paneterie*. Tanti iſtud, vt & ſummus Artocoporum Comes, qui alias, *le grand Panetier*, in omnes totius vrbis panifices iuriſdictionem in hunc diem habeat. Tertius ordo eſt pincernarum (vocãt etiam *l'eſchanſonnerie*) Quartus eſt coquorum, *la cuiſine du Roy*. Quintus, venationum, *la venerie*. Sextus, rei accipitrariæ, *la faulconnerie*. Septimus, equitij regij, *l'eſcurie*. Sic nimirum intelligenda eſt pars illa edicti anni 1583. die 27. Iullij & anni, 1614. die 10. Decembr. artic. 25. quæ excipiunt domeſticos ſeptem officiorum domus Auguſtæ agentium in rebus, vel, vt neceſſarium rurſus vernaculum ſubijciam, *fors, & excepté les officiers des ſept offices actuellement ſeruans en la maiſon du Roy & en celle de la Royne mere*. Notandum verò inſuper eadem ipſa dari priuilegia vniuerſis ac ſingulis Principum domus Auguſtæ officiis, fratrum ſcilicèt, ac ſororum Regis: Immò & duabus ſubſidiorum, rationúmque regiarum curiis: Regióque ſacelli Palatij Pariſienſis collegio. Et vt attingam obiter quæ in cæteris domeſticorum Regis immunitas: immunes ſunt illi in genere, nulliſque tributis, oneribúſque obnoxij, præterquàm vbi de reparandis, muniendíſque vrbibus agitur, eo enim caſu ceſſare immunitatem, quæcumque ſint in contrarium reſcripta regia, iudicarunt, coactis claſſibus, curiæ ſubſidiorum iudices, ann. 1615. die 17. Ianuar. Dom. *Quatrommes*, litis interprete, qui mihi Senatuſconſulti fecit copiam, dixítq; quantopere vrgerent, per importunos collegij illius aulici poſtulationes, iuſſa regia. ſed incaſſum tamen, confirmatáque eſt nihilominus etiam eo caſu lex, Ad inſtructiones pontium.

destors qu'il luy a tendu le gyron. & qu'il la recognu à retraict) consanguineus regredi amplius non potest, neque renunciare familiari redimendi prædij priuilegio, sed prædium gentilitium sibi habere compellitur, ac pretium emptori refundere. ratio, quia odiosus retractus linearis, cum impediat commercia, nihilque proinde ex æquitate, sed summo iure omnia. tracto istud alibi latiùs ad primum volumen pandectarum, & quàm male ex eo cesserit nobili Turonensi, qui in hoc ipsum iure familiæ legerat, nullis anteà sibi comparatis ad redimendum nummis, quod malum aduersarius nescio qua arte detexerat.

TIT. XLIX. ETIAM PER PROCVRATOREM CAVSAM RESTITVTIONIS IN INTEGRVM AGI POSSE.

Nihil amplius in textu. Quærit Cuiacius in paratitl. cur ante hanc constitutionem minores per seipsos, nec per procuratores agere oporteret si restitui in integrum postularent. Putat autem factum id, quia cùm plærúmque in hoc iudicio ætatem probari conueniat, probetur illa sæpius ex aspectu: vt sanè vel apud simplicissimos, rerúmque omnium expertes, facilè constat legi ferè semper in facie, quot annos quisque sit natus. *vis scire*, (ait Tertullianus cap. 12. de velandis virgin.) *quæ sit ætatis auctoritas? propone vtrámque immaturè compressam in habitu mulieris, & quae maturitate progressa in virginitate duret cum suo habitu: faciliùs illa mulier negabitur, quàm ista virgo credetur. Tanta est adeò fides ætatis, vt nec habitu obstrui possit.* sic ille. vide cætera ad l. 32. minor 25. annis, adito præside, ex aspectu corporis. ff. de minorib. Cæterùm vt, per fori occasionem, attingatur & hîc de procuratorio munere quod nec ita notum plurimis, vetera curiæ monimenta, fidem faciunt, maximéque Stylus Parlamenti, vt vocant, qui à Brolio, olim patrono in Senatu, conscriptus est, vicémque adeò magnæ cuiusdam legis forensis obtinet, non licuisse priscis apud nos litigatoribus abesse ab auditorio, dum causæ eorum agerentur, nec in eo per procuratores agere, nisi concessisset Princeps: itaut necessarium in id, de more, impetraretur rescriptum. Quæ agendi formula cùm exoleuerit iamdudum, fortéque e imitatione huius sanctionis, non immorabor longiùs. seruatur autem istud religiosissimè in capitalibus causis: in quibus propterea eiurari absentiam rei necesse est, vulgò dicimus, *exonier*, quod deducit Budæus ἐκ τοῦ ἐξόμνυσθαι, Cuiacius ab, *exidoneare*, verbo antiquo. De his alibi ad librum 2. Pandectarum latè diximus.

TIT. L. IN INTEGRVM RESTITVTIONE POSTVLATA, NE QVID NOVI FIAT.

IMP. GORDIANVS.

L. VN.

Omnia in suo statu esse debent donec res finiatur.

Optimè, post glossam, interpretes cùm & hanc prohibitionem fieri in appellationibus adnotant, vt scilicèt pendẽte appellatione nihil innouetur. addunt & hoc: nè quid, pendente iudicio restitutionis in integrum, alienetur. Sed & ad arbores proferri non minùs possit cõstitutio, nè videlicèt, pendente lite, succidantur, aut auellantur ab itato emptore qui videat cedendum sibi esse fundo quem anxiè, malísque forsan artibus

emerat. Ita sæpius irati, quid agant, non vident: Imù nec quid in ipsos recasurum sit, curæ suæ faciunt: vt iure optimo μῆνιν ἀόμματον, καὶ ἀλόγιστον, dixere Apollinaris, & Menander, id est, orbam iram oculis, ac rationis expertem. *In quæstu est vltio*, ait Tacitus: visúmque istud in plurimis, cùm aliàs vlcisci dolorem suum non possent, amata domo forsan, aliòve quouis agro, empto, possessóque aliquamdiu, expulsi. Obseruat appositè Cuiacius in paratit. l. desinere hoc titulo tractatum de minorib. qui cœpit à tit. 21. agique titulis seq. de causis quibus nonnumquam restituuntur maiores 25. annis.

TIT. LI. DE RESTITVTIONIBVS MILITVM, ET EORVM QVI REIP. CAVSA ABSVNT.

Impp. Severvs, et Antoninvs.

L. 1.

Si Valerianus centurio cohortis duodecimæ Alpinorum, antè vita decessit, quàm bonorum possessionem acciperet, hæres eius ex persona defuncti restitutionis auxilium intra annum vtilem ita rectè implorabit, si Valerianus, post exactos dies quibus bonorum possessio defertur, in militia defunctus est.

Iunge l. 2. cod. de temporib. in integr. restitut. Explicandum verò est paucis ius romanum antequam deueniatur ad Gallicum: vt tanto facilius intelligatur vtriusque iuris collatio. Iure enim Romano infra annum peti debebat à liberis bonorum possessio, intra autem centum dies ab agnatis, & aliis de quibus in l. 1. ff. de successorio edicto. l. 2. qui admitti ad bon. possessionem possint l. 2. Quis ordo in bonorum possess. seru. l. bonorum. Rem rat. hab. ff. & ita obtinebat cùm lex ista Seueri, & Antonini lata est, atque vsque ad tempora Iustiniani, maximè in iis quæ ex testamento competebant, putà in bon. possessione secundum tabulas, & bon. possess. contra tabulas. Tunc enim, desito more petendi bon. possessiones à prætore, seruari cœpit lex vlt. inf. de ed. d. hadr. toll. quæ Iustiniani est, vt scilicet mittatur scriptus hæres in possess. bonor, quæ habuit defunctus tempore mortis, si testamentum nulla sui parte vitiatum appareat. Omissæ etiam sunt bon. possessiones ab intestato, vt superuacuæ, putà vnde liberi, vnde cognati, vnde legitimi, vnde decem personæ, tanquàm ex familia, & vnde vir, & vxor: primùm quia hæres in iudicio, vel extra, sponte dicit se hæredem, l. pro hærede de aeq. hær. §. pen. Deinde iure ciuili potest quis adire hæreditatem vsque ad 30. annos, l. licet. de iur. de lib. l. hæreditatis, de pet. hæredit. inf. Ius ergo istud Imperiale sequimur, in eo quod si deferatur ex consuetudine, atque ab intestato hæreditas, Gallici iuris est vt mortuus saisiat viuum, vt explico latiùs ad l. Cum miles ff. ex quibus caus. maior. Sin autem ex testamento, sequimur decisionem d. legis vlt. de ed. d. hadr. toll. Quantum etiam ad annum vtilem quem dari vult hæc eadem constitutio hæredi ex persona defuncti: indulget hoc ipsum lex 2. inf. de tempor. in integr. restitutio. eodem autem nos iure vti, sublata minoris, maiorisque ætatis differentia, ostendo suprà hoc cod. lib. 2. ad l. 3. quod met. caus. & ad l. seq. hoc tit.

Impp. Dioclet. et Maxim.

L. 7.

Ea quæ à patre geruntur, non decet pro disciplina militari à filiis ad

irritum reuocari: præsertim cùm nec patrem in rebus humanis agentem affirmes, conquestum fuisse super huiusmodi contractu.

Constituitur ex his regula: hæredem scilicet non debere reuocare facta defuncti: quò & spectar Plinianum huc, Bonis hæredibus defunctorum voluntatem intellexisse, pro iure ést: Multò ergo id magis in filiis, vt quibus facta patrum totidem esse debeant μιμήσονται τὰ ἤθη: quod ait scriptor optimus. laudatur ab Homero Telemachus quia spiraret, ac veneraretur perpetuò patris Vlyssis animum, & facta,

----μένος δ' πατρὸς ἐνέστακται,

Ait de illo Homerus. Iũge autẽ l. rei iudicatæ §.1.ff. si l matt. ex qua etiã dici solet, hæredẽ non debere esse censorẽ morũ defuncti. Sic in l. quemadmodũ ff. de inoff. testam. querela inofficiosi non transit ad hæredẽ, nisi præparata à defuncto, qui omnes textus cùm loquantur in maioribus 25. annis, scio defendi à multis, solos hæredes defuncti minoris id posse, in quo & singularis textus in l. 2. inf. de tẽporib. in integr. restitutio. tã minorum & aliarũ person. quàm hæredum eorum. Sed seruamus in genere, vt seu maior, seu minor, sit hæres succedat ille in omnia & bonorum, & actionum iura quæ habuit defunctus tempore mortis. operatur enim id generalis totius regni regula, qua mortuus *saisit* viuum, vt attingo sup. ad l. 1. nec mutat quod hîc dicitur, conquestum non fuisse defunctum. Cur hoc enim, non aperuit: sufficitque propterea institui actionem ab hærede intra decennium indultum edicto Ludoici XII. vt explicet hæres quod forsan defuncto nondum occurrebat, cùm decessit. *variæ sunt voluntates hominum* ait lex 4. ad Trebell. *quorumdam negotia timentium, quorumdam vexationem, quorumdam offensas, vel inuidiam.* Sed vtut sit, cùm hæres actionem, quæcumque illa sit, in bonis defuncti comperit, iam sua est, mouerèque illam facultate eadem poterit, quà & defunctus, si modò tempora largiantur, vt dixi. profert tandem, sæpiúsque, ætas in apricum quod diu, quasique sub terra latuit, vt ait Lyricus.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Sancimus iis solis qui in expeditionibus occupati sunt, ea tantummodò tempora quæ in eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quàm in petendis in integrum restitutionibus, eis opitulari: illis temporibus per quæ, citra expeditionis necessitatem, in aliis locis, vel in suis ædibus degunt, minimè eos ad vendicanda memorata priuilegia, adiuuantibus.

Iunge omninò l. 35. qui mittuntur. §. vlt. ff. ex quibus caus. maior. ad quam & subiunxi ex vsu, ac solitis curiæ iudiciis, quæ huc etiam necessariò referri debeant. facit istud maximè in eos qui per diutinæ absentiæ commenta callidè adhibita, atque composita, fraudem priuilegio suo faciunt, quod ait. lex vlt. inf. de vxoribus militum. tit. seq. plures eo nomine disceptatas causas in maiore auditorio vidimus aduersus sacelli Regij, atq; etiam S. Sacelli Palatini cantores musicos, qui quoniam, ministerij Regij causa, per aliquot menses absunt, tamdiu præsentibus cæteris annumerantur in ecclesia, cuius præbendas habent, (vt nimirum totidem diaria, distributionésve, quotidianas percipiant, quot cæteri qui intersunt) quamdiu, per statum tempus, apud Principem deseruire illos necesse est. Si euagentur, excurrántve diutius quàm liceat, frustrà interpolant causas absentiæ, vt censuit Senatus, arcentúrque diariis præsentium, seu vt Iustinianus, tametsi in aliam hypothesim, loquitur, Nou. 1. τῶν ἰδίων διαρίων ἀποτελοῦνται, perinde ac si priuilegium ex causa absentiæ non haberent. verè emansores dixeris, ea videlicet acceptione qua Iurisconsultus in l. 3. §. emansor. ff. de re milit. Sola enim militia, ait hîc rectissimè Baldus, non præbet beneficium restitutionis in integrum, sed occupatio circa res militares. Aliò autem spectat titulus, de Commeatu, lib. 12. inf. vt ibi ostendo.

TIT. LII. DE VXORIBVS MILITVM, ET EORVM QVI REIP. CAVSA ABSVNT.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Mulieribus, quæ cum maritis, reip. causa, absunt, & peregrinatæ sunt, ad exemplum militum subueniri solet.

Triplex hic interpretatio, eaque necessaria. Prima est, vt referatur totus hic titulus ad gregarias eiusce modi vxores militum, quales & nunc videmus in Heluetiorum turmis militaribus: focariæ tantummodo fuerunt olim vsque ad Claudium. Cùm enim anteà militibus vxores ex lege habere non liceret, concessit ille ius maritorum, ita testante Dione, lib. 60. qui est vlt. Imò ante Claudium Imper. mulierem castra sequi, ingentis turpitudinis, apud maiores fuit. Hinc Bellaturus Pompeius vxorem in Lesbo reliquit, vt scribit Seruius ad lib. 8. Æneid. tradit Tacitus lib. 1. histor. Canisij Sabini vxorem stuprum commisisse cum T. Vinio, consule, visendi cupiditate situm castrorũ. Nimiæ igitur circa maritos, nec citra pudoris labem, quæ sequuntur signa militaria. Narrant Annales Francici quæ illa olim Ludoici iunioris sors, cùm Augustam secum, per exercitus transmarinos, duxisset. Denique vxores militum, de quibus hoc tit. non pluris fecerim quàm meras focarias, vt dixi, quibus randem, tanquam vxoribus, imperatores Alex. Seuerus, Diocl. & Maxim. vt sibi tantò maiorem demererentur militum gratiam, penes quos tunc erat & vita imperatoria, & sors, indulserunt eadem cum maritis militiæ iura: vt nimirùm, reipubl. causa, abesse non minùs, quàm milites ipsi, dicerentur. Sic tandem concessus amor turmis militaribus, quem anteà vetabant leges belli. Secunda interpretatio est, vt dicamus vxores militum hîc intelligi non de iis quæ in exercitu circumfluente, & ambulante, sed quæ in statiuis: vt cùm Horatius dixit,

---- Fessas cohortes abdidit oppidis,

Vel quæ in limitaneis arcibus, de quibus, tit. de fundis limitrophis lib. 11. honestas enim tunc & in partem, vxoria. Tertia autem interpretatione intelligendas hîc vxores puto omnium in genere qui reip. causa ab fuerint, cuiusmodi dixerimus legatorum vxores, consistorianorum comitum, ac omnium denique qui vel in sacro comitatu: vel qui in prouincias iussu, mandatoque regio, exeunt, de quibus totus tit. ex quib. caus. maior. & l. 2. de iudic. ff. At verò & lex 4. obseruate de off. proconf. ad quam pauca dixi. Vnum superest quod & ad legis speciem faciat. Memini enim cùm anno 1597. mens. mart. solertiss. iurisq; peritiss. Lud. Buissonius, causam de donatione mutua inter militẽ, & vxorẽ facta diceret, quã per ann. xv. vt focariam tantummodò, concubinámue habuerat, & perpetuam, quocumq; iret, ad expeditiones bellicas, comitem, confirmatam donationẽ fuisse, vt trado alibi, ad Pandectas fusiùs. Cæterùm nihil planè hîc Bartolus, Baldus, ac cæteri quod ad tituli meritum. Adeò piscamur hamo aureo, dum euoluendis eorum fascinis damus operam.

TIT. LIII. DE TEMPORIBVS IN INTEGRVM RESTITVTIONIS TAM MINORVM, ET ALIARVM personarum quæ restitui possunt, quam hæredum eorum.

IMP. GORDIANVS.

L. 1.

Si intra legitimam ætatem, vel, ea impleta nondum exacto tempore

præstituto, pater tuus in fata concessit, túque ei hæres extitisti, & intra 25. annos, vel post eam ætatem, intra id tempus quod ad in integrum restitutionem defuncto supererat, nomen militiæ dedisti, præses prouinciæ, causa cognita, per in integrum restitutionem ex persona defuncti subueniri tibi prouidebit.

Clarius ita interpretes: Beneficium restitutionis transit ad hæredem: & tempus quod ad in integrum restitutionem defuncto supererat, non currit hæredi minori, vel ei qui nomen dedit militiæ. nihil verò hîc supplendum videtur præter ea quæ in hoc ipsum adiecimus ad l. 1. sup. de restitut. militum. ad quam fusè satis.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 6.

Petenda. Si dilatio ab actore petatur: eamdem & Reo flagitanti, causis cognitis, tribui oportebit.

Delibo ex textu quod in hoc solum allegari solet. Glossa clariùs ita explicat: Plus Reo in dilationibus, quàm actori conceditur. quia non est in Rei potestate quãdo conueniatur, sed actoris, quando agat. Si tamen, ait Faber, peritor non fuit in mora, sed testes sint adeò remoti, vt sisti intra tempus non possint, tunc datur dilatio. sic ille. singularis autem occurrit textus ex l. 2. ff. de re iudic. in hæc verba: *Qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus iudicati seruat sed nonnumquam prorogat: nonnumquam arctat, pro causæ qualitate, & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia.* Denique in iis quæ pertinent ad ordinationem, censet quidem Bartolus fauendum esse potiùs actori quàm Reo, ad l. de die ponenda. ff. qui satisd. cog. sed æqualis hodie vtriúsquè conditio est, quoad ordinandas lites. quamuis autem dilationes omnes sint peremptoriæ ex edicto regio, ampliant tamen, de more, iudices, vel arctant, prout causa deposcit. maximéque istud in inquisitionibus conficiendis. Síque de instruendis litis formulis agatur, expectant ferè semper si postuletur vel tantillum à litigatorum altetutro. benigna denique in omnibus cunctatio: nec in ordine iudiciorum odiosius, suspectiúsve quicquam est quàm præpropera, tametsi formulis seruatis, festinatio.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Quadriennium continuum tantummodò numerari oportet, ex die quo annus vtilis currebat, & tempus totius loci (gl. id est, omnium locorum) *esse commune. ex differentia enim locorum aliquod induci discrimen, satis absurdum visum est.*

Pro quadriennio, de quo hîc, & apud Harmenopul. lib. 1. tit. 3. datur decennium ad restitutiones quaslibet ex constitutione regia anni 1539. quam seruamus vnicè. Scribit autem Rebufus ad art. vnic. gl. 4. de Rescis. contractuum, etiam clericos non posse petere rescissionem contractus post decennium, si agant in curia seculari: secus si in ecclesiastica. Sed hoc intellige in personalibus, & iis quæ spectant ad clericum. Aliud in realibus, bonísque ecclesiasticis: cùm aliàs nihil sibi in tuto habere posset ecclesia, quæ nihilominus, in rebus suis, comparatur minoribus, l. 2. de iure reip. inf. lib. 12. & gl. in auth. quas actiones. de sacrosf. eccles. Eáque olim fuit sententia Ft. Chauuelini, Lud. Buissonij, & Annæi Roberti, scientissimorum rei Forensis, ad causam ecclesiæ arcis Luccen-

sis,in qua scripseram.agebatur de rescisione transactionis anni 1562. petitam ab ecclesiæ illius clericis ann. 1597. itaut contra quotidianam constitutionis regiæ regulam impetratum diploma videretur. Admisit nihilominus petitionem ordo amplissimus, tum quia ecclesia instar minorum est,tum verò etiam ex edicto Melodunensi, quo præscriptiones cessare aduersus ecclesiam ab anno 1562.vsq; ad ann.1580 ob bella ciuilia, sancitum est.constabat autem,transactionem illam extortam fuisse ab eo qui tunc arci imperabat,quique,ad eripiendum annuum ecclesiæ illius reditum, morem, formâsq; omnes peruerterat. pronuntiatum Senatusconsultum est.ann.1598. Vide rursus Rebufum eod.articul.vn.gl.19.vbi docet,posse agi etiam post 10.annos in contractibus simulatis, quoniam,inquit,numquam fuit animus obligandi.plures casus adij :it qui sigillatim expendendi sunt.

EX FINE.

Vt omnis minor ætas excipitur in minorum restitutionibus, ita & in maiorum,tempus in quo,reip.causa,absuerint.

Ratio,quia vtróque casu ille per ætatem,qua superesse rebus suis non potest, hîc per absentiam qua reip.id est,communia omnium negotia gessit, indefensus est, vel interpellare præscriptionem non potuit. dixi de minorib. indefensis ad l. 4. sup. si aduers.re iudic.& ad l.minor autem magistratus.§.1.ff.de minorib. Dixi de absentibus reip. causa,ad totum penè titu. ex quibus caus.maiores. ff. in qua disquisitione absentium, vide subtilitatem iuris distinguentis iura, & actiones à factis possessionum, vt in illis restitutioni sit locus,in his non, ad l.Denique.ff.d.tit.ex quib.caus.maior.

TIT. LIIII. QVIBVS EX CAVSIS MAIORES IN INTEGRVM RESTITVVNTVR.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Si propter officium legationis ad me bona fide facta, absens & indefensus condemnatus es:instaurationem iudicij iure desideras, vt ex integro defensionibus vtaris: nam eos quoque qui legationis funguntur officio, ex eo priuilegio esse in quo sunt qui reip. causa absunt, receptum est.

Tam multa dixi de legatis istis,quos vocamus vulgò nos Galli, *deputez de villes ou prouinces*,ad eundem tit.variis locis.ff.ad l.2.de iudic.ff.& ad l.inter causas.mād. ff. vt quod hîc prætermitto,abundè forsan,&,quātum sit satis, compertum sint quibus eadem hîc, & ibi obseruationis argumenta incident. eò spectant tituli, de legationibus. ff. & inf. lib.10.

IIDEM IMPP.

L. 2.

Qui apud arbitrum præsentiam sui facere non potest, quia sub custodia militari, iussu præsidis, detinetur: accipere debet causæ instaurationem.

Glo. intellige per arbitrum, iudicem ordinarium. ſed, vt frequentiſſima ſunt apud nos compromiſſa, & arbitria, leges Franciçæ, quotidianáque experimenta tam certis, ratiſque finibus includunt quicquid eiuſcemodi quæſtionum eſt, vt rationibus magis, maximéque in hanc partem, adiuuẽt Romanæ leges, ſententiæque interpretum, quàm vllis fermè adſtringant regulis. Veluti cùm hîc dicitur, reſtitutionem in integrum competere ei qui copiam ſui facere non potuerit apud arbitros eum iudicarunt; quia iuſſu præſidis, ſub cuſtodia militari detineretur, (vulgò dicimus, *en la garde d'archers*) vel alio denique quouis carcere coërceretur. Vix enim vt neceſſaria ſit compromittentium præſentia apud arbitros. Adſunt equidem penè ſemper de more & audiuntur penè ſemper ab arbitris, vt clarũ fiat, ex eorum vocibus, ſi quid quod obſcurum videatur, lucem, interpretationémque deſideret: vtiliſſimúmque id ſæpiſſimè ad componendos auerſos animos. ſed lato ſemel intra diem, iudicio, ſique compromiſſi terminos egreſſi non ſint arbitri, quis vnquam vidit, audiitve reſciſſam, ob abſentiam compromittentium, arbitralem ſententiam, quacumque ex cauſa prætexatur illa abſentia? At verò quis vmquam dixerit, inſtaurari poſſe cauſam ab arbitris, poſtquàm ea via terminata eſt, vt putat hîc Gloſſa? Appellatur quidem, ſed non citra pœnæ commiſſæ periculum, vt rigidiſſimus in eo conſtitutionum noſtratum, Senatuſconſultorúmque, vſus eſt: raróq; appellanti ſuccedit fœliciter. Cætera perſequor fuſiùs ad totum tit. de arbitr. dicámq; ad eundem illum tit. qui ad calcem libri huius eſt, prout res feret.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Reſpublica minorum iure vti ſolet.

Gloſſa rationem ſubijcit. ſicut enim, ait, minores ſub curatoribus ſunt: ita & reſpublica ſub adminiſtratoribus: additque meritò eccleſiam comparari reip. cùm œconomi vicem tutorum obtineant. quærunt interpretes vtrùm ad ſolas ciuitates redigi regula huius legis debeat: reperio autem Bartolum Baldum, Paulum Caſtrenſ. Salicetum eius eſſe ſententiæ, vt eo iure vtantur vel oppidula quæ per adminiſtratores reguntur, profértque in id Baldus morem Gallicum: ſeruatúrque ita maximè in ſubſidiorum curia, vt in qua quæſtiones eiuſcemodi frequentiores, ob tributa, cæteráque prouinciarum, ciuitatum, vrbiúmque quarumlibet onera publica, de quibus quotidianæ apud eos lites, & cauſæ. Cognitionis tamen ſuæ fecit ordo ampliſſimus ann. 1601. die 29. Martij, in cauſa Scabineorum Andenſium, quicquid ad iura, adminiſtrationéſque ciuitatum, vrbiúmque faceret, litémque propterea; quæ de his ſubſidiorũ curiã inierat, ad ſe tranſtulit, (euocare, ait vulgus) & ſanè à 38. annis quibus nomen à me foro lutetiano datum eſt, longè plurimas variis ex vrbibus cauſas in maiore auditorio agitatas memini quibus de maioribus ciuitatum, ac decurionibus, ſeu ædilibus, aut, vt loquimur, Scabineis, ageretur. Anno 1598. die 20. Ianuar. acerrima contentione actum eſt, vtrùm 24. Abbeuillani Scabinei redigerentur ad 8. dumtaxat, ita ſanciente Principe. codicilli enim in hoc impetrati fuerant. octo autẽ deinceps ſola eſſe cenſuit Senatus. perorabat Dolæus, qui poſteà conſiſtorianus Comes. Rurſus verò anno 1600. die 7. Martij, de iiſdem Abbæuillanis in eodem auditorio actum eſt, ademptáque ipſis fuit ciuilis iuriſdictio, ex edicto Molinenſi. dicebat iterum Dolæus aduerſus Ant. Arnaldum qui iudices regios ſuſceperat. Ann. 1601. die 15. & 29. Mart. celeberrima etiam diſceptatione in eodem auditorio actum eſt, vtrum maiores, Scabineóſque Andenſes oporteret eſſe perpetuos, quales & inſtituti olim, vſque ad viginti quatuor, fuerant ann. 1494. decretum verò eſt vt deinceps nec perpetui, ſed electi, nec 24. ſed 12. inque ſingulos duos annos dumtaxat. & cùm ſedecim paræcias in vrbe, continentibúſque ędificiis numerent, præſcripta hæc eſt eligendi formula à Senatu, vt ſcilicet quæque parœcia electores, quos velit, nominet, à quibus eligantur duodecim biennales, mechanicis ſummotis, Scabinei. Mirum quot pecunias toto rebellionis vniuerſæ Galliæ quinquennio, expilaſſe dicerentur Scabinei, qui tunc regebant, id verò ad merces ligerinas, maximéque vini

Andensis, quod pretiosissimum. Asseruit enim Annæus Robertus, qui pro ciuibus agebat, expilationes illas fuisse centum sexaginta aureorum millium: Scabineúmq; signauit, inter cæteros, qui cùm, initio sui muneris, vix duo millia in bonis haberet, insolescebat tamen hodie quinquaginta aureorum millibus: atque id quia perpetui Scabinei, quia magno in populo, quia ad ripas ligeris, fluuiorum totius Galliæ, negotiosissimi, & quia impunè omnia. Anno 1602. 9. Iullij, pronuntiatum est Scabineum Carnutensem, tametsi mercatorem, mechanicæque conditionis virum, anteire oportere præsidialem consiliarium, quia prior, atque antiquior in cooptatione esset, dicebant Girardus, & Baussanus in eod. auditor. Ann. 1598. die 3. Decemb. dixerunt Iac. Guterius & Dauid Arnaldus in eodem semper auditorio de prærogatiuis Tricassinorum, an indigenam esse oporteret Scabineum, an verò præsidalis sedis consiliarium esse, sufficeret. Senatus primùm consilij rem esse censuit. decidit autem aliquantò pòst, admittendos esse solos indigenas: quod & ita esse apud Lutetiam ferè nemo nescit. Dixi anno 1587. pro Scabineis Cæsaroduni Turonum contendentibus sibi deberi administrationem Valetudinarij politicam, ingruente, ac vrgente pestis lue, aduersus. R. Collinium, præfecturæ minoris iudicem, cui aderat Vidus Caluctius, atque ita pronuntiatum est. de his autem hactenus, nè in re indubia tædium patiam. Curiæ enim subsidiorum iudices de re Scabineorum non cognoscunt, nisi subsidij, tributi ve subsit quippiam, veluti cùm, anno 1598. die 10. Iunij, quæsitum est vtrùm qui apud Senones Scabinatu functus fuerat, susceptor, seu, vt vocant, collector esse capitalium illationum, talearúmve, vt rursus vernaculum nostrum est, cogi posset: iudicatum enim est in subsidiorum curia, posse, si aliunde qui Scabinatum gessit, opifex sit, mercatórve, aut similis cuiusdam artificij mechanicus. Dicebam in causa aduersus Monstrolium. Denique sunt hi administratores, defensores, aut potius, (vt apud Pausan. in Arcad.) ἄρμοσοι ciuitatum, de quibus quocumque in foro dici possit quod apud Æschyl. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβ. atque apud Plato. in Eutydemo, ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως οἴακα νωμῶν, id est, qui negotia administrat, in puppe ciuitatis (sup. sedet) clauum regens. aut etiam & verissimè Aristotelicum istud, lib. 4. politic. cap. 11. ἡ πολιτεία, βίος τίς ἐστι πόλεως. id est, reip. administratio, vita quædam ciuitatis est. mendosos in eiusce modi administrationibus mores emendat rigidissimè ordo ampliss. vbicumque deposcit causæ necessitas. Dixi insuper de œconomis ecclesiæ ad l. iubemus. & ad auth. hoc ius porrectum. sup. de sacr. eccles.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 3.

In contractibus qui bonæ fidei sunt, etiam maioribus, officio iudicis, causa cognita, iura subueniunt.

Meretur interpretationem ex vsu, & moribus nostris quod suppletur hîc à gloss. Allegat enim in exemplum, diuisiones perperam factas, & venditiones in quibus læsio fit vltra dimidiam iusti pretij, durat, ait, actio, eo casu vsque ad 30. annos. Contrario autem iure nos Galli vtimur. Decem enim annis concluditur omnis in integrum restitutio, ex constitut. Lud. XII. vt iam docui suprà.

TIT. LV. DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. vn.

Cùm in rem actionem possessio pariat aduersario (glo. id est actori) ***si rem,***

si rem, nè secum ageretur, qui possidebat, vanum dedit, & emptori tradidit, iudicij mutandi causa, conuenire potest actor quem elegerit.

Subiicienda hîc glossæ explicatio est, vt habeatur magis, magisque legis sententia venditorem scilicet conueniri posse actione prætoria ex hoc edicto, ob dolum alienationis, vel possessorem directa rei vendicatione. Sic glo. qua equidem nil rectius ad textum. Possessorē autem eo casu aggredi, moris est, petitorióq; seu rei vēdicatione, aduersus eū agere, vt & cedat prædio, & fructus, à die iniustæ possessionis, seu detentionis, vt loquimur, petitori restituat. in quo sequimur §. 1. vt inf. vbi in rem actio. qua tamen actione, denuntiatáque venditori à possessore, si litem in se recipiat venditor, eam ille necessariò transferet ad suum iudicem ex vsu forensi, qui acceptus est ex l. venditor. de iudic. vanúmque proinde quod piè cauenr hoc rescripto Imperatores, cùm vitari iudicialis ea meta nō possit, de qua sic egregiè Cuiacius lib. 8. cap. 31. obseruatio. Si quæratur, inquit, quid distet titulus, *nè liceat potentioribus*. à tit. *de alienatio. iudicij maut. cauf. fact.* non dicam non eodem modo potentiorem, vtróque titulo accipi. hoc enim est falsum. Sed dicam, titulum, *Nè liceat potentior.* pertinere ad actorem: Titulum, *de alienatio. iudic. maut. cauf. fa.* ad Reum. Titulum *Nelic. potentior.* esse de actione in potentiorē translata: Titulum, *de act. iudic. mut. cau. fa.* esse de re in potentiorem translata, futuræ actionis euitandæ causâ. Suscipit autem potentior alienam litem, patrocinii causa, vel gratia, vel mercede. plura ille eo loco: vbi & explicat ἐνσκάζειν, &, ἐμπάζειν. eùm quis scilicet mercede accepta, alienam litem agendam suscipit, quasi suam, sub pactione tertiæ, vel quartæ, vel dimidiæ partis, quod leges vetant, l. si contra. Cod. de mand. l. litem. Cod. de procur. l. 5. Cod. de postul. nihil denique grauiùs vindicatur à Senatu, sæpéque ita vidimus, vt alibi doceo.

TIT. LVI. DE RECEPTIS ARBITRIS.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Ex sententia arbitri ex compromisso iure perfecto aditi (glo. id est, electi) *appellari non potest, quia nec iudicati actio inde præstari potest, & ob hoc inuicem pœna promittitur, vt metu eius à placitis non recedatur.*

Verè equidem scholium legis 2. ff. eod. ad hanc etiam referendum est, cùm hîc, & illic, de appellatione, ac pœna, in compromissis. Dicam nihilominus pro auctario. consilium esse Speculatoris, doctoris Galli, tit. de arbitro, & arbitratore. §. 1. nè vnquam arbiter eligatur nisi cum pœnæ stipulatione, vt eò magis stetur sententiæ, quam reddiderit arbiter, seu æqua sit, seu iniqua. sic ille. addo autem & istud ex l. 4. huius tituli, inf. nè scilicèt detur licentia perfidis hominibus *definitiones iudicum* (id est, arbitrorum. ait glo.) *eludere*. sic d. l. 4. vixque propterea vt pœna vnquam omittatur in compromissis. Quæsitum verò est, vtrùm appellatio intetposita ab homologatione, vt sic loquar, sententiæ arbitralis pœnam compromissi pariat: patere autem, certi, apud nos, iuris est: sed non quando appellatur à sententia lata in executionem sententiæ homologationis, vt, de more, videmus arbitrorum iudicia homologari ab ordinariis iudicibus. nō deberi enim eo casu, pronuntiatum est. Dicebam in causa pro Longuetio ann. 1607. die 12. Augusti. Iudicatum etiam est anno 1595. in quinta classe inquisitionum, interprete litis, seu, relatore, vt loquimur, Dom. de Mesmes inter Mulardum & Duguæum: Si tutor aduersus compromissum restitutionem in integrum, ad pœnæ liberationem impetrauerit, appellare nihilominus eumdem posse ab Arbitrorum sententia impunè, nec depensa prius pœna quæ in compromissum deducta fuerit. Dubitandi ratio erat quòd sola ipsius

P

Ex hoc textu sentiunt compromissum esse nullum, ex iure ciuili, nisi adiecta pœna fuerit: secus autem esse ex iure canonico, cap. 2. & cap. per tuas. ext. hoc tit. vide Masuerium, hoc tit. obseruandum hoc existimaui vt nec tam notum plurimis ad causam adiectionis pœnæ in compromissis: quamuis nec me fugiat compromissum hodie haud propterea esse inane, ac irritum ob pœnæ omissionem.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 4.

Nè in arbitris. §. Si quis autem post arbitri definitionem subscripserit, ὐκ ἀντιλέγω. (Græcis enim vocabulis has enarrare propter consuetudinem vtilius visum est) & si non adiecerit, ὁμολογῶ, tamen per actionem in factum compelletur omninò ea facere quibus consensit.

Tria hîc obseruanda sunt: primum est, fieri non tam infrequentet, vt sententiæ arbitrorum latæ, ac pronuntiatæ subscribant compromissores vnà cum arbitris. Altetum verò hodie longè frequentius, vt scilicèt sententia semel lata, & prolata, transactio fiat subinde inter compromissores, præsentibus arbitris. Tertium est in obseruatione verborum, ὐκ ἀντιλέγω, id est, non contradico. & ὁμολογῶ, id est, consentio. Cùm enim, vt ex textu liquet plus satis, iudiciis arbitralibus subiici soleret à compromittentibus, ὁμολογῶ: quæstionis fuit, vtrùm qui scripserat tantùm, ὐκ ἀντιλέγω, non obligaretur stare iudicatis, quia nempe non scripsisset, ὁμολογῶ. vanam verò hanc subtilitatem ridet Iustinianus, inquiens compellendum nihilominus ea facere quibus consensit. eò maximè pertinet quæstio quæ non ita diu agitata est in consuetudine Aurelian. de testamento quo scripserat tantùm notarius in hæc verba, *a esté dicté par ledit testateur*, omissum enim fuerat, *& nommé*, itaut testamentum, ex ea omissione, diceretur ab altero litigatorum, nullum, ac irritum. Censuit verò Senatus vanum esse hoc, cùm dictare nemo possit quin nominet quod dictat. proinde confirmatum testamentum est. recenseo Senatusconsultum ad l. 3. ff. de negot. gest. De his hactenus, vt pauca subiungam de tritissimo inter nos vocabulo, *homologuer*. Acceprus enim procul dubio est ab hoc textu homologandi mos nobis Gallis, vt nempe nisi à paucis annis, quibus desitùm illud est, transigere non liceret de lite deuoluta in Senatum nisi Senatus ipsius accessisset consensus, seu homologatio. Imò & seruatur hodie à plurimis in hoc solum, vt si oriatur deinceps ex huiusmodi contractu controuersia, non alibi quàm in Senatu litigetur. Deinde verò si quis restitui voluerit, necesse est eo casu, vt per supplicationem, seu requestam ciuilem, vt loquimur, id fiat. Senatusconsultum enim est: veritúmque aduocatis, ann. 1611. die 29. Decembr. nè in causis quas iudicando expediunt, *homologissent* vlla arbitralia iudicia. Dicebant in causa Lametius, & Germanus.

Consueta stipulationum, & subtilis, imò magis superuacua obseruatio ab aula concessit. & pòst:

Multas ambages, scrupulosósque circuitus correximus.

Dicam de formulis sublatis ad tit. de formul. subl. inf. hoc cod. lib. in re autem quæ per arbitros transigitur, prætereũdum hîc non puto quod apud Aristotelem, lib. 1. Rhetoric. cap. 13. vbi ait arbitros æquum, seu, vt loquitur, τὸ ἐπιεικὲς, intueri, iudices verò legem. plura in hoc diximus ad hunc tit. ff. & cur non arbitri tantùm, sed & arbitratores dicantur ab interpretibus, maximè à Baldo, & Speculatore, tit. de arbitro, passímque à nostris, cùm à tabellione contractus compromissi scribitur. Tria enim hæc semper coniunguntur, *arbitres, arbitrateurs, & amiables compositeurs.*

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Mulieres suæ pudicitiæ memores, & operum quæ eis natura permisit, & à quibus iussit eas abstinere, ab omni iudiciali agmine separari debent, licèt summæ, atque optimæ opinionis constitutæ in se arbitrium susceperint, vel si fuerint patronæ, & inter libertos suos suam interposuerint audientiam.

Ita igitur ex iure ciuili. Vide autem cap. Dilecti. ext. de Arbitr. vbi de regina Francorũ, in quam compromissum est. De eo enim consultus Innocentius Papa à Cancellario, canonicóq; Paris. decidit in d. cap. dilecti. posse præcellentes dignitate, ac imperio, fœminas, arbitrium suscipere in subditos, maximéq; in Gallia, vbi mos ille est. Sic toto illo textu, qui tamen nec pugnat, si dixerimus cum Panormitano, Ancharano, & Cardinali Florent. qui al. Zabarella, ad illud cap. dilecti. posse quidem mulieres esse arbitratrices, seu amicabiles compositrices. (retineo eorum verba) sed non iudices, quod & ita distinguit post omnes Cuiacius lib. 13. cap. 23. obseruatio. vbi & addit ex Homero, Odyss. 8. Aretam, vxorem Alcinoi, ἀνδράσι νείκεα λύειν, id est, soluere, seu dirimere lites viris. sic & de Eriphila, electa arbitra inter Amphiaraum, & Adrastum, quibus de Argiuorum regno lis erat, vt meminit Diodorus, & Volaterranus lib. 8. Geograph. Dido etiam fuit arbitra, testante Seruio, ad lib. 4. Æneid. quod tamen tribuunt interpretes quos dixi supra, solis reginis, & Comitissis, quæ nimirum iurisdictionem ac imperium inter suos ex causa regni, seu comitatus habeant: coërceiúrque id ad iurisdictionem voluntariam, cuiusmodi sont arbitria: vt certè d. cap. dilecti. de facto in reginam Francorum compromisso loquitur, quemadmodum & glossa ad hanc l. vlt. de Comitissa Campaniæ, & Matildæ, quæ Matilda, vt notant Cynus, & Paul. Castr. ad hũc eund. textum, filia fuit Regis Italiæ. In quo proinde animaduertit Baldus ibid. Comitissis iurisdictionẽ ex vsu quidem, & consuetudine, non autem ex iure scripto, competere. id est, vt explicant rursus ad hanc l. Hostiensis, & Io. Andreas, voluntariam iurisdictionem, non cõtentiosam. Sic legimus arbitras olim fuisse Comitissam Flandriæ, & Ducem, seu, vt vocant, Ducissam Aquitaniæ, quæ Ludoico Iuniori nupserat. vidi veteres ipsas, de Ducis illius fœmineo arbitrio, tabulas in lite deuoluta in Senatum nec abs re fuerit, meminisse etiam hîc pacem Cameracensem, vt quæ permissa sit arbitrio illustrissimarum, matris Francisci. 1. & Reginæ Vngariæ, sororis Imperatoris Caroli quinti: vocamus id vulgò nos Gal li, *le traitté des Dames*. probatur haud ita in cæteris quæ infra dignitates illas sint, arbitrarium iudicium, nè quidem si sint marchionissæ. Ita enim Senatus ann. 1603. die 14. Ianuar. in causa Marchionissæ Nesleenensis, re prius ad consilium remissa, auditisque in maiore auditorio patronis. Festiua certè exprobratio mulierum in viros, apud Iuuenal. Sat. 2. quòd cùm iudices illæ esse non possent, viri tamen officia muliebria vsurparent, lanam traherent, fusos torquerent:

— *Numquid ciuilia iura nouimus?*

Cætera eiusce modi persequitur satyrographus edoctus, vt verisimile est, ab Homero, apud quem vnum id Penelopæ matri tribuit Telemachus, lib. 1. Odyss. Solus omnium Imperatorum, Heliogabalus, sub quo mulier, quasi clarissima, (matrem eius intellige) loco viri, Senatum ingressa est: teste Lamprid. in Heliog. solique apud Gallos Regis matri hoc conceditur, si tamen Rex in Senatum veniat: tunc enim ipsi cum aliis regni proceribus mater assidet. quòd nec prætermisit Per. Faber, Senatus Tolosani Princeps, ad l. fœminæ. de reg. iur. vbi & veterẽ Celtarum morem meminit apud quos, vt ferunt, adhibitæ in consilium belli, pacisque, fœminæ. Solæ id sibi assumunt vnde Reges, & quæ sint quasi ἀντιβασιλεύσαι, vt de Francisci I. matre scribit Budæus in epist. Græc.

TIT. LVIII. DE SATIS DANDO.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. vn.

Judicium quo quasi procurator expertus est, inde ratum habere debebit, & si is qui agit, mutata postea voluntate, procuratorem esse noluerit.

Pro iusto commentario vide quæ abundè scripsi ad l.eius.ff.si cert.pet.

TIT. LVIII, DE FORMVLIS ET IMPETRATIONIBVS ACTIONVM SVBLATIS.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 1.

Juris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus amputentur.

Sic in l. 4. sup.de arbitr. Consueta stipulationum, & subtilis, imò superuacua obseruatio ab aula concessit. sic & in [illegible]nf. commu.de legatis: subtilitatem posteritas optimis rationibus vsa, nec facilè suscepit, nec inextricabiles circuitus laudauit. Verborum inanium excindimus captiones, ait lex, vlt. inf. qui adm. ad bon. possess.poss. has igitur tandem, iureque optimo sustulit. in citationum libellis, constitutio anni, 1539.art. 16. ex doctrina Innocētij, in cap. præterea. ext.de dilation. vbi docet, si citatio libellum actionis contineat, reum statim, vt respondeat, compellendum esse. sic & pacta, quantumcumque nuda, seruari oportere, statuit concilium Africanum, cuius particula in cap. 1.ext.de pact. Sustulit etiam nuper constitutio altera anni 1606. væsanam illam S.Velleiani formulam, quæ tot inopinas lites pariebat, si, vt passim, imperitus esset tabellio à quo conscriptum fuerat venditionis, obligationis, aliúsve cuiúsvis contractus instrumentum, in quo vxor alterutrius contrahentium intercessisset. Summotæ deinde à Senatu formulæ addictionū ad extinctionem lucernæ, vel ad ictum bacilli. totidem enim erant aduersus creditores, debitorémque ipsum, cuius bona vænibant, decipulæ. Exoleuit prætereà iamdiu sacramenti, seu iurisiurandi vsus in contractibus, de quo in d.cap. quamuis. de pact.in 6. tametsi vsitatum adeò per longissimos annos fuerit, vt quisquis aduersus contractum restitueretur, necessaria ei esset sacramenti præstiti venia. Obseruatum enim est sufficere codicillos Principis, citráque vllam ab episcopis veniam, cum iusiurandum vinculum iniquitatis esse non debeat. Sic verò & veteres, in iudiciis, eiectationum, seu recusationum remoræ, explosæ, rescissæque sunt constitutione anni 1539. art.10.11.13.14.15. cùm anteà, atque ex iuris antiqui formulis, sustinenda esset principalis cognitio, dum interim per exquisitas, fugitiuásque alterutrius litigatorum cunctationes, cognoscerent de hac intercalari litis parte arbitri, vt liquet ex ca. cùm speciali. de appellat.glo. in cap. suspicionis, de off.deleg. atque ex l. apertissimi. inf. de iudic. tædio

eſſet lõgiſſima cæterorũ enumeratio quæ tota illa cõſtitut. an. 1539. redacta à tutiſſimo, ſcietiſſimóq; rei forenſis, Cãcellario Franciæ, Wit. Poyetio, & aliis poſtea edictis, Aurel. Molin. Ruſci nou. ac Blæſ. penitus, nullóq; tot inaniũ officiarũ ſuperſtite veſtigio ſummota, deturbatáque ſunt per accurata optimorũ iudicum ſtudia qui tam vtiles, neceſſariáſque fori leges ſeueræ ſemper executioni mandarunt. Itaut duæ iam mihi, quaſque vnicæ occurrant negotiorum ſpecies in quibus formulæ, ad minutias vſque, ſeruati debeant, nempe redhibitio gentilitia, ſeu retractus lineatis, vt vocant, & hominij, homagiíve præſtandi formula. Qui enim in his deertat vel ſyllaba, id eſt, formulæ aucupatione præſcripta ſingulis quibúſque prouinciarum legibus, cadit omni iure quod aliàs competeret: nihílque minus ignoſcunt iudices, vt ſæpiſſimè in conſuetudine Pariſ. aliiſq; huius regni viſum eſt. perſtrictum autem dixi ſuprà iudicialẽ ordinem ex edictis vltimis, vt in quo peccari cõ rarius debeat, quò diuturniores alioqui eſſent lites, quæ propterea ſi, vt ſæpiùs, per nimiam procuratoris, aut clientis ſecuritatem, ac incuriam intercunt, toleratur iſtud bono publico: maleque, proinde dici ſolitum eſt, Gallos eſſe plus æquo formularum in iudiciis obſeruantiores, (ita enim apud vulgus) cum ſine legitimo iſto ordine, qui à ſexaginta, aut octoginta annis, ſeriatim ex edictis datus eſt, immortales, inuitis, vel ipſis iudicibus forenſibus lites, *neque ſtaret vnquam iudiciorum auctoritas*, vt hoc dicam cum Symmacho ſcri[...]re hoc ipſum libr. 7. epiſt. 4.

TIT. LIX. DE IVREIVRANDO PROPTER CALVMNIAM DANDO.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 1.

Nam ſacramenti timore contentioſa litigantium inſtantia compeſcitur.

Ferè nihil occurrit ex toto hoc tit. & l. tem non nouam. de iudic. inf. quod ad mores noſtros faciat, niſi ſolo vno caſu: Cùm ſcilicet anniuerſarium præſtatur palam, ac publice ab aduocatis, & procuratoribus iuſiurandum apud ſenatus Principem, ſpectante vniuerſo, in purpuris, ſenatorum conſeſſu, peractiſque ad miſſam Martinianam ſolennibus. Dicam verò paucis. Cum enim iurare quondam ſolerent litigatores de calumnia nec tantùm initio cauſarum, ſed & in omni cauſæ articulo, id verò non modò ſi ageret quis, ſed & cùm exciperet ac depelleret, ſanxit Iuſtinianus nouo ſuo edicto, nou. 50. cuius particula in auth. hoc ſacramentum, hoc tit. vt ſemel tantum ad initium cuiuſq; cauſæ iuraretur. petitiorum enim ampla nimis ea ſeges, vt ipſemet agnoſcit, cùm contemptu diuini numinis nihil non iuraretur à longè plurimis. *Faciles ſunt nonnulli hominũ ad iurandum, contemptu religionis*, ait Vlp. in l. quæ ſub conditione. ff. de condit. inſtitut. *Alij per quam timidi metu diuini numinis, vſque ad ſuperſtitionem iurare nolle.* Quin & ſcribit Iamblicus lib. 1. περὶ Πυθαγορείου, καὶ τῆς Πυθαγορικῆς αἱρέσεως, fuiſſe Syllum quemdam Crotoniatem, Pythagoræum: qui numerare maluit pecunias, quàm iurare, tametſi ſciret ſanctè ſe iuraturum. Verba eius ſunt: ὑπὲρ τοῦ μὴ ὀμόσαι, χρήματα ἀπέτισεν, καίτοι εὐορκήσειν μέλλων. Sic ille. Atque vt nihil antiquitatis Romanæ & ad hanc partem ignoretur, ſciendum primùm eſt, iurandum olim fuiſſe de calumnia, ſtatim atque facta litis conteſtatio fuiſſet, ſeruabaturque maximè iuriſiurandi illius formula, vt quiſquis ageret, iuraret ſe bona fidei, nec animo calumniandi, agere: iuſtamque ſibi litem videri quam inſtitueret. Reum etiam iurare oportebat, iuſtas eſſe ſuas depulſiones, neque putare ſe obligatum ad petita. Ita inter cæteros Alciatus in praxi vtriuſque iuris, ad hunc

ipsum titulum: citatq; cap. 1. & glo. eod. tit. lib. 2. decretal. Imò reperio apud veterem Gallum practicum, additum & hoc de more in formula, *Ita me Deus amet*: vocarique insintandũ istud idiotismo patrio, & gallico: *le serment de calange*. qui mos exoleuit apud nos iamdudũ, quia vt dixi, frequentiorem periurijs materiam præstaret: cum tamen & olim Romæ subrogata actio de calumnia fuisset in locum sponsionum iudicialium, ad leuandum nempe ipsarum litigatoribus dispendium, vt quibus facilius esset, iurare, ab ipso litis ingressu, sibi non esse seu in agendo, seu in defendendo, calumniandi animum, quàm numerare inanem, onerosamque in hoc ipsum, pecuniam: qualis statuta erat sũma de publico. Cùm autem inuectus sponsionum illarum vsus fuisset ad minuendas lites, coërcendáque vitilitigatorum ingenia, vt videre est apud Asconium, in Verrin. & Porcium, in historia fori Romani: conati sunt econtrà litiones quidam, aut ærusca tores fiscales potius, renouare passim in tribunalibus Gallicis Romanam illã prudentiã, vt ditarent fiscũ, lucrumq; ingens à Principe, ex eiuscemodi cõperto, perciperẽt. quorum proinde audacia meritò repressa est nõ anno dũtaxat, 1563. sed & ann. iterum 1587. quib. edicta in id promulgata. Noui ærusca torem secundum, an. illo 1587. quem & ferè flagris domesticis ab insana ista sua auaritia auerterunt togati quidam maiores aulici: itavt seuera tandem intermi natione impulsus, ab incœpto destiterit. prudentissime enim animaduersum est conquirendum non esse impensarum iudicialium, ad tot increscentes, excurrentesque quotidianas, auctarium. Quinimò & laudandos tantò magis in eo optimates illos aulicos dixerim, quod ferè nihil prætereant vnde *spes dolosi affulserit nummi*. pulchrè Seneca, herc. fur. in choro actus 3. vbi describit fusissimè vitam aulicam:

Cupit hic gazis implere famem,
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri. nec tota sitim
Lydia vincit: nec quæ Zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum. &c.
Auidis, auidis natura parum est, &c.

§. *Hoc etiam huic legi addendum esse censemus, vt si quis pro alio litem mouere voluerit, & nullo mandato prolato, sed per fideiußionem ratam rem dominum habiturum suam personam firmauerit, nè vel ex hac machinatione lex circumscribi videatur: sancimus siquid tale in posterum emerserit, siue pro vna persona quis litem mouere voluerit, siue pro aliquo corpore, vel vico, vel alia vniuersitate, fideiußionem quidem solitam præstare, litem autem vlteriùs minimè procedere, nisi intra à iudice statuendum tempus faciat personas principales sacramentum subire, &c.*

Notandum ex glossa, ciuitates, & cæteras quascumque vniuersitates, iurare per syndicos. quia ridiculum esset, ait glossa, præstari oportere iusiurandum à maiore magnæ ciuitatis populo. Tamen per syndicos non litigant. Parœciani enim ac cæteri id genus conuicani, debent ipsi, & per se personas litigantium sustinere, datis nempe mandatis, seu procurationibus, vt loquimur, non autem per syndicos. vernaculo forensi dicimus: *Ils doiuent estre en qualité, & non leurs syndics*. hæc ex glossa & vsu.

§. 2. *Et licet vera causa natura alia forsitan est: tamen quod quisque credit, & existimat hoc est iurandum.*

Io. Faber in verbo, existimat. interpretatur ista ex Innocentio, debere videlicèt vnumquemque respondere ex veris, ad ea quæ facti sui sint: in cæteris autem quæ alij fecerint, responsum admitti, prout credere se dixerit. Et cùm ita respondere solerent testes, nempe per, *credit vel non*, ante edictum anni 1539. mos ille captiosus desiit tandem, articulo 36. edicti illius: in hæc verba: *Qu'il n'y aura plus de responses par, credit, vel non credit,*

ny contredits contre les dicts & depositions des tesmoins. Nota etiam *pour les interrogatoires sur faits & articles pertinents*, vt fert idiotismus Gallicus, de quibus & Baldus agit lib. 5. consil.397 *positiones* vocantur in cap.1 & 2.de confess.in 6. clem. 2. §. & quia positiones. de verb.sign.cap.vlt.de iureiur.in 6.cap.vn.de lit.contestat. cap.dudum.de elect.in antiq. latè de his Alciatus in praxi vtriúsque iur.tit. de positionib. vbi & docet, articulum & positionem in idem recidere:inductásque esse,vt qui eis vtatur,releuetur ab onere probationis per confessionem aduersarij,cap.2.de confess.in 6.& l eum qui.resp.t.de iureiur.ff. Differunt autem,inquit,ab interrogationibus forma tantùm,non essentia. Cùm enim interrogationes fiant specialiter ante contestationem, l. si fine. §.interrogationes. de interrogation.in iure fac.possunt tamen hæ fieri generaliter,& quandocumque,donec fuerit in causa conclusum, etiam publicaris inquisitionibus, sicut fit in instrumentorum productione,cap cum dilectus.resp. r. de fid.instrum. sic rursus ille.additque rationem,quia scilicet non timeatur, seu in instrumentis, seu in positionibus, subornatio, vt in testibus. Notandum & hoc quod ex illo ipso tractatu, cùm in quotidiano apud nos vsu sit:perscriptas nimirùm positiones offerendas esse iudici, cap. quoniam contra. de probat.atque id vt certus sit qui interrogatur quid respondere debeat, l. certum. de confess.ff.longè plura eo loco. Vt autem ex moribus nostris persequar: habentur illæ (facta pertinentia vocamus) pro agnitis,ac veris, nisi qui interrogatur, respondeat cathegoricè, πρὸς ἔπος, atque ad rem,vt attigi ad l. 4.& ad l.11.de ætate.de interrogation.in iure fac.inq; in id notandũ apprimè Senatusconsultum anni 1600. die 21. April.quo,ad interpretationem edicti Cremoliensis, art. 16. semper in hanc partem ambigui, censuit ordo amplissimus, iuridicos omnes competentes esse,vt dicimus,nec solùm ad agnitiones scedarum, sed & ad audiendos ex positionibus illis,seu (vt in vernaculo nostro forensi est) factis pertinentibus, ab actore oblatis, quoscumque poposcerit. latum Senatusconsultum est in edictali auditorio contra Mariam Demariedor, quæ reperta Lutetiæ à creditore,postulabat remitti ad Armoricæ, vbi morabatur, suum, patriúmque iudicem.perorabant Isacius Arnaldus,vir cultissimus, & disertissimus,qui obiit nuper fato præcipiti,cùm esset consistorianus Comes laudatissimus,& I.Salleus, vir etiam ingeniosissimus,qui,(vt forum Lutetianum verè ingeniorum,scientiarúmq; omnium πανοπλία est) situm orbis, marisque adeò cuiuscúmque insulas veteri, nouáque denominatione, quasi vias Lutetianas, nouerat.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 2.

§. Quod obseruari oportet, & si tutores, vel curatores, vel aliæ quadam sint personæ quæ administrationem rerum auctoritate legitima gerunt. Conuenit enim & ipsos iureiurando affici, quia & ipsi causam scientes, ita ad eam peruenient. neque enim pupillus, neque adultus, vel aliæ huiusmodi personæ sed ipsi qui pro eis tutelam, vel curam, vel aliam gerunt administrationem, scire possunt caussam, & ita ad iudicium peruenire: eo quòd ex animi sui scientia iurent: & licèt vera causa natura forsitan alia est, tamen quod quisque credit, & existimat, hoc est iurandum, &c.

Mauult Cuiacius,lib.t.cap.21.obseruatio. *Ex animi sui sententia.* vt sumptum ex vulgari formula iurisiurandi videatur,quæ apud Liuium,lib.22. *Ex mei animi sententia iuro,vt ego remp.non deseram,neque alium ciuem deserere patiar.* profert duo alia loca ex Cic.in Acad.quæst.ac lib.3.of.vbi eadem quoque lectio. *Ex animi sui sententia*,ait ille, *idem ferè est quod ex conscientia, & syncera fide.* quod fusiùs persequitur. Morem verò Galli, cum, vbi de hæredis, successorisque cuiuslibet, maximéque tutoris, vel curatoris iureiurando agitur, delineaui ad l.4. Videamus §.1.ff. de in lit.iur.

Explicit liber II.

ANTONII

MORNACII,

IN SENATV PARISI. PATRONI.

IN LIBRVM TERTIVM CODICIS

OBSERVATIONES.



ANTONII

MORNACII,

IN SENATV PARISI. PATRONI.

IN LIBRVM TERTIVM CODICIS OBSERVATIONES.

TIT. I. DE IVDICIIS.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. I.

Iudicio cœpto, vsurarum stipulatio non est perempta. Superest igitur, vt debitorem eius temporis (sup. nomine) quod non est in iudicium deductum, conuenire poßis.



Sic in l.35. quæ Pauli est, ff. de vsur. *Lite contestata vsuræ currunt.* Sed cùm per litis contestationem fiat nouatio, l. delegare. 1. de nouatio. distinguenda est nouatio voluntaria à necessaria, quæ nempe fit per acceptum iudicium, vt loquitur Paulus in l.29. Aliam. d. tit. de nouatio. *Nouatione voluntaria liberantur hypotheca, & pignus, & vsuræ non currunt.* ait rursus Paul. in l.18. Nouatione. eod. illo tit. de nouat. In necessaria autem, quæ videlicet contrahitur iudicio accepto, litéque contestata, deterior fit numquam creditoris conditio, immò melior, d. l. Aliam & l. non solet. cum l. seq. de reg. iur. Impedit enim nè pereat actio creditori: at verò & perpetuat, l. omnes actiones. de reg. iur. Quòd si peritura esset morte creditoris, aut debitoris, transit eo casu ad hæredes, & contrà, l. nemo enim. l. pœnalia iudicia. d. l. omnes actiones. de reg. iur. Transfert deinde periculum in debitorem: quod hîc notat Accursius. Interrumpit præscriptionem, l. motæ litis. inf. de rei vendic. nouæque actionis cumulatio fit in hunc modum: per sententiam enim latam contra debitorem, noua quæritur creditori actio, id est, ex iudicato, l. actori. de iureiur. inf. dicitúrque pro-

pterea iudicati actio, in l. 4. & l. miles. ff. de re iudic. l. 2. Cod. de execut. rei iudic. Quinimò pignus hodie incipit à iudicato, ex constitutione Molin. art. 53. Ex his denique, iure optimo Panormitanus, ad cap. 1. de lit. contestat. ext. in antiq. vocat litis contestationem, lapidem angularem, vt quæ ambiat, vinciat, contineat, complectatúrque omnia, nè intercidant. Quod tamen singulare est, effectúmque suum ad ea tantummodò producit quæ latè hinc illinc ambitu suo complexa sit. Itaut cùm nostra hac l. duæ essent actiones, vna sortis, altera vsurarum, ex stipulatione videlicet quæ ad vtrumque interposita fuerat: mirum non sit, superstitem manere, etiam post iudicium, vsurarum stipulationem: vt cùm ait Vlpianus in l. scire debemus. de verb. oblig. tot esse stipulationes, quot res, ac species, mixtáque vna summa, vel specie, quæ non fuit in stipulatione, non fieri nouationem, sed duas esse stipulationes, quæ diuersæ, separatóque effectu censendæ sint. Secus verò est, si non ex stipulatu, sed ex mora, solóque officio iudicis debeantur vsuræ. Tunc enim duæ non sunt actiones, alia sortis, alia vsurarum, sed vna. proindéque, ait lex 4. inf. de pos. *Si ad sortem condemnatio interuenerit non potes ampliùs propter vsuras experiri*. Ista igitur è literato puluere, scholasticísque pulpitis, quibus meræ docentur iuris Romani difinitiones, distinctionésque, ac regulæ. Aliud Christianæ leges, mósque in vniuersum patrius. Primùm enim hodie sors ex qua constitutus sit reditus, exigi numquam potest à debitore, sed solus ille reditus, nisi stellionatum admiserit debitor: vel non sit soluendo fideiussor quem dederit, locuplerioréinque alterum sufficere non possit. quo casu equidem superest creditori incolumis, ad posterioris quinquennij reditum, ex edictis regis, petitio, etiamsi, κατ' ἄγνοιαν, & per incogitantiam, de sola sorte redimenda egerit, latúmque sit de eo solo iudicium: facit optimè. in hoc ipsum legis istius decisio. Quòd si ex obligatione, aliòve quouis contractu petat creditor pecuniam sibi debitam, nec libello, aut alia litis parte vsuras, seu (vt interpolamus) id quod interest, adiecerit: sibi imputet, quòd sola pecunia principalis, sine vsuris, addicta sit, perémptáque eo nomine, actio. Odiosæ enim vsuræ, vt quas nominatim, nec ambiguo sermone, vetuerit dominus: nec tolerantur, nisi ob vtilitatem promiscui vsus, atque ad sustinenda commercia, arg. l. socium. ff. pro soc. & l. 3. (al. l. 2. in lib. Fl.) §. vlt. de eo quod certo loco: quas in hoc citat Accursius ad l. 1. sup. de summa trinit. Aliunde procul dubio inuecti nō sunt ciuiles, emptitijque illi reditus lege pontificia, in extrau. Regimini. de empt & vend. cuius auctor Martinus quintus circa annum 1417. cùm antea fœnerari, nulla lege priuatis liceret, vt nec ante Iustiniani Nouellam, 160. ciuitatibus, ac rebusp. habes ex his quod ad veram decisionem, seu spectes ius Romanum, seu etiam Gallicum. Superest iam, vt, quid sit cœptum iudicium, de quo in textu, interpretemur. Rectissimè glossa intelligit de litis contestatione, vt per quam in conspectum veniat aduersarius congressurus cum actore, quasique armis explicitis, & militaris pugnæ instar. Depellit quippe Reus actionem quæ edita est: profértque eodem momento, ceu per indicem, & compendio verborum, quid penes se habeat vnde superiorem sese futurum speret. In quo tamen notabitur, dici non priùs iudicium cœptum, quàm iudex accedens, pronuntiatione sua, quasi inter commissos athletas, formam certamini iudiciario induerit: nisique audita petitione, & depulsione, seu defensione, vt loquimur, litem vel ex iure, vel ex testibus instruendam esse iusserit: Vernaculo forensi dicimus: *Appointer en droict, ou informer*. Quæ prima pars litis quinque diuersa habet nomina. Vocarunt enim Græci litis contestationem, τὴν προκάταρξιν, id est, initium iudicij: τὸ κεχειρίσθαι, id est, quod iudicio definiendum, terminandúmque est. Latini, *statum causæ*. Galli veteres, *vn entamement de plaid*: quod Cuiacius recitationi suæ ad hanc l. interseruit, in postumis: nunc *vn appointement en droict, ou à informer*. Planum ergo, ni fallor. quid sit iudicium cœptum, (quod & in hoc ipsum vsurpat Paulus in d. l. aliam) & quando incipiat contestatio. Docent verò etiam hac decisione breui, & arguta, Imperatores, cauendum imprimis iudici, nè iudicando egrediatur quod in contestatione est, quippe tam arcto, nec vnquam resolubili, causæ vinculo, vt qui secus faxit, prodat plus æquo suam imperitiam: imo & stultitiam vocat Iustinianus in l. vlt. de fideic. libert. textúsque in id vulgarus in l. vt fundus. ad quam dixi. ff. commun. diuid. & ad l. 5. Si quis postea quam. ff. de iudic.

Imp-

IIDEM IMPERATOR.

L. 2.

Licèt iudice accepto cum tutore egisti, ipso tamen iure actio tutelæ sublata non est. & ideò si rursus eumdem iudicem petieris, contra vtilem exceptionem rei iudicatæ, si de specie, de qua agis, in iudicio priore tractatum non esse allegas, non inutiliter replicatione doli mali vteris.

Vulgaris inde fit regula à glo. Bartolo, & cæteris interpret. quæ necessariam exigit, ex fori vsu, explicationem. Docent illi, sententiam generalem referri, ad ea quæ in iudicium deducta sint. eo autem sensu accipe l.3. de pet. hæred. & l.3. inf. ad exhib. Cynosura enim illa est, seu Elice, ad quam, vt mari errantes nautæ, collimare semper debeant iudices. Cùm igitur callida, vafráque interpretatione summoueret tutor reddendarum rationum actionem, quippe conceptam generaliter, terminatámque iudicio, admittunt optimè Imperatores oppositam à minore doli mali replicationem, in eo quòd, ad vnam dumtaxat tutelæ administratæ speciem, facta esset contestatio. Tanti enim istud causæ vinculum, de quo sat multa, ad l. superiorem, disserui. Quinimò & prætentius nihil, vbi supplicatione, seu, vt vocant, *requesta ciuili*, aduersus Senatusconsulta agitur, quàm si constet liquidò ex actis iudicialibus, pronuntiatum fuisse super non contestatis. Sic intelligendæ sunt, l.6. singulis. l. cum quæritur. cum duabus seq. ff. de exceptio. rei iudic. μονομερῆ enim sunt eiuscemodi iudicia: lata scilicèt *parte inaudita altera*.

Μήτε δίκην δικάσῃς πρὶν ἄμφοιν μῦθον ἀκούσῃς.

ait Phocyl. id est, ius neque dixeris, priusquam amborum sermonem audieris. Reiectanea igitur Iasonis ad hanc l. exceptio, dicentis statuendum esse aliud in connexis, atque indiuiduis: cùm indiuidua, & connexa non minùs expendenda, discutiendáque sint, quàm diuidua, quando ferendum est iudicium. Cæterùm quòd in iudiciis deciditur, hoc & in transactionibus obtinere nemo bene peritus non dixerit, ex l. si de certa. sup. de transact. qua in foro, nihil vulgatius. Tritum verò etiam, tutelæ liberationem, quantumuis generalis sit, vtrimque seu ex contractu transactionis, seu ex iudicio, prodesse tamen nihil quippiam tutori, nisi reipsa redditæ, disiunctæque rationes fuerint. Seruatur enim in hoc ipsum, citráque exceptionem, lex, cum seruus. ff. de conditionib. & demonstrat.

IMP. ALEXANDER.

L. 3.

Quoties quæstio status bonorum disceptationi concurrit (id est, in petitionem hæreditatis incidit) nihil prohibet quo magis apud eum quoque, qui alioqui super causa status cognoscere non possit, disceptatio terminetur.

Componenda lex 1. totúsque tit. de ord. iudic. l. nullum. de testibus. inf. & l.25. Ædiles. ff. de ædil. edicto. Quotidianum enim ex his, vt dici soleat, iudicem in principali, iudicem quoque esse in accessoriis, quæcumque in principale, seu (τὸ ἡγεμονικὸν, (vt in Basil.) incidant. veluti, si de ciuili primùm negotio cognouerit iudex, & falsum posteà pateat, tum ex scripto, quo vtatur alteruter litigantium, tum verò ex testibus qui ad inquisitiones, conscriptáque elogia, seu, informationes, vt patrius sermo est, testimonium dixerint. neque enim eo casu præscriptio vlla fori est, excluditúrque omni tribunalis proprij priuilegio qui, per suborniens illud crimen, fit Reus, vt perspicuè commonstrat. d. lex, nullum. eóque iure vtimur. In hoc tamen aduertendum est, censuisse Senatum an. 1618. die 18. Iunij, si presbyter de re merè profana litigans apud iudicem laicum, profe-

Q

rat,seu,producat,vt loquimur, instrumentum, quod arguatur falsi ab aduersario, tunc de quæstione illa incidenti posse quidem cognosci ab eodem illo iudice an sit validum, vel non. Sin autem de falso liqueat, sique de eo pronuntiandum, remittendus tunc presbyter ad iudicem ecclesiasticum.perorabant Phil. Girard. & Ant. Gaultier, nomináque litigatorum, Odetcam,'& Marth. Vidard,procurator, apud Augustoritum Pictonum,regius. Excipienda deinde lis de beneficio ecclesiastico apud iudicem regium,ad cuius beneficij amplianda, fulciendáque iura, impetrauerit alteruter litigatorum, aut quiuis alius, collationem regiam, (regaliam aliàs dicimus.) tunc enim noua isthæc accessio auferet proculdubio litis integræ cognitionem ei apud quem disceptatio prima cœpta sit,remittique eam necesse est, ex vetere Philippi pulchri rescripto,ad supremum Parisiensis Senatus tribunal,cui,ex iure singulari, atque eminẽtissimo, cùm sit curia Parium Franciæ, cognitio ea semper tributa est,támque insignibus regiæ illius prærogatiuæ notis, vt, contra solitum iudiciorum & ordinem, & morem, prima in ius vocatio fiat ad Senatum,primáque,tamquam apud inferiores iudices,palam, publicísque in causarum actionibus,peritio. Denique illud, supra cætera omnia, planè regium, impatiens consortis,veréque ἐξαίρετον,vulgaribus quibuscumque & fori, & collationum ecclesiasticarum regulis eximitur, vt fusiùs ad lib.1. ostendo. Adiecit verò mihi & istud Dionys. Butillerius,in deliberatione forensi, vidisse se sæpius à consilij magni iudicibus remissum ad Senatum litem cuius instabat, in propinquóque erat iudicium, simulácque paruit noua collationis regiæ instantia. Alia deinde ad nostrum hunc textum exceptio est ex recepto pariter more, selectioribúsque auditorij criminalis arctis, cùm nempe crimini simplici, & in quo appellationi deferendum sit, accedit crimen aliud non simplex,sed priuilegiarium,atque,vt ita dixerim,latrunculatorium,seu preuostale, vt vocant, in quo scilicet Reus, nihil morante appellatione, supplicio vltimo affici, ex edictis,debeat. Tunc enim particeps adeò fieri cognitionis ciuilis crimen istud priuilegiatium voluit ordo amplissimus, atque ex mixtura ista temperari iudicium cognoscentis inferioris iutidici,vt per non admissam condemnati prouocationem, ritè, ac rectè appellatos pronuntiarit Niottenses Iudices: mandatúmque est omnibus Procuratoris Catholici, per totius ditionis curiæ Parif. prouincias, vicariis, vt, ad auertendum deinceps istud flagitium,promulgari curarent tam religiosum, humanúmque in tribunalibus singulis,Senatusconsultum.perorabant in criminali auditorio,Tusan.Chauuclinus,Pet.Lametius,Abel.Sammatthanus,Egid.Baussanus, & Iac. Foulleus, hodie, libellorum suppl.cũ in regia magister, Dom. Seguetius,tũe patronus fisci laudatissimus, hodiéque infulatus Præses,celeberrimus, ann.1598. die 7.Februar. Nihil hic Bartol. Paul.Castr.Salic.Faber,quod ad fori nostri quæstiones faciat. Iason putat iudicem ecclesiasticum qui de matrimonio cognoscit, posse etiam de dolo, si disceptatio de ea incidat:sed alienum adeò istud à nostris moribus,vt appellationem,eo casu, tamquam ab abusu, admittere soleat Senatus. Diuisum tantopere per leges nostras Francicas, inter ecclesiasticos, secularésque iudices imperium. Imo nec in ecclesiasticis sententiis toleratur detrimentorum, eiúsque quod interfit, condemnatio, quam nisi ad iudicem laicum remittat,perpetuus etiam ex eo appellationibus,quas dixi suprà,fit locus. Cum verò & Baldus ad hanc ipsam legem, censeat ex eadem ratione cognitionem incidentis causæ matrimonij competere iudici seculari apud quem cœpta sit de adulterio quæstio:seruamus proculdubio contrarium: vt scilicet remitti debeat incidens matrimonij dissertatio ad iudicem ecclesiasticum,qui eam priùs definiat, ac iudicet. præiudicialésque proptereà eas quæstiones dicimus.

Imp. Gordianvs.

L. 5.

A iudice iudex delegatus, iudicis dandi potestatem non habet, cùm ipse iudiciario munere fungatur, nisi à Principe iudex datus fuerit.

Necessaria semper,frequentissimáque vbique gentium,ac potestatum,delegatio,quę

hîc metitò ad duas redigitur species, vnam quæ à iudicibus, alteram quæ à Principibus quorum & duæ iterum species. Alij enim profani, seu laici, ac seculares, vt loquimur, alij clerici, seu ecclesiastici. Qui à laicis seu Principibus, seu iudicibus dati sunt, vocantur de more apud nos, Commissarij: qui ab ecclesiasticis, dicũtur delegati, quo & prorsus nomine inscribitur titulus, De offic. deleg. apud Gregor. & Bonifac. Qui à iudicibus delegantur, putà à Senatu, subdelegare non possunt, si ad vnam dumtaxat causam delegatio sit, illéque optimus legis nostræ intellectus, ad quem spectat glo. atque interpretes, in l. mandatam. ff. de off. eius cui. & in l. more maiorum. de iurisd. omn. iud. ff. Secus si ad vniuersitatem, vt docet glossa altera in l. 1. §. 1. quis & à quo appell. ff. & l. solet. de iurisd. omn. iudic. consentire autem nõ possunt litigatores in alium quàm qui mandato denominatus sit, cap. Petro, & G. de off. deleg. Imò si causa committitur tribus delegatis, cum clausula. *quod si non omnes, &c.* priusquàm appareat de impotentia Tertij, duo procedere non possunt. quòd si procedant, nihil agunt, cap. prudentiam. de off. deleg. Quid verò si qui non potest interesse, committat vices suas alteri? discimus etiam eo casu, ex cap. coram. & ibi glo. de off. deleg. admittendum esse hunc delegatum à sociis, seu codelegatis, si res sit integra, necdum processum sit ad contestationem. Ita enim lex, 4. & ibi glo. inf. quando prouoc. non est necesse. vbi dicitur, non valere sententiam plurium delegatorum nisi omnes iudicent, in cæteris nihil prorsus licet delegatis nisi quod nominatim mandatum complectitur, adeout qui delegatus est ad causam proprietatis, si cognoscat de causa possessionis, sententia nulla sit, l. 3. Cod. si à non comper. iud. cap. prudentiam. de off deleg. Rebuf. tit. de inquisitoribus, seu commissariis. in pr. *Est sapientis iudicis, cogitare tantum sibi à pop. Rom. esse permissum, quantum commissum sit, seu creditum, &c.* ait Cic. pro Cluentio. Vnum subiungam, vt scitu necessarium ad foréses operas, permissum nempe esse successori in officio, & dignitate, quicquid decessori commissum fuerit, si delegatio dignitati tantùm, nec expresso nomine proprio, facta sit, veluti si inscribatur in hunc modum *præfecto Pariensi, aut eius vicario, &c.* disertus in hoc textus in cap. 14. quoniam. de off deleg. Verùm vt persequamur cætera quæ ex vsu, sciendum etiam est delegatum, seu commissarium alicuius curiæ sequi oportere stylum curiæ illius à qua delegatus sit, nec verò loci in quo audit testes, aut quiduis aliud exequitur, l. 3. §. vlt. ff de testib. doct. in l. 1. de summa trinit. Rebuf. tit. de inquisitoribus, seu cõmissariis. pag. 844. Sique ius dicendũ sit, Vid. Papius docet quæst. 286. maiorẽ eũ esse iudice ordinario in causa quæ sibi commissa sit. Officium verò ipsius expirat vel morte illius contra quem literæ impetrantur, re integra: vel si re integra moriatur delegans: aut si recusatus sit: ita apud glo. cap. 9. in literis. de off. deleg. in qua tamen recusatione notabitur, in transcursu, proponendam eam esse aduersus Senatorem delegatum à Senatu, antequàm Lutetia exeat. Aliàs enim frustrarium est, ac inutile quicquid eiusmodi obijciat litigator, postquàm in prouinciam, atque in rem præsentem delegatus peruenerit. docuit quippe vsus, rerum magister, excogitatas esse has fraudes de more ab iis qui omni arte, & opera illudunt Senatusconsultis, nihil non molientes, vt nunquam, aut certè in longos annos, sequatur executio. Quod si qui delegatus est, eiuratus, seu, vt loquimur, recusatus legitimè, ante profectionẽ, fuerit, ac nihilominus profectus sit, nullum esse quicquid actum est, appellaríq; seu intimari delegatum, tanquam ad causam propriam, posse, pronuntiauit ordo amplissimus, aduersus Bragelonium, tunc Basilicanum iudicem, seu fori libellorum palatini cõsiliarium, ann. 1598. 16. Febr. perorantibus Ant. Arnaldo, & Dion. Butillerio. Vetat autẽ constitutio Caroli 8. ne profectiones istæ fiant nisi per vindemiales ferias nẽpe à medio mẽs. Augusto, ad missam Martinianã vsque quæ celebratur semper de more, mens. Octobr. die 11. ex quo redintegratur sparsus hinc illinc ad maiorem partem per prouincias, vrbésque, ac rura, Senatus. Tanrus in delegatis splendor ille est senatoriæ purpuræ, vt, si, præter delegationem quæ proficiscendi causam præstitit, expetatur alia quædam ab aliis, per occasionem, executio, liceat & hoc ipsum delegato. Ita ex vsu, singularésque in hoc mihi semper visi sunt duo textus, vnus in l. vlt. de executorib. & exactorib. lib. 12. Cod. alter in l. eumdem. ff. de legation. memini & opportunè quod ad apices tanti ordinis notat. Ioan. Faber ad §. Item adhuc. num. 9. Instit. de mãdato. scribit enim mitti solitos, sua ætate, Senatores ab ipso Senatu qui emendarent prouinciarum vitia, accuratámque de singulis, quæ vidissent, & audijssent, renuntiationem conscriberent: cuiusmodi olim fuere Athenis notem illi

Ἐπισκόποι, seu inspectores qui quotannis, vt tradit harpoctatio, peragrabant vrbes ditionis Atticæ ad continendos populares in officio. Hactenus de prima nostræ legis parte quæ ad eos qui à iudicibus, senatúq; præsertim delegati sint, & in quantum legum pontificiarum potior, acceptiórque decisio ad nostros mores visa est. Neque enim maior ferè vlla agendi libertas iis quos Pontifex Romanus ad ecclesiastica iudicia delegauerit. Imò iisdem ferè regulis reguntur mandata seu regia, & senatoria, seu pontificia, quoad delegatos. vtitur pontifex, vt dixi suprà, verbo delegationis, in dandis per prouincias, & regna, seu ad partes, vt loquitur, iudicibus: vtimur verbo *commissionis*, vbi de datione eadem iudicum agitur. Notandum autem in eo est apprimè quod non ita diu ann. 1614. 24. Maij, Senatus de delegatis Papæ censuit: irritam nimirùm esse, frustrariam, atque abusiuam, vt loquimur, delegationem in partibus, nisi episcopo facta sit qui, intra metas curiæ, seu parlamenti, vbi morantur litigatores, episcopatum suum habeat. Agebatur de delegatione Namnetensis episcopi inter clericos degentes Iulliomagi Andium, sicque in finibus Parlamenti Paris. constat autē Condiuincum Namnetum esse supremæ Rhedonum, seu Armoricorum curiæ. redegi Senatusconsultum ad l. 1. ff. si quis cautionib. Cætera de delegatis Papæ in partibus, & vtrùm possit episcopus mandare quædam causæ capita in lite spirituali, vel criminali contra clericum, vide ad tit. de offic. eius cui. ff. Quantum ad delegatos à Principe: quæ altera pars legis nostræ est: primùm nemo ambigit maiores eos esse quocumq; ordinario, io quo & singularis textus in cap. Sanè. de off. deleg. verè enim ἐκ προσώπου, l. à facie, quod ait de legatis à latere Th. Balsamo. referúntque imaginē Principis, vt habet nominatim breuissima lex, 16. Eos inf. de appellation. vbi tamen vult Imperator appellari ab eis posse. Docétque propterea Vidus Papius q. 624. posse illos subdelegare, & causas etiam criminales, aliísque qui vice eorum discutiant, committere. quod ipsum in re ecclesiastica de delegatis Papæ dicitur, in cap. super quæstionum articulis. de off. deleg. limitat tamen istud Paulus Castrensis, hic, num. 8. & 9. nisi videlicet electa sit adeò personæ industria à Principe, vt delegatum interesse personaliter rebus agendis iusserit: aut, nisi causa vna, ac specialis commissa sit: itaut ex speciali, singularíque illa nota liquidò constet, expetitam esse delegati, nec verò alterius cuiusuis, fidem, prudentiam, ac industriam, vt dixi. Secus si in genere, atque ad plura, id est, ad vniuersitatem causarum, subque nomine territorij, delegatus quis à Principe fuerit, tunc enim subdelegationi locus est, vt latissimè Iason ad hanc l. toto num. 11. ad finem vsque commentarij, explicat. Tamen quàm periculosæ sint eiuscemodi subdelegationes, ostendit plus satis, præter quotidiana rerum experimenta, Pausanias, in Achaicis, vbi agit de Sulpitio Gallo, delegato à Rom. Senatu ad componenda inter Lacedæmonios, & Argiuos, de limitibus agrorum, dissidia. Cùm enim subdelegasset Callicratem, virum sceleratissimum, vt de his, plenissimo iure, cognosceret, infame, & contrà quàm æquitas dictaret, tulit iudicium. Vide etiam de delegatis Principis ad l. 1. de iurisd. ff. vbi ostendo paucis quàm formidabilia sint, in re capitali, huiuscemodi iudicia. tradit verò etiam Rom. Pontifex in cap. 41. cum vicesimum. ext. de off. deleg. posse delegati à Principe & eum qui necdum annos decem & octo impleuerit. quod tamen nondùm apud nos, nisi in consanguineis Principum, visum est. Cæterùm præclara equidem Cujacij obseruatio est, lib. 12. cap. 1. obseruatio. scribentis, ex constitutione Zenonis, iudices delegatos à Principe, habuisse executores & apparitores proprios: habuisse etiam adsessores, ex Nou. 60. quasi magistratus: mirúmque proinde non esse, si subdelegare possint: in quo & citat hanc l. à iudice. ac l. 1. inf. qui pro sua iurisd. neque enim id possunt, inquit, iudices à magistratu delegati, siue iudices pedanei, vt quos eadem Zenonis constitutio, & Nou. 82. & 90. lé xque 27. Cod. de procurator. dicant non vti propria apparitione, sed sumere eam ex cohortibus, vel scholis, vel scriniis. factúmque inde existimat, iudicem datum à Principe sententiam suam exequi posse, licèt de eo ambigat Accursius ad l. à diuo Pio. ff. de re iud. nec vlta maiore ratione mouetur, vt ita sentiat, quàm quòd apparitores habeant, cùm aliàs inane hoc fuerit, si qui executores, seu apparitores habent, sententiæ suæ executionem non habeant. sic ille. Seruamus verò vt in eiusmodi seu regiis, seu Senatoriis delegationibus, haud amplius quicquam sibi permittat qui delegatus est, quàm ferat mandatum, seu commissio, vt loquimur. Aduertendúmque, in transcursu, legem. 2. de off. diuers. iud. sup. lib. 1. intelligendam esse de aliis quàm de delegatis

à Principe, vt ibi ostendo. Apud nos denique Senator qui à Senatu ipso iudex datus est, potest quidem vti Amanuensis sui opera qui actuarij fungatur vicem. sed hoc in ciuilibus, non autem in criminalibus, vt in quibus actuarij prouinciales admitti & soleãt, & ex Senatusconsultis debeant. Quod si executoribus, apparitoribúsve opus sit, nec alij etiam quàm ex tribunali prouinciali, in quo est, asciscendi sunt. Ita de more.

AVTH.

Ad hæc si administrator sit (ἄρχων, vt in Nouella) &c. *Iudex delegatus à Principe litem apud se agitandam saltem in contestatione audiat: & rursus in medio saltem semel, & in fine omnia quæ sunt examinata consequenter audiat: & sic ferat sententiam. Cætera licet expediri per consiliarios* (gl. id est, subdelegatos à se, &c.

Notat glossa secus esse iure canonico ex cap. super quæstionum articulis. de offic. deleg. quo delegatus à Principe potest omnes partes litis delegare, scilicèt Principium, medium, & finem causæ, seu sententiam. referri autem huc possit quod scribit Budæus de auditoribus disceptatorum, aut, vt in vernaculo forensi, *des commissaires à la barre de la Cour.* vocat enim ille ex eo disceptatores, vel vt habet quoque Rebufus, auditores disceptatorum, vt Romæ sunt auditores rotæ. Supple cætera ex his quæ ad l. præced.

IMP. CONSTANTINVS, ET LICINIVS.

L. 2.

Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ, æquitatísque scriptæ, quàm stricti iuris orationem.

1 Iure Placentinus appellat breue hoc rescriptum, aphorismum. citra enim hypothesim, regulam præscribit non inferioribus iuridicis, vt qui ex iure semper, & legibus iudicare debeant, sed superioribus, id est, à quorum iudiciis, ac decretis prouocare non licet, quíque propterea pro causis, & personis sæpissimè ἐν πλάτει humaniùs, ac benigniùs dirimere immensas lites soleant, collisisque hinc inde rationibus, ex causæ figura, quod dixit alibi Vlpianus, austeritatẽ iuris scripti læuigare, ac temperare, vt explico latiùs ad l. si ex plagis. §. in cliuo capitolino. ff. ad l. Aquil. apposité Budæus in cõmẽtariis in ling. Gr. συγγνωμόνως, καὶ ἐπιεικῶς. legere autem in textu, *æquitatis scriptæ*, absurdum est, monet rectè Russardus antecessor Bituric. hîc, atque ante eum Duarenus lib. 2. disput. cap. 28. lib. 5. ethic. cap. 14. postremóque Cuiacius, in postumis, vbi docet ex Græcis, ius scriptum semper vocari, νόμον, æquitatem verò, τὸ δίκαιον. Æquitas enim ex Cic. pro Cluentio, *laxamentum iuris est*, ac, vt passim apud Iurisconsultos, *religio iudicandi*. Tribus verbis dixit Aristoteles, lib. 5. ethic. cap. 14. τὸ γεγραμμένου νόμου ἔλλειμμα, id est, prætermissio legis scriptæ. deest propterea dictio, *scriptæ*, in omnibus exemplaribus, vt obseruasse se testatur idem Russardus, qui etiam, vt cæteri meliores interpretes, glossam esse interlinearem haud abs re asserit. Baldus ad l. 1. de iust. & iu. ff. atque ad l. 3. de dot. promiss. æquitatem vocat, naturalem rationem: & Iason hîc, iustitiam dulcore misericordiæ temperatam. Optimé Paulus Castrens. Si varios, inquit, habeat intellectus lex aliqua seu ex Pandectis, seu ex Codice, quæ ad deijciendam controuersiam occurrit, amplectendus eo casu sensus benignior, & æquior: Si verò clarum perspicuúmque sit quod apud Iurisconsultum, vel Imperatorem, legitur, tunc recedendum nunquam ab eo ob æquitatem quam nobis finxerimus ad stomachum: sunt ferè eius verba. Posteà autem festiuè equidem ridet, ac verè, superciliosorum audacem ignorantiam, dictitantium iura, & leges, meras esse subtilitates, sibíque longè magis placere æquitatem, quam nec sciunt ipsi, nec, vn-

deſinternoſcatur, didicerunt: ſingunt tamen ita faſtidioſè, vultúque quaſi Senatorio, vt penè dixerint compti, citratrique ſcioli:

Adiecere bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicèt vt curuo paſſim dignoſcere rectum,

De hoc ſatis. veriſſimè equidem Vidus Papius, q 129. cùm ſcribit, datum ſolis Senatoribus iudicare ſecundum conſcientiam, reiectis formulis, ac ſubtilitatibus iuris, ſpectatáque ſola veritate rei de qua agitur: inferiores verò iudices pronuntiare oportere ſecundum allegata, & probata, iuxta l. illicitas. §. veritas. ff. de off. præſ. frænúque propterea ſæpè iniecti ſunt Præſidalibus prouinciarum iudicibus ſibi indulgentibus plus æquo quod ad apicem purpureum, vt annoto ad Pandectas, variis locis. Cum enim nihil, aut parum, relinqui debeat arbitrio iudicantium, inquir, Ariſtoteles, lib. 1. artis rhethoricæ, agnoſcendum tamē aliud eſſe in ſupremis iudicibus, vt quibus liceat æquitatē, quaſi regulam quamdam Lesbiam, moderari, de qua ille ipſe Ariſtoteles, lib. 5. ethic. cap. 10. Colligunt tam fusè Budæus, ac Pet. Faber ad l. 1. de iuſtit. & iu. quæ eò faciant ex priſcis, vt plura qui velit, verè γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, ſeu, vt latinis, noctuam Athenas ferat. Spatſim de hoc dixi ſuprà ſæpiùs: nulláque in re fuerit aptior iſta aphoriſmi forenſis breuitas ad quotidiana, quæ dicimus, iudicia, quàm ſi in genere adiecerimus, iudices à quibus appellatur, verè flagitium in iudicādo facturos, ſi ſupplere auſint, etiam in re æquiſſima, atque aduerſus nefarios litigatores, reſcriptum Principis, cùm nihil eis concedat Princeps, niſi, ex lege, ex edictis, legibúſque patriis, ac prouincialibus ſententiis ferre. In Senatu autem ſecus, vt dixi, præterquàm tamen ſi de loci, prouinciæque alicuius cōſuetudine agi contingat. Tunc enim ex moribus, ſtatutariíſque ſcitis iudicandum eſt. Ni ita faxint, proponitur error, de quo vide, ſi lubet, ad rubr. de Senatorib. ff. vide & de æquitate, qualem probamus in iudiciis, ad l. 1. ſup. de legib. ad l. quæſitum. ff. de teſtib. ad l. bona fides. ff. depoſ. excipio mercatorum, de mercibus, negotiis, pecuniis, lociſque inter ſe pactis, atque conuentis, litigia, in quibus iudex quilibet inferior, (vt maximè hodie iudices Conſules) æquitatem ante oculos habere debet, ait Vlp. in l. quod ſi Epheſi. ff. de eo quod certo loco. ſi nimirùm pacta die, & loco, ſolutum, factúmve nō ſit quod in ſtipulationem deductum eſt.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 9.

Iudices oportet imprimis rei qualitatem plena inquiſitione diſcutere, & tunc vtrámque partem ſæpius interrogare, numquid noui addere deſideret.

AVTH.

Iubemus. Not. verba: *quod ſi non fecerit, tunc ad eius malitiam ſuperandam alius menſis indulgeatur à iudice.*

Dixi de æquitate huius reſcripti, funeſtáque ex hypotheſi, ad l. ex diuerſo. ff. de rei vendicatio. praxis verò quotidiana eſt ad competendinationum prorogationes, quas vulgus forenſe vocitat, *renouuellements de delay*, de quibus etiam dixi ad l. ad peremptorium. & duas ſeq. ff. de iudic.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 10.

Nulli prorſus audientia præbeatur qui cauſæ continentiam diui-

det, & alium super possessione, alium super principali quæstione iudicem postulauerit: pœna ex officio iudicis imminente qui contra hanc supplicauerit sanctionem, &c.

Iunge omninò cap.vlt.ext.eod.hoc tit.apud Gregor.l. exitum.ff. de acq.poss. Iure autem nostro Gallico, quod ex his textibus proculdubio acceptum est, compone articulum 49. constitution. anni, 1539. quo nominatim cauetur, nè apud diuersos iudices, laicum scilicèt, & ecclesiasticum, agitetur possessorij, petitorijque, in causa beneficij ecclesiastici, quæstio: sed eo semper ordine, vt possessorium priùs terminetur à iudice laico, & tradatur victori vacua, plenáque possessio, cum restitutione fructuum, posteàque de petitorio agitur apud iudicem ecclesiasticum. Quotidiana ea est disceptandi apud nos formula: cui & subiungi necesse est, ad plenissimum nostræ huius legis intellectum, quod de continentia causæ reperio apud Matth. Afflict. decis. 354. num. 13. enumerat quinque illius species. Prima est, si eadem sit conditio personarum, idem ius, & eadem causa petendi, seu, vt loquitur, si sit identitas personarum, actionis, ac rei petitæ. Secunda, si eædē quidem sint personæ, & res, actio autem diuersa, vt in petitorio, & possessorio. Tertia, si identitas sit personarum, & actionis, sed non rei, vt in actione tutelæ, & vtili negotiorum gest. (verba eius retineo.) Quarta, si diuersitas sit personarum, & rei: sed actio nihilominus eadem, vt quę ex vno, ac eodem fonte proficiscatur aduersus plures. Quinta, si identitas sit actionis, & rei, sed personæ diuersæ, vt cernitur in duplicibus iudicijs, famil. hercisc. communi diuid. & fin. reg. Attigerat anteà Bartolus hîc, sed paucis. Reuocat autem iure optimo Io. Faber ad morem Gallicum quod hac l. dicitur, pœnam scilicet, ex officio iudicis, imminere ei qui ad diuidendam causæ continentiam supplicauerit: posse enim iudicem prohibere, nè de causa, cuius ad eum spectet cognitio, aliud adeatur tribunal, citárque in id, cap. ex tenore. de foro compet. frequentissima quippe ista prohibitio nostris iudicibus, qui & pœnarum comminationem numquam prætermittunt aduersus eos qui in hoc, iurisdicinarum suarum iura, aut patrimonia potiùs, diuidant.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 11.

Properandum nobis visum est, nè lites fiant penè immortales, & vitæ hominum modum excedant. Criminales causas iam nostra lex biennio conclusit. pecuniariæ causæ sæpe materiam criminibus creare noscuntur. Itaque pecuniariæ non vltra triennij metas post litem contestatam protrahendæ sunt, exceptis tantummodò causis quæ ad ius fiscale (vt cum agitur de fundo fisci) pertinent, vel quæ ad publicas respiciunt functiones.

Clariss. Nicol. Sudorius, in quarta inquisitionum Præses, disputationem iamdiu ad celeberrimum hoc Iustiniani edictum edidit, anno 1578. elegantem sanè, varijsque literati veteris seculi tessellis adornatam, ac variegatam, sed quod miror, ferè nihil ex moribus Gallicis, ex decretis Senatus, rebúsque iudicatis adiecit. Non ita Nicol. Valla, alter Senator Paris. eruditiss. qui præclara equidem iuris & Romani, & Gallici monimēta transcripsit posteris. Ille enim tractatu quinto, de rebus dubiis, docet inter cætera, peremptionem instantiæ nōn fieri ipso iure, neque ipso facto, id est, ex solo lapsu triennij: sed opus esse iudicis sententia qui litem peremptam esse pronuntiet. In quo, an procurator forensis sua vel incogitantia, vel malitia auferre possit clienti quod ex ea causa quæsitum est, nulla videlicèt protestatione ab eo facta litis peremptæ, cùm aliquid ipsi ab aduersario significatum est, dixi ad l. postquàm liti. sup. de pact. Supplendum verò &

nunc ad Vallam quod in quotidianis experimentis. Vix enim hodie vt feponatur à iudicibus incidens litis peremptæ quæstio, vtque iudicetur feparatim à principali controuerfia. Scio interdum fciungi, litémque pronuntiari peremptam: quod non ita diu Tricaffini municipes, pro quibus Iac. Gutherius. fed longè fæpiùs coniungunt vtrúmque iudices, nè fati infœlicitate potiùs, quàm ex rei veritate lis forfan optima malè pereat. Iudicatum hoc, inter cætera, aduerfus Lutetianos aurifices, ann. 1605. pro quibus in maiore auditorio perorabam. De his verò hactenus. Trado iam nonnulla, vice axiomarum, ex curiæ placitis. Primùm, conteftatio non perpetuat actionem in 40. annos: decurrítque econtrà præfcriptio, perinde ac fi cœpta numquam, conteftatáque lis fuiffet, art. 15. edicti Rufcinonenf. quo proinde abrogatur apud nos, lex, nam poftea quam. §. 1. ff. de iureiur. Normani tamen hucufque partem hanc Rufcinonenfis edicti non admittunt: cauetúrque nominatim iftud patriis ipforum moribus. Deinde denuntiatione facta mortis clientis procuratori intra triennium, interrupta peremptio putanda eft. cliente enim defuncto, mandatum procuratoris expirat, l. eius. fi cert. pet. Ita autem Senatus ann. 1606. die 8. Augufti. vide & in Loëtianis pofthumis, lit. l, arefto, 13. quod & ipfum, fi intereà mors procuratoris interuenerit. Ita Senatus annor. 1611. 23. April. inter Nicol. Grounet. & confortes litis varios. Quæfitum eft in publicis caufarum actionibus, ann. 1618. die 3. Maij, fi vidua, quæ litē inftituit, fecundò nubat, nec, toto hoc ftante matrimonio, promoueatur quippiam, itaut non per annos tres, fed per quatuordecim, & quamdiu durauerint nuptiæ, lis interquieuerit, vtrùm, mortuo fecundo marito, repetere poffit vidua illa litem tamdiu intermortuam. dubium faciebat quòd forenfis effet procurator, fecundus maritus. replicabat verò illa, dominam fefe actionum fuarū nō fuiffe donec ille vixit: quo proinde fuperftite, alia femper perfona fuerat ab ea quæ litē primò cœpiffet. Senatus admifit, litémq; non effe peremptam cenfuit. perorabant Ioubertius, & Cabafius. monuítque Dom. Virdunius, Senatus Princeps, qui iudicio præfuit, litem numquam perimi, fi perfonarum mutatio intercefferit. Peremptioni autem locus eft in executione Senatufconfulti, fi videlicet ordinata in hoc ipfum lis fuerit: vulgò dicimus. *si les parties sont appointêes à escrire & produire.* Ita Senatus ann. 1576. die 7. Ianuat. inter Francifcam de Baulne, viduam, &c. & Ioan. de la Riuiere equitem, &c. fecus fi ad meram bonorum publicationem itum fit, vulgò dicimus, *Sic'est vn' instance criées.* Tuncenim nulla prorfus peremptio eft. Verùm admittitur, fi, appellatione verbali interiecta, tres anni effluant quibus nec redacta in caufarum catalogum fuerit, nec profecutio vlla alia ratione facta: fententiáque eo cafu tranfit in rem iudicatam. Ita Senatus, ann. 1607. 7. Iunij, perorantibus Pafquerio, & Galtero. fic idémque iuris eft, fi appellatione infcripta catalogo extraordinario, per totum triēnium perorata caufa non fit. In quo & notandum, fi, poft triennij lapfum, quo peremptio quæfita eft, nihilominus appellationis caufam catalogo inferat is cui ius peremptionis quæfitū eft, nulla amplius exceptione depelli poffe actorem qui toto illo triennio filuerit. Ita Senatus ann. 1604. die 27. Iull. perorabant Dom. Roy, hodie Senator, & P. du Marchays. Admittitur rurfus peremptio apud Bafilicanos recuperatores, feu in Palatino libellorum foro, etiamfi fint de collegio Senatus. Cùm enim nemo ambigat, exceptionibus his locū non effe, fi modò appellari poffit à fegne, vel dolo agente Iudice (dicimus nos Galli, *comme de deny de iustice*:) nemo etiā nefcit appellandi à recuperatoribus Bafilicanis antiquū morem, quòd nempe vt delegati iudicent: quæ vnica ratio mouit femper Senatum vt forum illud vulgaribus cæterorum regulis fubilceret. Admittitur denique ifta peremptionis exceptio in fupplicatione, feu requefta ciuili, tranflata à Principe in Senatum, fi à die quo retentio ipfius facta eft, triennium filentij effluxerit: ita Senatus ann. 1613. die 5. Febr. inter Michaëllam Daigneuille, &c. & Guerinium Vigneron, doctorem medicum. Ifta, vbi de ciuili negotio agitur: Notandúmque eft, nullam aduerfus peremptionem inftātiæ dari vnquam reftitutionem à Principe. hoc enim vetat edictum anni 1539. art. 120. quod religiofiffimè feruamus. Quantum ad crimina, peremptio etiam in iis vulgata eft: atque etfi verfetur lis in parricidio. Ita enim Sen. ann. 1609. die 13. Iunij perorantibus Girardo, & Tillerio. Sciendum autem in genere, ex Vido Papio. q. 136. & ex vfu, quamuis peremptа fit inftantia, non tamen perimi probationes, & confeffiones, nec alia quæ ad merita caufæ pertinent, maximè in eodem iudicio, & inter eafdem perfonas. Quinimò & in aliis omnibus proderunt, vt adijcit Papius ead. q.

136. & ita seruamus. Sed quia pauci aduertunt ad mentem edicti Iustinianei in hac l. properandum. & quantum illud à nostris moribus differat, subiungendum puto quid hoc sit: contrario enim iure planè vtimur, aliósque in vsus quàm Imperator præscripserit, & intellexerit, vt qui intra triennium lites vltimo iudicio terminandas sanciat, aliàs peremptã esse litẽ. Nobis autẽ satis est vel minimus actus, vt non pereat instantia, seruamúsq; in eo decisionẽ canonicã in cap. venerabilis. ext. de iudic. Tangit istud, ὡς ἐν παρόδῳ, Cuiacius lib. 9. obseruatio. cap. 22. in fin. indubitatiq; iuris est nec peremptionẽ vllã litis admitti in foro ecclesiastico, quod & docet gl. pragmat. sanctio. tit de causis. §. & nè sub vmbra. in verb. instantia. Nec verò etiam in tribunali laico, si de iure, vel fundo fiscali quæratur, vt nominatim excipit nostra lex. quod tamen intellige, si solius fisci intersit, non autẽ si priuatus nitatur ad suum commodum, atque in rem suam auctoritate Principis. veluti si contulerit Princeps alicui beneficium ecclesiasticum, sede episcopi vacante, ius enim illud planè regium: nec in patrimonio regio, dari, fingíque potest quippiam eminentius, ac potentius, aut in quo magis sibi indulgeant iudices. Tamen cùm quæstio incidisset anno 1602. in publicis causarum actionibus vtrùm in eo peremptioni instantiæ locus foret, vrgerétque impensissimè animosus cliens, vt ex Ren. Chopini sententia, quem in hoc consulueram, causa perorarerur, tentaui equidem quasi inuitus, diffisúsque plurimùm, verbáque ipsa legis nostræ recensui, & quicquid aliunde ad victoriam visum est: contigit verò quod suspicari me in deliberatione prædixeram, cogitasse nimirùm Imperatorem de solis fisci causis, déque eius iure, ac patrimonio, non autem de causis priuatorum, quæ eximia quadam iuris publici præualentia (quod dixit Paulus tit. de rei vendic.) constarent. Peroraui igitur, quasi in primo iudicio, vt rectà ad Senatum itur vbi de collatione regia quæstio est, petitionísque libellus, vt citra mulctæ periculum, variis, quibus licuit, Romani, Gallicique iuris rationibus instructus, adornatus, confirmatúsque est. Tandem exceptionem Iustinianeæ huiusce sanctionis, qua parte fiscale ius attingit, aliò pertinere, quàm ad regias collationes, pronuntiatum est. Faciléque in eo distinctio Cuiacij lib. 17. obseruatio. cap. 23. insuperhabebitur. Addam vnum de perempta lite principali, vtrùm scilicèt irritum quoque fieri debeat Senatusconsultum, quod anteà de vindiciis, seu, prouisione, vt loquimur, interuenerit. Irritum enim non esse, vel ex eo constat, quod peremptioni in Senatu numquam sit locus, si semel inciderit vel interlocutorium, vel prouisionale iudicium. Sic semper ab antiquioribus didici. Ita verò & semper iudicatum vidi: magnitudóq;, & auctoritas tanti ordinis contrarium non patitur, cùm &, si vindicias secundùm aliquem dixerit, nulla eo casu exigi debeat à victore, quantumuis momentaneo, cautio, dari aliàs solita apud inferiores iudices. arguit quippe istud plus satis αὐτάρκειαν, id est, sua ipsorum dignitate subnixa esse omnia curiæ decreta: per se denique, nec ex causa vlla principali consistere. facessant ergo vulgares de lite mortua regulæ, ex quibus defendit hîc Baldus, nullius esse momenti iudicia, quæcúmque, postquàm triennalis peremptio intercurrit, lata sint.

§. *Et si quidem. Si actor sit absens, & de causa non liquet, pars fugiens*, (id est, Reus, qui tamen est præsens, ait glo.) *ab obseruatione iudicij relaxanda est, & actor in omnes expensas condemnandus. Sin autem actor absens meliorem causam habeat, pro eo ferenda sententia est, & præsens Reus absenti actori condemnandus.*

Hæc ex textu, & glo. Iunge autem §. cùm autem. inf. vt quo Imperator moneat iudices dicendæ quasi Deo imminente, ac præsente, sententiæ: id est, seu ambo litigatores adsint, seu alteruter absit. & hoc certè sacrosanctum semper nostris iudicibus, vt scilicet quantumuis absit interdum Reus, nec exceptiones, depulsionésve proferat, imò nec instrumenta quibus fulciatur quod in exceptione, depulsionéque, aut vt loquimur, defensione, est, aduertant tamen de more ad ius petitionis, an æquum, iniquúmve sit: vincítque ex eo Reus sæpissimè qui motæ aduersus eum litis securus vsquequáque fuerit. Cæterùm Reus seu defensor, hoc loco non tam Latinè, quàm imitatione patrij sermonis, appellatur à Græco Imperatore fugiens. Græcis enim actor, διώκων, est, id est, persequens, defensor autem, φεύγων, vt liquidò commonstrant verba hæc Platonis in

Eutyphrone, Ἐστι δή σοι, ὦ Εὐτύφρων, τίς ἡ δίκη, φεύγεις αὐτὴν, ἢ διώκεις, id est, quæ, precor, ista lis, ô Euthyphron, fugisne ipsam, an persequeris? Sic & Demosthenes, εἴ τις ἡμῶν φεύγων δίκην ὑπὸ τούτου παραγραφὴν ἐτόλμησε παραγράψασθαι, μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην. Ratio autem cur Reus debendi, nempe in ciuilibus, dictus sit à Græcis φεύγων, id est, fugiens, (qua voce non semel in hoc Iustinianus vsus est) ratio non immeritò ti possit ex more debitorum, quorum longè plurimi fallunt fidem creditoribus, vultum eorum defugiunt, fraudationis causa latitant, l. Fulcinius. ex quibus cauſ. in poſſ. eatur. calumniantur, l. qui tabulas. de furt. litigare malunt, quàm restituere, ac soluere, l. nemo. de verb. oblig pulchrè Horatius, Satyr. 3. lib. 2.

Scribe decem Nerio, non est satis, adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum: mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus,
Cùm rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modò auis, modò saxum, &, cùm volet, arbor.

Memini agitatam non ita diu causam in maiori auditorio, in qua docebatur ex Alto libellorum falce, tanta fuisse rei, seu defensoris, aut fugientis potiùs, effugia, vt nè quidem per quatuor continuos annos, quibus numquam actor interquieuerat, contestatio vlla litis esse potuerit, vt eo causæ vinculo, quasi quibusdam arctis compedibus, contineretur deinceps fugitiuus debitor, ac ferretur tandem, procedentibus ordine formulis, iudicium. vilescit denique apud nos ex eiusmodi effugiis, vox illa, de qua hic textus. De more enim tergiuersatores, aut ac restitatores potiùs, vocantur à nostris, *des fuyards.*

§. Sin autem. *Reus abfuerit, etiam absente eo eremodicium contrahi debet: & iudex ex vna parte cum omni subtilitate causam requirere: & si obnoxius fuerit inuentus, etiam contra absentem promere condemnationem quæ ad effectum perducatur.* Iunge §. seq.

Cùm autem eremodicium ventilatur, siue pro actore, siue pro Reo (gl. id est, cùm causæ euentus perpenditur, ac meritum, & an possit diffinitiuè pronuntiari) *examinatio causæ celebranda est. Cùm enim terribiles in medio proponuntur scripturæ, litigatoris absentia Dei præsentia repleri debet.*

De eremodicio dixi ad l. 7. ait prætor. §. vlt. de minor. cùm autem totus hìc textus nitatur hac vna ratione, quòd litigatoris absentia suppleri præsentia Dei debeat: è re esse arbitror, vt, quemadmodũ Christiani moris est, ad continendos in officio iudicantium animos, præfigere, vbicumque sedeant, sacram crucifixi effigiem, cui subiecta sint terrentia diuini eloquij, ni religiosè iudicent, verba: ita & hoc ipsum ab ethnicis, in falso suo cultu, factitatũ fuisse ostendã obiter ex auctoribus optimis. Sic enim Athenis, & Iouis βουλαίου, & Mineruæ βουλαίας τὰ ξόανα, id est, lapidea, ligneáve simulacra fuisse ἐν πεντακοσίων καλουμένῳ βουλευτηρίῳ, id est, in curia Senatorum qui dicebantur quingenti, eôsque ab ipso ingressu preces fudisse testantur orator Antiphon in Leocratem, & Pausanias in Atticis. Quem etiam apud Romanos adhuc gentiles, morem trado ad l. 1. ff. de orig. iur. Persequor cætera quæ in textu. Quanta enim subtilitate, aut, vt loquitur lex, de minore. §. tormenta. de quæstio. ff. subtili diligentia excuti debeat veritas, vbi de dirimendis, decidendisque litibus agitur, explicui ad l. illicitas. §. veritas. de off. Præs. ff. Terribiles verò scripturas, de quibus hìc, rectissimè intelligit Glossa, nostérque Cuiacius, de sacrosanctis euangeliis, ex vulgato textu legis, rem non nouam. inf. hoc tit. quorsum enim adijceret Imperator, præsentia Dei suppleri absentiam, nisi referretur istud ad euangelia? vocat inde alibi, nempe in l. 2. §. septimus. sup. de vet. iu. enucl. librum 47. & 48. duos libros terribiles, vt qui terrorem incutiant in delictis seu priuatis, seu publicis, omnémq; contineant seueritatem, pœnarúmque atrocitatem. Censet verò Sudorius ad hanc l. referri & hìc posse terribiles scripturas ad edicta iudicialia de quibus in l. ad perempto-

rium & sequentib.ff.de iudic. Vnum enim petebatur initio, deinde alterum, mox tertium, & postremò peremptorium, in quo peremptorio iudex comminabatur, etiam aduersa parte absente, sese cogniturum, & sententiam dicturum ad tollendam penitus, & perimendam controuersiam. Ea edicta, inquit, ad terrendos litigatores proposita, cùm, iure veteri, decem dierum tantummodò interuallum haberent, produxit tandem ad 30. dies Iustinianus, auth. qui semel. inf. quomodo & quando iudex. sic ille, paulò tamen, à mente Iustiniani, vt videtur, remotiùs: licèt alioqui seruemus religiosissimè edicta illa iudicialia in instruendis litibus, mutato dumtaxat veteri dierum, apud Romanos iudices, spatio. Quindecim enim primùm sunt dies, posteà 8. & tandem tres, quibus omnibus ita trãsactis, verè terribiles dixerimus cùm Iustiniano eiusce modi forcipes dilationes ex constitutionibus regiis, quæ ann. 1539. 1566. (Molinensis ea est) & 1580. quæ etiã Blæsensis. itaut si postquàm præfinita sigillatim tempora præterierunt, (dicimus, *apres que les delays sont acquis*) latum iudicium fuerit, consistendum in eo sit ignauo litigatori, cui tunc nec vlla conquerendi alia causa est, nisi quòd sibi ipsi defuerit. Suam enim absentiam suppleri eo casu præsentia Dei volunt leges, atque istud maximè Iustiniani vulgatissimum rescriptum, quod intereà instituit, docétque cuiuscúmque ordinis, ac dignitatis iudices, vt, quod scripsit Cicero lib. 3. offic. *Deum in iudiciis suis testem adhibeant*, præclarè Hesiodus ἐν ἐργ. β.

> Ὦ βασιλεῖς, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
> Τήνδε δίκην. ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες
> Ἀθάνατοι λεύσσουσιν, ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσιν
> Ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

id est, ô Reges, vos autem considerate & ipsi iustitiam hanc. propè enim inter homines versantes dij vident, quotquot prauis iudiciis se mutuò atterunt, deorum sollicitudinem, vultum, ac præsentiam non curantes. Audierunt plures mecum sæpissimè ex Dyonisio Butillerio, patrono celeberrimo, quod hîc, vt loco valdè idoneo, memorandum, posteritatique transmittendum putem. Narrabat ille nobilem quemdam Gallum accusatum apud prætorianũ iudicẽ, sub initia imperij Francisci primi, (centesimus ab hinc annus est) quòd dũ Lutetiæ, regiáq; in lupara, cum Turco, Christiano facto, colloqueretur, ex eóque, inter sermones, quęreretur eum ita conuersus foret. nihil planè aliud in illum, qui peroptimè in speciem, vt videbatur, depellebat accusationem, inquiens, rogasse se in hunc modum vt quale à nouo isto Christiano, Turco, responsum acciperet, nempe de elusis suæ gentis cæteris, qui vmbras, fabulásque pro verissima, sanctissimáque Christianorum fide, sequerentur, tale & hoc ipsum indueretet, adhiberet, conferret ad alliciendos, pertrahendósque blandis rationibus quosquis deinceps ex Mahometano illo delirio, quibuscum versari solebat, conueniret, & quotiescumq; de religione Christiana, ac Turcica, sermo incideret. Iudex prætorianus litem instruit, eámque, vt fiebat tunc de more, magni consilij iudicibus explicat. quis non diceret absoluendum prorsus accusatum cuius verba hæc sola arguebantur cùm factorum alioqui videretur innocens? Deus tamen, qui falli nulla vnquam humana astutia potest, verè præerat huic iudicio. Vna enim omnium sententia fuit, excepto Præside, qui dicebatur Vidus Breslæus, vt capite lueret. Hora decima instabat, qua dimitti iudicia mos est: precatur proinde Præses vt in sequentem diem diffinderent, remitteréntque iudicium, cogitarent autem intereà an morte digna essent verba accusati cuius tam idonea defensio, festinatio periculosissima, aiebat, monétque plus satis horæ decimæ instans ferè tadius, ac sonus, vt competindinetur condemnatio,

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.

Differtur ergo iudicium. Cras omnes conueniunt, perstántque vniuersi in eadem sententia quam priùs, hesternáque die, protulerant. Mirari Præses: sed quid faceret. solus enim ille de absolutione senserat. Sed quantò impensiùs mirabitur quisquis vltima tandem condemnati elogia, quæ iam subiicio, legerit. Pronuntiato enim ei funesto iudicio, & cùm colligasset manus tortor: heu, inquit, quàm ineluctabilia sunt Dei patientissimi, iustissimíque tandem decreta. Deus verè mouit animos iudicum vt ita de me iudicarent. Verba, quorum Reus factus sum, erant in alio quouis extra damnationis

periculum. sed decimus annus hîc agitur quo hac eadem die, vt pater meus occideretur, effeci. Sic tectissimus ille parricida, qui tamen nec arte, nec pretio fallere vnquam potuit summum vindicem. Verissimè noster Lyricus lib.3.carm.od.2.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Seruius ad hos versus. Æneid.1.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi, atque nefandi.

Et benè memores, inquit, quia etiamsi non statim puniant crimina, sunt tamen memores. hactenus Seruius. pater autem omnis virtutis Homerus, dum Menelaum exhibet vulneratum, & consolationem fratris Agamemnonis ex spe vltionis diuinæ, vaticinium hoc subiicit *Iliad.δ.*

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσι.

id est, *Quamuis & statim Olympius Iuppiter non perfecit, perficiet tamen tandem, ac serò, & magno luent cum suis capitibus, vxoribus, & liberis.* At verò quis nescit de Besso illo quem meminit Plutarchus, lib. de iis qui serò à numine puniuntur? patrem ille interfecerat. Ignotũ diu tandem cùm apud amicum cœnaret, decussit mucrone hastæ nidũ hirundinis, contriuitque pullos in conspectu plurium culpantium factum, vt qui innocentia animalcula trucidasset. Imò importuna, ait, nocentiáque occidi. falsò enim indies in me quasi parricidam clamitant. mirari omnes continuò. Regi denuntiant, studiosissimè inquiritur, réque abundè patefacta, parricidarum pœna affectus est. Recenseo nimirùm qua possum fideli, gnauáque opera, quod testatus mihi est, aliísque pluribus, vir optimus, famàque forensi conspicuus, qui & ita semper à magni consilij iudicibus, apud quos diu vixit, didicerat.

§.Siue autem. *Victus in expensarum causa victori condemnandus est.*

Dixi quantum satis de expensis iudicialibus ad l.eum quem temerè.ff.hoc tit.

§.*Si autem vtráque parte imminente, & litem peragere cupiente, iudex protelare litem ausus fuerit, vel propter amicitias, vel inimicitias, vel turpissimi lucri gratia, vel propter aliud quod piã vitium, quod miserrimis animis huiusmodi iudicum innasci potest, & propter hoc triennium fuerit transactum: iudex decem libras auri priuatis nostris largitionibus inferre per scholam palatinam compelletur.*

Tria nempe præcipua, vsitatissimáque iudicum vitia describit, gratiam, seu amicitias, deinde inimicitias, posteáque auaritiam, de quibus cùm abundè scripserim ad l.15. filiusf.§.1.ff.hoc tit. addam singularem Luciani locum in Toxari, seu ἐν τῇ φιλίᾳ: vbi sic ille de Massiliensibus nostris: ὁ Μενεκράτης ἀφῃρέθη τὴν οὐσίαν ἐκ καταδίκης, ὅτε περ καὶ ἄτιμος ἐγένετο ὑπὸ τῶν ἑξακοσίων, ὡς ἀποφηνάμενος γνώμην παράνομον. οὕτω γὰρ οἱ Μασσαλιῶται κολάζομεν, ἔφη, εἴτις παράνομα γράψειεν. id est, Meneerates mulctatus est bonis omnibus eum infamiæ nota à sexaginta viris, quòd sententiam iniquam protulisset. Sic nos Massiliotæ plectimus, ait, si quis iniqua scripserit. Vidit, doluitque vniuersa Gallia per annos quindecim, mercari, nundinari, negotiariq; longè plurimos iuridicinas, maiores, minores, imò & vilissimas, in hoc maximè vt, quasi in fundis patrimonialibus, quorũ etiã nomine, reditũ annũ, per totũ illud tẽpus pẽsitarunt ferè nihil, non, præsertim in prouinciis, p̃ro animi libidine, agerent, pluta ausuri nisi vindex supremorũ tribunaliũ auctoritas coërcuisset. Patrimonia ista hoc anno 1618. mense Febru. à iustissimo nostro Ludoico 13. sublata sunt. Cæterùm comminatur frustrà Iustinianus in pro-

pagatore

pagatores litium, at verò & in ipsos iudices qui ipsas protelare audeant vltra triennium. primùm enim furelæ illæ litium vt aliis quàm iudicibus tribuendæ sunt, putà pragmaticis, ita edictum hoc Iustiniani de peremptione instantiæ, cõtrario vsu, seruamus, vt moneo suprà ad legis nostræ principium. De schola autem Palatina, & quo more admittatur apud nos, vide ad l. qui restituere. ff. de rei vendic. vbi hunc finem explico.

§. *Illo proculdubio obseruando, &c. Si per patronos causarum steterit quominùs lis marte suo decurrat: duarum librarum auri pœna afficiendi sunt, per scholam Palatinam exigenda, & similiter publicis rationibus aggreganda. necessitas enim aduocatis imponenda est, ex quo litem peragendam susceperint, eam vsque ad terminum* (glo. 1. sententiam) *implere honorariis scilicet à clientibus, qua dare possunt disertissimis togatis omninò præstandis: &, si cessauerint, per executores negotiorum exigendis, nè per huiusmodi machinationem causæ merita protrahantur.*

Comminatur patronis, si per auaritiam causas vltra triennium produxerint, excusat verò etiam si à clientibus honoraria, pro causæ magnitudine, próque clientum facultatibus non acceperint. Vide & nota in hoc quid de aduocatorum honorariis scripserim ad l. qui operas. ff. loc. executores autem negoriorum hîc intellige, sollicitatores, quos dicimus. plura de his reperies ad l. vlt. ff. de testib.

§. *vlt. Si desidia tutorum, vel actorum, vel procuratorum minorum, triennium fuerit elapsum, & à causa* (glo. i. ab instantia iudicij) *deciderint minores: lis nihilominus suum habebit vigorem* (glo. vt scilicet triennio finita denuò inchoëtur: testésque iterum producendi erunt) *omnis autem iactura, quæ ex hac causa oritur, ad tutores, & curatores, aut fideiussores heredesque, & res eorum redundabit, & ad omnes, quorum in hac causa legitimè interest.* (i. ad quos damnum huius causæ pertinet, vt vult Molinæus.) *Sin autem non sufficiat pupillis, vel minoribus eorum substantia: tunc in id in quo fuerint damnum perpessi, placuit in integrum restitutionis auxilium eis superesse.*

Quotidianus. §. & qui nec tam clarè intelligitur nisi à fori optimè peritis. Qui redegerunt mores Boiorum, seu Borboniensium, vt loquimur, (vt sanè tota illa consuetudo passim exerit singularem eorum, à quibus conscripta est, peritiam) Gallicam fecerũt totius huiusce. §. decisionem, art 33 in hæc verba: *Prescription ne court contre les mineurs: c'est à sçauoir contre le masle ayant vingt ans, &c. Et ledit temps de minorité est distrait de ladite prescription soit qu'elle soit commẽcée contre le mineur, ou autre son predecesseur, maieur. Toutefois le temps & faculté de reemerè, ou de rachapt par vertu de faculté de reemerè, court & a lieu contre lesdits mineurs, sauf leurs recours contre leurs tuteurs.* Distinguit Molinæus ad eum articulum, si habuerint tutores, & sint soluendo. aliàs, inquit, restituuntur. De Ruscinonensi quidem constitutione nihil adjcit, vt quæ nondum lata esset, dum scriberet: sciendum verò est, seruari religiosissimè, vt excipiantur minores, collegiáque ecclesiastica, ab articulo illius decimo quinto, quoties, pereunte lite, ius simul vniuersum, actióque ipsa absumitur, neć soluendo est tutor. maximè si de causa merè ciuili, ac pecuniaria sit quæstio. Ita Chopinus lib. 2. tit. 8. nu. 7. ad Cõsuetuď. Paris. ex arestis curiæ. Secus si de criminali agatur negotio. Acerrimè enim agitata quæstio illa est ann. 1601. die 14. Iull. in criminali auditorio, Lud. Dolæo, qui posteà Consistorianus Comes, & Tho. Martino, at verò maximè Dom. Marionio, tũc fisci patrono, perorantibus. Cæsus fuerat pater minorũ à

R

P. Prujas, capitali, apud Oratenses, iudice, in finibus Lemonicum. Conscripta fuerant elogia, seu informationes, vt loquimur, decretæque præhensiones corporis aduersus sicarium, & socios criminis, annotata bona, quorum & factæ locationes publicæ. nihil tameo vltrà, quia nullus liberorum occisi tutor. Adeout ab anno 1578. vsque ad annum 1600. id est, per annos 22. prosecutiones planè interquieuerint. Anno 1600. minores, vbi se maiores factos vident, inter mortuam funestam illam litem renouant. nituntúrq; potissimùm hoc §. vlt. & constitutione Ruscinonensi, quam citaui suprà, vt quæ de minoribus nihil statuat: premũt autẽ in eo maximopere, quod tutorem interea nullum habuerint. Accusari admittendos amplius non esse contendunt, ex vulg. l. querela. de fals. quæ 20. dumtaxat annos, ad præscribendas actiones criminales, desiderat, quæcumque illæ sint, & aduersus quoscumque, etiam minores. proferunt in id, textum eximium legis 2. nè de statu defunctor. ff. & legem, Auxilium. de minorib. imò & legem, iustas. de iure fisci, lib. 10. Cod. cuius hæc verba: iustas etiam, & quæ locum habent, fisci actiones, præcipimus concremari ob hoc solum, quòd suis temporibus prolatæ non sunt. vbi malè Balduinus interpretatur, *concremari* pro, *suspendi ad tempus*, nempè ἐκ τοῦ κρεμᾶν, i. suspendere. cremabantur enim, & comburebantur eiuscemodi actiones, vt apud Ausonium. laudant deinde Titi Liuij sententiam, scribentis vetera peccata obliterata, non esse repetenda: Imò & hoc ipsum iudicatum fuisse in causa parricidij, nempe ex d. l. querela, dicentibus Nauarroro, & Choartio. Iudicatum prætereà docebant contra minores, secundum equitem, Delaborde, qui socerum occiderat, quamuis & cessio actionũ, & transactio ea de re intercessissent, dicentibus Pet. Molinæo, Lud. Roberto, Annæi filio, & Io. Tronconio. Tantique esse decisionem d. legis, querela. commonstratum est, anno 1596. causam rursus agente Lud. Dolæo, pro Bignio, quodam Borboniensi equite, vt, post annos 20. nè quidem superesse actionem ad mulctas, aut vuitgildum, seu, vt loquimur, ad id quod interest ciuiliter, Senatus censuerit. Tot inter collisas hinc illinc ex iure Romano, ac Senatusconsultis Gallicis, rationes, placuit amplius deliberandum, videndúmque esse quid reuera ex actis, tabulisque iudicialibus, & curiæ placitis. Accepi tamen aliquantò post ex Martino, qui pro Prujatio dixerat, summotos fuisse actores, litis interprete Dom. des Landes, pérque summum illud ius legis, querela, ac Senatusconsultorum quæ lata non semel ad eiusmodi quæstiones fuerant. & cum sermo mihi de his interdum fuisset cum sagacissimo, experientissimóque Senatore, testatus mihi est interfuisse se pluribus eiuscemodi criminalis decuriæ iudiciis, in quibus etiam contra minores, nec tutorem habentes, iudicatum ita semper fuerat. Quantum autem ad ciuilia, nemo peritorum fori ambigit, distingui semper ex hoc §. vtrùm tutores inopes, necne, fuerint, vt restituatur, vel nõ, minor aduersus quem perimi litem, lapsu triennij, contigerit. quem & iudicandi morem perpetuum esse ab eodem, plurimísque iamdudum primæ famæ patronis didici. Quod si de redhibitione gentilitia, seu retractu lineari, vt loqui mos est, disceptatio sit, indistinctè verum est litem adeò implacabiliter perimi, vt seu diues sit tutor, seu non, numquam reuiuiscat actio, solúmque tutorem sibi obnoxium minor habeat. nulli mores in vniuersa Gallia qui aliud ferant. Sint ista eandem pro coronide ad celeberrimũ, vulgatissimúmque Iustiniani, delitium peremptionibus, decretum. Audieram sanè iamdiu admissas numquam à Rhotomagensibus, quæcumque promulgata sint edicta regia: Rationem verò diffusam nimis, quasíque ἐν τῷ μέρει attingit consuetudinis Normanæ interpres nouissimus ad artic. 576. inquiens fieri hoc ex mente legis vlt. inf. de temporibus appellatio. vbi Iustinianus solos excipit consistorianos Comites: (consiliarios status hodie dicimus) *cùm iniquum sit*, ait ille, *propter occupationes florentissimi ordinis quas circa nostra pietatis ministeria habere noscitur, causas hominum deperire.* Singulare enim, aut speciale in eo quicquam vix est vt vllus vnquam dixerit, cum & idem seruet noster Senatus, postquàm vel appellatio per trienniũ neglecta, vel in lite ex scripto, fori exclusiones rite, ac rectè decurrerint: non modò ob occupationes de publicis, priuatísque negotiis quotidianas, solóque autumnali otio intermissas, sed quia aliunde cogi nõ possint supremi iudices, nec admittatur tanquam à denegatione iuris, appellatio, vt in omnibus qui ad maiora tribunalia spectant: immò & seruatur in Basilicanis recuperatoribus, quia ab ipsis appellatur, quippe delegatis, partémque Senatus constituentibus. Reijci igitur peremptiones in Rhotomagensi curia addico hodie, ob non ita affluentem vndequaque, nempe vnius tantùm prouin-

ciæ,litium copiam. Quod fecus in Parifienfis curiæ ducentorum milliarium, & amplius latifundio. Qui peritiorem,probabilioremve rationem contulerit, herbam,quod aiunt,nec inuitus porrigam. Scribo enim venerans ex æquis, fublimes, ardentéfque octo regni fuperiorum tribunalium purpuras.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 2.

Rem non nouam. Antiqui iudices non aliter iudicialem calculum acceperant,nifi priùs Sacramentum præftitiffent omninò fe cum veritate, & legum obferuatione iudicium effe difpofituros. Igitur iudices,feu maiores,feu minores, vel qui ex recepto,id eft, compromiffo (quod iudicium imitatur) caufas dirimendas fufcipiunt, vel qui arbitrium peragant (gl.fine pœna)*non aliter primordium litium accipiunt, nifi priùs ante fedem iudicialem facrofanctæ deponantur fcripturæ, & hæ permaneant vfque ad ipfum terminum, & difinitiuæ fententiæ recitationem. fic enim attendentes ad facrofanctas fcripturas, & Dei præfentia confecrati ex maiore præfidio* (gl. id eft, auxilio Dei) *lites diriment, quod non magis alios iudicant, quàm ipfi iudicantur: ipfi enim, Deo infpectore adhibito, caufas proferunt trutinandas.* Iunge auth.feq.

Hodie iurant fe facturos fecundum quod eis vifum fuerit iuftius, & melius:exceptis defenforibus ciuitatum, qui iurant omnia fecundùm leges, & iura fe facturos.

Priufquàm fingula, quæ ad textum, ordine fuo perfequar, præfabor paucis quod nec ita vulgatum plurimis,fcitu autem digniffimum eft. Iurabant Senatores, iurabat populus Principi: & viciffim ipfe Princeps populo,ac Senatui,ftatim poft fufceptas Imperatorias infulas..quem morem cùm, ad hæc vfque tempora, in Principibus noftris inaugurandis obferuatum fcribat Pet.Faber ad tit.de orig. iur. fubiiciam peropportunè quæ in hoc ipfum prætermifit, tametfi pernecceffarium. Rex enim Francorum femel tantùm, quamdiúque aduiuit, folemni formula iurat, inter facra fcilicet inaugurationis regiæ.hoc dicimus nos Galli: *lors de fon facre.* In cæteris,quæcumque illa fint, fpondet tantùm fide regia.*en parole de Roy*,vt loquimur.vide plura, fi lubet,apud Io. Tillium,in commentariis rei Gallicæ,capite cui titulus,*Titres,grandeur,& excellence des Roys, & Royaume de France.* Iurifdictionum omnium caput eft Princeps, cuius proinde meminiffe,leuique,quod aiunt, digito contingere iufiurandum folenne debui, vt eò tantò magis,quafi ad præfens iudiciorum numen, referatur quicquid aufpicatò iurent inftituti ab eo iudices. Olim iurabatur in hunc modum ab Athenienfium iudicibus,vt tradit orator Andocydes,ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, pag.12. οὐ μνησικακήσω, οὐδ᾽ ἄλλο πείσομαι. ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. id eft, non recordabor iniuriarum quæ mihi illatæ fuerint,neque alij rei cuiquam fides à me adhibebitur. fententiam autem feram ex præfcriptis legibus.Ita Græci iudices,de quibus &hoc notat Heraclides tractatu,περὶ πολιτειῶν, feu de rebus public.qui hodie Æliani libris 14.fubiicitur: vt fcilicet Thefmothetæ fex, ftatim atque electi, probatique effent, iurarent folenni facramento, δικαίως ἄρξειν, καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι. id eft,iuftè fe iudicaturos, & munera non accepturos. De Romanis fic Afcon.Pædianus in 2.Verrinam: *Reiectione autem celebrata, in eorum locum qui reiecti fuerant, fubfortiebatur prætor alios,quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur. Prima enim fortitio dicebatur. His perfectis iurabant in leges iudices, vt obftricti religione iudicarent,&c.* fufiùs morem illum explicat. At verò nec magiftratum plus quinque dies gerere li-

cebat, nisi qui in leges iurasset, ait Liuius lib.1.decad.4.in fin. Pauca hæc ad Pet. Fabri, de quo suprà, syluas de iurisiurandi formulis immensas. Mirum enim quanta ex auctoribus Græcis, ac Romanis eruerit ad prisca non iudicum modò, sed & magistratuum, Senatorum, Imperatorum, Regum, ac ipsorum etiam militum Sacramenta. hodie, ait ille, in Gallia nostra cùm ad vniuersitatem causarum dentur iudices, in singulis causis non iurant, idque ex constitutione D. Ludouici, de qua in quodam veteri libro manuscripto, (quo ius & Gallorum, & Romanorum verbis Gallicis, sed antiquis, à Ionuilla expositum continetur) hoc legitur: *Par l'ordonnance de S. Louys les Iuges font serment, & iurent au commencement de leur maistrise, mais non en chascune cause.* Deinde ita persequitur: at in Senatu Tolosano, inquit, Senatores quotannis solenne iusiur. præstant: quod in Lutetiano, aliísque vt vocant, Parlamentis, non itidem obseruatur, & meritò, vt quidem videtur: cùm etiam, dum iustitium est, à munere vacationem aliquot mensium habeant, perpetuo tamen honore, ac magistratu fungantur. quanquam deprauatis plærorúmque huius in finem vergentis seculi hominum moribus, iterari vel quotannis (si non quot mensibus!) hoc iusiurandum in omnibus maioribus, minoribúsque iudicum tribunalibus, atque subsellijs reip. forsan expediret: vt causam esse putem, quare Senatores Tolosanos suam retinentes consuetudinem, alij potius imitari, quàm aut repræhendere, aut aspernari debeant. Sic eruditiss. ille Senatus Tolosani Princeps, à cuius stylo nè tantillum quidem recessi, cùm de maioribus iudicibus ita proloqui non sit meum. Moris autem perpetui est iudicibus non modò, sed & administratoribus, rectoribúsque prouinciarum, omnibus denique qui imperium habeant, vt initio administrationis iusiurandum præstent. Seruamus enim in eo religiosissimè Nouellam; iusiurandum quod præstatur ab iis qui administrationes accipiunt: vbi malè Haloander vertit, *officia*. melius enim Bulgarus vetus interpres, *administrationes*: cum habeat Græcus Codex: τὰς ἀρχάς. putà, ὅρκος τῶν τὰς ἀρχὰς λαμβανόντων. fusissimè Tiraquellus, suo more, de huiuscemodi Sacramentis, vel vsque ad artifices peritos, tractatu de præscriptionibus, §.1.glo.8. vide autem omninò ad legis istius illustrationem quod latè de officio iudicum statuunt capitularia Caroli Magni, cap.25. additione 2. in calce operis. particulã exscribam: *obsecramus*, ait textus, *vt in eligendis reip. ministris, qui, vice vestra, populum Dei regere, atque iudicare debent, solertissimam prouidentiam habeatis &c.* & pòst ita rursus ex libro Paralipom. *constituit rex Iosaphat iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda, munitis per singula loca, & præcipiens iudicibus: videte, ait, quid facitis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcúmque iudicaueritis, in vos redundabit.* Perscriptum hoc vltimum maioribus, quadratis, prominentibúsque literis in deaurati, maiorísque auditorij latissima, quę diuinum humanæ salutis caput præfert, tabula. Dixi de defensoribus ciuitatum, de quibus in auth. hodie. quam ad hoc principium legis adiunxi, ad tit. de defensoribus ciuitatum. lib.1.

§. Patroni autem causarum sacrosanctis euangeliis tactis iuramentum præstent, quod omni virtute sua, omníque ope, quod verum, & iustum existimauerint, clientibus suis inferre procurabunt: non autem credita sibi (glo. id est, commissa) *causa cognita, quòd improba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita ipsi scientes, prudentésque mala conscientia liti patrocinabũtur.* Item, *nulla licentia concedatur spreto litigatori* (sup. ab aduocato in mala causa) *ad alterius aduocati patrocinium conuolare, nè, melioribus contemptis, improba aduocatio subrogetur.*

Prætermitti hîc non debet quod Ioan. Faber notat de more Gallico ad tit. Institut. de pœna temerè litigantium: fieri nempe hoc iuramentum ab aduocatis in curia Franciæ semel in anno. sunt eius verba, quæ & hac insuper interpretatione indigent. Cùm

enim scribat glossa, non seruari ex vsu in aduocatis quod vult hic §. vt scilicèt, tactis euangeliis, iurent: iurant tamen quotannis in Senatu Paris. & sex reliquis, manu tabulæ crucifixi imposita, sese edicta Seruaturos. Solemnem illum morem describo ad l. 1. ff. de orig. iur. iurant enim tam ab aduocatis, quàm procuratoribus vniuersis, postquàm Martiniana, vt vocant, missa celebrata est, à qua totus in purpuris Senatus redit in deauratum auditorium, sedénsque audit edicta forensia recitari ab actuario, ac procedentes spectat, ordine matricularum, patronos, & procuratores, vt iurent singuli inter manus fori Principis quali formula diximus. Vnũ subiungam, fuisse nimirùm Athenis sacrum, lapidéumque in foro altare, ad quod, ex lege Solonis, iurare solerent oratores in leges patrias: quod Hesychius ostendit plùs satis in hæc verba: λιθωμόται, δημηγόροι, ἐπὶ τῷ λίθῳ ὀμνύντες. id est, oratores vocabantur, λιθωμόται, iurantes scilicet ad aram lapideam, quod & ipsum Thesmothetæ: Thesmothetisque ipsis Athenienses vniuersi iuxta porticum regiam: ὤμνυον πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ: inquit Iullius Pollux, lib. 8. cap. 9. explanauit morem Io. Meursius, lib. 1. cap. 6. & lib. 6. cap. 17. Attic. lectio. Romæ autem ante hanc constitutionem nusquam iurasse seu initiò causarum, seu semel in annos singulos reperio. Et cùm anxiè istud quæsierint Tiraquellus, (qui reuera librorum helluo) tit. de præscription. § 1. glo. 8. Pet. Faber, ad l. 2. de orig. iur. vbi immensa eruditæ verustatis supellex ad omnes sacramentorum species, Pilectus, auctor cultiss. & accuratiss. in historia fori Romani, & alij complures, quorum scripta euolui, nihil planè de hoc ante Iustinianum, quem proinde, vt ita statueret, mouit vel tantò maius ad lites causásque instruendas, & perorandas, sanctitatis auctoramentum, vel increscens, cui obuiam eundum putauit, malitia.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 13.

Sancimus. Nisi omnia damna prius restituat ex huiusmodi vitio aduersarij eius inflicta, siue circa ingressus litis, siue circa honoraria aduocatorum, vel alias causas quæ in iudicio versantur. Iunge Auth. seq.

Post iusiurandum delatum, & præstitum, non licet iudici amplius taxare. Sed & si hodie prius iudex taxauerit, & ita secundum quantitatem à iudice taxatam iuratum fuerit, non habeat licentiam iudex, minus quàm iuratum fuerit, condemnare.

Certissima nempe ex his regula, contumacem non audiri nisi refectis impensis, dicimus vernaculo nostro forensi, *refonder les despens de la contumace*. quæ autem illa expensarum condemnatio esse debeat, non patroni, sed formularij magis est. Altaque proinde auti, ex eo, seges procuratoribus quorum fama hilarior inter collegas. ad eos enim confertur à cæteris illa controuersia: quodque terminant, pro lege habetur apud iudices. Tanti verò iusiurandum quod præstat victor, vt si additæ ei, taxatæue, habito iuramento, (quæ forensia vocabula) impensæ quædam fuerint, nihil in contrarium liceat Reo ad commonstrandum periurium. euicit adeò hoc ipsum non ita diu litigator Andensis, Champlæsius nomine, vir alioqui nobilis, vt licèt aduersarius profectiones, quas affirmabat ille, falsas esse, ac imaginarias ostensurum se contenderet, tamen quia ob solas lites, quæ reuera quotannis, & quamdiu vixit, innumeræ, lutetiæ, quasi semper extraneus, moraretur, probatio omnis in contrarium summota sit à senatu, solique iuramento præstito fides habita. vocatutque in hunc diem, Champlæsianum arestum, quo scilicet in taxandis expensis iudicialibus, sola habiti, acceptique iuramenti habetur ratio. Secus si qui lutetiæ, vero domicilio, habitat, affirmauerit profectiones a-

liunde in eam factas, vt tantò grauiorem expensarum summam sibi auferat. Nuper istud Raueriana conata est, sed incassum. Quamuis enim necessarium ex testamento senatoris, cuius parcendum nomini, apud Parisienses, longisque antea ab annis domicilium habeat, nec verò Lugduni, vbi olim nupserat: affirmare tamen non dubitauerat, profectam sese Lugduno in nostram hanc lutetiam ex causa litis, in qua superior, adiectisque expensis, fuisset. Appellauit aduersarius senatum qui temerariam illam, καὶ ἀναιδῆ, affirmationem damnauit non modò, sed mulctauit etiam expensis.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 14.

Apertissimi iuris est, licere litigatoribus iudices, antequam lis inchoetur, recusare. quia sine suspicione omnes lites procedere nobis cordi est. libellus autem recusationis porrigi debet iudici antequàm lis inchoetur, non post litem contestatam, nè lites in infinitum extendantur.

Reiectiones istas iudicum, & quo more admitterentur à Romanis, fusè explicat Asconius in 2. Verrinam. maximè autem, inter nostros, Cuiacius lib. 9. obseruatio. cap. 23. olim, ait ille, reiectio, id est recusatio, vel vt est in veterũ glossis, ἀποβολὴ, ἢ ἀπόληξις κειτῶν fiebat statim post sortitionem, ante litem cõtestatam, aut his verbis, *hunc nolo*, vt in Panegirico Plinius, *fors*, inquit, *& vrna, Iudicem adsignat, licet reijcere, licet exclamare, hunc nolo, timidus est.* vel interposito iureiurando, his verbis, vt apud Asconium, *eiero, iniquus est.* Cætera vide illo loco, atque apud Asconium. Tantam fuisse apud Athenienses curam reperio, nè quid iudicantium religionem quacumque ratione turbaret, vt ipsam hanc rationem adscribat Iul. Pollux, libr. 8. cap. 10. cur περισχοίνισμα fieret, id est, cur cingeretur forum funibus, lictoresque hinc illinc adstarent, Rege ita iubẽte, quotiescunq; ius diceret, ὅπως μηδεὶς ἀνεπιδὼς προσίοι, id est vt nemo suspectus aut potius, non inspectus, accederet, ac introspiceret. scio legi in quibusdam exemplaribus, ἀνεπιπλωτος, male autem id, & contra mentem textus. Sed de priscis hactenus. Glossa hîc exceptionem subiicit quam sequimur: nisi scilicet post contestationem noua recusandi causa, vel de nouo cognita, intercedat. Addit verò Io. Faber quod explodimus: posse nimirum recusari iudicem, si patronus aduersarij sit eius familiaris, Quærit Boërius q. 258. num. 7. & 8. vtrùm scriba iudicis possit recusari: & decidit, posse, idque, ait ille, ad solum iusiurandum partis, quoniam possit alius facilè subrogari. quod & ita censet Rebufus, tractatu de recusationibus, in fin. eo autem iure vtimur. Procuratorem deinde, & aduocatum fisci posse recusari scribit idem Boërius d. q. 258. si comperiatur eos esse à consiliis aduersarij, vel alia, inquit, iusta de causa. In quo tamen vide quid ex sententiis consultissimorum, atque ex arestis annotauerim ad l. 1. ff. de offic. procur. Cæs. nondùm enim expedita satis illa quæstio, cùm vtrimque rationes commissas videam. Disceptatum acriter vidimus in comitiis Aruernæ vrbis iuridicis, ann. 1582. die 5. Nouembr. vtrùm præsidales iudices in summa quæ primum, ac secundũ caput edicti Præsidaliũ egreditur, remittere litẽ debeãt ad propinquiorẽ sedem Præsidalem, si vnus, vel alter iudicum actoris, vel Rei partes obtineat. Nam vt articulus 52. edicti Aurelianensis indistinctè loquitur, ita & videbatur remissionem nullam faciendam esse, ob appellationis scilicet concessum ex edicto beneficium, quo damnatus possit iniquitatis sententiæ querelam apud maius tribunal persequi. Tamen iudicarũt delegati in consessu illo iudices, seu potiùs examen Senatus, remissionem litis etiam eo casu fieri oportere, si modò alter litigatorum illud postulet, cùm speretur semper melius ab eo qui primo iudicio vicerit, nec tam facilè Senatus illius minoris sententias infirmet ordo amplissimus: sæpissimè enim hoc visum est. Sic ergo intelligendus articulus ille 52. constitutionis Aurelian. dicebant in causa Tusan. Chauuelin. & Fr. Brigartius. quod & rursus in eam ipsam quæstionem confirmatum est, ann. 1597. die 22. Iu-

nij. Aliud verò in Senatu. Tunc enim nec lis aliò transfertur: sed remittitur tantùm, de more, ex vna classe, seu decuria, in aliam, si modò tres cōsanguineos, vel affines, ad quartum gradum vsque, aduersarius in ea classe babeat, in qua lis iudicanda sit. seruamus in hoc articulū 121. constitutionis Blæsensis. Quod si toto in Senatu, id est, Parisiensi, decē sint consanguinei, vel affines alterutrius litigatorum qui tanti ordinis non fuerit, vel si octo præter duos litigatores, qui etiam consiliarij sint, lis transferenda eo casu, seu euocanda, in parlamentum aliud, vt loquimur, postulante alterutro. In Tolosano, Burdigal. & Rothomag. sex sufficiunt, aut quinque, si neuter litigator sit consiliarius. In Diuionensi, Aquensi, Gratianopolitano, quatuor, aut tres, vt suprà. Ille enim vsus hodie ex ead. Blæs. constitutio. art. 117. quem propterea integrum latinè exscripsi ob quotidianam ipsius frequentiam. nullo autem casu translationi, seu euocationi litis locus est in causa capitali, nisi de speciali mandato Principis id fiat (dicimus, *si les lettres ne sont en commandement, & signées par l'vn des 4. secretaires d'estat*) & nisi reus sit in vinculis, auditóque priùs Senatu à principe: ita enim constitutio Molinensis artic. 70. quem seruamus.

AVTH. SI VERO.

Aut per amicabilem compositionem dissoluant quæ dubia sunt, &c.

Quid hoc sit, explico ad l. 10. idémque. § 6. Si quis ea. ff. mandati. de arbitris arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus. Notabitur interim vocari ideò arbitria, amicabiles compositiones, quia iure ipso communi nemo cogi possit compromittere, l. si dictum. § si compromissero. ff. de euictionib. vide Tiraq. tract. causa cessante, num. 29.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 15.

Certi iuris est, quod concessa est etiam militaribus hominibus iudicandi facultas. quid enim obstaculi est, homines qui alicuius rei peritiam habent, de ea iudicare?

Componenda omninò lex, magisteriæ. inf. de iurisd. omn. iud. referendúmque huc quod scribit Aristoteles lib. 3. politic. cap. 11. electiones scilicèt fieri oportere ab iis qui in quacumque arte periti, conuocatíque in id fuerint. Eiuscemodi quædam fuit olim iurisdictio penes vnum ex vinctis, seu clausis carcere, qui electus à cæteris fuisset, vt scribit Demosth. contra Aristogiton. fuit & alia etiam penes gubernatorem nauis, apud Athenæum, lib. 5. nec abs re propterea fuerit connumerare hîc Basilieanos iuuenes in curia Paris. & aliis per vniuersam Galliam: Bazochianos vocant. Iuuenilia eorum iudicia, confirmari tamen solita à Senatu. meminit quædam Io. Lucius in suis placitis, vir sanè diligens, stylíque elegantioris studiosus, sed quem fefellit Græcæ vocis affinitas. Non enim ἐκ τῆ βασ..χεῖν, quod apud schol. Aristoph. sed à Basilica factum nomen est. dicimus nos Galli, *Bazoges*, quod Latini, Basilicas. Atque vt nè supercilium ducant quorum suauem persæpe inscitiam prodit censuræ audacia: Ita semper, à magnis viris didici Pet. Pithæo, Nic. Fabro, præf. Falecrio, Ant. Oysellio, Iac. Choartio. Inde igitur Basilicani, al. Bazochiani, vt loquimur: pro quibus celebrem ante annos 30. causam egit Fr. Vallius, suæ ætatis disertissimus. Dixi etiam anno 1587. contra Theod. Pasquerium, qui damnatos ab eis quosdam susceperat. Confirmatum verò iudicium est. Tolerat enim optima ratione iuridicinam istam ordo amplissimus, eùm seminatium sit procuratorum forensium, qui, quasi instar Cyti prædiæ, apud Xenophontem, exhibent maiestatis Senatus portiunculam, discúntque iuuenilibus experimentis singula quæ ad forum. persequar cætera ad d. l. magisteriæ.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Libellus recusationis debet offerri iudici delegato, si est præsens: si verò sit absens, præses prouinciæ adeundus est ab eo qui suspectum sibi iudicem esse dicit, & hoc in actis manifestum fieri oportet: (dicimus, prendre acte. *) Si verò præses prouinciæ absit, apud defensorem locorum, vel duumuiros municipales iudex ille delegatus recusandus est, gestis apud eos habitis.*

Componenda lex pen. iubemus. sup. de defensoribus ciuitatum, ad quam dixi. Notandum verò est, ideò statuere Iustinianum vt libellus recusationis offeratur, quia petpendendæ sint causæ recusationis: remetitatique adscribitur, & quæ vindicetur legibus, si quis ex abrupto dicat publicè in faciem iudicis, nolle eum esse suum iudicem. Qui hoc faxit, carceri procul dubio se mancipat. Itur de more in ædes suspecti iudicis, cùmque, supplicatione humillima, precatur litigator vt iudicio abstineat ex causis quas blandè eloquitur. Quòd si nolit iudex postulata facere, respondet paucis, libellum offerri posse cæteris iudicibus ad causas recusationum. Imò & si sileat iudex, libellus porrigi solitus est. Quibusdam succedit, aliis verò non. satius autem longè, si suspectus sit iudex, eum semper reijci. Quamuis enim postea ambiat iudices reliquos, aut, vt loquimur, sollicitet, dicere tamen sententiam non potest, qua, vt plærumque accidit, cæteros vertat. expertos hoc ipsum plærósq; vidimus: maximéque hocce iudicis consilium repetitum mihi est sæpissimè inter diuerbia, vide quæ speciosæ, vel non, recusationes, ad l. 3. in verbo, Amicus. ff. de testib.

TIT. II. DE SPORTVLIS, ET SVMPTIBVS IN DIVERSIS IVDICIIS FACIENDIS, & de executoribus litium.

Minor nullam prorsus sportulæ mentionem fieri duabus legibus huius tituli, cùm & eius habeatur frequens mentio in locis, vt videtur, nec tam idoneis, nempe in l. vlt. de re militari in l. 4. de Castrensianis, l. 12. in sacris. de proximis sacrorum scriniorũ, lib. 12. cod. Cuiacius in paratit. docet, agi toto hoc tit. de sportulis quas conuentus Reus dat executoribus litium, id est viatoribus, conuentionis nomine. horum enim propriũ munus est, Reos conuenire, & commouere, & reorum quoque onus hoc proprium, sportulas eis soluere, nou. 53. meta ipsius verba recenseo. cũ autẽ fusiùs de sportularũ prisco vsu differat, lib. 12. cap. 22. obseruatio. pauca hæc rursus exscribam: postremò vt ne executores pro editione libellorum, vel inscriptionum, vel actorum, vel instrumentorum, plus exigant solatij nomine quàm sit definitum quinta constitutione, &c. constat ex multis locis, eam definiuisse executoribus certum sportularum modum, & pœnam quadrupli in superexactores, §. quadrupli inst. de action. nou. 17. & 123. modum autem definiuit pro modo peritæ quantitatis, id est in centenos aureos dimidiatum, & consequenter in ducenos aureum vnum, in millenos, aureos sex, vt Theophilus scribit in §. Tripli. excepto fisco, quem gratis litigare cauet, vt Iuliani antiquus interpres refert in nou. 17. siue, 21. vide plura si lubet, eo loco. Romæ deniq; ista. Dicebantur verò Sportula Athenis. τρωπεῖα. Cùm enim propriè essent decimæ nominum quas dependebant fœneratores pro viatoribus, aut iudicum apparitoribus qui debitores sistebant iudicio, vt iis exhibitis, & coram accitis, creditores cum ipsi

experirentur, soluebantur ex eo sportulæ iudicum, omnisque apparituræ iudicialis. Ita suis verbis interpres Aristophanis in vespis: qui & hoc rursus in nebulis, seu ἐν νεφέλ. Πρυτανεῖα δὲ τὰ νῦν παρὰ Ῥωμαίοις Σπόρτουλα, ἣν δὲ ἀργύριόν τι ὅπερ κατετίθεσαν οἱ δικαζόμενοι, ἀμφότεροι, καὶ ὁ φεύγων, καὶ ὁ διώκων. id est Prytanea sunt quæ hodie dicuntur à Romanis Sportulæ. erat quippe pecunia quædam quàm deponebant qui iudicandi essent, & Reus, & actor. sic ille. prætermitto syluam quæ apud auctores de primo illo sportularum vsu, quæ translatæ tandem ad iudices. Vocat eas optimè, annonarũ solatia lex vn. cod. de annonis, & capitu administrantium, lib. 1. sup. *vtea*, inquit. *pro annonis & capite dignitatis suæ debitis pretia consequantur.* Apud nos verò vsque ad Carolum VI. nihil prorsus acceperunt iudices nisi ex publico. tantúmque per honorifici, leuiusculique muneris gratiam dabat victor tragemata, conditutas, salgamą, & leuiora einsmodi nonnulla, quæ vocamus nos Galli, *dragees, confitures, & espiceries*, ei qui explicuisset litem. & cùm circa annum 1369. dynasta quidam, Turnonius nomine, viginti aureos, indulgente istud curia, duobus litis suæ interpretibus donasset, inuertique sensim ex eo mos priscus inciperet, vetabatur semper nè pecunia ista connumeraretur, capútue vllum faceret in æstimandis, taxandisque, vt loquimur, sumptibus. Tandem vbi reuocata sunt stipendia publica, transierunt in mores quæ damnandi olim sacrilegij loco fuerant: pœnámque haud meteri, verè hodie, longisq; ab annis, dixerimus quod nomen iamdudum accepit per leges. Ita enim primùm edicta Gallica, ex ætate Caroli sexti, vt attigi supra: Ita & Pontifices in cap. cum ab omni. de vita & honest. cleric. & in cap. statutum. §. insuper de rescript. in 6. Ita & leges Visigothorum, lib. 1. tit. 2. cap. 25. rectissiméque proinde Glossa in Auth. offeratur. de lit. contestat. cùm dixit præberi sportulas iudicibus secundùm morem regionis. Vide & Cuiacium, ad tit. de præbendo salario. lib. 10. & ad cæteros quos notaui ex lib. 12. Cod. maximè ad l. in sacris. de proxim. sacr. scrin. Rebuf. in tit. de salariis taxatis. Raguellum, in indice. Car. Loyseau. lib. 1. de officiis. cap. 8. dixi prætereà ex vsu, ad Auth. sed hodie. sup. de episc. & cler. Tandem verò, vt perstringam quod quotidianum magis est, subscribunt nunc de more, ac necessitate officij, inferiores iudices, quid sportularum nomine, ex causa iudicati, acceperint. paterentur enim aliàs censuram Senatus. Senatores non, ob prærogatiuam dignitatis. In quo tamen scripsit haud ab re Imbertus, iudex olim capitalis apud Fontenacum, lib. 1. Institutionum forens. cap. 31. captari ansam grassandi à variis, longéque plurimis procuratoribus, executoribúsque negotiorum, ait ille, vt qui à cliente scribant grauiorem sportularum summam, quàm præfinierit, acceperítque curia. Quæsitum est, vtrùm earum nomine cogi possit quisquam à iudicibus: non posse autem, decreuit Senatus, ann. 1600. die 1. Iull. patrocinantibus in auditorio criminali, Petr. Morin, & I. Cornillau. Vetitúmque rursus hoc ipsum ann. 1607. die 19. Decemb. in tertia classe inquisitionum, inter Cl. Corsam, & Philip. Bernardum, sub pœna concussionis, seu nomine actuarij decernatur in eam causam executio, seu alterius cuiusuis, nisi consors sit litis qui se prærogasse sportulas dicat. Cæterùm cùm magni cuiusdam priuilegij loco habeatur, sportulas iudicibus non solui, vt docent lex vlt. de priuilegiis scholarum, lex vlt. de principibus agentium in rebus. l. vlt. de Castrensianis. l. vlt. de re milit. inf. lib. 12. rarum hodie tamen id, nisi vrgeat vel ingens amicitiæ vinculum, vel dignitas non fortunatum, sed animi, & agatur de modico.

IMPP. GRATIANVS, VALENT. ET THEODOS.

L. 1.

Primiscrinium, de quo hîc, fuisse ait Cuiacius ad l. vlt. de apparitorib. præfector. prętor. inf. lib. 12. qui dabat apparitores, additque præstitum fuisse hoc ipsum à primicerio. quid vsus Gallicus, dixi ad tit. de diuers. rescript. sup. l. vlt. Baldus ait hanc l. loqui potissimùm in criminalibus, cùm scilicèt Reus datur custodiendus apparitori: custodiam enim hanc intelligi vsque dum cognitum sit de crimine. vide quæ ob eiusmodi custodias, pericula viatoribus, apparitoribúsve immineant, ad l. 2. hominem. depos. ff.

IIDEM AA.

L. 2. eâque vlt.

Si executores cessauerint causas iudicibus instructas offerre, iudices possunt eos remouere ab executione, & alios idoneos supponere, vel etiã multis afficere. iudicibus autem amplissimis licet maiores pœnas, & corporales maculas eis imponere, si malè fuerint, circa lites versati: vt sciant non esse causas à se deludendas, nec lucri gratia aliquod eis vitium imponendum.

Executores hîc de apparitoribus, seu viatoribus, intelligendi sunt, in quos tanta olim iudicibus, magistratibúsque Romanis fiebat potestas, vt, si deliquissent in officio, punire, immò & remouere eos possent, aliósque subrogare, similem textum reperies in l. 5. de diuers. officiis, inf. lib. 12. *apparitores quilibet*, ait ibi Imperator, *si ob culpam, vel negligentiam fuerit iudicato* (id est, re iudicati) *discincti, ac remoti, iam ad nullam militiam aspirare possunt, nec si habeant adnotationem clementia Principis*. addit Baldus nec obligari in eo iudices formulis iudicialibus. Et sanè hoc ipsum etiam licuisse olim iudicibus Gallis, doceo ex nostris, ad l. 3. sup. de offic. præfecti prætoriorum orientis & Illyrici. Alia verò hodie, longîsque ab annis, est ætas, aliique mores. Solis enim iudicibus ecclesiasticis relictum est in hunc diem, vt apparitores suos eligant, ac instituant, tenentúrque ex eo si quid isti deliquerint: notat Rebufus, tit. de sententiis executoriis. art. 7. gloss. 15. Quæsitum est, vtrùm iudex inferior plectere, mulctatéque possit viatores superioris iudicis, si in suo territorio deliquerint: decidit autem Vidus Papius, posse, q. 328. Cætera in hoc persequor ad l. vlt. ff. de iurisd. omn. iudic. ferè autem nescio cur velit noster textus executores, id est, vt dixi, apparitores, offerre oportere causas instructas iudicibus. nisi dixerimus intelligendum istud non de instructionibus litium, quas fecerit, parauerítve apparitor, opera enim procuratoris, seu formularij forensis, ea est: sed de instructis planè litibus, causísque singulis, quibus in saccos idoneos, vt hodierno in more est, redactis, addendum nihil superfit, nisi vt feratur iudicium. ministerium enim apparitorum veterum & in hoc fuit, vt asseruarent saccos forenses, quasi & nunc vnum ex actorum curiæ conscriptoribus, defungi cernimus, & quem propterea vocari mos est, *le garde-sacs*. quibus coniectura mea minus placuerit, gratiam habiturus sum lubentissimè, si melius, aptiúsve quippiam adinuenerint. Ariolari interdum licet in priscis.

TIT. III. DE PEDANEIS IVDICIBVS.

Dixi de huiuscemodi infimis iuridicis quod ferè sit satis, ad l. nec quicquam. § de plano. de offic. procons. & ad l. nonnumquam. de inoff. testam. ff. Erant periti νόμων, καὶ πείρας, versati nimirùm in iure, & quotidianis experimentis, vt constat ex Nou. 82. ad quam & Cuiacius. habebant tamen solam cognitionem, non iurisdictionem, l. vlt. sup. vbi & apud quem. vocat inde d. Nou. 82. χαμαιδικαστάς, quasi humi sedẽtes iudices, quod & apud Theophilum. quia enim non essent magistratus, sedebant in scamno, quod dicebatur, βάθρον, cùm magistratus sederent. ἐν βήματι, id est, pro tribunali. Deinde verò iudicabant quidem in regia basilica, seu, vt loquitur rursus d. Nou. 82. ἐπὶ τῆς βασιλικῆς στοᾶς, id est, in porticu palatij Imperatoris, sed hoc in domuneulis quæ in eadem ipsa basilica: nec solùm matutino tempore, sed & meridie, ac vespere. Quantum ad sportulas, quæ alioqui vocabantur τὰ δικανικά, id est, salaria latæ sententiæ, erant permodicæ, vt rursus loco, quem citaui supra, reperies. Paucis denique ista ad veram, nec implicitam de prisco pedaneorum iudicum statu, de quibus tam frequens hodie apud cuiuscumque peritiæ homines

mentio. Cæcutiunt autem qui non pedaneos, sed pedarios vocant. Pedarij enim erant Senatores, ideò dicti, vel quòd pedibus irent in curiam, quippe nondum adepti magistratū curulem: vel quia pedibus irent in sententias quas Principes dixissent sedebât enim loco vltimo, nec rogabantur sententiam, vt qui functi nondum maioribus honoribus fuissent. aut, vt apud Agellium, lib. 3. quia in Senatu sententiam non verbis dicebant, sed in alienam sententiam pedibus ibant. passim hæc apud linguæ latinæ scriptores classicos. De pedaneis verò nihil hodie quod eò accedat, si vtcumque inferiores omnes iudices cum detritis istis, quasique iacentibus maiorum magistratuum, ad caussas leuiores, ministris, comparauerimus. fit enim, de more, vt, vernaculo nostro forensi, si de dominicis, seu, vt vocant, subalternis, iudicibus loquamur, dicamus confestim pedaneos esse, vlmicolásque iudices, qui nempe κατ' σχεδὸν μικρὸν, id est, paruam, quasique fortuitam in cognoscendo operam ponunt, vt rursus in d. Nou. 82.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Placet 2. Præsides possunt dare iudices, si vel per occupationes publicas, vel per caussarum multitudinem non possint ipsi cognoscere: dum tamen & de ingenuitate, & de libertinitate ipsi dijudicent.

Vide omninò quæ latè differui suprà ad l. A iudice. de iudic. singularis verò hic textus, & frequens ad caussas status: putà, vbi de obliquo natalium genere agitur, vel de nobilitate. dici enim consueuerunt caussæ istæ maiores, de quibus proinde cognoscunt soli maiores iudices. sont autem & aliæ complures apud nos quarum etiam cognitio interdicta est pedaneis, dominicis, inferioribúsque iudicibus, putà de inuestituris Ducatuum, ac cæterorum feudorum regalium, ait Molinæus ad consuetud. Paris. §. 22. num. 105. non cognoscunt etiam de regijs beneficiorum ecclesiasticorum collationibus, (regalias vulgus vocat,) vt nec de cæteris quæ sint dotationis, fundationisve regiæ. Imò nec cognoscunt, ita vetante Senatu, de interdictis vti possidetis, seu, vt loquimur, *des matieres de complainte*. non cognoscunt de cædibus, aut rapinis, latrociniisve admissis in via publica, seu regia. Trésque hos casus singulariter excipit stylus Parlamenti, nec prætermittit etiam Baquetius cap. 6. de iustitia & iure, in hæc verba: *Le iuge subalterne ne peut cognoistre de rapt, incendie & meurtre*, quod scilicet fit pensatis insidiis, vel, vt loquimur, *de guet à pans*, quod Homerus verè equidem attigit hoc versu, Ιλια.

ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀντίβιον ἶφι μάχεσθαι.

id est, seu in via expectans dum veniat, seu generosè depugnet.

IMP. IVLIANVS.

L. vlt.

Quædam sunt negotia in quibus superfluum est moderatorem expectari prouinciæ: ideóque pedaneos iudices, hoc est qui negotia humiliora disceptant, constituendi damus potestatem.

Perspicuè explicat qui sint pedanei iudices. succurritque hîc, vt loco valdè idoneo, subijcere quod apud Chopinum lib. 1. tit. 4. cap. 46. Consuetud. Andens. forum nempe minorum, inferiorúmque iudicum dici à Normanis, *vne Cohue*, à coëunte scilicèt illuc litigatorum multitudine ignobili. explicui denique ista plus satis ad rubricam, & ad l. 3. sup.

TIT. IIII. QVI PRO SVA IVRISDICTIONE IVDICES DARE DARIVE POSS.

IMPP. THEODOS. ET VALENTIN.

L. vn.

In causarum delegationibus illud consultissimè præcipimus obseruari, vt ita valeant si ad iurisdictionem pertineant delegantis. quòd si quis alienæ iurisdictionis causam crediderit delegandam, nec præcepto cognitorem datum patientiam accommodare & si contra leges obtemperauerit deleganti, omnia quæ ab ea delegatione geruntur, ita pro infectis haberi præcipimus, ac si ipsi qui delegauerunt, alienæ iurisdictionis iudices resedissent, &c. Hac teneant nisi iudices à nobis specialiter delegantibus dati, aliis causas delegauerint iudicandas. Nam his delegantibus, nullo personarum, causarúmve habito tractatu, appellationum ad eos iure iudicia remeabunt.

Primùm Russardus, antecessor Bituricensis, legit rectissimè ex fide quinque exemplarium, non *patientiam*, sed *parientiam*, quod verbum & reperit apud Cassiodor. lib. 7. Variar. vt sit nimirũ *parientia*, pro, obedientia, vel, obsequium. Ita etiam legendum docet Cuiacius ex fide optimi MS. quo se à duobus Tolosanis donarũ profitetur, lib. 1. cap. 6. obseruatio. Ita denique Brissonius in commentar. verb. iur. quod autem additur in textu de iudicibus datis à Principe, aliósque delegantibus, vt nempe de appellationibus cognoscant, si quæ ab eorum delegatis interpositæ fuerint, frequentes in hoc textus sunt in l. à iudice. sup. de iudic. & in l. à diuo Pio. de re iudic. seruamúsque appellationes eo casu ad delegantem, quod ait nostra lex, remeare. Si tamen appelletur ab eo ipso quem Princeps delegauerit, tunc diploma impetrari solet à Principe vt remittatur lis in Senatum. tradit deinde Speculator tit. de teste. §. 3. qualiter. num. 21. eum cui committitur inquisitio super principali, non posse inquirere super reprobatione testium, nisi specialiter id committatur, quo etiam iure vtimur.

TIT V. NE QVIS IN SVA CAVSA IVDICET, VEL IVS SIBI DICAT.

L. vn.

Ratio est in textu: *In re enim propria iniquum admodum est alicui licentiam tribuere sententiæ.*

Componenda lex, nullus. sup. de Iudæ. ad quam dixi. Plures verò casus excipe. Primus est in l. vn. ff. si quis ius dic. non obtemper. vbi hæc verba: *Omnibus magistratibus secundum ius potestatis suæ, concessum est iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere.* Tunc enim censetur aliena persona, & publica, nõ propria, ait hîc optimè Salicetus. Secundus

in l.

in l. in priuatis. cum l. seq. ff. de iudic. ad quam ego plura. Tertius si agatur de minimo, vt notaui ad d. l. in priuatis. Quartus in l. quemadmodum. §. si proiectum. ff. ad l. Aquil. Quintus in l. vt vim. ff. de iust. & iu. Sextum adde ex Decio, consil. 400 vbi decidit posse aliquem sibi ius propria auctoritate dicere, quando alio modo non potest ius suum consequi. Septimus est in Principe, vt scilicèt, cùm superiorem non habeat, possit de causa propria cognoscere, & iudicare, ait hîc Baldus, qui in hoc citat legem, proximè. ff. de his quæ in testam. del. & l. & hoc Tyberius. de hæt. instit. ff. in qua tamen excipiendus semper mos Gallicus, quo Gallorum Reges numquam ius sibi dicunt in re propria, sed totum quicquid est, iudicibus, quasi inter priuatos, committunt. Adeout Principem & à subditis superari in iure controuerso, contingat sæpius. Indéque in publicis causarũ actionibus, si agatur cũ solo Principe, visum est non semel, ita sanciente Senatu, aduocatum fisci transire à loco auditorij, in quo considere solent triumuiri, ad cancellorum fori tumulum vnde causas dicunt *Pares Franciæ*. Octauus est, si illata sit iudici iniuria publicè, maximéque dum sedet pro tribunali: itaut ad contemptum dignitatis suę spectet quod actum est: posse enim eum de causa cognoscere, imò & pœnam statuere, docet rursus Baldus hîc, ex l. nullum. inf. de testib. can. si quis ab episcopo. & can. si quis erga. 2. q. 7. addo l. quod reip. vindicandæ causa. ff. de iniur. & quod reperies ad l. 1. sup. de postul. de irreuerente erga iudicem patrono. Vbi enim de publico agitur, præclarè ait Symmachus lib. 4. epist. 61. *Magnæ vrbis magistratibus angustos animos non conuenire.* latè istud in altum euehit Demosthenes cõtra midiam, cuius orationis particulam inseruit Vlpianus legi, aut facta. ff. de pœnis. Plautus in Pseudolo: *nihil est, suum qui officium conseruare est immemor.* Vide plura apud Vidum Pap. q. 202. Temperat tamen Pet. Perticensis, doctor Gallus, vt nempe eo casu accersat læsus iudex alterum qui secum de iniuria iudicet nè possit dici animosiùs quicquam statuisse. cuius sententiam, ex æquitatis ratione, tuetur Cynus, præceptor Bartoli. *ἡ ἀγαθότης σου μετριάζει τὴν ἐξουσίαν, ἧττον γὰρ τολμᾷς ἤπερ δύνῃ ἐν τῷ πᾶσιν ἑαυτὸν δεικνύειν ἀγαθὸν, καὶ φιλάνθρωπον.* id est, bonitas tua temperat potestatem, audes námque minus quàm liceat, dum te omnibus probum, ac humanum ostendis. ait Epigonius episcopus, in concil. Carthagin. can. 60. ad quem plura in hoc Zonaras. Et sanè laudandus iudex si ita se gesserit. Sed alio nihilominus iure indies vtimur ad tuendam dignitatem iudicum, coërcendámque temerariorum licentiam: nec vnquam malè habet ordo amplissimus iuridicum qui illatam sibi pro tribunali sedenti contumeliam, ac iniuriam extemporali iudicio vindicauerit, vt qua scilicet imminuti magistratus meritò sit reus, nisi vltrix sententia, manúsque viatorum accedat *ἐν τῷ αὐτοχρῆμα*, eóque ipso momento quo publicè, intérque ipsa iuridicinæ insignia, læsus est: singularis in hoc textus d. l. Quod reip. de iniur. ff. frustráque proinde distinguit Bartolus inferiores iudices ab iis qui superiorem non agnoscant. *Maximus enim est iudex quisquis audit causas*, ait Io. Faber ad l. vlt. de procurator. sup. arcendique semper iudices ab iniuriis, & contemptu popularium, vt fusè ostendo ad l. pen. ff. de iust. & iu. ad tit. de postul. atque ad l. obseruandum. de off. Præs. ff. memini, cùm anno 1583. in comitiis Tricassium iuridicis prima militiæ forensis initia ducerem, capite luisse nobilem quemdam campanum, quia in pago, (vbi, nobilium plurimorum in morem, agebat tyrannidem) diu anteà, supráque annos decem depalmare ausus fuisset peronatum, subrusticum, & contemptibilem, procuratoris regij Tricassium vicarium, quales passim vicarios, seu substitutos, habet in vniuersa Campania procurator ille regius. fidem de eo plenissimam faciebant confectæ tunc notoriæ, seu informationes, vt loquimur, seruatæ semper in acti loci publicis, delatæque tandem à viatorum Senatus primicerio, in tabularium Senatorium (vulgò dicimus, *au greffe de la Cour*) vt fit, de more, statim atque promulgatus est ex Senatu iuridicus in Metropoli aliqua conuentus. Cùm enim casus tulisset vt, auspicante consessu, initium à depalmati vicarij illius notorijs fieret, correptus ex improuiso est pagi regulus, deductúsq; Tricasses: cur ita, planè immemor: dãnatúsque pòst paulò ab arderibus, nihilque per ea tempora condonantibus purpuris, quia scilicet, ante annos decem, vt dixi, læsa ab eo fuisset, etiam in peronato, ac vilissimo, maiestas regia. Seueritatem iudicij mirati sunt plurimi: publicéque propterea edo. Vnum subiungam quod nec minus ad titulum, in causis testimoniorum, faciat. Tantus enim vbique fauor publicus, vt, etiam in causa propria, admittantur testes singulares, si

de noro, infamique apud populum fœneratore plectendo agatur. Debitores quippe eo casu possunt esse testes, eorumque rametsi singularium, valent adeò testimonia, vt si viginti fuerint, obtineat numerus ille duorum testium vicem. Ita seruatur & in Senatu, & apud magni consilij iudices, quibus persæpe mandatur ea iurisdictio. eo autem sensu accipienda sunt consilia duo Baldi, nempe 401. lib. 1. & 10. lib 3 consil. 42. Panormit. & consil. 61. Friderici de Senis. ac verò & lex, omnibus. inf. de testib.

TIT. VI. QVI LEGITIMAM PERSONAM STANDI IN IVDICIIS HABEANT, VEL NON.

L. 3. quæ & vlt.

Momentaneæ possessionis actio exerceri potest per quamcumque personam sub colore autem adipiscendæ possessionis obreptitia petitio alteri obesse non debet: maximè cùm absque conuentione personæ legitimæ initiatum iurgium videatur. Nihil autem opitulatur conuentio circa minorem habita, cùm id rectiùs circa curatorem debuerit custodiri.

Textus subobscurus, nisi adiuuetur interpretatione glossæ, & Baldi, in hunc modum: momentaneæ possessionis actio exerceri potest per quamcunque personam. proinde minor etiam sine auctoritate tutoris, vel curatoris mouere potest possessorium: sed petitorium mouere non potest nisi auctore tutore, vel curatore. Possessorium, ait glossa, dicitur momentaneum, vel quia qui obtinuit in possessorio, possessionem momento, paruóque tempore retinet: vel quia eiusce modi iudicia possessoria citò, paucósque in dies, aut menses, expediri debeant. Nititur ea ipsa ratione Rebufus, tractatu, de errorum propositione. cur constitutione Ludoici XII. prohibitum sit in possessoriis profanis, seu secularibus, atque ecclesiasticis, propositiones erroris, supplicationes, seu, requestas ciuiles, vt loquimur impetrari à Principe. Perpetua autem hodie doctrina ea est in foro, vt ad solam dictarum vindiciarum, seu prouisorij iudicij, vt in vernaculo forensi est, mentionem, summoueatur confestim vtriúsque illius aduersus lata Senatusconsulta desiderium. Verùm cùm, toto hoc textu constet, minoribus nihil obstare ætatem quominus agere possint, staréque in iudiciis si modò auctoribus tutoribus, vel curatoribus id faciant, discutio iam quæ ad res quotidianas præteriri non debeant. Primùm, cùm indefinitè rescribat Imperator in l. 1. & l. 7. admone adolescentem. inf. qui petant tutor. vel curatores, curatorē adesse oportere litiganti minori, variauit quæstio, vtrùm qui 20. annos natus est litem possit instituere per se, nullóque curatore auctore: sunt enim qui ei qui veniam ætatis impetrauerit, necessarium quidem putent curatorem si de re immobili moueatur quæstio: si autem de mobili, non. sed vana illa distinctio est, cùm vtróque casu curatore opus sit, & ita seruamus. Sola enim administratio mobilium concessa est, non autem vt minor per se, citátque curatorem, stare possit in iudicio. Ratio. quia iure nostro Gallico, putà Molinensi constitutione, art. 53. hypotheca ex iudicato contrahitur, nec sola actio, vt ex iure ciuili, in l. 2. de execut. rei iudic. Cod. Itaut si minor natus annos 20. litem super re mobili vel intenderit, vel in eum mota sit, secuta condemnatione, procul dubio qui superior in causa futurus est, publicationi, auctionique subiiciat condemnati minoris prædia ad consequendum quod sua ex iudicato interest. Et sic indirectè minor, ex lite temerè forsan, nullóque curatoris consilio suscepta, immobilia alienaturus est: obliquáque esset eo casu illa alienatio. Quantum etiam ad optimates, regníque proceres, modò in hanc, modóque in illam partem cessit controuersiæ iudicium. Obtinuit enim Dux Niuernensis etiam anno æt. vicesimo vt datus ei à Senatu curator in causa, procurator forensis sufficeret. Denegatum verò hoc ipsum illustriss. Principi Condæo anno 1611. die 17. Februar. in celebri illa actione

quæ inter eum, & Illust. Ducem Visium per duas aut tres sessiones iudicum de custodiis Normanis perorata est. velitatione enim prima, atque in causæ constituendæ præludio, cùm Dux Visius postulasset vt curatorem in causa haberet Princeps, qui tuebatur sese econtrà non solùm eminentissimo nomine Principis Francici, sed & ætate etiã quæ annos 20. exierat, at verò & Ducis Niuernensis aresto, quod suprà attigi, decreuit nihilominus curia causam, auctoritate Principi à matre tutrice præstita, peragendam esse. vnde illi apprimè doluit cum quia annos viginti duos implesset, tum verò ob insuperhabitum, vt aiebat, dignitatis suæ fastigium. casu quippe contigit, vt cum Dom. Harlæo essem, tunc Senatus capite, dum ex improuiso aduenit Princeps, ingentésque de eo querelas fudit. reperio autem & eodem prorsus iure iudicatum anteà, publicísque etiam in causarum actionibus, anno 1595. die 1 Iulij, contra P. de Mouchy, equitem, licet natum annos 24. menses sex, pronuntiatum nempe est, vt ageret nec per se, nec per procuratorem forensem, sed per solum curatorem, qui eligeretur à consanguineis: accipiendæque propterea eo sensu lex 1. & 7. admone. qui pet. tut. quas recensui suprà. Supersunt duæ quæstiones, vna de vxoribus, altera de religiosis, an & quando legitimam personam standi in iudiciis habeant. Ad primam, censuit Senatus valere actus omnes quicumque apud iudicem processerint cum muliere etiam nupta, nec auctore marito, si maritus scierit, & solitum, ordinariúmque procuratorem suum occupare iusserit: dicam populariùs vernaculo nostro forensi, *que les procedures faites auec vne femme non auctorizée de son mary, sont valables, le mary les ayant sceuës & fait conduire la cause par son procureur ordinaire.* Ita Senatus contra Comitem Desquarts ann. 1601. die Iunij, perorantibus Annæo Roberto, & Lud. Dolæo. tradit Senatusconsultum D. Seruinus, patronus fisci, volum. 3. actio. 14. quò & pertinet decisio Ferroni ad cõsuetud. Burdigal. tit. 1. § 3. pag. 17. cum ait, non sufficere adhibitam in priore iudicio auctoritatem mariti, nisi & in causa appellationis præstetur, vel nisi, inquit, procurator mariti in causa occupet. Comitis Desquartij, de quo suprà, vxor, auctore tantùm prætore, non marito, litigauerat, seu, vt interijciatur quotidianus stylus, *estant auctorisée par iustice au refus de son mary.* Impugnauit ille posteà iudicatum vt irritum, quòd solo nomine vxorio actum fuisset, & vt color quæreretur supplicationi, seu requestę ciuili, impetratæ, abnegauerat eum qui procuratorio nomine occupasset: (vulgò dicimus, *il desaduoua le procureur qui auoit occupé.*) Contrà aduersarius docebat eumdem ipsum procuratorem in lite illa vxoria fuisse, quo ille in omnibus suis vti consueuerat: deinde verò indiuisa esse vtriusque bona. Summotus ergo est supplicatione, extemporalíque aresto, quicquid magnificè hinc illinc patroni egissent. Succurrit singulare in id Borboniæ consuetudinis decretum, artic. 465. maritum nempe posse litem mouere, redhibitionis gentilitiæ nomine, ex capite vxoris, quamuis ea dissentiat, nec eius procuratione opus esse. Quantum ad religiosos, deciditur quæst. 124. in decisionibus Cap. Tolos. religiosum simplicem non posse quidem constitui procuratorem sine licentia superioris, valere tamen litem quæ cum eo instituta sit, nisi exceptio in eum procuratoria, ab ipso limine iudicij, atque ante contestationem, fuerit.

TIT. VII. VT NEMO INVITVS AGERE, VEL ACCVSARE COGATVR.

L. vn.

Hoc ipsum omninò quod in rubrica, nihilque ampliùs. Ratio autem legis, titulíque totius est in l. 4 de alienat. iudic. mutandi causa fa. & in l. filio pater. 87. de legat. 1. quòd nimirùm laudandus sit qui lites execratur, nec implicari vult negotiis. Io. Faber Speculatoris sententiam amplectitur ad hunc tit. vt dicat fratrem compellendum esse ad accusandum interfectorem fratris. Sed vt iure nostro Gallico soli procuratori regio datum est exercere populares actiones, ac persequi vindictam publicam, inuitus equidem ille aliquando, iubetur vel à Principe, vel à Senatu, patratum ingens, atque vnde

S ij

cõclametur passim, vlcisci facinus: Rarúmq; hoc, priuatis verò impune est de more, tametsi hæredibus cæci, cæcum, & infame apud bonos, & graues istud silentium: nisi infensos habeant cognitores publicos, id est, vt dixi, procuratores regios, à quibus impingatur desertæ vltionis fraternæ cædis dica, auferendámque vt indignis hæreditatem vrgeant, ex tit. de his quæ vt indignis. ff. & Cod. præclara equidem Clothildis ad filios suos Reges oratio qua eos ad vindictam de patruo sumendam concitat, apud Aimoinum lib. 2. de gestis Francor. cap. 3. Omnipotens, inquit, totius conditor, ac rector orbis Deus paterni vos Deo voluit esse hæredes regni, vt maternæ vos constitueret vindices iniuriæ. qua propter, dilectissimi filij, fœliciter nati, fœlicius educari, si bene quid de vobis promerui, vlciscimi, quæso, iniustam patris, matrísque meæ infandissimam necem. &c. eò & fecerit versus Homericus,

τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι.

id est, pendant pœnas Danai per tuas sagittas, ob meas lachrymas. Ait Chryses Apollini. Glossa, quæ frequentissima in foro, docet iudicem præfinire oportere tempus intra quod agat qui palam, ac vbique minatur se vel vna, vel plutibus actionibus, accusationibúsque vexaturum aliquem, itaut nunc flexuosa calumniarum fraude circumuehat, quod dixit Sidonius, nunc & offendat fulido, apertóque marte fortunas, famámque huius, vel illius variis quibus possit litibus euersurum se apud omnes blateret. quotidiana autem in hoc lex, Diffamari. inf. de ingenuis manumiss. & lex, Item exigit. ff. de dolo. Solemus eo casu libellum porrigere iudici, ac petere vt dies præfigatur actioni, aut accusationi, quo elapso, nullus deinceps superstit agendi, accusandive locus. Imò, ait Bartolus ad l. Tiria. de accusation. absoluatur qui ita queritur. Boërius q. 255. enumerat implicitè, vt ei mos, plures casus quibus cogatur quilibet agere, vel accusare: legi iamdudum, percurríque iterum: mitor autem inanes esse adeò duas, aut tres paginas vt occurrat nihil quod electæ sit notæ. Boni propterea consulant qui, vt audio, procaci fastu obtrectant mihi immerenti, nimiámque alicubi breuitatem arguunt. concîdo, applicóque ad quotidiana rerum experimenta quod ipsi facilè, quasi inter lappas, tribulósque eiusce modi scriptorum, flocci facerent: immò nec forsan aduerterent. De his autem hactenus. Dicam, in transcursu, cum & illiciat de vitilitigatoribus locus, nouisse me perditæ mentis homuncionem, verè catenam alterum, de quo Ammianus, aut περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς, de quo etiam Demosthenes, id est, vastamentum fori, qui per annos plus minus duodecim diem ferè, aut hebdomadem numquam prætetiit, quin nouam semper liticulam excitaret: itaut perpetua inde homini alioqui ingenuo, litésque exectanti instaret, incideretque litigandi necessitas, coactúsque tandem ille fit supplicare iudici vt dies tenebrioni isti præstitueretur ad edendas, quascumque haberet, actiones, admittendus numquam posteà, ni intra datos mouendarum quarumcúmque litium fines, ac metas, ageret. Impetrauit quidem, sed, vt amor litigandi in multis morbus est, temerè semper, innatáque prauitate lites ex litibus seruit, defatigatus numquam impensis, censurísque iudicum frequentissimis, vsque dum tandem attritis fortunis ferè omnibus, quæ non ita mediocres, in mediis quasi amabilibus litium medullis, vt ita loquar cum Quintiliano, defecerit.

TIT. V. DE ORDINE IVDICIORVM.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Adite Præsidem prouinciæ, & ruptum esse testamentum Fabij præsentis agnatione docete. Neque enim impedit notionem eius, quòd status quæstio in cognitionem vertitur, & si super status causa cognoscere non possit. pertinet enim ad officium iudicis qui de hæreditate cognoscit,

vniuerſam incidentem quæſtionem, quæ in iudicium deuocatur, examinare, quoniam non de ea, ſed de hæreditate pronuntiat.

Rectiſſimè notat gloſſa, de petitione hæreditatis ideò ſummatim cognoſci, quia petatur Carboniana bonorum poſſeſſio, vt quæ denegari ſoleat ſi euidenter probetur, filium non eſſe, qui eo nomine petit bona hæreditaria, l. 3. §. cauſæ. ff. de Carbon. ed. Sed & iſtud paulò latiori interpretatione indiget. Cum enim Carboniana poſſeſſio frequentiſſimo apud nos in vſu ſit, ad eam tamen obtinendam ſeruamus maximè deciſionem, non modò d. legis, 3. d. §. cauſæ. & §. vlt. ſed etiam legis vnicæ Cod. Theodoſ. de Carbon. ed. vt ſcilicet partus, de cuius ſtatu ambigitur, ſit ſub perſonis legitimis, ex indubitato matrimonio, & probata ſucceſſione legitima: deinde verò vt ſit in poſſeſſione filiationis, (verbum eſt interpretum) atque vt intra annum petatur poſſeſſio. Dixi plura ad tit. de inoff. teſtam. ff. De incidenti autem quæſtione in principalem, qualiter nempe de illa cognoſcat coniunctim qui de principali cognoſcere cœperit, vide ad l. 3. quoties. ſup. de iudic. quod & ipſum lex 3. & 4. quæ vlt. hoc tit.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 4. quæ & vlt.

Finis criminalis negotij ex eo die quo inter partes fuerit lata ſententia, initium ciuili quæſtioni tribuit. Priúſque de criminali pronuntiandum eſt quàm de ciuili cauſa cognoſcatur. Maius enim meritò minori præfertur.

Vide rurſus ad l. 3. quoties. ſup. de iudic. ad quam dixi latiſſimè, nec verò alio iure vtimur in quotidianis iudiciis quàm reſcribat hic Imperator, ſi de crimine agatur quod in ciuilem quæſtionem incidit. Sic enim, vbi de matrimonio, raptúque quæſtio eſt, de raptu anteà cognoſcitur. Idémque iuris eſt ſi de beneficio eccleſiaſtico, & ſimonia: vel ſi de contractu, aut teſtamento, quæ falſi arguuntur: ac ſimilibus. Præiudiciales enim cauſæ illæ ſunt, de hiſque priùs iudicatur quàm deueniatur ad principale, ciuiléq; negotium, in quo etiam Matthæus Affl. Senator Neapolitanus, deciſione huius legis vlt. vtitur, deciſ. 229. τρώτυπον, eo caſu dixit non ſemel ad ſimilia Cuiacius.

TIT. VIII. DE LITIS CONTESTATIONE.

IMP. SEVERVS ET ANTONINVS.

L. 1.

Lis tunc conteſtata videtur cùm iudex, per narrationem negotij, cauſam audire cœperit.

Addit conſuetudo Pariſ. art. 104 *& quand ſur les demandes & defenſes il y a reglement: ou ſi le defaillant eſt debouté de defenſes.* dixi fuſiùs ad l. 7. Si quis poſteaquam. de iudic. & ad l. Iulianus. §. quantum. ad exhib. ff. Aduertendum verò hîc quod olim interpretatione egregia pronuntiauit ordo ampliſſ. ann. 1587. die 18. Ianuar. ad quæſtionem redhibitionis gentilitiæ, ſeu retractus iure ſanguinis, vt loqui mos eſt, à quo ſcilicèt die, actúque iudiciali accipienda eſſet conteſtatio, vbi iudex non ex ſcripto, ſed ex voce ipſa cauſidicorum terminare vult negotium. Ambiani duo contendebant animoſiſſimè, alter vt rem à ſe emptam ſibi haberet, inuitis venditoris conſanguineis, alter verò vt emptori,

iure gentilitio, eriperet. Mota ergo lis apud Ambianum iuridicum. Consanguineus singula patrij moris solennia peragit: perit, vt paucis agam, domum à consanguineo venditam refuso emptionis pretio, impensísque legitimis, itaut, quoad ptouinciales formulas, desidereretur nihil quippiam ab aduersario, qui propterea solam consanguinitatem diffiteretur, ac pernegaret: in eóque prima litis actio, aut potius velitatio est, ad quam statuit iudex primùm edi petitoris genesim, vt mos est in illo litis genere, si reus exigat: eáque edita iubet, secundo iudicio, reum, id est, emptorem, adesse postridie: & porrecto depulsionum, seu defensionum, libello, factáque ab eo copia emptionis, missionísque in possessionem, (vulgò dicimus, *ensaisinement, ou mise en possession*, qui mos Ambianis, sicut actor postulauerat. tandem post aliquot mēses, stante petitis actore, quicquid exceperit emptor in eius genesim, iubet iuridicus dicta die amborum desideriumexponi à causidicis. Vernaculum forense est: *que les parties viendront plaider à quinzaine sur les faits de genealogie du demandeur*. Lis in eo velut intermoritur. Anni enim duo cū dimidio effluūt tāta petitoris securitate, ac incuria, vt nihil prorsus vel tantillū promoueat. Tandem, atq; ante exactum triennium, actionem redintegrat, petitq; apud iudicem vt admittatur, ex causa consanguinitatis, ad redimendam rem venditam, & vt, eum in finem, dicatur dies emptori, aduersario. Redit vocatus emptor, aítque res ampliùs non esse integras, præscripta nimirum actione, quæ annalis est: biennium autem, & longè vlteriùs, prætererat. Petitor econtrà ad contestationis beneficium refugit, vt quæ in vltima iudicis pronuntiatione constiterit. quod enim ex scripto dixissent litigatores, ab ipsis vtriusque patronis perorantibus audire vult Iudex, controuersiamq; dirimere extemporali iudicio, cùm & scriptum, & vox, ad contestandas lites, pro eodem haberi debeant. Ex his actor ad reliqua litis persequendæ admittitur, aut, vt loquimur, *il est dit que les parties procederont comme deuant*. Appellat emptor Senatum. Ant. Arnaldus, pro appellatore, ego pro appellato. nititur ille potissimùm articulo 104. consuetud. Paris. quem memoraui suprà, imò & perlegit: veteráque Græcæ, Romanæque eloquentiæ monimenta comparat, quibus constet, litis contestationes aliò spectare quàm ad causam propositam. Ipse etiam conquiro ex Demosthene, Lysia, Isæo, Dinarcho, Æschyne, Cicerone, vnde ostendam contestationes nunquam fuisse, nisi tunc cùm, vt oratores accederent causam dicturi, constitutum à iudicibus fuerat. quod & confirmauit vberrimè Dom. Mangotius, tunc orator regius, qui & addidit ex actis curiæ vetustissimis, lites iudicatas ex scripto, non ex quo apud nostram hanc Lutetiam considére, sede immota, cœperit Senatus, nempe ab anno 1302. sed ab annis dumtaxat centum, & quinquaginta, aut paulò ampliùs. Itaut contestatam litem apud Ambianum iuridicum censuerit, admittendámque proinde petitoris actionem. Atque ita Senatus. Celebris equidem illa quæstio, & recens, quam Belmontanus iuridicus, peregrinus sanè consuetudinis Paris. interpres, nec institutus in schola nostra forensi, attingit desultoriè ad d. artic. 164. aduocatorúmque nomina tam facilè præterit, quàm oscitanter fortsan ab aliquo è nostris ad eum, de noua ista, nec vnquam agitata disceptatione, scriptum fuisset. Ita etiam ferè semper, alter Mombrissonius iuridicus in emendicatis hinc illinc, fortuitásque, & imaginatias vt plurimùm ad species, consarcinatis arestis, quorum & aliena nec minus dierum, quibus lata esse refert, subscriptio. Vnum superest de litis contestatione in capitalibus iudiciis, à qua parte litis incipiat. scio quorumdam esse sententiam, vt à decreto præhensionis sumat initium, atque ita lib. 5. cap. 11. de cessione in iure. sed cùm sæpissimè de eo contulerim cum Francisco Chauuelino, omnium suæ ætatis consultissimo, ab eo semper didici constituendam esse litis contestationem in interrogatione Rei criminis, vel à contracto eremodicio, si absit. & sanè probatur magis ea sententia longè plurimis. desugere enim amplius non potest Reus postquàm sponte interrogationem subierit: quemadmodum & in ciuili negotio, post litem contestatam, declinari amplius non potest iudex qui de causa cognoscere cœperit.

AVTH.

Offeratur ei qui vocatur ad iudicium libellus: & 20. dierum gaudeat inducijs, quibus deliberet, cedat, an contendat.

Notandum ex hoc textu, vocationem in ius, & editionem actionis simul, eodémque libello fieri oportere, vt reus, statim vbi comparuit, excipiat, & defendat. (dicimus *vn exploict libellé.* pertinétque huc nostra constitutio anni 1539. art. 18. qua denegatur vocatis in ius deliberandi dilatio.

TIT. IIX. DE PLVS PETITIONIBVS.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vn.

Notanda hæc: *Odiosas contrahentium calliditates amputare properantes, censemus, &c.*

Captiosas clausulas vulgò dicimus. allegati verò & solet hîc textus in verbis. *secundis cautionibus*, in hoc vt quæ fiunt diuersis tēpotibus certam animi deliberationē inducant, certāque adeo scientiam, vt aufetatur ex eo testitutionis in integrum beneficium : Sic in l. si mulier. ad Velleian. ff. ad quam dixi. sic in l. scimus. de agric. & censit. lib. 11. & toto tit. si maior factus. sup. Cæterùm pœnæ plus petitionis antiquatæ sunt nostris moribus, cùm & in eo, & in aliis plærisque iuris ciuilis formulis, nimia visa sit iuris subtilitas, de qua latè Cuiacius lib. 9. obseru. cap. 21. & lib. 7. cap. 27. Otiosum verò etiam inquitere, vt quosdam vidimus, in duodecim tabularum leges, num ab eo fonte manarit priscum istud vnde eludatur creditoris, ab insidioso vt plurimùm debitote, imprudens simplicitas.

TIT. IX. DE DILATIONIBVS.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. I.

Ex prouincia non amplius quàm tres menses indulgendi sunt. ex continentibus prouinciis (gl. quæ aut nullo aut modico freto distinguntur) *sex menses custodiri, iustitia est. In transmarina dilatione nouem menses computari oportet.*

Componenda lex vlt. hoc tit. optimè autem Baldus: Dilatio probatoria danda est secundum locorum distantiam. nec est in potestate iudicis, dare, vel negare. regulariter tamen semel tantùm danda est. Sic ille, Sed cùm Imperatores hîc præfiniant tempora quibus sistat se quis apud Romanos iudices, prout remotiora, propioráue loca sint, pēsi & istud nostri duxerim, connotare paucis quæ pariter ad locorum, prouinciarumque intercapedines, dati dies, hebdomadæ mensesque vocatis in ius seu ad senatum, seu ad præfectum Parif. consueuerint: soli enim ferè formularij id norunt. Primùm igitur intra præfecturam parisiensem octo sunt dies. sunt quindecim, extra. sunt tres hebdomadæ, si à Turonibus. mensis est, si à Pictonibus. sunt sex hebdomadæ, si ab Ecolismensibus. duo autem menses, si extra curiæ, quàm latè hinc illinc patet, metas fiat vocatio. Quantum ad edicta iudicialia, primum scilicet, secundum, & tertium, quæ aliàs dilationum nomine dicimus, Vide ad l. ad peremptorium. & duas sequentes ff. de iudic. Vide etiam, vtrùm differri, aut, vt meliùs, sustineri, suspendique ex beneficio Principis,

debeant exptæ iam lites, quominus procedere vlteriùs liceat, in gratiam eius qui reip. causa absit, ad l. interdum. ff. eod. illo tit. de iudic. Redire enim in orbem, scriptaque alibi quasi oscitanter repetere, veternosus, tametsi opere in longo, quasi sopor est, cùm noua suppetat semper argumentorum copia. Tradam in hoc speciem quæ, ad dilationes non ita semper ex locorum interstitijs metiendas, dignissima notatu est. Franciscus Sauuage vocauerat in ius Michaelem de Clermont, regis secretarium apud patrium, Ambaquiensemque iudicem, vt fundum ab eo emptum ex iure retractus, quem vocāt, seu redhibitionis gentilitiæ, sibi restitueret accepto pretio. Causa, postulante secretario, ad recuperatores Basilicanos, seu libellenses, fori parif. iudices, transfertur ex causa priuilegij secretariorū, quo in foro aliquantò pòst damnatus est actor, putà Fr. Saluagius, refundere pretium emptionis in hac nostra Lutetia intra octiduum. Appellat actor tanquam à breuiori dilatione. Causa auditur plenissimè, nititúrque actor præcipuè hac l. 1. & vlt. quoniam sexaginta leucis Frācicis distet Lutetia Ambaquio, nobili Turonum oppido ad Ligerim. Appellatus contrà hoc vno tuetur iudicium, quòd scilicet in retractu gentilitio omnia agantur summo iure, citráq; receptum in cæteris iudiciorum ordinem. Proptereà qui actor in eo est, seu petitor, paratum semper, ac vbique habere debet, quod emptori soluatur, pretium. Confirmatum autem est recuperatorum iudicium: quin & impensæ adiectæ. Dicebam in causa aduersus Augustum Galandium. Nouum equidem, ac mirum hoc cancellis togatorum visum est: Sed cùm adiissem nonnullos ex iudicibus, summo id iure factum dixerunt, quippe in odiosa, commerciisque aduersante, materia, in qua proinde petitor turgens, pecuniosumque habere semper debeat marsupium vnde emptori inuito numeret emptæ rei pretium. Imo resciui vnicum fuisse ex decem & octo iudicibus qui contra iudicium à quo appellatum erat, sentiret.

L. 2.

IMP. CONSTANTINVS.

Si quando quis ex rescripto ad extraordinarium iudicem vocetur, dilatio ei danda est, ad improbanda precum mendacia, vel proferenda aliqua instrumenta, vel testes, quoniam instructus esse non potuit qui præter spem ad ferenda aliqua instrumenta, vel alienum iudicium trahitur.

Notandus apprimè textus, vt nè quid festinantiùs fiat inter prima nouæ actionis, institutæque apud nouos iudices initia seu ad maiores, seúque minores iudices transferatur controuersia. qood & hodie maximè, cùm ad recuperatores Basilicanos educit quis è longinquo litem priuilegiariam. Succurrit appositè locus elegans ex epistola Leonis, Romani Pontif. seu, vt vocat, archiepiscopi Romani, ad Flauianū, Archiepiscopū Constantinopol. quæ concilio Chalcedonensi, quarto œcumenico, præfigitur, in hæc verba, de Eutychete presbytero, communione Christiana summoto: τῶν πραγμάτων γεγενημένων, οὔπω ἐπιγινώσκομεν ποίᾳ δικαιοσύνῃ ἀπὸ τῆς κοινωνίας, τῆς ἐκκλησίας ἐγένετο κεχωρισμένος. Ἀλλὰ προσέχοντες τῇ αἰτίᾳ, θέλομεν τοῦ σοῦ φακτοῦ τὸν λογισμὸν μαθεῖν, καὶ πάντα ὑπερτεθῆναι ἄχρι τῆς ἡμετέρας γνώσεως. ἐπειδὴ ἡμεῖς οἱ βουλόμενοι τῶν ἱερέων τοῦ δεσπότου δικαίας εἶναι τὰς κρίσεις, οὐδὲν δυνάμεθα, μὴ διαγνωσθέντων τῶν πραγμάτων, εἴς τινος μέρους πρόκριμα ἀποφήνασθαι, πρὶν, ἢ τὰ πραχθέντα ἀκούσωμεν. id est, rebus ita gestis, nondum agnoscimus qualis iustitia à communione Ecclesiæ separatus sit. Sed respicientes ad causam, volumus facti tui rationem discere, & omnia sustineri, ac differri vsque ad nostram cognitionem. quoniam nos qoi volumus sacerdotum domini iusta esse iudicia, nil possumus, nō cognitis rebus, in alicuius partis præiudiciū pronuntiare, priusquam res gestas audierimus. sic ille. Errorarem in versione Latina, vt in qua sit, *deferri* pro *differri*. ὑπερτεθῆναι, enim est in textu Græco, vt constat: longáque inter vtrámque vocem differentia. Dixi de dilatione hac necessaria fusè satis ad l. 15. Ab

hostibus.ff.ex quib.cauf. maiores. Verè equidem Cuiacius notat in paratitl. non modò ex schola, nempe ex l.5.hoc tit. sed & ex vsu dilationes non dari in consistorio Principis. Ita enim seruant consistoriani, quod proinde in transcursu attingo.

IDEM IMPER.

L. 3.

Feriæ siue repentinæ, siue solennes sint, dilationum temporibus non excipiantur, sed his connumerentur.

Dixi ad l.sed & si.§.si feriæ.ff.ex quib. cauf.maiores. sciendum verò est ex fori quotidianis formulis quibus probatur, improbatúrve Senatusconsultorum auctoritas, feriatos dies, quæcumque feriæ sint, seu repentinæ, seu solennes, non computari in fori exclusionibus, quæ fori exclusiones, seu forclusiones, vt loquimur, tunc incipiunt cum lis contestata est, veluti si instrumenta non proferat aduersarius, si contradictiones non scribat, dicimus, *forclos de produire, forclos de fournir contredicts*. Itaut eo casu si feratur, feriísque computans, Senatusconsultum, supplicationi, seu requestæ ciuili, locus esse solear. vide ad l.sed et si §.feriæ. In cæteris autem eremodiciis (vocant *defaults*) cuiuscumque modi illa sint, seu quorum dies à pronuntiatione cedit, nec venit, (dicimus *default sauf trois iours*) seu quorum dies protinus & cessit, & venit, seu (dicimus *default pur & simple*) aut ea denique quæ contrahuntur ex edictis curiæ, quæ vernaculo etiam forensi, *defaults aux ordonnances*, in iis omnibus dies sunt continui, connumerantúrque feriæ. formulariorum ista, fateor: Sed ad interpretandum hoc Constantini rescriptum, necessaria.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 4.

A procedente iudice dilatio indulgeri non potest, sed causa cognita. Cognitio enim causæ non interpellatione planaria, sed considenter magis iudice, legitimè colligitur.

Perstrinxi ex verbis textus. Cōponenda autē lex, nec quicquā.§.1.& § 3.de offic.Procōs.planaria enim interpellatio, de qua hîc, ad hoc ipsū referēda est quod ait Vlpian. in d.l. nequicquā. *De plano causas expedire*. Vultque hîc Cōstantinus vt iudex nō procedēs, seu ambulās, sed sedens, plenissimáq; cognitione videat vtrùm per tricas, maláq; effugia comperendinet litigator, moras nectat, diésque extrahat: quod fit sæpissimè vbi conficienda inquisitio est, vel si instet formidatum iamdiu à temerario litigatore supremum iudicium: in capitalibus verò, si perorand a sit pro Reo appellatio, tunc vt se sistat Reus ad pedes iudicum, necesse est, nisi causaria proponatur excusatio seu ἐξωμοσία, (vocant vulgò, *exoyne*) de qua dixi ad l.vlt.ff. qui satisd.cog. sexcenta sunt istiusmodi de quibus pro causis & personis cognoscere debet iudex, nè dilatio denegetur, tribuatúrve temerè, ac contráque receptum iudiciorum ordinem, vide singularem in id, breuissimúmque textum in l.2.ff.de re iudic.

TIT. XII. DE FERIIS.

IMP. CONSTANTINVS, ET MAX. AA. SEVERVS ET MAXIMIANVS, NOBB. CC.

L. 1.

Quoniam consulis an similis obseruantia à nobis adijciendarum feriarum, quæ rebus fœliciter gestis perueniunt, ad appellationum quoque tempora porrigenda sit, Verine charissimè, rescribi placuit experientiæ tuæ, vt in causis prouocationum iugiter & sine additamento huiusmodi dierum tempora scias seruari debere, &c.

Seruamus istud de more. cùm enim intra tres menses exerceri appellatio debeat, referríque in Senatum, (vulgaris noster sermo est, *releuer l'appel en la Cour dans trois mois*) intra autem sex hebdomadas in subsidiorum curiam: quæ duo sunt suprema quotidianarum appellationum tribunalia: tribus illis mensibus, séxve illis hebdomadis, connumerantur dies non modò vtiles, seu fasti, & iudiciales, de quibus in l. 2. quis ordo in bon. poss. seru. sed & feriati, ac nefastij. continuum denique illud tempus est, ac fatale, vt vocat lex. 2. inf. de tẽpor. appel. De feriis autem repentinis, seu adiectis, vt loquitur nostra lex, dixi ad l. sed & si. §. feriæ. ff. ex quib. cau. maior. quibus repentinis notabo, in trãscursu, putare hîc Baldũ renuntiari non posse. Cæterũ obseruabit studiosus quibus verbis rescribant Imperatores Verino isti, prouinciæ, vt verisimile est, Præsidi, *Rescribi placuit experientiæ tuæ*: ait lex. sic & in l. vlt. ff. de off. præf. Vigil. Imperator appellat præfectũ vrbis, *Amicum nostrum*: vtróque nempe titulo indicante quãti facerent Imperatores, peritiam, fidémque eorum quibus regendas prouincias committerent. De inscriptione autem quæ præfert verba hæc, Nobb. CC. vide ad l. pactum quod dotali. sup. de pact.

IMP. THEODOSIVS.

L. 2.

Vt in die Dominico emancipare, ac manumittere liceat, reliquæ causæ, vel lites quiescãt: & à die octauo Calendarum Iulij, vsque ad Calendas Augusti messis feria concedatur, & à Calendis Augusti vsque in decimum Calendarum Septembris, agendarum causarum tribuatur licentia. A decimo autem Calendarum Septembris vsq; in Idus Octobris vindemialis feria concedatur. Sanctum quoque diem Paschæ, & diem natalis Domini, & epiphaniæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, sine strepitu volumus obseruari: & quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.

Dixi ferè quantũ satis de vindemiarũ, messiúmque feriis ad hunc eundem tit. ff. *Geminos menses ad requiem laboris, indulgentior annus accepit, æstiuis feruoribus mitigandis, & Autumni fœtibus decerpendis*: verba sunt legis, 2. Cod. Th. hoc tit. quæ & paulùm immutata reperies in l. 7. inf. hoc tit. Quantæ autem venerationi, ac sanctitati esse debeant dies

Dominicus Christianis, cõsule Brissonium, ad l. Dominico. de spectaculis, Cod. Theod. venerabilem diem solis vocat lex 3. inf. hoc tit. Plura ego ad l. seq. de festo etiam Paschæ, de quo noster textus cum sit & ipso nomine sanctum, apud Christianos, sufficiam tamen ex Gregor. Nazianzeno, oratio. 14. & sermone de Pascha, quod instar sanctitatum omnium esse debeat. Vocat enim ἡμέραν ἡμερῶν βασιλίσσαν, id est, diem dierum reginam. ἑορτὴν ἑορτῶν, καὶ πανήγυριν πανηγυρέων, id est, festum festorum, & conuentum conuentuum. Syluas scriptorum rei ecclesiasticæ in eo prætereo, vt in verbis concil j Cæsaraugustani, Hispaniæ, & Agathensis nostræ Galliæ, desinam. Sic enim Cæsaraugust. can. 4 *Vicesimo & primo die*, id est, *à decimo sexto Calend. Ianuarij, vsque in diem Epiphaniæ, qui est octauo idus Ianuarij, continuis diebus nulli liceat de ecclesia se absentare, nec latere in domibus, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam. quod qui non obseruauerit de suspectis anathema sit in perpetuum.* Sic verò & Agathense sub Cælestino. 1. can. 63. *Ciues qui superiorum solennitatum*, id est, *Paschae ac natalis domini vel Pentecostes festiuitatibus, cum episcopis interesse neglexerint (cum in ciuitatibus, communionis, vel benedictionis accipiendæ causa, positos se nosse debeant) triennio à communione priuentur ecclesia.* plura non dicam. de festorum origine apud Christianos, vide, si lubet, Couarruuiam, lib. 4. cap. 19.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 3.

Omnes iudices, vrbanæ plebes, & cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè, licentérque inseruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: nè occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa.

Prima, necessariáque obseruatio fuerit ex Nicæna Synodo, cuius hæc verba, in can. 20. qui vlt. ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις· ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ. Id est, quia sunt quidam quo in die Dominico genu flectunt, & in diebus Pentecostes, vt omnia in omni parœcia similiter seruentur, visum sanctæ synodo vt omnes stando precentur. Rationem reddit ad eumdem canonem Zonaras, ὅτι τοῦ προσδοκωμένου αἰῶνος εἰκὼν ἐστὶν ἡ κυριακή. id est quoniam expectati futuri seculi imago est dies dominica. Sic & Cassiodorus senator, lib. 1. cap. 9 *Diem dominicum Constantinus honorabat, quia in eo Christus resurrexit à mortuis. Alium verò scilicet veneris, quia in eo fuerat crucifixus. maximam namq; culturam sacratissimæ crucis habebat.* Eusebius Emissenus homil. 11. quæ est de pascha: *Mortifera*, inquit, *idololatria consuetudo in tantum homines occæcauerat, vt Solis, Lunæ, Martis, atque Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni, & diuersis elementorum, ac Dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent.* prætermitto locum vulgatum, longissimumque D. Augustini ad psalm. 93. in præfatione. Disertiùs enim multò, atque expressiùs de die solis, & cæteris, apud Isidorum Hispalensem cap. 30. lib. 5. etymologiarum in hunc modum: *Dies dicti à dijs, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacrauerunt. Primum enim diem à sole appellauerunt, qui princeps est omnium siderum, sicut & idem dies caput est cunctorum dierum, &c.* sic ille. longè autem anteà. Iustinus martyr, apol. 2. pro Christianis: τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος, καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε. καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτόν. καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικήν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ, καὶ μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα. id est, solis die communiter omnis conuentum faci-

mus. quoniam prima est dies in qua Deus tenebris, & materia, mutatis, mundum fecit. Et Iesus Christus, noster Saluator, eadem die à mortuis resurrexit. ea enim die quæ Saturni die prior, anteriórque est, crucifixerunt ipsum. & altera quę saturnalem sequitur, quæ est solis dięs, cùm Apostolis suis apparuisset, & discipulis, docuit ista. Sic Iustinus. dies denique, ac menses me deficerent, si singula, eáque præstantissima, conferre, déque Græcis, Romanísque auctoribus coacervate hîc instituerem. Ad secundam verò partem legis qua nihilominus ruri positos culturæ vacare vult etiã diebus dominicis, temperatur istud quotannis in hunc modum ab agricolis, vt nimirùm fructus maturos colligant, secent, auferant, ac percipaint indefinenter, pérque dies festos, si aliàs cunctationem damnosam videant. quam in sententiam interrogatus olim paganus Scæuola de festis ethnicis, quid tunc agendum, si tempestas insolita vrgeat, respondit, *quod praetermissum noceret*. Ita Macrob. lib. 1. cap. 16. Saturnal. Elegantissime, amplissiméque Columela, libro 2. capit. vltim. de re rustic. post Virgil. libr. 1. Georgic.

In cæteris autem, ferias alium in motem esse oportere Christianis, quàm scripserit in genere Philo Iudæus, lib. de vita Mosis, vbi ait eas esse solere suauiter viuentium, sic ostendo ex cap. 202. in capitularibus Caroli magni lib. 6. quod de Dominici diei celebrat.one est, *Placuit vt fideles diem dominicum, in quo Dominus resurrexit, omnes venerabiliter colant. Nam si pagani ob memoriam, & reuerentiam deorum suorum, quosdam dies colunt, & Iudæi, more carnali, sabbatum carnaliter obseruant, quantò magis à Christianis iste dies honorificè colendus est? nè in illo sancto die vanis fabulis, aut locutionibus, siue cantationibus, vel saltationibus, aut derisionibus, stando in biuijs, & plateis, vt solet, inseruiant: sed ad sacerdotem, aut ad aliquem sapientem hominem & bonum veniant, & eorum prædicationibus, & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, vtanter: & illo die, seu sabbato, ad vesperas, & ad matutinas, siue ad missam, cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo, Kyrie eleison, decantent. similiter & pastores pecorum eundo, & redeundo in campum, & ad domum faciant, vt omnes eos veraciter Christianos, & deuotos esse cognoscant.* Hactenus Car. magni verè Christiana constitutio. Admittit tamen rei necessitas, vt præconia, seu proquiritationes (vocant, *criees*) in decretis auctionalibus fiant diebus dominicis, Missa facta, nimirùm ob frequentiam populi, quæ aliis diebus tanta non est: quod præf. magister, tractatu, de bonorum publicationibus, Vidus Pap. varijs locis, Argentræus, tit. *des appropriances*, art. 265. in verbis, *par troys Dimanches*, qui & agit in genere, de ferijs, art. 1. *des insttces* ad consuet. Armor.

IMPP. VALENTIN. VALENS, ET GRATIANUS.

L. 5.

Publicas, ac fiscales causas tua synceritas etiam feriatis mensibus geminis, hoc est sine intermissione aliqua, distinguat, pistoriis quoq; causis iisdem diebus ratum in futurum examen adhibebit.

Geminos menses feriatos hic intellige ex gl. ad l. 7. omnes inf. hoc tit. vt æstiuus alter sit pro messibus, autumnalisque etiam alter pro vindemiis. Quantum ad pistorias causas, de quibus quoque in textu, optimè equidem gl. cum ait, *quia omni tempore pane egemus*. Inde ἀρτοπωλεῖα instituta, id est loca in quibus væneunt panes de more, vt in glossis græcobarbaris. sed illustrandum aliunde pistorium hoc ex vsu & Romano, & Gallico. *necessarium corpus pistorum fouendum est*, ait lex 2. cod. Th. de pistoribus. eratque propterea sub cura præfecti vrbi. Itaur, quia ab vrbanicis, id est, apparitoribus præfecti vrbi, concuti pistores solerent, cautum esset, speciali edicto, vrbanicianum, quisquis concussisset pistorem, pistorum corpori, perpetuóque panificio addici oportere. Ita l. 2. de apparitorib. præf. vrbi. eoque sensu accipienda nou. de quæstore, qua dicitur fuisse Constantinopoli qui præpositi essent ἀρτοποιῶν, est panificantium. Certum autem pistorum corpus fuit, qui pani ciuili conficiendo obnoxij, mancipes dicebantur. de quo vide Cuiac. tit. de pistoribus, lib. 11. Atque vt in tam necessario annonæ publicæ, ministerio,

nisterio, nihil te fugiat, obseruat Cuiacius lib. 16. cap. 5. obseru. pistores non modò panem fecisse, sed farinas etiam moluisse, ac subegisse: addit que eodem loco, fuisse Constantinopoli qui molenda etiam frumenta animalibus, farináque comportarent, dicti ex eo Catabolenses, ἀπὸ τῶν καταβολῶν, quod, comportare, est. Et cùm lucrosa esset admodum publica ista opera, factos è pistoribus Senatores testatur l. 4. d. tit. de pistorib. itaut tandem, ex ista procedendi libidine, & quia desereretur ministerium publicum, panificij necessitatem suscipere, successionis iure, coacti sint postea liberi panificum, vt constat ex l. 3. rursus illo tit. Immò & mulctandos viginti auri libris censuere Imperatores, redireque ad antiquum denuò consortium iussus est quisquis dignitatem, & officium vel ambitione, vel gratia, vel pecunia. seu quolibet alio modo assecutus fuisset. titu. de pistoribus, lib. 11. Romæ ista quondam, & Constantinopoli. Apud nos nondum equidem ea vilitas pistoria, (ita enim in l. vn. de perfectissimatus dignitate, lib. 12.) inquinauit tam egregium augustúmque ordinem: atq; vt persequat quod ad interpretationem textus nostri semper, nostróque ex vsu, faciat: sciendum primùm est prohibitum iampridem pistoribus externis, nè Parisiensibus panes suos vendant per reuenditores, (verbum est Vlpiani) sed per seipsos, pœna confiscationis panum, si secus faxint, nè scilicet ab istis reuenditoribus cariùs panis væneat in reip. dispendium: prohibitorium hoc edictum tradit Rebufus, tractatu de mercatoribus minutatim vendentibus, &c. glo 5. politicáque constitutio anno 1567. promulgata est, vt in domibus, officinis, fenestrisque habeant tria panum genera, comminatione adiecta mulctæ corporeæ, amissionis panum, & librarum viginti, ni pareant. & quod miratus sum, non præfectus Parif. sed Maximus Panificij magister, (vocant, *le grand Panetier*) de causis omnibus pistoriis cognoscit, vt notaui suprà, ad tit. 47. vbi, & apud quem cognitio in integr. restitutio agitanda sit. vide apud Tiraq. quid ille scripserit in genere de pistoribus: quàm abiecta sit eorum conditio, & quàm publico necessaria: cap 34. num. 37. 38 39. de nobilitate. Adscribo enim primùm quæ ex me: posteàque ad cæteros remitto.

GRATIAN. VALENTIN. ET THEODOS.

L. 6.

Quadraginta diebus qui auspicio cæremoniarum paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.

Tota Græca est apud Harmenopulum, lib. 1. tit. 4. Notatéque succurrit ab ipso limine, tantæ olim venerationi fuisse tempus quadragesimæ per vniuersam Galliam, vt non capitales modò, sed & ciuiles causæ, per esuriales illas ferias, conquiescerent. tradit inter cæteros, Lud. Aur. in Panegyr. nec inualuit mos contrarius nisi postquàm, sede immota, considere cœpit Senatus apud Lutetiam, nempe circa ann. 1302. & 315. quo anno 315. Hutinius ordinem superba illa palatij paterni statione donauit, quod paulò antè extructum fuerat, & cuius immensa in hunc diem, nec apud confines tantùm populos, sed vel ad Bosphorum vsque Thracium, celebritas creuit vsque adeò, ex illis temporibus, aut potius sese sibi reddidit, iurisdictio regia, quæ tunc ferè tota penes ecclesiam, (quod alibi fusiùs interpretor) vt nulla alia anni decurrentis tempestas circa lites, actionésque fori publicas, occupatior: longioráque multò patronis quàm alijs anni partibus, perorandi tempora. Si enim maiores causæ incidāt, & quæ plures iudicum sessiones desideraturæ sint, reijciuntur illuc, de more, in eáque tempora, quod sæpissimè vidimus: & quanto ingenij lumine, quasique acies inter militares, fulgurantis, moueritque audientium animos facundia, quæ & doctis olim Romanis laudata, non semel suspeximus.

Solus denique sacræ huius constitutionis vsus superest in sancta, quæ Pascha antecedit, hebdomada, & altera quæ sequitur. Vtráque enim criminales, ciuilésque cognitiones, à die Martis ad Pascha vsque, & tribus tantùm posteà diebus, nempe in diem Iouis, prorsus desinunt. nefastique sunt octo dumtaxat, aut nouem ex feriis Paschalibus, dies. posteà renouantur iudiciales operæ. Ne autem auersari videar, quando me im-

pellit locus quasi aduersantem legibus Christianis quadragesimalem motem, quem Christiana hucúsque amplexata est sanctiras: demirari equidem satis haud possir qui prisca nascentis ecclesiæ decreta, institutáque legerit, qua ratione, aut lege damnare id velint qui puriora sese, nec fucata domini nostri præcepta hausisse ex ipsis fontibus, nec verò ex vitiatis, conspurcatísque riuulis, prædicant. Docet enim D. Augustinus epist. ad Casulanum presbyterũ, indictũ ita esse quadragesimale ieiunium à Christo, vt prima inter Christianos initia dederit Senat. Apostolicus in hæc verba è Græco reddita, *Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, sanctam Pascha quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuen, præter quàm si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit laicus, segregetur.* Sic in can. 68. cuius, & cæterorum canonũ, si minus forsan placeat cana veritas, nec placitura etiam putem Græca, latináque concilia, quibus vt nihil antiquius, ac religiosius, ita nec ratio alia mouit Dionysium exiguum, D. Augustinum, D. Hieronymum, cæterósque doctrinæ Christianæ principes, vt hoc ipsum non semel, sed passim, atque ex professo scriberent. vt autem persequar: præceptos eadem religione quadraginta illos dies à B. Ignatio, Ioannis Euangelistæ discipulo, reperies in epist. ad Philippenses, sub finem, Quòd si eleuetur pariter illius fides, quid superesse vnquam dixerimus, nisi vt scripta totius Græcæ, Romanæque olim eruditionis, ac pietatis Christianæ, pro intermundiis Epicuri, rebúsque nihili haberi debeant, cùm Ignatium inter scriptores ecclesiæ memorent D. Hieronymus, Eusebius, Socrates, aliique electæ notæ plurimi? Origenes, secundus Ecclesiæ magister post Apostolos, (vt eum vocat D. Hieronymus) *habemus*, inquit, *quadragesima dies ieiuniis consecratos*: Ita Homil. 10. in Leuitic. D. Cyprianus hoc ipsum, libro, de singularitate clericorum. Theodoretus describens vitam Publij Monachi, in Philotheo: *oleo, vel quadragesima tempore, abstinebat.* Basilius oratione de sanctis 40. martyribus: *hoc erat tempus, hi certaminis dies, hoc Paschalis proœmium, sanctae quadragesimae mysterium, quadraginta nobis placationis dies certaminibus totidem numero coronæ respondebant.* Gregorius Nazianzenus oratio. de S. Lauacro: *& quadraginta quidem dies ieiunauit, nam Deus erat: At nos viribus nostris hoc commensuramus, tametsi quibusdam Zelus etiam supra vires aliquid anniti persuadet.* verba paulò rudiora, sed è Græco facta. D. Ambrosius, sermone in inuentione corporum Geruasij, & Protasij: *in diebus itaque transactae nuper quadragesima cùm Dominus donasset mihi, vt ieiunantium me faceret participem.* Cyrillus Hierosolomitanus catechesi 4. cap. de cibis: *Ieiunamus à vino, & carnibus abstinentes, non quòd hac tanquam abominationes oderimus, sed quod præmium expectamus, vt sensibilia despicientes, spiritali deinceps, & intellectuali mensa fruamur, & nunc seminantes in lachrymis in futuro seculo in exultatione metamus.* Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν, ξηροφαγοῦντας. id est, oportet totam quadragesimam ieiunare, aridis vescentes: verba sunt Concilij, can. 50. vbi Zonaras excipit Sabbata, & dies Dominicos. Ἀπόκρεω, ex eo tempus illud vocant Gregoras, lib. 8. Nicetas, in Alexio, & Cedrenus, quod nempe priuet carnibus. Subiungi autem necesse est quod in textu Græco Procopij legitur, lib. 1. de bello Persico. vbi enim agit de ieiunio Christianorum, pridie Paschæ, in hæc verba loquitur: Ἑορτὴ ἡ Πασχαλία ἐπέκειτο ἡμέρᾳ ἐπιγενησομένῃ τῇ ὑστεραίᾳ. ἣν δὴ σέβονται χριστιανοὶ πασῶν μάλιστα· ἡμέρᾳ τε τῇ ταύτης προτέρᾳ, σιτίων τε, καὶ ποτοῦ ἀπεχόμενοι, οὐ διημερεύειν νενομίκασι μόνον, ἀλλὰ καὶ, πόρρω που νηστεύειν τῶν νυκτῶν ἰέναι. id est, festum Paschale instabat postridie: quod venerantur Christiani maximè omniũ. Die, quæ hanc anteit, cibis, & potu abstinentes non solum totum diem peragendum putarunr, sed & in multam noctem ieiunandum. sic Procopins. miror autem cur in versione Latina, quæ Basiliensibus iamdudum typis excusa est, locus ille integer de textu sublatus sit. Bis, térque percurri: nusquam autem reperi. habet verò Græcum exemplar, quod mihi hoc anno 1618. commodauit Dom. Grangerius, Liuerdianus, in tertia inquisitionum, præses doctiss. cuius tãta in excutiendis, ac lucubrandis Græcis auctoribus opera, quantam ex alio vnquam viderim: Sed vt persequar: tradit Balsamo in resp. ieiunium istud quadragesimale collocatum adeò fuisse à Christianis inter ea maximè quæ necessariò seruari oporteret, vt dicat: ἐξ ἀνάγκης προσηκοῦσαι νηστεῖαι περὶ τῶν τεσσάρων τούτων ἑορτῶν. ἤγουν περὶ τῆς ἑορτῆς τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ, τῆς Μεταμορφώσεως τοῦ Χριστοῦ, τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, καὶ τῆς κοιμήσεως τῆς ἁγίας Θεοτόκου. πλὴν ἐπλανήμεθα. Μία γὰρ τεσσαρακονθήμερος

πορεία ἐστὶ ἡ τῆς ἁγίας, καὶ μεγάλου Πάσχα. id est, ex necessitate præcedunt ieiunia ante 4. has ferias: nempe ante festum sanctorum Apostolorum, natiuitatis Christi, transfigurationis Christi, Dei nostri, & dormitionis sanctæ Dei genitricis. excipiuntur septem dierum ieiunia. Solum enim 40. dierum ieiunium est sancti, & magni Paschæ. Pauca hæc ex auctoribus vetustissimis, ac sanctissimis. Sique concilia etiam aliquam apud nouatores fidem faciunt: testantur rursus morem illum Laodicense, can. 50. Bracharense, primum. Toletanum, 8. can. 8. Cæsaraugustanum, can. 2. Apud nos verò Aurelianense primum, can. 26. Aurelianense 4. can. 2. Antisiodorense, can. 2. Apud Germanos verò, Coloniense, 3. cap. 6. Re igitur patefacta ex primis, mediisque Christianismi temporibus, addam postremo locum valdè insignem Isidori Pelusiotæ, 4. epistolarum, in 136. vbi quærit, quinam illi sint violenti quos ait Dominus cœlum rapere. eos enim ait esse qui corpus suum *ieiuniis*, temperantia, & cætera omni virtute cum quadam violentia domantes, & legibus spiritus subiicientes, reddiderint ipsum, εὐήνιον, καὶ ὁρμητήριον ἀρετῆς id est, habenarum patiens, ac flexibile, sedémque, & arcem virtutis. non hoc χατέμαρψιν qui scilicet cutem curant, ac ieiuniorum quadragesimalium obseruatores rident. finem denique faciam in ieiunio, quale attingit D. Chrysostomus, Domini nostri, cuius vitam, vt Principis, omnium maximi, censuram esse oportet, ad quam dirigamur, vt Plinianum istud, nec loco alieno, vsurpem. Sic enim ille in Psalmum 117. ἐκεῖ τράπεζα, ἄρτος κρίθινος, ὕδωρ χειμάρρου, φιλόσοφον δίαιταν ἦλθε διδάσκων, γαστρὸς κρατεῖν, φαντασίαν πατεῖν, τῦφον καθελεῖν. id est, mensa Iesu, panis ordeaceus, aqua torrentis, vitam philosophicam docebat, vt ventri imperetur, vt phantasiæ ac imaginationes vanæ conculcentur, & vt typhus, supercíliaque auferatur. Placitura hæc sunt, vt spero, veris Christianis, cum proferantur ex solis, optimisque, & grauissimis scholæ Christianæ magistris.

IMPP. VALENT. THEODOS. ET ARCAD.

L. 7.

Omnes dies iubemus esse iuridicos, (gl. id est, ad ius dicendum concessos) *illos tantùm manere feriarum dies fas erit quos geminis mensibus, ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstiuos quidem dies feruoribus mitigandis, & autumnales fructibus decerpendis. Calendarum quoque Ianuariarum consuetos dies otio mancipamus. his adycimus natalitios dies vrbium maximarum, Romæ, atque Constantinopolis: in quibus debeãt iura differri, quia & ab ipsis nata sunt: sacros quoque Pascha dies qui septeno numero vel præcedunt, vel sequuntur: dies etiam natalis, atque epiphaniarum Christi: & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis magistræ, à cunctis iure celebratur: Item & dies solis quos dominicos ritè dixere maiores, qui repetito in sese calculo reuoluuntur. in quibus parem necesse est habere reuerentiam, vt nec apud ipsos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel sponte electos, vlla sit cognitio iurgiorum. nostris autem diebus qui vel lucis auspicia, vel ortus imperij protulerunt. In quindecim autem Paschalibus diebus compulsio annonariæ functionis, & omnium publicorum, priuatorúmque debitorum differatur exactio.*

Optimè Brissonius ad hanc l. commendat. Triboniani nostri sagacitatem, qui vt semel definiret quinam essent feriati dies, & à strepitu forensi, iudiciariisque cognitioni-

nibus vacui, tres Imperatorum constitutiones in vnam cõtulit. indicátq; subinde compositum, coagmentatúmque hoc caput ex l.2. de feriis. ex l. solis. de exactionibus. ex l. vlt. de spectaculis. Cod. Theod. Diuidetur autem à me tota ista Triboniani coagmentatio in partes decem, vt clarior habeatur eius intelligentia.

Prima erit ad verba, *Quos geminis mensibus, ad requiem laboris indulgentior annus, &c.*

Componendæ in hoc d.l.2. Cod. Th. hoc tit. & lex, vt profanos. Cod. de paganis. ad quam dixi. vide & Platonem lib.2. de legibus, in princip. per tres paginas, quibus ostendit festos dies tanquam necessarium laboribus interponere temperamentum, vt vtar in hoc verbis Senecæ. lib. 1. cap. 15. de tranquillitate vitæ. quod & persequitur in Ludo Claudij. singularia ad eam ipsam rerum iudicandarum vacationem reperies apud Plinium lib. 8. epist. 21. Suetonium in Augusto, cap. 32. in fi. Ciceronem lib. 2. de legibus. & Lucanum, in poëmatio ad Calpurnium Pisonem. Egregiè Statius lib. 4. Syluarum ad Marcellum.

Certè iam latia non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messésque reuersa
Dimisere forum: nec iam tibi turba reorum
Vestibulo querulúsque rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix iudicis hasta.

Ita & scribit Athenæus lib. 3. in more fuisse Græcis, vt Panathenæorum diebus forum taceret. dixique in hoc ipsum ex moribus Gallicis ad l.1. hoc tit. ff. vbi trado paucis de iustitio quod à die 7. Septembr. vsque ad Martinianam missam, quæ semper, ac de more solemni, celebrari in annos singulos solita est ad redintegrandum Senatum.

Secunda pars. *Calendarum quoque Ianuariarum, &c.*

Iam dixi ad l.31. Sed si vir §. pen. ff. de donation. inter vir. & vx. de Calendis Martijs: pérque occasionem de Ianuariis, quarum ea fuit semper Romæ celebritas, etiam postquam Christiana facta est, vt nihil non festiuitatis, lautitiarum, sumptuum, libidinúmque per eos dies ageretur. Alexander Seuerus, ait Lampridius, Calendis Ianuariis lautiùs, ac sumptuosiùs solito cœnauit. nuncupabantur vota, mittitabantur strenæ, consules noui fiebant, vacatio erat litium, quæ ferè omnia apud Ouidium, lib. 1. Fastor. cùm ait:

Prospera lux oritur, linguísque, animísque fauete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures insanáque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.
Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iámque noui præeunt fasces, noua purpura fulget:
Et noua conspicuum purpura sentit ebur.

Ista, vt dixi, & Christiana Roma haud secius ferè quàm cùm ethnica, quicquid increparint sanctissimi olim præsules, D. Ambrosius, sermone 17. Augustinus epist. 64. Chrysologus sermone 155. longéque anteà Tertullianus libro, de idololatria: variáque insuper concilia quorum partem recenseo ad d.l. sed & si. Durat verò & in hunc diem ille mos, durabitque.

Tertia pars. *His adijcimus natalitios dies vrbium maximarum, &c.*

Dixi rursus ad d.l.sed & si.§.pe.vide præterea Pet. Fabrum,lib.1.Semestrium,cap.9. expressit istud eleganter Sozomenus lib. quinto histor.cùm ait, καὶ βασιλίδων πόλεων ἐν γενεθλίοις ἡμέραις. id est, in reginarum vrbium natalibus diebus : nempe dum conditæ sunt, vt explicant plus satis verba hęc Mamertini in Panegyrico Maximini: *Vt tacita natura ad honorandum natalem Romæ diem tam liberalem facit, vt vrbem illam colas conditam, quasi ipsa condiderit.* Docet Brissonius ad hanc l.natalem Romæ fuisse 11.Calend.Maias: Constantinopolis V.Id Maias. Vide quæ fusissimè adieci ad l. 1. in verb. melioribus condita augutiis.sup.de vet.iu.enucl.

Quarta pars. *Sacros quoque Pascha dies, &c.*

Feriæ enim incipiunt à die Paschæ dominico, desinúntque in sequentem alterum diem dominicum. Inde vernaculum Gallicum, *Pasques fleuries*, verbo corrupto, pro, *Pasques feries, & Pasques clauses.* Duo autem concilia necessariò hîc subiicienda sunt. Primum est generale, 6. al. Constantinopolitanum. 3. sub Constantino. 4. can. 66. cuius hæc verba: *A sancta Christi Dei nostri resurrectionis die, vsque ad nouum Dominicum tota septimana in ecclesiis vacare fideles iugiter oportet, psalmis, & hymnis, & spiritalibus canticis, in Christo gaudentes, festúmque celebrantes, & diuinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis iucundè, & lautè fruentes. nequaquam ergo prædictis diebus, equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum.* hactenus concilium Constantinop. verba etiam Matisconensis, secundi, can. 2. hæc sunt: *Pascha nostrum, &c. debemus omnes festiuissimè colere, &c. vt illis sanctissimis sex diebus, nullum seruile opus audeat, quis facere, &c.* In hoc vt gentis nostræ Gallicæ decreto Christiano, claudam scholium, sola ista adiecta admonitione D. Hieronymi, epist. 21. de celebratione Paschæ: *Attende*, inquit, *sacratissimum triduum crucifixi, sepulti, suscitati.* Vide cætera ad l.2.sup.

Quinta pars. *Dies etiam natalis, atque epiphaniarum Christi, &c.*

Verba hæc sunt Bracarensis concilii, primi, can.4. *Si quis natalem Christi secundum carnem, non verè honorat, sed honorare se simulat, ieiunans in eodem die, & in dominico, quia Christum in hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, & Manichæi, anathema sit.* Vide cætera ad d.l.2.sup.

Sexta pars. *Et quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis, &c.*

Rectissimè glossa dies Apostolorum festos intelligit.

Septima pars. *Item & dies solis, &c.*

Fusissimè ad l.3.omnes.sup.hoc tit.

Octaua pars. *Vt nec apud ipsos arbitros, &c.*

Anno 1604. die 9. Ianuar. quæstio incidit in maiori auditorio, vtrùm sententia arbitrorum dici deberet nulla, atque irrita, quia die iouis sanctæ hebdomadis Paschalis lata esset. In eo enim sola versabatur causa, in qua etiam hic textus multùm celebratus est à patronis. confirmata tamen est, contendentibus Dolæo, & Baussano, qui iocosè, falséq; adiecit, si lex ista obtineret, omnia omninò Senatusconsulta, quæ pronunciantur in purpuris die Martis illius hebdomadæ, futura esse nullius momenti ex eo capite.

Nona pars. *Nostris autem diebus, &c.*

Vide iterum ad d.l.sed etsi.d.§.pen.in verb.natali die.vbi latissimè, atque in genere,

Perpetuũ verò id fuit Imperatoribus, vt natales semper eorũ celebrarentur, essentq; supra cæteros feriati, vt constat ex Dione, lib. 50. & 53. Plinio, ad Traianum. Suetonio, & aliis. *Diem*, ait Plin. ad Traianum, lib. 10. *in quem tutela generis humani, fælicissima successione, translata est, debita religione celebrauimus, commendantes imperij tui auctoribus & vota publica, & gaudia.* Scio solennes non esse eas ferias Gallis: quibus tamen eùm forte incomparabili obtigerit, vt Augustissimus, iustissimúsque Ludoicus noster XIII. nasceretur ad tutelam gentis Franciæ anno 1601. 27. Septemb. id est, die diuorum Cosmæ, & Damiani, diem propterea dupliei nomine celebramus, & in diuorum honorem, & ad salutem tanti Principis qui reuera natus, vt sit κοσμήτωρ λαῶν.

Decima pars. *In quindecim autem Paschalibus diebus, &c.*

Seruamus istud religiosissimè. Debitor enim, quisquis ille sit, per totum illud tempus nec cogi potest, nec in carcerem coniici à creditore, cui nec etiam licet manus iniicere in bona seu mobilia, seu immobilia debitoris. Vidi ita sæpius, quasique insultantes debitores, per eiusemodi inducias, creditoribus, quorum propterea querelæ nihil maius, aut efficacius, quàm eùm libertate Decembri seruus olim Romanus vtebatur in dominos. Festiuè hoc describit Horatius noster Satyra pen. lib. 2.

IIDEM AAA.

L. 8.

Actus omnes, seu publici sunt, seu priuati, diebus quindecim Paschalibus conquiescunt. In his tamen & emancipandi, & manumittendi cuncti licentiam habeant, & super his acta non prohibeantur.

Nõ immeritò Baldus hæc refert ad actus omnes voluntariæ iurisdictionis. Eiusmodi enim sunt publicationes bonorũ, (vocant *criées*) quod & notauit Præs. Magister. cap. 15. De bonorum publicationibus, vt iam notaui suprà. Sic & Vidus Papius docet. q. 215. citationem in ius fieri posse die feriata, alia tamen quàm dominica, ad diem non feriatam. hoc etiam licere adiicit in insinuationibus donationum: in manus iniectione ex causa iudicati: in missione in possessionem. nunquam verò se audiuisse scribit auctionẽ bonorum (incantum vocat, quem dicimus vulgò, *l'encant*) factam fuisse die feriato. vt nec etiam hodie seruamus. prætereà Rebufus, art. 1. glo. vn. in fi. de reprobationibus testium: tradit, quod & hodie vsitatissimum est, posse nimirum interrogari, vel, vt vocant examinari testes die feriato, sed non admitti, seu recipi, vt loquimur, ad sacramenti præstationem: citátque in id glossam in elem. vn. de offic. deleg. Die feriato confici potest instrumentum, valétque, ait Faber, ad l. vlt. hoc tit. Valet pronuntiatio arbitrorum: possunt testes audiri, sed nõ recipi, cùm sit actus iurisdictionis: sic ille tursus ad d. l. vlt. quod & idem Aufrerius ad q. 158. in decisio. Cap. Tolos. vbi & decidit manum iniici posse in debitorem, terúmve criminis, etiam die feriato, si, aliàs capi non possint, testésque admitti si nulla causæ cognitione opus sit. Nihil profecto ex Chassaneo, nec quid ex hac l. ad mores nostros meditatus fuerit. meras enim esse nugas mecum fatebitur quisquis legerit quod ille in hanc controuersiam scripsit ad consuetud. Burgund. rubr. 1. §. 6. num. 97.

IMPP HONOR. ET THEODOS.

L. 9.

Præsides prouinciarum moneantur vt in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum quadragesima tempus, nec venerabilem

Pasche diem existiment excipiendum: nè differatur sceleratorum proditio consiliorum quæ per latronum tormenta quærenda est: cùm facillimè & in hoc speretur summi numinis venia per quod multorum salus & incolumitas procuratur.

Tota Græca legitur apud Harmenopulum, lib. 1. tit. 4. Specialis verò, quasique localis, non autē generalis decisio est: redacta nimirùm maximè in Isaurorum rapinas vbique viciniarum immanes, atque, vt hoc dicam cum Tacito, intolerantiores, quorum proinde barbaram, effrænémque audaciam vlturi Arcadius, & Honorius, rescripti huius auctores, iusserunt affici vltimo supplicio etiam ipso die Paschæ, tametsi venerabili, dierúmque rege, vt vocauit Nazianzenus. Κουρσάρους dixit Nicetas, (nos Galli, *coursaires*) quam vocem eò magis in eos vertit Cuiacius cap. 11. de diuers. temporalib. præscriptionibus, quòd Græci interpretes ad hanc l. Isauros. interpretentur, ἁρπαγὰς, φονεῖς, καὶ ὡς χωρσαρίους φασίν. id est, direptiones, seu rapinas, sicarios, & quos chorsiarios vocitant. Affecerat interpretationem Alciatus, sed non perfecerat, lib. 4. dispunctionum. cap. 20. Dio lib. 55. Ammianus lib. 14. & Strabo lib. 12. tres illi grauissimi scriptores tradunt opus fuisse instructis militibus ad edomandam eiuscemodi barbariem. ἐς πολέμου ἀφνότητα προσηνέχθησαν μέχρις οὗ κατεδαμάσθησαν. id est, proruperunt, prouectique sunt in prælia grauia, donec edomiti sint. Eiusmodi fuerunt assasini illi, quorum feritatem, metuendámque regibus temeritatem describit Will. Tyrius lib. 20. belli sacri, cap. 31. historiam integram narro ad l. 1. ff. quod quisque iuris. Eiusmodi verò & illi, de quibus D. Augustinus ad Psalm. 68. Ibi, hos odit mundus: tomo 8 *odit planè*, inquit, *excedunt enim mundi medietatem amplitudine malitiæ, & ab ipsa mundanorum quodammodo hominum societate alieni sunt, infestantes pacem, etiam terrenam, & patiuntur multa mala, sed non gratis*. agit eo loco de pœnis latronum, sacrilegorum, & omnium sceleratorum, vt quorum supplicia æquari non debeant suppliciis martyrum. Eiusmodi denique fuerint seditiosi, quorum seditio, factióque cruenta, vel alia iusta causa, ita ut festinatione pœnæ præueniri debuerit periculum. Tunc punire permittitur, deinde scribere, ait Iurisc. in l. 6. si quis filio. §. hi autem. ff. de iniusto, rupto, & irr. fact. test. plura in eas causas sumpta fuisse olim, ac non ita pridem supplicia de factiosis in nostra Gallia, id verò diebus, horísque insolitis, testantur Annales Francici.

LEO, ET ANTHEMIVS.

L. vlt.

Dies festos maiestati altissimæ dedicatos nullos volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionem vexationibus profanari. dominico itaque die taceat apparitio, aduocatio delitescat, præconis horrida vox silescat, respirent à controuersiis litigantes, nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, aut circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula.

Obseruanda duo sunt in textu, veneratio festorum in genere quam nec voluptatum illecebræ, nec vllæ exigendi æris alieni vexationes interturbent, aut emoueant. postea specialem subiicit diei dominicæ cultum, de quo notaui longè plurima ad l. 2. & 3. & quia verba hæc, *aduocatio delitescat*, fallere possint vel eruditos, nihil aliud hîc, *aduocationis* verbum, quàm quod apud Senecam, in Ludo Claudij, & plures alios, dilatio nempe data ad sistendum se in iudicio, dicimus nos Galli, *vn delay de venir*. Ad venerationem autem feriarum quæ à strepitu forensi, apparitorum ministeriis, præconis vocibus, aduocationibúsque vacuę esse debeant, ostendo primum & singulare illud fuisse ethni-

cis. Pythagoræi enim in feriis imperandis, hortabantur istud maximè, vt litibus, & iurgiis se abstinerent, ita Cic. lib. 1. de diuinatio. cuius & verba hęc lib. 2. de legib. feriarum, festorúmque ratio in litibus requiem habet litium, & iurgiorum, in feriis, operum, & laborum. Apud Græcos etiā Nicetas, Gregorij Nazianzeni scholiastes, sic interpretatur verbum, ἑορτὴ, quod Latinis, festum est, vt sit nimirùm ἑορτὴ, velut sancti cuiusdam memoria, ita dictum, inquit, ἀπὸ τοῦ εὖ ὁρμᾶν, id est, à sectando, quasique grassando ad res honestas, & laudabiles: vt reuera nihil apud vel Athenienses vel Romanos, religiosius fuisse quàm vt nè violaretur festorum sanctitas qualem credebant, patet plus satis ex Xenophonte in republica Atheniensium, & Plutarcho, in quæstionibus. Romanis. quæst. 25. & quæst. 45. hactenus de ethnicis. Quantum ad Christianos seligam de sexcentis tria aut quatuor quæ velut oculis subiiciunt quanto cultu, ac veneratione celebrari dies festi debeant. Primùm enim ita D. Ignatius epist. ad Magnesianos: Ἕκαστος ὑμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτῃ νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν θαυμάζων, οὐκ ἕωλα ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων, καὶ μεμετρημένα βαδίζων, καὶ ὀρχήσει, καὶ κρότοις νοῦν οὐκ ἔχουσι χαίρων. id est, vnusquisque vestrum sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non corporis refocillatione, & remissione, opificium Dei admirans, non pridiana comedens, & tepida bibens, & ad præscripta spatia obambulans, & saltationibus, plausibúsque stupidis gaudens. D. Ambrosius lib. 1. de fide resurrectionis. sub fin. *quid dies festos in potu & in epulis æstimabimus?* Cassiodorus Senator, lib. 9. cap 38. *Mens námque fuit Apostolorum, non de diebus sancire festiuitatem, sed conuersationem rectam, & Dei prædicare culturam, &c.* D. Augustinus sermone 1. de aduentu Domini in carne: *quotiescumque aut natalem domini, aut reliquas solemnitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ, quasi bestiæ crudelissimæ, repugnate, odium, velut venenum mortiferum, de corde vestro repellite, &c.* Ista igitur ad illustrationem textus qui totus in hoc vt venerationi, quali opus est, habeamus dies festos. De scenis etiam theatralibus, ac spectaculis, & quot vitiorum, libidinúmque propagines ex bis oriri soleant, reperies, ad Nauseam, apud D. Chrysostomum Homil. 38. in Matth. & apud Tertullian. lib. de spectaculis. De actis, iudiciariísque cognitionibus, quæ silere diebus festis debeant, vide ad l. 8. Actus. sup. hoc tit. at verò & ad l. Diuus. ff. eod. ad quam trado rationem cur supremarum curiarum iudices litibus excutiendis, inter se, cœtúque in priuatis ædibus facto, per dies festos, vacare soleant. Calumnia enim nimia illa est in Senatorias purpuras, quibus proinde aduocationem idoneam, ni fallor, præbui. Sic ergo titulum, de feriis, inter ferias forenses, temporibúsque alienis, finio: nempe die nona Martij, 1618. biduo post incensionem Basilicæ forensis, quò conuenire in singulos dies mos erat. *Stupeo, & stupeo, nec dum satis aut oculis meis, aut auribus credo, atque identidem me, an audierim, an viderim, interrogo,* cùm aulam illam spatiosissimam torridam hinc illinc muris, columnis, mensis marmoreis. imò & sexaginta duabus Regum nostrorum ingentibus, auróque corruscantibus statuis, conspicio. Quasi extorres hodie patroni, ac procuratores: sedésque vndequaque fortuitas per porticus, per officinæ codicillaris atrium, ac sacellum, cæterósq; fori spretos anteà angulos, quærere cogimur. Renuntiatum est, inquirente Senatu, contigisse id ex relicto forsan inter cremia, & assulas, ac tessellas, ignis farragine, ab aliquo mercatorum Basilicæ: aut etiam ex flamma cælesti quæ, nocte intempesta, insidere palatiū visa est ab arcis Vicenarum, quæ est ad alterum ab vrbe lapidem, excubitoribus. Suspicantur alij coniectos infrà, supráve, ignium globulos. Væ illi qui coniecerit: væ alij cuilibet qui tam horrendum, quo conflagrauit vniuersus ferè, qui instar oppidi est, Palatij ambitus, incendium cogitarit, parauerit, fecerit. Steterat moles illa regia annis triginta nouem supra trecentos. Instauratio cœpta est mense Iunio, de qua, ipsiúsque authoritate, ac prærogatiuis, cùm apud Senatum acerrimè aduersus quæstores ærarios Comes Oruallius, Ducis Sulliani filius, viocurorúmque maximus, contendisset: causa, occlusis foribus, perorata, vicerunt quæstores, totiúsque illius architecturæ auctoritas eis solis, vindiciario nomine, seu prouisionali, vt loquimur, credita est, 23. Maij, 1618. dixerunt Aug. Galandius, & Iac. Talon. ducenta 36. librarum millia, ad opus nouum, vt intra sesquianum fiat, conuenta sunt: Tamen vix hoc, nisi longiori multò tempore, non per architectorum culpam, sed per destituta, de more, auxiliaribus nummis, opera publica, augurantur impatientes moræ longè plurimi. Capita conuentionis sunt, vt cameratum

pro tabulato detur: vt muri, columnæque medianæ, multò altiores. nouæque insuper omnes Regum nostrorum, per vniuersum aulæ ambitum, reponentur statuæ: luminosúsque hinc illinc vt ædificium futurum est, ita & nouitati elegantissimæ bruta, tudisque, tamersi operosa ex arte, cessura vetustas. Totum istud curæ suæ fecit, apud redemptorem operis, iubente Principe, Dom. Virdunius, Senatus Princeps ornatiss. & cuius perpetua erga publicum opera, ac cura. Quod adeò etiam Tolosæ præstitit, vbi, per annos nouem, Senatui, vrbi, prouinciæque præfuit, vt exstructa ab eo, decoratáque in hūc diem, templa, ædificiáque publica, nomen, imaginésque ipsius habeant. Quin ex quo nostram in hanc Lutetiam reuocatus est, marmoribus, ære, picturis, auróque, quasi alterum, nec alio procurante, renidet B. Germani, Antisiodorensis, templum regium, quæ paræciana eius pietas. hoc & decuria Senatus maior, quàm latè intus, atque in ipsis apparitorum vestibulis, patet. Tota enim vt inauraretur, curauit efficaci studio, cùm solum istud, ex aureo Ludoici XII. seculo, haberet lacunar toto orbe celebratissimum. Sed, in quo pretiosissima deinceps Palatini Principatus futura sit dignitas, dirutis ceu casis habitationis præfecti Palatij, (Bailliuum vocant) superbas ædes excitauit à fundamentis, imperrauitque ab Augustiss. iustissimóque Ludoico nostro XIII. cui benè indies precatur sua Gallia, vt tanti magistratus partem faciat posteris omnibus qui vnquam eo functuri sint, amplissima, amœnissimáque etiam fontibus, quos deduxit, tota illa habitatio. Nemo mihi succenseat: præterire digressionem istam non potui, cùm funestissimæ illæ forenses flammæ & inciderint, æstuarintque eo ipso tempore quo de feriis agerem, & ferias ipsas fori diu satis togatis omnibus produxerint. Plures planxere casum eruditis, delibutisque varietate eximia, versibus, vt rursus, per loci occasionem, attingo ad l. 1. inf. de l. Aquil. Ipse autem iuuenilibus, nec tam illaudatis, ingenij oblectamentis, istis vale iamdudum dixi: *Poetica delectant magis, nec eis facilè vtendum*: scripsit Varro, lib. 4. de lingua lat. Tantùm id per subsecina tempora, per ferias forenses, perq; liberrima, ac inuita interdum otia, & ad leuandos maximè animos quibus hoc datum. hoc olim, sub Lud. XII. celebris ille patronus, Disomius, nominè, ad *Confluentes*, circa Lutetiam. hoc celeberrimus hospitalius, Franc. Cancellar. Vid. Faber, Pybracius, ingēs fori, Galliæque ornamentum: magnúsque Brissonius, quem quisquis nominat, forum omne, absolutúmque scientiarum orbem complectitur: Iac. Mangotius, patronus fisci, Μυσῶν σκελετὸς: prudentissimus verò ille senex qui nuper, ad annum vsque 85. in frequētissimis fori deliberationibus deuixit: Ant. Oysellius, Romani, Gallicique iuris sciētissimus, Steph. Pasquerius, disertissimúsque alter, & comparatus Attico Lysiæ, qui in occulto, solósque apud eleganriores sese, ex diuina illa ingenij nota, laudabilem præstitit. De his verò plus satis. functos enim longè plures prætereo è nostris, seu in sacro cōsistorio Principis, seu in Senatu prætoriano, cui aliàs magni consilij nomen: soláque hactenus eminentior delibatur illa pars quam meliore olim fictam metallo facilè, opinor, mecum dixerint qui literas puriores norunt.

TIT. XIII. DE IVRISDICTIONE OMNIVM IVDICVM, ET DE FORO COMPETENTI.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Cùm ipsi eum iudicem elegeritis, & is, consentientibus aduersarijs, sententiam tulerit, intelligitis vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicata.

Agit de procuratore Cæsaris qui sæpissimè inter priuatos iudicabat, vt variis locis in iure. referendum verò istud hodie ad arbitros, qui reuera sunt electi, conuentionalésq; iudices, dicti olim propterea à Græcis, αἱρετοὶ διαιτηταί. Consensus verò de quo hic

accipiendus planè est, vt in l. 4. §. si quis. sup. de arbitr. vbi dicitur, post arbitrorum sententiam subscribere consueuisse partes quæ acquieuissent, nempe in hæc verba, ὁμολογῶ, vel οὐκ ἀντιλέγω id est, consentio, vel, non contradico. Sic hodie, nisi que subscribatur à partibus, appellationi semper locus est, & ad annum vsque tricesimum, apud nos, qui propterea seruamus d. l. 4. & l. penultimã. eod. illo tit. de arbitr. Imò, ad arctius vinculum, curant ferè semper arbitri, vt eo ipso momento quo pronuntiauerint, transigatur ab iis inter quos iudicatum fuerit, qua transactione facta, nullus deinceps regressus, singularémque, de eiuscemodi transactionibus post arbitrales sententias initis, textum reperies apud Demosth. ἐν τῷ πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ προικὸς μητρῴας λόγῳ, nempe quoad arbitros. De prorogaoda autẽ iurisdictione, vel non, quæ præcipua legis huius quæstio, vide ad l. t. ff. de iudic. Rectissimè equidem Baldus hîc, cùm negat prorogationem iurisdictionis fieri posse in præiudicium alterius. nostra enim perpetua illa in foro doctrina est, maximè vbi de iurisdictione dominica agitur, cùm, patrimonij loco sit, vt ostendo fusiùs ad l. si qui ex consensu. sup. de episc. aud. Taceo ridiculum Pauli Castrẽsis ad rubricam, vbi attingit cur subijciatur, *De foro competenti.* seria enim patronos decent, & quibus præsertim incanuit, ad longas fori, omnium maximi, petitias, mentum.

—— *forum, puteâtque libonis mandabo siccis.*

dixit prudentissimus Horatius.

Meliùs longè, vt omnia, magnus Cuiacius, qui seriò in paratitl. quid sit, forum, quidque forum competens, explicat. Ineptiunt in plærisque similibus antecessores Itali, vt passim ex eorum plumbeis scriptis liquet. dixi longè plura ad tit. de arbitr. ff. & Cod.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 2.

Iuris ordinem conuerti postulas, vt non actor rei forum, sed Reus actoris sequatur. Nam vbi domicilium Reus habet, vel tempore contractus habuit, licèt hoc posteà transtulerit, ibi tantùm eum conueniri oportere.

Pro iusto commentario vide quæ adieci ad l. vlt. ff. hoc tit. ad l. hæres absens. §. vlt. & l. venditor. de iudic. ff.

IIDEM AA.

L. 3.

Priuatorum consensus iudicem non facit eum qui nulli præest iudicio: nec quod is statuit, iudicati continet auctoritatem.

Rursus hoc in arbitris, qui cùm nulli præsint iudicio, ex principe, aut lege, iudicant tamen ex conuentione inter consentientes, quasi iurati, regiique iudices. Si tamen vtendum sit eorum iudicio, non ab ipsis, sed à iudice regio auctoritas petitur. Ita hodie seruamus. In quo proinde haud abs re fuerit, subiicere, duo esse arbitrorum genera, alios nempe esse iudiciales, ac necessarios, & hi dantur a iudicibus, dicuntutque in iure, iudices dati, seu delegati ad certum caput, seu articulum causæ, vt in l. arbitro. qui satis. cog. & in l. A. iudice. sup. de iudic. adquam dixi. ab iisq; appellatur ad delegantem, l. à diuo pio. ff. de re iudic. Alij sunt conuentionales, & voluntarii, aliàs arbitri arbitratores, seu amicabiles compositores, vt vulgari lingua loquimur: quorum nihilominus sententia obligat. appellarique necesse est, vel ad arbitrium viri boni confugere, nisi intersit obex quem aperui suprà, vt explico latiùs ad l. t. ff. & cod. & ad l. societatem §. arbitrorum ff. pro soc.

IMPP. HONORIVS ET THEODOS.

L. 6.

Magisteriæ potestati inter militares viros, vel priuatum actorem, & Reum militarem, etiam ciuilium quæstionum audiendi concedimus potestatem, præsertim cum id ipsum de more litigantium esse videatur.

Componenda omninò lex, vlt. inf. hoc tit. l. certi iuris. sup. de iudic. ad quam dixi. lex, eo casu. inf. de appellation. quibus & adiice totum tit. de offic. militar. iudic. sup. ad quem etiam, & superiores leges, notaui tam multa ex vsu, vt penè iam nihil mihi factum esse reliqui videam. Frustra Io. Faber hic distinguit crimina militaria, vt alia sint leuia, & de quæstione ciuili, alia insolita, atque enormia, vt loquitur: de leuibus, inquit, cognoscit dux, seu magister militum: de enormibus, iudex prouinciæ: ita tamen vt remittat militem puniendum à duce, si agatur de delicto medioc ri. Sic ille, cuius vt dixi, explo ditur hodie ista distinctio. Si enim inter milites admissum sit crimen, atque à milite in militem, tunc cognoscit dux militum, quæcumque vertatur criminis quęstio. nec alia ratione spectantur vt plurimùm milites duci palam, ac publicè comitantibusque non sine luctu cæteris, ad militare, atque ex militari iudicio, supplicium. Secus si non inter milites, sed à milite in nō militē. Tūc enim cognoscit iudex regius, vt monui ad d. tit. de off. militar. iud. Idem verò in Abbate erga delinquentem monachum, vt dubitanter decîdit Faber ibid. prudentiaque, de more, tanta est potestatis monasticæ, vt quicquid deliquerint inter se monachi, rara sit iudicis regii ea cognitio. in quo & laudandi. Denique militaris ista iurisdictio de qua in textu, illustrabitur tanto magis apud solertes, veterisque non minus, quàm nouę peritiæ studiosos, si & verba D. Chrisostomi subiunxerim ex homil. 3. ad epistol. 2. Timothei, pag. 1642. nihil enim & conuenientius, & elegantius. ἐν οἰκίᾳ μὲν γὰρ ὁ δεσπότης δούλοις δικάζει καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων αὐτοὺς ἀπαιτεῖ εὐθύνας, καὶ τὰ μὲν κολάζει, τὰ δὲ ἀφίησιν. ἐν ἀγροῖς πάλιν ὁ γεωργὸς καὶ ἡ γυνὴ δικάζεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν. ἐν πλοίοις κυβερνήτης δικάζει. ἐν στρατοπέδοις ὁ στρατηγὸς τοὺς στρατιώτας: καὶ πολλ' ἂν τις εὕροι δικαστήρια. ἐν τέχναις, ὁ διδάσκαλος τῷ μαθητῇ. καὶ ἰδίᾳ τοίνυν καὶ κοινῇ πάντες ἀλλήλοις δικάζουσι. &c. id est. In domo enim dominus seruos iudicat in singulos dies, atque ab ipsis delictorum emendationes repetit, & modò hæc punit, modò illa remittit. Io agris rursus agricola, & vxor iudicatur io siogulos dies. In nauigiis gubernator iudicat. In castris dux milites. multáque inuenerit quiuis eiusc emodi iudicia. In artibus præceptor discipulo. priuatim igitur, & communiter omnes sese inuicem iudicant. Sic ille. Nè autem nesciisse videar quæ de aulicis magistris tradunt authores; repetio primùm ex Luitprando Leuita, lib. 6. cap. 5. rerum Europ. fuisse viginti quatuor. inter quos qui dicebatur vno nomine, magister, erat procul dubio magister officiorum, de quo titulus est 31. lib. 1. cod. ad quem citaui locum Zosimi, lib. 2. fuit reuera magister, καὶ ἡγεμὼν τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων, id est, omnium aulicorum ordinum moderator maximus, ait non modo Zosimus, sed Euagrius etiam lib. 3. cap. 29. immò, πασῶν τῶν βασιλέως βουλῶν κοινωνός, id est consiliorum omnium imperatoris particeps: verba sunt Prisci in histor. Goth. consanguineumque imperatoris appellat Constantinus Manasses. & ante patricios collocat, Codinus, de orig. Constantinopol. Ista nempe ex priscis. Sed cui apud nos dignitas illa hodie applicetur, vix est vt quis dixerit, nisi referatur ad comitem stabuli, quem etiam non ita frequenter Reges nostri instituunt.

ANASTASIVS.

L. vlt.

Qui professiones aliquas, seu negotiationes exercere noscuntur, iudicum, ad quos earum professionum, seu negotiationum cura pertinet, iurisdictionem, & praeceptionem declinare non possunt. nec cuiuslibet militiæ, seu cinguli, vel dignitatis prærogatiua in hac parte suppetit: sed ij qui statutis in quacumque militia connumerati sunt, vel fuerint, sine aliqua fori præscriptione his iudicibus, tam in publicis, quàm in priuatis causis obedire compelluntur.

Tantò gratior nobis Gallis interpretatio glossæ ad hanc l. futura est, quantò amœnior studiosis omnibus Academiæ Parisiensis memoria, & dignitas. Agit enim hîc imperator Anastasius de iurisdictione eorum qui professionum, negotiationúmque quarumlibet collegio præsunt, interque exempla profert glossa Accursij, diuini nimirùm iurisprudentiæ Romanæ interpretis, morem Academiæ Parisiensis, in qua, vt Rectori competit quædã iurisdictio in studiosos, ad ea videlicet quæ sint professionis literariæ, vt rectè supplet Bartolus, ita & à studiosis ipsis eligitur. mirum quanta olim magistratus istius Academici potestas in ea parte lutetiæ quæ literarias scholas complectitur. testantur plus satis regni Sancti Lodoici, Caroli V. & Caroli VI. monimenta histotica. de hoc autem delibasse tantillum ad istud Anastasianum rescriptum, plus satis. Bartolus, & Baldus, aliique interpretes, & hîc, & ad l. a. inf. de constit. pecu. atque ad tit. quod cuiusque vniuersitatis, ff. constituunt statuta mercatorum, negotiatorumquè omnium, vt scilicet habere debeant eorum collegia peculiares iudices qui de commerciis, negotiationibusque ipsorum, atque inter ipsos, cognoscant. Nostra in gallia, ait Chopinus, lib. r. tit. t. num. 8. consuet. Paris. seriùs dati sunt ex mercatorum collegio iudices qui emporica eorum litigia summatim dirimerent. cæteráque quæ ad hanc mercatorum iurisdictionem latè ex actis, scriptisq; Gallicis, quorum erat scientissimus, persequitur. Cùm verò vbique terrarum celebretur Lugdunense emporium, ex quo & dixerim nec immeritò vocatum olim Lugdunum à Ptolomæo σεβαστὸν λούγδουνον, cúmque ex eo variæ, difficillimæque quæstiones iuris cò frequentiores incidant quòd vniuersa Lugdunensium regio iure scripto vtatur pro patriis, antiquisque legibus, quisquis iurisdictioni mercatorum frequentantium nundinas Lugdunenses, præficitur, non ex mercatorum collegio, sed ex ipsa, dixerim iurisperitorum schola, accitum esse eum oportet vt parem sese præstet iuridicinæ operosissimæ. Ita vt & explorari peritia eius debeat à senatu, antequàm fungatur tanto munere. nec admissum mercatorum desiderium est postulantium ex rescripto principis, vt assessores duos è mercatorum collegio, haberent. senatusconsultum edidit Annæus Robertus lib. 2. rerum iudicatarum, cap. 16. in cæteris passim per vniuersam Galliam sunt mercatores, quibus & indultum est à Principe an. 1563. vt de re promercali, atque inter mercatores, cognoscant, diiudicentque occurrentes quascunq; eiuscemodi controuersias, vsq; ad quingentas libras Francicas, summota appellatione, ceúq; ex senatusconsulto. quo iure nihil hodie frequẽtius, ac tenacius: debetur q; ipsius Isagoge, seu institutio, probata rescriptis principũ, eruditissimo, iuxtà ac experientissimo Michaëli Hospitalio, Frnac. Cãcellario, qui anno, quem memoraui supra, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, inuexit tandem in mores Gallicos, lata in id lege, quod & olim obtinuisse Athenis scribit perspicuè Demosthenes, ἐν τῇ παραγραφῇ πρὸς Ἀπατούριον, verba eius sunt: τοῖς ἐμπόροις, καὶ τοῖς ναυκλήροις κελεύει ὁ νόμος εἶναι τὰς δίκας πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, ἐάν τι ἀδικῶνται ἐν τῷ ἐμπορίῳ, ἢ ἐνθένδε ποι πλέοντες, ἢ ἑτέρωθεν δεῦρο, καὶ τοῖς ἀδικοῦσι δεσμὸν ἔταξε τὸ ἐπιτίμιον, ἕως ἂν ἐκτίσω-

σιν

σιν ὅτι αὖ αὐτῶν καταγνωσθῇ, ἵνα μηδεὶς ἀδικῇ μηδένα τῶν ἐμπόρων εἰκῇ. i. mercatorib. & naucleris, seu nauiculariis iubet lex esse actiones apud Thesmoth. seu sexuiros, si qua iniuria afficiuntur in mercatu, siue hinc aliò nauigantes, siue aliunde huc. quòd si qui iniuriam eis intulerint, statuit, mulctæ nomine, in vincula eos coniici, donec exoluant quidquid contra eos iudicatum fuerit, vt nullus vllum mercatorem temerè iniuria afficiat. sunt ibi plura, atque in oratione, contra Phormionem, *ὑπὲρ δανείου*, seu de mutuò data pecunia. sic ergo tantus eloquij Atheniensis princeps. Amplius autem egit legislator noster hospitalius. Iudices enim in vniuersum, preterquam Lugduni, eligi, assumique voluit ex ipsumet mercatorum collegio, qui bonam fidem inter ipsos, atque in re commercii, spretis apicibus iuris, ad certam vsque summam, iudicarent. quod pridem anteà ita statuendum esse scripserat senator Tolosanus Wil. Bened. ad cap. Raynutius in verb. si absque liberis moreretur. 7. num. 51. hactenus de mercatorum iurisdictione. Statuta autem vt fieri inter eos posse docet hîc Bartolus, atque in genere in approbatis quibuscunque collegiis, ita & optimè etiam supplet ex vsu Rebufus, tractatu, de mercatoribus, artic. 1. glo. vlt. statuta illa confirmari, probarique oportere à magistratibus cùm aliàs nullius momenti futura sint. Quod si probata semel fuerint, maximè à senatu vt cui soli debeatur illa auctoritas, tunc de ipsis cognoscet non iudex patrius, seu regius, ordinariúsue, vt loquimur, sed solus ille qui præsit collegio. Ita Io. Faber ad hāc l. vlt. eò spectant statuta ciuitatum, vt in tit. de decret. ab ord. fac. eò & statuta capitulorum cuiusque Ecclesiæ, de quibus etiam in cap. irrefragabili §. excessus. ext. de offic. ordin. apud Gregorium. Quo tamen cùm abutantur adeò, sæpissiméque canonici, vt vel iniurias suas, vel ambitiones quasi sacro quodam velo obducant, ferè vix effluunt anni singuli, quin quædam semper appellatio frustraria, seu tanquam ab abusu, vt loqui mos est, audiatur palam, ac publicè in maiore auditorio. plurimas eiusmodi hinc illinc ad pandectas, & codicem notaui.

TIT. XIIII. QVANDO IMPERATOR INTER PVPILLOS, VEL VIDVAS, VEL MISERABILES personas cognoscat, & nè exhibeantur.

IMP. CONSTANTINVS.

L. vn.

Pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati, & debiles, terminos prouinciarum suarum non coguntur excedere, nè quidem per rescriptum Principis: sed in proprio domicilio conueniendi sunt.

Hæc ex textu, & interpretibus. nota autem maximè aduersus translationes, seu, vt loquimur, euocationes litium, vt quæ aduersus pupillos, & viduas, miserabilésque personas obtinere non debeant, cùm tamen cernatur indies contrarium, prout imperrantis aulici eminentior potestas. Censet propterea Paulus Castr. rescripto Principis mentionem fieri oportere conditionis personarum aduersus quas lis transferri, seu euocari postulatur ex prouincia, in qua degunt, in curiam aliquam remotissimam, aulámve regiam. Prudentiáque in eo quęstorum sacri Palatij, penes quos regni annulus, longè maxima. Rebufus tractatu, de sententiis prouisionalibus. artic. 3. glo. vlt. enumerat inter miserabiles personas, de quibus hîc, peregrinos, senes decrepitos, quantumuis diuites, cæcos, ac mutilos, carcere clausos, item & de nouo conuersos ad fidem, diuturnóque morbo fatigatos, &c. sunt ibi plura. Eruditè, vt omnia, Cuiacius, in paratitl. miserabiles personas à miseris distinguit. miser enim, inquit, à Græco, *μυσαρὸς*, seu, *μυσαρὸς*, semper dicitur in malo. Inde apud Hieronymum, *miseræ potiùs quàm miserabiles.* assumit verò

idem Cuiacius è Græcis interpretibus quod ascribi hîc necesse est ad exhibendum tantò magis iniquissimum eorum desiderium qui eiuscemodi calamitosos, ac infœlices è focis, latibúsque vt plurimùm pauperrimis, longéque dissitis, trahunt in sacrum consistorium, eam sæpe desperationem inicientes longè plurimis, vt suo potiùs carere exoptent quàm iter ingredi vnde se fortassis nunquam reuersuros sperent. Ita igitur Cuiacius, ἐπειδὴ τῶν ἀτοπωτάτων ἐστὶ τὰ τοιαῦτα πρόσωπα σκύλλεσθαι ταῖς ὁδοῖς. id est, quia absurdissimum est, tales personas fatigari, ac vexari itineribus. mendum est in textu Cuiacij, nempe, σκύλλυσθαι, pro, σκύλλεσθαι. Vide quid de diætis scripserim ad l. 1. ff. si quis cautionibus.

TIT. XV. VBI DE CRIMINIBVS AGI OPORTEAT.

L. 2.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

Sciens liberum, vaenundando, plagij crimen committit. iunge Auth. seq.

AVTH. EX NOV. 86.

Qua in prouincia quis deliquit, &c. illic etiam iuri subiaceat. quod ius perpetuum est. omnéque priuilegium cessare debet.

Sic in can qui crimen. 3. q. 6. reuera ibi causa agatur vbi crimen admittitur. De vsu antiquo huius Authenticæ in Gallia, latè Bacquetius, cap. 8. de iustitia, & iure. Cur autem iudex loci, in quo crimen admissum est, cognoscere de eo debeat, summota fori præscriptione, & qualecumque priuilegium habeat Reus, nisi tamen sit Senator, vt alibi dixi, ratio hæc vna, soláque est ex l. 2. vbi de ratiociniis agi oport. atque ex l. 1. vbi causa status. inf. videlicèt ob facilitatem testium. Præclatè can. 33. concilij Carthaginens. in hæc verba: ὁ κατηγορούμενος, καὶ ὁ κατηγορῶν ἐν τῷ τόπῳ, ὅθεν ἐστὶν ὁ κατηγορούμενος, ἐὰν φοβῆται ἀτημίαν προπετοῦς πολυπληθίας, τόπον ἑαυτῷ ἐπιλέξῃ ἔγγιστα, ἐν ᾧ οὐκ ἔστιν αὐτῷ δυσχερὲς, μάρτυρας προσκομίσαι, ἔνθα τὸ πρᾶγμα περατοῦται. id est, *accusatus, vel qui accusat, in loco, vnde est qui accusatur, si timeat ignobilem facilitatem temerariæ multitudinis, eligat sibi locum proximum, in quo non sit difficultas producendi testes vbi negotium terminatur.* Agit de duobus clericis, quorum alter, qui accusatus fuerit, vim pertimescit in loco vbi accusator est, iudiciúmque exercetur: quasi scilicèt in eum, aduersarij opera concitatus populus impetum facturus sit, vel testibus ab eo producendis impedimento futurus. Vult igitur eo casu locum alium eligi in quo instruatur lis: nempe ait ad eum locum Zonatas: ὡς μήτε τῷ ἀντιδίκῳ αὐτοῦ, μήτε τοῖς δικάζουσιν, εἶναι δυσχερῆ τὴν εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον ἀπέλευσιν, ὡς ἂν εὐχερῶς ἐκεῖ μάρτυρες παραστῶσι, καὶ ἡ ὑπόθεσις περατωθῇ. &c. id est, vt neque aduersario ipsius, neque iudicibus difficilis sit ad illum locum profectio, vt facilè ibi testes sistant se, ac compareant, & controuersia terminetur. Ita Zonar. Optimè igitur, ex eadem ratione facilitatis testium, maximè vbi de criminibus agitur, lata est apud nos Ruscinonensis constitutio, cuius hæc verba, artic. 19. *Si le delinquant est pris au lieu du delict, son procez sera fait, & iugé en la iurisdictiō, où le delict aura esté commis, sans que le iuge soit tenu le renuoyer en autre iurisdiction, dont l'accusé, ou prisonnier, se pretendra domicilier.* Decidit Ioan. Faber ad hanc auth. si, qui est in vno territorio, occiderit emissa sagitta hominem in alio, posse eo casu vtriusque loci iudicem de eadē patra-

ta cognoscere. quod & ita censet Paulus Castrens. ac Salicetus, ad l. vn. tit. seq. vbi de possessione agi oporteat. contrarium censet Barrolus ad l. libellorum. num. 7. ff. de accusationib. vt scilicet inspiciatur locus dumtaxat in quo expirauerit qui cæsus est. cui etiam sententiæ accedit Baldus ad l. si quis, non dicam rapere. num. 11. sup. de episc. & cler. & sanè ambigua admodum quæstio, in qua putatim præualere quod Bartolus, Baldúsque sentiunt, cùm spectetur semper locus mortis. mirórque propterea quid Bartolum mouerit vt diceret ad d. l. libellorum. si qui lethale vulnus in vno loco accepit, moriatur in alio forsan proximo, iudicem nihilominus fore eum in cuius territorio vulnus inflictum est: viderint qui dissentiant. Quæsitum iamdiu à quibus iudicandus esset Hispanus qui, cæde patrata in Hispania, in Galliam perfugerat, à Gallisne, an ab Hispanis, & an remittendus: Infirmauit autem Senatus Petri Erodij, capitalis Andium iuridici scientissimi, sententiam qua remittendum esse pronuntiauerat Hispanum in Hispaniam, vt petierat, quòd hominem non in Gallia occidisset, sed in Hispania: iussúsque hanc verè regi: m litem terminare more Galico. Quin & Præses, qui præerat iudicio, monuit in hæc verba: seruari inter diuersarum monarchiarum Reges, vt vbi inuentus sit Reus, ibi iudicetur. solum excipitur Maiestatis crimen. secus si sub vno, eodémque Principe, nempe inter diuersarum prouinciarum rectores, ac iudices, petatur remissio, eóque sensu accipiendæ sunt lex. 7. solent & lex 11. non dubium. ff. de custodia reorum. Quæsitum est in monacho, legis sicariæ reo, an ad officialem Casæ Dei, apud *forenses*, quod erat eius monasterium, remitti deberet, vt etiam petierat, an ad episcopum, vel iudicem regium. Remissus verò est ad iudicem regium, purà ad iudicem Mombrissonium, in cuius territorio admissa cædes fuerat, perorantibus, Io. Roberto, Carnutensi, hodie fisci, in præfectura Paris. patrono, & Monfigotio, ann. 1612. die 10. Matt. in criminali auditorio. Tanti momenti probatio est, vbi de crimine agitur, vt quamuis criminale ad ciuile redactum sit, aut, vt in vernaculo est, *ores que le procez criminel soit ciuilizé*, tamen fiat numquam vel eo casu delegatio: confirmauítque Senatus sententiam Bituricensis iuridici qua denegatum fuerat mandatum rogatorium, (commissionem rogatoriam vocant) inscriptum alteri iudici ad conscribendas notorias, seu informationes, vt loquimur. id verò quamuis domicilia testium duabus & viginti leucis distarent. Dicebant in causa Vid. Fauerellus, & P. le Mée ann. 1618. die 2. Matt. in criminali etiam auditorio. Vnum subiungam quod agitatum etiam acerrimè in eodem criminali auditorio, ann. 1609. die 25. Febr. vtrùm exemptio per appellationem (ita enim vernaculus sermo est) locum habeat apud Turones. Breuissima est hypothesis. Quidam, nomine, Gaby, appellauerat à iuridico insulæ Bochardi, in ciuili negotio. pendente appellatione Gabius eadem in Insula crimen admittit, ex quo lis aduersus eum instituitur apud Cainonensem iudicem. Statim accedit Procurator fisci supradictæ Insulæ, qui ipsum iure dominico vendicat ex Molinensi edicto confirmante hanc Authenticam. Excipit Gabius, inquiens exemptionem per appellationem, locum habere apud Turones ex stylo, vetustissimóque vsu Prouinciæ. nititur prætetea capitulo, Ad hæc de appell. quo eiusmodi iura exemptionum probantur. nititur etiam cap. 21. part. 1. styli Parlam. quo & ita vbique seruari apud Gallos, traditur: iúsque proinde esse Gallicum. Replicat Procurator dominicus, primùm ex nota Molinæi, ad q. 323. Io. Galli, vbi mutatum hoc docet. Deinde vrget maximè ex eo quod nulla parte emendatæ legis Prouincialis Turonum reperiatur vel tantilla exemptionis illius mētio: itaut abrogata existimari debeat. Si enim ea fuisset mens statuentium vt vetus ille vtendi modus obtineret, omisissent numquam, sed specialem de eo articulum adiecissent, vt in perscriptis Andium, Cœnomanorum, Pictonúmque moribus cernitur. At doctrina hodie fori ea est, vt antiquatum id prorsus habeatur, nisi scripta consuetudine expressum sit: ait Chop. lib. 2. tit. 8. de doman. Deinde, vt lex Romana planè obstat, tit. apud eum à quo appellatur. ita & Molinensis constitutio, quæ confirmata est Nouella hac Iustiniani per vniuersam Galliam, sustulit procul dubio quicquid antea de criminibus non vindicandis in loco vbi patrata sint, seruaretur in contrarium. Senatus, Gabij appellatione summota, exemptioni per appellationem, locum non esse, in criminibus, veluti noua per occasionem lege condita, pronuntiauit. perorabant I. Nautius. I. Odespunius, & Lud. Robertus, Annæi filius.

§. *Si non compareat qui praconia voce vocatus est, condemnari eum oportet, quia contumacia eius pro præsentia est.*

Vide omninò ad §.cùm autem.l.properandum. sup. de iudic. at verò & l. inter. de publ.iudic.ff.in eis verbis, *ne per triduum per singulos dies citatus Reus damnetur.* (vulgò dicimus, *adiourner à son de trompe à trois briefs iours*) quo eùm vulgatius nihil sit apud nos, vsitatum tamen Romanis eundem prorsus morem reperio. Si quis enim capitali iudicio accusatus ad defendendum non venisset, citabat eum nomenclator pro foribus ædium, ita restante Plutarc.in Gracchis.vide etiam, si lubet, Tiraquellum. §.9. glo.2. num.2.de retract. Rebuf.tit.de excusationibus, à principio ad finem vsque. Raguellum, in indice. & cap.7.lib.2. *du grand Coustumier de France*, vbi & scholiastes Gallicus. Imò & l.Reos.cum glo.inf.de accusation.

TIT. XVI. VBI DE POSSESSIONE AGI OPORTEAT.

IMPP. VALENTIN. ET VALENS.

L. vn.

Vbi vis facta dicitur, aut momentaria possessio postulanda est: ibi loci iudicem aduersus eum qui possessionem turbauit, conuenit iudicare.

Regula hinc elicitur ab interpretibus, agi videlicèt de possessione & vbi sita possessio est, & vbi vis illata. Paucis verò dixerim seruari apud nos, vt seu de interdicto vnde vi agatur, vt hîc, (redintegrandam vocamus ex iure canonico, vnde accepra pars formularum forensium maxima) seu etiam de retinendæ possessionis interdicto, aliàs, vti possidetis, aut, vt in vernaculo Gallico, de terum nouarum querela, nempe, *d'vne matiere de complainte, cas de saysine, & de nouuelleté*) vtróque illo casu apud iudicem regium, omisso dominico, ex Senatusconsultis agitur. tractant hîc aliena, de more, interpretes, Bartolus, Baldus, Paul. Castrensis, Salicetus, quis nimirùm, sagita emissa ex vno territorio in aliud proximum, ex qua cædes contigerit, cognoscere debeat, an ille in cuius territorio sagittam direxit sicarius, an verò alter intra cuius fines, ac metas telum defixum est. agitaui quæstionem superiore titulo, vt loco magis idoneo.

TIT. XVII. VBI FIDEICOMMISSVM PETI OPORTEAT.

L. vn.

Ibi petendum est, vbi hæreditas relicta est.

Hoc ipsum in l.si fideicommissum.in princip. & §.2.ff. de iudic. ad quam dixi: maximè autem ad l.exigere dotem.eod.illo tit. vbi ostendo nostris moribus conueniendos esse hæredes apud suos iudices, si alibi quàm in loco delatæ hæreditatis domicilium habeant.

TIT. XVIII. VBI CONVENIATVR QVI CERTO LOCO DARE PROMISIT.

IMP. ALEXANDER.

L. vn.

Qui certo loco sese soluturum pecuniam obligat, si solutioni satis non fecerit, arbitraria actione & in alio loco potest conueniri, in qua venit æstimatio, quòd alterutrius interfuit, suo loco potiùs quàm in eo in quo petitur, solui.

Huc spectat totus titulus, de eo quod certo lo. ff. ad quem dixi plurima ex vsu. Bartolus, & Baldus vtuntur hîc decisione legis, contraxisse. ff. de actionibus vt dicant eum qui, Perusij cùm esset, promiserat se Florentiæ soluturum, non posse alibi conueniri quàm, Florentiæ, vt in quam destinata esset solutio sed censuisse aliud Senatum in eam ipsam speciem, ostendo ad l. hæres absens. §. vltim. ff. de iudic. Quantum ad id quod interest ex solutione non facta eo loco de quo conuenerit, doceo etiam ad l. 3. §. vlt. de eo quod certo lo. vsitatum id maximè inter mercatores ob interrupta, damnóque affecta commercia: at verò & contra nummularios qui non numerant pecunias, de quibus ab aliis nummulariis scriptum sit, eo ipso die, & quasi momento quo, vt numerent, scribitur: vide rursus ad l. 1. eod. illo tit. de eo quod certo loco.

TIT. XIX. VBI IN REM ACTIO EXERCERI DEBEAT.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. I.

In rem actio non contra venditorem, sed contra possidentem competit: frustra igitur desideras non tecum congredi, sed cum auctore tuo dominium vendicantem, cùm te possidere contendas. Nam si denuntiasti ei qui tibi vendidit, intelligis venditionis ei periculum imminere, nec enim iurisdictionis forma in eadem prouincia constitutis tam petitore, quàm possessore, ob auctoris personam, quam in alia prouincia dicis consistere, debet immutari.

Clariùs istud interpretes: venditor debet defendere emptorem in foro emptoris: nec potest ex propria persona declinare forum. quomodo autem intelligatur hæc regula in auctore laudato, & laudante, aut, vt in vernaculo nostro est, *entre le garend, & le garenti*: vide distinctionem omninò necessariam ad l. venditor. ff. de iudic. Solus ex interpretibus Italis, Paulus Castrens. verum, ni fallor, legis istius intellectum, & qualem seruamus, præbuit. Ait enim venditorem, cui denuntiatio ab emptore facta sit, esse deinceps eiusmodi, vt cum eo solo, non autem cum emptore litigari debeat si causam in se, aut euictionem, seu, vt loquitur, iudicium in se receperit, posséque eo casu reuocare litem ad suum iudicem. quo sensu accipienda d. l. venditor. fusiúsque istud explico sup. ad l. vn. de alien. iud. mut. caus. fa.

V iij

IMP. CONSTANTINVS.

L. 2.

Si quis alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat, debet statim in iudicio dominum nominare, vt Dominus ille denuntiatus à possessore intra spatium dierum quod à iudice definiendum est, actoris intentiones excipiat. quod si citatus præsentiam sui non faciat, tunc negotium summatim discutiendum est, & actor in possessionem mittendus: omni tamen allegatione absenti de principali quæstione seruata.

Ista ex verbis textus, vt fiat tantò clarior. nota autem glossam primam, quæ docet feudatarium, emphyteutam, fructuarium, superficiarium, & similes, non posse dominum nominare in iudicio: nec liberari proinde instituta in eos actione, sed cogi defendere. Solis denique colonis hoc tributum est, quippe nomine alieno possidentibus, vulg. l. ex libris Sabinianis. de acq. poss. Cod. vt scilicet, nominatis dominis, exeant, dimittantúrque ab obseruatione iudicij. quod & ita Senatus, vt reperies apud An. Robertum, lib. 4. re. iudicatar. in quo tamen & istud excipe, si nimirùm dominus nõ sit difficilioris, nec longioris conuentionis, vt notat Molinæus ad consuet. Blæs. artic. 210. eóque spectat lex 2. ff. qui satisd. cog.

IMPP. VALENT. ET ARCAD.

L. 3. quæ & vlt.

Actor Rei forum, siue in rem, siue in personam sit actio, sequitur. sed & in locis in quibus res propter quas contenditur, constitutæ sunt, iubemus in rem actionem aduersus possidentem moueri.

Eiusmodi etiam sunt actiones hypothecariæ, quæ tamen conuentionales sint, non autem legales, vt in l. vn. inf. de rei vxor. act. sunt enim hæ personales, nec egrediuntur personam. Excipiuntur & mixtæ, cuiusmodi sunt famil. hereisc. fin. regund. comm. diuid. Qui autem fucus fiat reali actioni, vt de ea cognoscant Basilicani recuperatores, seu libellenses Palatini fori iudices, vt loquimur, vide ad l. pignoris. ff. de pignoribus.

TIT. XX. VBI DE HÆREDITATE AGATVR, VEL VBI HÆREDES SCRIPTI IN POSSESSIONEM mitti postulare debeant.

IMPP. VALERIAN. ET GALIENVS.

L. vn.

Illic vbi res hereditarias esse proponis, haredes in possessionem rerum hereditariarum mitti postulandum est. vbi autem domicilium habet qui

conuenitur: vel si ibi, vbi res sita sint, degit, hæreditatis erit controuersia terminanda.

Vno verbo, possessorium spectat res hereditarias: petitoriũ personas. Vide quæ & in hoc perstrinxi ad l. vn. sup. vbi fideicõmiss. peti oporteat. Optimè Cuiacius hîc in paratitl. Semper, inquit, cùm dicitur, forũ esse competens vbi res est, sic exaudiri debet, si & ibi inuematur Reus. Alioquin iniquissimum esset, ex domicilij loco extrahi eum ad locum in quo sita res est, quia non sine magno detrimento, magnáque interdum captione, à rebus nostris reuocamur. prætermisit textum quem reperies in l. sed si quis ex subsignatoribus. ff. quemadm. testam. aper. præstat autem ista Baldi, ac Pauli Castr. distinctio, quam & sequimur. Censent illi ad hunc tit. posse vtrobique hæredem conueniri, & vbi res sitæ sunt, & vbi habet ille domicilium. Quæsitum est, mortuo impubere, de cuius bonis mobilibus agitur, quod spectari debeat illius domicilium, vtrùm patris, & matris, an tutoris, apud quem defunctus est: atque id quia locus domicilij parentum, & locus domicilij tutoris contrarias, quoad successiones mobiliũ, diuersasque consuetudines ferant. Videbatur nonnullis constituendum domicilium in ędibus tutoris, vt qui patrem referret: *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem*: apud Terent. in Andr. act. 1. sc. 5. & ibi Donatus. Imò & domini loco est: l. interdum §. pen. ff. de furr. præualuit verò eorum sententia qui domicilium minoris, præsertim eo casu, in loco originis, id est in ædibus paternis, ac maternis collocandum dicerent. Cùm enim domicilium quatuor modis contrahi soleat: natura, ac origine, vt in l. municeps. ad municip. & l. pen. de senator. ff. Item voluntate, ac consilio, electionéque facta ab eo qui re ipsa, & facto, domicilium transtulerit, l. domicilium & l. assumptio. ad municipal. Deinde conuentione. Aut ex necessitate muneris, cap. 29. Dilectus. de rescript. plura Rebuf. tit. de domicilii elect. solum ex his naturale domicilium minori superest, locus scilicet in quo ipse creuerit, parentesque defecerint. absurdumque aliumde fuerit, affingere minori, in cæteris, quod ipse per ætatem, nõ habeat, eligendi nempe domicilij consilium. Imò & præstaretur ausa interdum tutoribus fraudandi veros mobilium minoris intereuntis hæredes, transferentibus nempè domicilium in loca quibus successura sibi viderent, ex patriis moribus, intereunte valetudinario minore, desideria. Inter optimates istud: expectaturque vltimum senatus iudicium.

TIT. XXI. VBI DE RATIOCINIIS TAM PVBLICIS, QVAM PRIVATIS AGI OPORTEAT.

Impp. Dioclet. et Maximian.

L. I.

Eum qui aliena negotia, siue ex tutela, siue ex quocumq alio titulo, administrauit: vbi hæc gessit rationem oportet reddere.

Seruari & ita ex vsu apud nos, tradit Bacquetius, cap. 8. de iust. & iur. Tamen coætaneus illius, Ant. Fontanonus, in Sen. patronus, vir iuris & Romani, & Gallici studiosus, scribit ad Masuerium, tit. 5. de Tutoribus, in fin. interfuisse se publicis causarum actionibus, cùm pronuntiarum est, tutorem reddere oportere rationes apud iudicem, cui iusiurandum, tutorio nomine, præstitisset, quamuis gesta essent alio loco tutela. reperio etiam Lutetianum ciuem, nomine, Gosart, hoc ipsum iamdiu ad similem quæstionem obtinuisse, anno 1560. 14. Iunij. Causa deinde in eandem speciem acta est an. 1608. die 4. Nouembr. in quo idem rursus iudicatum, perorantibus Pet. Mauguinio, & Pet. Martelerio, ligatorum alter vocabatur, Brezeus, curiæ monetalis consiliarius: nitebatur, inter cætera, Mauguinius, argumento vulgari, eoque certissimo, legis, de qua

re. ff. de iudic. Iudicem scilicet pronuntiare oportere de qua re primùm cognouerit. Vtq; quasi contrahitur apud iudices, ita & tutorem, vbi de reddendis rationibus agitur, conueniendũ esse apud iudicẽ, à quo ab initio datus sit, cuique sacramentum tutorium præstiterit. fit enim hoc in executionẽ primi iudicij. Iudici autẽ, statim atq; iudex factus est, omnium rerum officium incumbit, quæcumque in iudicio versantur, ait Vlp. in l. 25. Ædiles. §. vlt. de ædil. ed. quod & ipsum lex, quæ omnia. de procuratorib. ff. & lex. quoties. cod. de iudic. ad eas dixi. addo & legem 2. ff. de quib. reb. ad eundem iudic. eatur, quæ nominatim illud decidit in tutoribus. Succurrit verò & alia iterum hypothesis quæ huc faciat. Agitata enim est nec ita diu quæstio nostræ huius legis 1. & 2. inter præfectum Pontæsiæ vicecomitalem, & præfectum maiorem, (vulgò vocitant, *le Preuost maire*) ex eo quòd præfectus Vicecomitalis de redditis à tutore rationibus cognouisset qui Iusiurandum ipsi (id est Vicecomitali præfecto) præstiterat non modò, sed & patrimonium minorum apud eundem ediderat, seu vt loquimur, inuentarium fecerat. Appellauit à redditarum rationum iudicio præfectus maior, & sanè per ambitionem magis, imò & auaritiam, quàm quod res vlla quæuis vrgeret. nemine siquidem conquerente id factum est, seu tutorem dixeris, seu minores quibuscum de rationibus tutelæ tutor egerat. Confirmata igitur nullo negotio præfecti Vicecomitalis sententia, ann. 1613. die 5. Febuuar. Addidit verò Dom. Virdunius, præses max. factum id quia, vterque esset iudex Regius, eodemque in oppido in quo etiam bona.

IMPP HONOR. ET THEODOS.

L. 2.

Nemo post depositum cingulum, priuata sua vita redditus, ob negotium quod militiæ causa est ei exortum, præstandi ratiocinij gratia eius numeri, in quo militauit, vel quem ipse gessit, à quocumque pulsatus fori præscriptionibus vtatur. vnumquemque enim super huiuscemodi causis publicis, quas, dum militaret, exercuit, vel super ratiocinijs militaribus, per quæ suos contubernales afflixisse asseritur, in militari oportet iudicio respondere, in quo & instructio sufficiens, & nota testimonia & verissima possunt documenta præstari.

Spectat maximè hæc lex ad partem rubricæ quæ est, de ratiociniis publicis, de quibus propterea attingam paucis. *Lege enim Iullia relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdemq; totidem verbis referre*, ait Cicer. epist. 20. ad Rufum, lib. 5. rursusque lib. 3. de legib. *Apud censores ij qui magistratu abierint, edant, & exponant quid in magistratu gesserint, de ijsque censores praiudicent.* Sic ille. Imò apud Athenienses, erat collegium τῶν λογιστῶν, apud quos licebat primò cuique volenti accusare malè gesti magistratus: docet Budæus in commentar. in ling. gr. discimus verò ex Demosthene, περὶ στεφάνου, & κατὰ Τιμοκράτους, licuisse nunquam ei qui magistratum gessisset, aliud quoduis postea munus publicum apisci, quin priùs de anregesto rationes reddidisset. In quo & occurrit necessaria hodie decisio ex l. 13. in omnibus. §. 1. ff. de diuers. tempor. prescr. Reip. scilicet rationes subscriptas, & expunctas aduersus eum quidem qui administrauit, vltra viginti: aduersus verò hæredem vltra decem annos retractari nõ posse. remissionem rationum vocamus. Asseruit mihi aliquando experientiss. rationum publicarum auditor, vidisse se hoc nũquam in ratiociniorum regiorum decuria. puto autem præscriptum ideo & in istis vicennium, quia retractatio nunquam eo casu petatur, nisi vt in crimine, furtóque publico. crimina autem, quæcumque illa sint, extingui viginti annis, constat plus satis tam ex l. querela. de fals. cod. quàm ex senatusconsultis quæ alibi recensco. Adiicit iam nostra lex, declinari non posse in eo iurisdictionem illorum qui præsint corpori, seu collegio cuius res administratæ fuerint, qualecumque in cæteris fori priuilegium habeat

qui conuenitur. Sed alij nunc mores. Aditur enim iudex patrius, isque regius, nec fit vnquàm vlla fraus fori priuilegio, vt ostendo ad l. hæres absens. § .1. ff. de iudic. Sic & scribit optimè lib.1.inst.for. Imberrus, capitalis quondam iudex apud Fontenacum, & cuius nec inutilis ad res forenses opera, Ptochotrophium ecclesiasticum, (hospitalariũ vocat) posse conueniri apud iudicem regium loci in quo fit Xenodochium, vt rationes reddat: restat ùtque ita iudicarum à Senatu. Quæ sirum de hæredibus rationarij, vtrùm pari, eadémque procedendi formula, ac insolidum teneantur. teneri autem, nemo bene peritus non dixerit. obligantur enim omnes ad factum, cùm rationum redditio versetur in facto, vt explicat latiùs lex, cùm seruus. de cond. & demonstr. facta verò indiuidua sunt. l. stipulationes non diuiduntur. in pr. l. in executione. de verb. obl. l. inter cohæredes § vlt. famil. hercisc. ff. Accedat deinde hypothecaria, seu causa pignoris, quia etiam indiuisa. l. rem indiuisam. ff. de euictіon. Cæterùm notandum est apprimè quod in calce legis nostræ de documentis, motis testimoniis, ac cæteris quæ ad instruendam rationum redditionem faciant. sola enim illa ratio est, cur de eiusmodi controuersiis cognoscere & in hunc diem soleant partij iudices, nisi obstent fori priuilegia, vt suprà attigi, aut etiam nisi, vt sæpe fit, totam litem ad se transferat, seu euocet, vt loquimur, ordo amplissimus. dixit eleganter iurisc. de paratis ad rationes reddendas quibuscúmque instrumentis, *chartæ ad ratiunculas, & logarium parata*, in l.3.§.vlt. de penu leg. ff. vide si lubet, quid plena manu effundant Molinæus ad consuetud. Parif.§.6.glo.6. in verb *rendre compte* num 15.& seqq. vsque ad num.24. Chassaneus ad consuetud. Burgund. rubr.6.§. 6. in verb. *rendre compte*. Nic. Valla, Senator Parif. tractatu, de reb. dubiis, in arestis. Frequentissima ista, atque inter quotidianas foris Parisiensis messes.

TIT. XXII. VBI CAVSA STATVS AGI DEBEAT.

L. 5.

Vocat Procuratorem Cæsaris, *rationalem*, vel, *magistrum rei priuatæ*. in quo rectissimè interpretatur Glossa, disiunctiuam, *vel*, κατ' ἐπεξήγησιν, quasi dictum sit, *id est*. Dixi in hoc plura ad l. 1. ff. de offic. procur. Cæsar. & ad l. 7. procurator priuatæ rationis. sup. de ed.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

In litibus, in quibus, vtrùm ingenuus, an libertinus sit aliquis, quæritur: quinquennij præscriptionem, in posterum cessare sancimus: & huiusmodi lites, etiam post memoratum tempus, ad exemplum cæterarum, vel in prouinciis apud earum moderatores, vel in hac alma vrbe apud competentes maximos iudices examinari, &c.

Cùm ista decisionibus 50. Iustiniani annumerari soleat: præfigendam ab ingressu arbitror eximiam Nou. notam, qua internoscere eas possis à cæteris eiusdem Iustiniani constitutionibus. mihi enim perplacet quod nuper à Merillio, antecessore Bituricensi animaduersum est, libello de 50. decisionibus Iustiniani: vt scilicet inter decisiones quinquaginta habenda illa sit, quæ comperiatur veterum iurisconsultorum decidere controuersiam: constitutio autem simplex illa sit, quæ planè abrogat ius desuetum, vel quod erat certum immutat, vel quod erat dubium supplet interpretatione, aut etiam quæ coarctat quod erat superfluum: cuiusmodi hæc nostra est. Emendat enim adeò ius

antiquum vt velit,non præscribi deinceps quinquennio contra statum,id est,contra ingenuitatem,restitutionémve natalium:sed posse eum, qui manumissus sit, prouocare, etiam post quinque annos, in ingenuitatem. Seruatur verò id apud nos in eo qui diu, pérque longos annos pro spurio habitus est,& discit posteà, probátque documentis indubitatis se esse nihilominus legitimum. Seruatur etiam,vbi de nobilitate agitur; si nimirùm vixerit diutissimè aliquis inter plebeios,& tanquam plebeius: imò si pater: posteáque,vt in spurio dictum est,comperiat clarissimam,ac nobilissimam,aui, maiorúmque suorum Genesim. Frequentia sunt apud subsidiorum iudices rescripta in hoc regia,literas ratihabilitationis vocant.in quibus tamen,vt admittantur,seu, interinentur, vt loqui mos est,difficultas longè maxima.nihílque ferè est in quo maior, sagacior, penitiórque habeatur disquisitio. tabulis enim dotalibus,diuisionibus,probationibúsque insuper luce meridiana clarioribus opus est. Taceo de iis qui & in hunc diem, longísque ab annis per documenta domestica, eáque, vt ferunt, vetustissima, pérque geneses typis excusas,per consultationes ex variis Italiæ, Germaniæ, aliarúmque externarum regionum antecessoribus iuris,publicè etiam editis, ingentes animos, id est, principales,angusto in corpore versant.eò me sensim illexit vastissima isthæc de causis status Iustinianea,dij nobilissimáque constitutio, ad quam tamen & hoc notabitur, vt patére vult Iustinianus perpetuum ad instaurandos natales aditum, quæcúmque temporum longissima series intercurrerit, ita nec moueri vnquam posse quæstionem status ei qui in possessione ingenuitatis, nobilitatisve decesserit si quinque anni à morte illius effluxerint. Seruamus hoc ipsum,atque ex Senatusconsultis,quæ alibi profero,si quis ex diplomate admissus ad magistratū,iuridicinam, munúsve aliud quoduis publicum, quietè, ac pacificè, nec interpellata possessione, per quinque annos ita vixerit. quotidiana hæc decisio est,nemini que bene perito dubia.

TIT. XXIII. VBI QVIS DE CVRIALI VEL COHORTALI, ALIAVE CONDITIONE CONVENIATVR.

Impp. Arcadivs, et Honorivs.

L. I.

Si quis vel curiæ,vel officiis iudicum, aut aliis quibuscumque corporibus obnoxius,intra prouinciam ab iis erit,quos aufugit, comprahensus: non expectata eiusdem iudicis notione, sub quo per ambitum cœperat militare,penitúsque emendicati honoris præscriptione summota, à iudice, qui in locis aditus fuerit, audiatur, manifestarúmque rerum probatione conuictus, eorum societati quos declinauerat,aggregetur. Datum Mediolani.

Cohortales,ait Cuiacius in paratitl.erant officia,& apparitores Præsidis,qui vtique in prouinciis fuerunt perpetui,huicque vni obnoxij ministerio, ita dicti, vt addit alius interpres,quia iis Præsides, & magistratus maiores, vt manu militari, cohortéque prætoria,in exequendo,vti soleant. Accedunt priscis hisce cohortalibus apparitores præfecturæ Parisiensis,qui tamen cùm centum viginti esse soleant, quacúnque in parte regni depræhensi fuerint,seu in causa ciuili,seu in capitali,ad solius proprææfecti Parif. cognitionem pertinet quicquid in exequendo suo munere, legerint. Tritum hoc apud fori peritos: sæpéque ita iudicauit ordo amplissimus. In cæteris, si de crimine agatur, sermus Auth.Qua in prouincia,sup.vbi de crim.agi oporteat:& doctrinam Glossæ hic,

in verb. *A iudice.* vsurpantis vulgatum hoc in fugitiuos, *vbi te inuenero, ibi te iudicabo.* Baldus autem, & Paulus Castrensis, singularia quædam adijciunt quæ hic perire in totum nec patiar, cùm quotidie incidant. Regulam enim constituit Baldus in hæc verba, tametsi incôdita, sed quib. res ipsa sese aperit prout in more est: *Omnes homines, ait, qui debēt obedientiam perpetuam, si ab obedientia fugiunt, possunt propria auctoritate capi, & conuicti debent ad obedientiam reduci. vnde si monachus fugit à monasterio, vel frater minor à religione, vel vxor à viro, propria auctoritate potest capi. Si verò non sit quæstio de obedientia, potest etiam propria auctoritate reduci. Sin autem neget monachus se ad obedientiam teneri. Sique vxor diffiteatur sese vxorem, deductio fit ad iudicem, cui formula, quæ hac lege præscribitur, in cognoscendo sequenda est. Seruatur autem istud de facto à religiosis contra suos apostatas.* Sic Baldus: qui docet præterea iniustas esse, vetitásque legibus præhensiones, priuatósque etiam carceres, nisi paulò pòst sistatur qui captus est, apud iudicem. accipiendámque eo sensu existimat legem: Ait Prætor. § si debitorem. ff. quæ in fr. cred. temperamento tamen adiecto quod Azoni tribuit: permittendum scilicèt nunquam creditori sese proripere ad insolita, nisi cùm non habetur copia iudicis cuius auctoritate manus iniiciat in fugientem, & cum metus est ne nisi corripiatur ocyùs, periculum sit in mora. textum in hoc singularem subiungit ex l. generali. inf. de decurionib. lib. 10. hanc Baldi sententiam, & positas de monacho, ac vxore species repetit Paulus Castrensis, perpetuámque illam obedientiam, ac operam, de qua Baldus cuius nec verba immuto, quippe monastica, vsúque frequentissima. Quinimo & ipsos ferè oblatos meminit, id est, mutilos milites. quos alunt, rege ita mandante, plurima apud nos monasteria. Quidam, ait ille, sese offerunt huic, vel illi monasterio, nec tamen votum emittunt, vocantúrque, *oblati.* Vitam tolerant in monasteriis, hortos instruunt, colunt, ac poliunt. Sunt penè illius verba. Recenseo autem eò magis abditum hoc ex interprete Italo, quod inde, eáque imitatione, accepisse videatur *oblatorum* apud nos & nomen, & morem, qui, vt monastica eadem mutilis quibusdam militibus demensa erogarentur, primus auctor extitit. Eorum vulnera, & causas asserunt testimonijs, manúque emissa, duces belli sub quibus militarint: datúrque ad ea rescriptum à Principe, vt admittantur ab hoc, vel illo monasterio quòd sit dotationis regiæ, in aliis enim quæ vel ab episcopis, vel à priuatis quibuslibet constructa, dotatáve sint, locus nullus *oblato* militari. Diu multum, pérque artes varias contenderunt in Senatu Planipedani monachi, circa Auaricum Biturigum, vt eiuscemodi alimentarios arcerent aditu, neque militi mutilo annuum viginti aureorum canonem penderent, qualicumque vteretur rescripto Principis, ferè enim probabant excitatum à fundamentis, dotatúmq; suum monasterium à quodam Stephano, Bituricensi archiepiscopo. Tamē cùm de eo haud satis, per prolatas ab ipsis tabulas, cōstaret, cúmq; absumatur, per seculi vitium, sacer ille reditus ab inutili fiduciario, seu commendatario, vt vocant, confirmauit ex his ordo amplissimus *beneficium* regium ann. 1618. mense Febr. scripseram in lite. Quædam nempe est Prytanei Atheniensis species. Liberi verò sunt, immunésque eo onere prioratus collatiui, vt Cluniacenses, Carthusiani, Cælestini, Claræuallenses: at verò monialium Abbatiæ, vt reperies latiùs apud Chopin. lib. 3. tit. 28. de doman. Quātum ex annalibus Francicis liquet, iisque vulgatissimis, oblatorum eiuscemodi imaginem præstant trecenti illi, qui exexcati cùm essent à Saracenis quibus inferebat bellum D. Ludoicus, reduces eos ali voluit in Typhlotrophio quod Lutetiæ in hoc ipsum condidit. Vitam in eo, ad hæc vsque tempora, mendicatim traducunt quibus natura, vel casu cæcitas contigit.

TIT. XXIV. VBI SENATORES, VEL CLARISSIMI CIVILITER VEL CRIMINALITER CONVENIANTVR.

IMP. CONSTANTINVS.

L. I.

Quicumque non illustri, sed clarissima tantùm dignitate præditus

virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua culpa, seu crimine fuerit deprehensus: ita prouinciam, in qua facinus perpetrauit, publicis legibus subiugetur, nec fori præscriptione vtatur. Omnem enim huiusmodi honorem reatus excludit.

Lex hæc, ait glossa, obtinet, si de causa criminali agatur. Lex secunda, si de ciuili. Sic gl. Quamuis autem ex reatu omnem honorem, seu dignitatem, excludi faneiat Constãtinus, ita vt nec fori admittatur præscriptio, quò & spectat istud in Panegyricis, *in facinorosis sacramenta nominum conquiescunt*: Rectissimè tamen excipit Baldus statuta, consuetudinésque locorum, in quibus admissa delicta fuerint, at verò & priuilegia, exemptioné. ve, vt loquitur. videmus enim ex vsu, *Pares Franciæ*, quicquid deliquerint, ab aliis nunquam iudicibus, quàm à Senatoribus Lutetianis, iudicari non posse. vocata inde est *Curia Parium*. Videmus etiam de Senatoribus ipsis, nè quidem si consenserint, alibi litem non fieri: qualecumque fuerit maleficium. vide plura de his ad l. 2. & 3. ff. de Senatoribus: vulgatum de clericis, renuntiare eos non posse fori sui priuilegio, ex glo. ad cap. si diligenti. de fo. compet. id verò seu de ciuili causa agatur, seu de criminali. exceptum enim solum crimen maiestatis, vt sæpe vidimus. Collegi ad l. seq. vnde suppleatur quod hic forsan desideres.

IMPP. VALENS, GRATIAN. ET VALENTIN.

L. 2.

Senatores in pecuniariis causis, siue in hac alma vrbe, siue in vrbanis degunt, possunt conueniri coram prætore, & magistro officiorum, si tamen ad eum emanauerit Principis iussio (dicimus s'il est commis pour ce faire) *in principiis verò vbi larem fouent, aut vbi maiorem bonorum partem possident, & assiduè versantur, respondebunt.*

Agit Cuiacius hîc de senatoribus Romanis quorũ alii erãt excelsiores clarissimis, purà illustres, vel spectabiles: alii omnis dignitatis expertes. quod attigi etiam ad tit. de pedaneis iudicib. sup. agit præterea de senatoribus qui morabantur in prouinciis. In hoc autem quia libero commeatu opus fuit, vt scilicet, vbi vellent morarentur ad libitum, retinuisse eos semper domicilium in vrbe, docet singularis textus in l. 22. filij. § senatores. ff. ad municipal. prætermi. sit secessus suburbanos, de quibus lex ista in princip. vide autem l. 21. quid tamen. ex lib. flor. al. Si cum dies in libris vulg.) §. si arbiter. ff. de arbitr. Quanta olim Romanis fuerit ea semper dignitas, perstrinxi ex sexcentis, quæ selectiora visa sint ad rit. de senatorib· ff. atque ad l. nemo ambigit. ff. de legibus, quibus & nunc subiungo quod neque, opinur, fastidium mouerit: fuisse nimirum auctoritarem tanti ordinis illibatam, & integram vsque ad Neronem: quod notat vnicè Capitolinus, in Albino. *Numquam curiam nisi solus intrauit Tyberius; lectica quondam introlatus æger, comites à se remouit*: Verba sunt Suetonij, in Tyber. cap. 29. & 30. vbi in hoc plura. Numquam seu solos per vrbem, seu alia veste quàm senatoria conspici in publico, fas erat: Ista rursus apud Polyb. lib. 6. & Agellium, lib. 13. cap. 20. Iuuenalis saty. 11.

Quales esse decet quos ardens purpura vestit.

Egregiè autem Horatius sat. 6. lib. 1.

Nam vt quisque insanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demisit pectore clauum:
Audit continuò: quis homo hic? aut quo patre natus?

& post sub finem:

-----ducendus & vnus,
Et comes alter, vti ne solus, rusue, peregréue

Exirem:

Exirem: plures calones, atque caballi
Pascendi: ducenda petorita. nunc mihi curto
Ire licet malo, vel si libet, vsque Tarentum. &c.
Hoc ego commodius, quam tu praclare senator.

Sic ille. Imò & venerabatur adeò Caligula, alioqui perditissimus, vt, nè sederent senatores in nudis subselliis, puluinos adhiberi iusserit: scribit Xiphilinus in eius vita. (puluini isti & hodie passim in consessu senatorio.) Desinam denique, ad prisca illa Romani senatus regna, in his ex eodem Suet. cap. 35. in Aug. *Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post mortem Caesaris, per gratiam primum allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit.* Hactenus auctor grauiss. qui vt reliqua sub singulis Caesaribus persequitur, ita & reuixisse posteà, instauratósque fuisse senatorios apices sub longè plurimis, post Neronem, Imperatoribus, ostendam ex alijs, aut intendam potiùs quasi digitum ad fontes. Adrianus enim inter caeteros, senatus fastigium in tantum extulit, vt cùm Tatianum ex praefecto praetorii, ornamentis cōsularibus praeditum, faceret senatorem, nihil se amplius habere quod ipsum conferri posset, ostenderit. hoc Spartianus in Adriano, vbi pluta. Alexand. ait Lampridius, senatorē nunquam fecit sine omnium senatorum, qui aderant, consilio. dicebatq; magnum virum esse oportere qui Senatorem faceret. Imò & concessit Senatoribus vt argentariis carrucis, vehiculisq; vterentur: apud eumd: Lamprid *Dominū Senatū* vocat Martialis lib. 14. in *p: regnúmq; Senatus*, Lucanus lib. 1. Sic & apud Trebellium Pollionem, in Valeriano. 4 *prudens Senator, modestus Senator, grauis Senator.* Mancos corpore ex ea causa, atq; vt nè quid maiestati celeberrimi illius collegij decederet, arceri à Senatu mos erat: scribit Dio in Augusto, lib. 54. & quod semper ad fastigium illud spectet, testatur alter Dio Nic. in Traiano, in pr. Senatores pingi solitos in tunica, & praetexta purpurea cum corona. Pauca haec ex immenso. Illicit verò idoneus locus, vt & de Senatu Atheniensi subuectam quae nec tam de triuio. Duplex enim fuit: Alter Areopagiticus, ad crimina, erátque iste perpetuus, perpetuis scilicet, nec mutatis vnquam iudicibus. Alter verò ad publica, in quo, cùm quingenti essent iudices, mutarentúrque in annos singulos, omnes Senatoriae aetatis, id est, prouectioris, esse oportebat. Verba Libanij ad orationem Demosth. κατ' Ανδροτίωνος, sunt haec: Δύο ἦσαν ἐν Ἀθήναις βουλαὶ, ἡ μὲν διηνεκὴς, ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, περὶ τε φόνων ἑκουσίων, καὶ τρωμάτων, (vel vt alij legunt, πραγμάτων, quae tamen lectio minùs placet) καὶ τοιούτων τινῶν δικάζουσα. ἑτέρα δὲ τὰ πολιτικὰ πράττουσα. αὕτη δὲ κατ' ἐνιαυτὸν ἠμείβετο, ἐκ πεντακοσίων ἀνδρῶν, τῶν τὴν βουλευτικὴν ἡλικίαν ἀγόντων συνισταμένη. Latinam versionem apposui suprà. mirum quod obseruo apud Iullium Pollucem. lib. 8. in extremo fine. E quingentis enim illis quinquaginta quotidie prandebant impensa publica in parte Prytanei, quàm θόλον, à rotunditate loci, vocabant. Verba Pollucis sunt: Θόλος, ἐν ᾗ συνεδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῆς τῶν πεντακοσίων βουλῆς πρυτανεύουσα φυλή, id est, Tholus est locus, seu aedificium rotundum, in quo singulis diebus quinquaginta ex quingentorum Senatu prandebant. sicque intelligendus locus Suidae: Θόλος, ὁ τόπος ἔνθα ἐδείπνουν οἱ πρυτάνεις, διὰ τὸ οἰκοδομεῖσθαι αὐτὸν στρογγύλον. id est, Tholus, est locus in quo prandebant administratores publici, ita dictus quia forma rotunda aedificatus esset. Factum istud dixerim, ad deuinciendos, obligandósque arctiore nexu animos φιλόπονοι αἱ τράπεζαι, ait verissimè Plutarchus. Conuictum tamen illum nesciebant Lacedaemonij inter suos γερουσιαστὰς, ita dictos, quod & illaesae existimationis, & prouectioris iam aetatis esse eos oporteret, ex patriis legibus, vt scribit Vlpianus, scholiastes Demosthenis, πρὸς Λεπτίνην, in verb. γερουσίας. de his hactenus. Seligi nimirùm quae dominantibus olim & nunc purpuris conuenientissima. Cùm autem ostenderim suprà, ad l. 1. & ad Pandectas, solum Senatum Senatore, Reo criminis, posse ferre iudicium: notandum ad hāc l. 2. superest, quae ciuiles, pecuniariásque causas regit, deberi eam cognitionem recuperatoribus Basilicanis, seu, vt vocant, libellorum Basilicae forensis magistris: qui pariter, si lite appetantur, aut appetant, vtróque casu iudices, libellorum etiā in regia magistros habere soliti sunt. horum, ad latus eiusdem Basilicae forum est.

X

IMP. ZENO.

L. 3. quæ vlt.

Longissimus textus,quem proinde in septem partes tribuendum puto,ob diuersa officiorum genera,Reorúmque prærogatiuas respõdentium apud iudices. manere enim vult Imperator priuilegium accusatis,etiam post illustrem dignitatem depositam.
Verba igitur textus ita,ad faciliorem intellectum,contraho.

Prima pars. *Qui magisteria potestatis sudoribus clarus factus est.*

Vocamus duces belli,de quibus in l.magisteriæ.sup.de iurisd. nulla autem hi prærogatiua fruuntur in causis capitalibus,seu agatur de constituendis iudicibus, seu de quacumque litis institutæ formula. cognoscet enim iudex loci, in quo admissum delictum est,vt fusè explico ad auth.qua in prouincia.sup. vbi de crimin.agi oport. nisi tamen sit iudex dominicus,& nota accusati nobilitas. Itur enim eo casu ad maiorem prouinciæ iuridicum, ex edictis, videmúsque de more venialia cædis patraræ rescripta inscribi vel Senatui,vel rectoris prouinciæ,in qua cædes contigit, vicario, si,qui impetrauit,sit nobilis.

Secunda pars. *Qui sacro nostræ pietatis cubiculo præpositus , post depositam administrationem, senatorio ordini sociatus est.*

Vocamus, ***grand Chambelan.*** de quo in tit.de præpos. sacri cubic.lib.12. quæ dignitas vt nunquam nisi penes potentiores,Duces nimirùm, Comites,Marchiones: vix vt non semper deferatur Senatui cognitio.

Tertia pars. *Cui nostra serenitas domesticorum scholam regendam mandauit.*

Hoc refer ad magistrum officiorum , de quo dixi quod satis ad tit.de officio mag.offic.sup.lib.1.

Quarta pars. *Cui sacros nostri numinis thesauros, aut res priuatas nostræ pietatis, vel serenissimæ nostræ coniugis gubernandas iniunxit.*

Tria officia intelligit,Thesaurarios,quos dicimus: procuratorem rei priuatæ principis,de quo ad l.7.procurator rei priuatæ.sup.de ed.lib.2. & procuratorem Augustæ,de quo etiam ad l.Princeps.ff.de legibus.

Quinta pars. *Viri deuotissimi sacri nostri scrinij libellenses.*

Vocamus vulgò, ***secretaires du Roy***, de quibus vide ad l.vlt.vers. qui illicitè. sup. de diuers.rescript.lib.1.

Sexta pars. *Qui ex his in crimen vocatus erit, nè quas, ante probationes, iniurias patiatur, sedendi quoque in aliqua secretarij parte quæ iudicibus inferior, altercantibus verò superior esse videatur, habebit licentiam.*

Rectè in partem gloss. cùm ait, fieri hoc propter nobilitatem. Seruatur enim , de

more, in Reis longè potentissimis, celeberrimis, generéque, aut rerum gestarum gloria commendatissimis, vt in scabello sedeant, hanc prærogatiuam honoris tulit à Senatu Bironius, eques generosissimus, malè autem in patriam animatus, cùm, in maiestatis reatu, responderet apud iudices, ann. 1602. in maiori deaurata decuria. sedit enim ad imum peroratium aduocatorum subsellium, tectóque capite: quia Dux, *Párque Franciæ*, summo Herrici magni beneficio. hoc verò & ipsum concessum pridem sub Lud. XI. Duci Luxemburgio, ob Imperatoriam genesim, & quia Comes stabuli. Inuectus præterea mulo erit, in vastam illam, littoralémque aream quam vulgò *Grauiæ* nomine dicimus, vbi capite luit. Quæsitum est in accusato episcopo, quæ sedes eo casu danda ei sit, cùm respondet apud iudices: putat enim hîc Baldus, sedere eum opottere paulò infra considentes. Cùm autem non explicet, vtrùm in eadem sede iudicantium, an verò in alia: ausim & hic proferre optimatum fori, cùm sciscitatus essem inter sermones, verè Senatoriam sententiam. Separata enim sede, id est, scabello, quod in hoc ipsum tribuitur, respondendum dixerunt Dom. Virdunius, sen. Princeps, Dom. Seguierius, infulatus Præses, & Dom. Bretius, patronus fisci: constaréque ex regestis curiæ, numquam aliter in maioribus quibuscúmque Reis seruatum. Ita nempe interdum in abditis, γενναίως ἀναφέρειν χρέων. Cæterùm ait ideò textus: *sedendi in aliqua parte secretarij, &c.* ad differentiã sedeculæ in qua, vt hodie sedere solebant vulgares Rei criminũ, respondentes vltima vice apud considentes omnes iudices, quibus hoc vnũ superest, vt, visis omnibus accusationis, litisq; capitalis instrumentis, conspiciatur, audiatur, obseruetúrque iudicandus Reus. Singularis ad capitalia hæc argumẽta, lex, de minore. §. tormenta. ff. de quæstion.

Septima pars. *Viros illustres qui sine administratione honorarijs decorati fuerint codicillis.*

Huc facit titulus libri XII. Cod. de perfectissimatus dignitate. de honorariis enim eiusemodi codicillis, quos dare Constantinus solebat ad potentiorum aulicorum stomachum, intelligit viros illustres Imperator in hoc textu. vide etiam quæ adieci ad l. non plures. sup. de sacrosf. eccles.

TIT. XXV. IN QVIBVS CAVSIS MILITANTES FORI PRÆSCRIPTIONE VTI NON possunt.

IMPP. THEODOS. ET VALENT.

L. vn.

Omnes omninò domesticos, & agentes in rebus, & quæcumque alia prætendatur militia, vel dignitas, sub moderatoribus prouinciarum, pro functionibus publicis respondere, nulla fori præscriptione valitura sancimus, si hac, qui exiguntur publica debita, vti tentauerint. Imò & in aliis actionibus occupatos volumus respondere qui vel per prouincias sociantur, vel conductorum vocabulis, cùm non armata militia præditi sint, defendantur, siue domorum diuinarum, siue virorum potentium seu cuiuslibet conditionis sint conductores: nisi fortè commeatum ad rem propriam componendam, vnius anni inducias ostenderint se accepisse: eadem forma seruanda in his etiam, qui mercandi, vel militandi sa-

cra beneficia meruerint, vt & ipsi rectoribus prouinciarum respondeant.

Iunge l.2.& 3.de iurisd.Cod.Theodos. Docet Cuiacius in paratitl. militantes hîc intelligi non de armatis militibus, & tribunis numerorum, sed de scholaribus qui sunt sub magistro officiorum, veluti agentes in rebus, qui & magisteriani dicuntur, aut domestici protectores, (dicimus nos Galli, *Gardes du Roy*). Quinque autem perpendenda hîc arbitror. Primùm si conueniantur ex causa publicorum munerum, quo sensu explicat rursus Cuiacius verba textus, *pro functionibus publicis*. Secundum, si socientur per prouincias in conductionibus priuatorum, (dicimus, *s'associer en quelque ferme.*) Tertium, si & ipsi conducant res patrimonij publici, vel priuatorum. Quartum si in commeatu res proprias anno amplius composuerint. Quintum si mercandi, negotiandíque licentiam à principe acceperint. Ad primum, secundum, & tertium, nullus dubitandi locus, quin cesset omne apud nos priuilegiũ, adeout & cõueniri eo casu possint apud iudices, vel tributarios, (*Electos*, aliàs vocant) si de conductione publica agatur, vel regios, seu ordinarios, vt loquimur, si de priuata. Imò & posse etiam cogi eo casu ad capitales illationes, seu, taleas, vt in vernaculo est, indubitati hodie iuris est, cóque maximè quòd & ipsa vetent, edicta regia nè nobiles militésque conducta vlla prædia priuata habeant, ex addictione publica, nempe ob impressiones ab eis fieri solitas. Ad quartum, videndus textus singularis in l.vlt.de præpositis sacri cubiculi. & in l. 2. de commeatu. lib.12. in qua dicitur, quadriennio opus esse vt absens toto illo tempore deleatur de priuilegiariorum albo, seu matricula, frequentior enim nobis ea vox. Cuiacius lib. 6. obseruatio.cap.35.in quæstione, vtrùm Senatoribus sine commeatu res suas inuisere liceat: docet ex Suida, non licuisse illis vrbe excedere vltra septimum milliarium, sine permissu Principis: accipiendæque eo sensu videntur lex filij. §. Senatores. 2. ff. ad municip.& lex, clarissimis.de dignitatib.lib.12. Apud nos autem nec lego, nec audio, actum vnquam summo eo iure aduersus Senatoris vllius absentiam. quod forsan ex numerosissimo Senatorum cœtu. sunt enim in quaque inquisitionum classe viginti quinque & amplius. itaut facilem mereatur veniam eorum. qui absint, occurrentia casu, aut consilio, impedimenta. Disceptata causa est in maiore auditorio, ann. 1587. die 12. Febr. inter *Feritatũ*, oppidi, (vocant vulgò, *la Ferté*) ciues, & curionem, doctorẽ Theologum: vtrùm residere eum oporteret necessariò. Nitebatur enim, inter cætera, capitulo, de multa, de præbend. apud Gregor. ad prærogatiuas, quę beneficiariis Theologis indulgeri soleant, vt scilicèt vicariis operis vti possint per iustam absentiæ suæ causam, cùm studiis ad religionem conferentibus applicent. Contrà autem oppidani contendebant, illum eò minùs abesse à parœcia sua debere, quòd vna, soláque sit in toto oppido illa ecclesia, quæ populosa cùm esset, ingentísque annui reditus, viduari eam tamdiu pastore, videretur flagitium, comminante Agathensi concilio Christianæ communionis interdictionem presbyteris qui vel per tres hebdomadas ab ecclesiis suis abfuerint, vt videre est in can si quis in clero. 1.q.1. Daguesius, & Martinus causam agebant. vrgebat autem doctissimus ille, & sanctissimus Iac. Mangotius, tunc fisci patronus, infœlicitate temporum, fractíque seculi extrema vnquam, maximè verò in sacerdotiis, ac beneficiis ecclesiasticis: Itaut indignatione longè acriore quiritandum videretur, quàm diuus Bernardus, qui erumpentem cùm prospiceret insaniam, exclamabat liberrima indignatione in eiusmodi securos curiones, lucrionésque impios isto epiphonemate, *Curritur, heu, ad curas, sine curis.* Senatus ad orbatem ecclesiam remittendum curionem censuit: nique pareret, fructuum omnium perceptione interdictus est, ac indultum oppidanis, vt ex eo reditu vicarium, arbitrio suo, nec verò curionis, eligerent. Ad quintum, quod ex lege superest, dicam, deo dante, loco magis idoneo, lib.4. tit. de commerciis, vbi ad legem, Nobiliores. de alieno à Romana, Gallicáque nobilitate, & militia, commerciorum vsu, differam.

TIT. XXVI. VBI CAVSÆ FISCALES VEL DIVINÆ DOMVS, HOMINVMQVE EIVS agantur.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. I.

Non defensa mortis quæstionem apud procuratores nostros non oportere tractari: nec bona à fisco peti posse, priusquàm de crimine constiterit apud eum, cui conuictis pœnam irrogare licet, quis ignorat? planè defunctis homicidij Reis, apud procuratores quoque causam agendam esse, ratio permittit.

Componenda necessariò lex. 1. inf. de his quæ vt indign. quia ab iisdem Imperatoribus Seuero, & Antonino, scripta est, & quia ambæ in genere mulctandum amissione hæreditatis decidant hæredem qui nihil de vltione mortis defuncti promouerit. *hæredes*, ait prima illa lex, *quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere. neque enim bonæ fidei possessores ante controuersiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt.* sic ille textus: ad quem glossa temperamentum subiicit: vt nimirùm iudex hæredi tempus, ad implendum istud pietatis officium, præfiniat, quam sententiam & sequitur inter nos Aufretius, Senator Tolosanus, ad quæst 41. in decisionib. Capel. Tolos. Distinctio autem hæc cum nullibi seu in Pandectis, seu in Codice legatur: Imò & constet ex l. 1. sup. in quib. caus. restitutio in integrum non est necessar. pœnam inultæ mortis defuncti non remitti nisi hæredibus qui nondum annos 25. nati sint: itaut ei qui mortem vxoris non defendit, auferatur dos, vt indigno, quam vt lucraretur, conuenerat. l. ei qui. ff. de his quæ indign. toleratur tamen, per euersi seculi impotentiam, feréque luit nemo hoc silentium, sed illibata manent penes occisi hæredem bona. iacet nimirum regula legis 4. hæreditas. Cod. eod. illo tit. de his quæ vt indign. qua fisco vindicari solebant bona, adempta indigno: iacet verò proximorum, hæredum pietas, in quorum gratiam à sancto illo iure Rom. recessum fuerat, vt vlciscerentur defunctum. Adoriri equidem vindictam liberos, viduásque plures vidimus: sed compertum ferè semper est, prosecutiones istas quasi ab ingressu litis intermori per pecuniarium obicem. facit optimè locus Velleij Paterculi, lib. 1. de Teucro, quem pater Telamon accedentem repulit, nec admittere vnquam voluit ob segnitiem non vindicatæ fratris iniuriæ. Sic & frater eius qui cognouerat tantùm, nec patri indicauerat, relegatus est, ait Scæuola in l. 2. de parricid. Sic verò apud nos quia frater sciuerat quid moliretur hostis in fratrem, tacuerat tamen, nec eum monuerat, tanquam conscius, mortis, quæstioni subiectus est, in qua etsi nihil agnouisset, quinquennali tamen exilio damnatus est, quo exacto, cùm & hæreditatem fratris interempti petiisset, summotus est, nec sine infamiæ nota, à Senatu, perorantibus P. Doton, & Cl. Desiré. ann. 1608. die 18. Martij. Subiungam autem quod, ad solemnis, totáque sessione matutina agitati iudicij causam, pauci, vel perspicaciores, aduerterant. Cùm enim, priore condemnatione, sublata de annotatis bonis manus fuisset, videbatur admissus etiam frater ad fratris cæsi patrimonium. Bonis enim illis nemo non, prima fronte, annumerasset delatã hanc hæreditatem, cùm sine liberis decessisset frater, solúsque ille hæredum à latere proximior, videretur, maximéque ex regula generali Franciæ qua mortuus, vt loquuntur, *saysit* vicũ. Didici tamen paulò pòst, inter sermones, à Dom. Harlæo, Senatus nostri Principe, concessa ideò non fuisse fratri isti accusato fraterna bona cùm priùs condẽnatus est, sed si qua tantùm aliunde haberet: quia penè in propinquo fuisset vt condemnare-

tur, ob indicia scilicèt, quæ effecerant etiã vt quæstioni damnaretur. Numquam enim hoc nisi vbi grauissima sint indicia: Tanta autẽ comperta sunt, vt sciuisse illũ insidias in fratris vitam, dubitarint minimè iudices: adiectáque sit proinde in hoc vnum quæstio quòd & insidiarum quoque participem fuisse non satis liqueret: Quòd si tantillum veritatis inter tormenta emersisset, paratus erat vniuersus iudicantium consessus addicere supplicio, vt fratricidam. Aperio nempe ex his ignoratas sæpissimè causas, & argumenta, quæ impellunt iudices, ad pronuntiandum iudicium. vocabatur accusatus iste, Taffart. vide pro auctario, action. 24. Dom. Seruini, volum. 3.

IIDEM AA.

L. 2.

An pater tuus mortem sibi consciuerit, metu alicuius pœnæ, ac proptereà bona à fisco vendicari debeant, notio hæc ad procuratoris Cæsaris officium pertinet.

Tractaui ad l. 23. cùm autem. de æd. ed. & ad l. 13. liber homo. ad l. Aquil. ff. sed quia idoneus valdè hîc locus, persequar quod ambobus illis locis præteriisse me hodie aduerto tametsi necessarium. cùm enim carnificis loco habeatur qui se vulnerauit vt intereat, ait Festus, tamen, vt ad leges supradictas moneo, non ita acerbè se gerunt in eo iudices, quin excutiant priùs, impatientia ne morbi, ac doloris, istud contigerit, an insania, & quia verteretur aliquando in repentinos furores occisus, vt in multis visum est: aut etiam quòd casu forsan inopino, euersum se fortunis omnibus viderit, quod & notat glossa, r. in verbo, rabie, ad l. 2. Cod. qui restam. fac. poss. de miserandis debitoribus qui sese interdum pudore æris alieni s interficiunt. memini, cùm primùm in forum veni, nempe anno 1579. optimo, ac erudito, summæque dignitatis viro accidisse, vt, post longissimas calculi non excruciationes modò, sed excarnificationes potius, eásque ferè continuas, mulum conscenderet quasi ad auras leniores leuaturus mali rabiem. Cùm autem paulò longiùs pergeret ad ripas Sequanæ, dolórque ingrauesceret, præcipitem sese egit continuò in immitem fluuium, quo & confestim transuersum actus, submersúsque est: puero, qui sequebatur, frustrà vociferante, quiritante, ac inclamante ad casum Domini. Anno etiam 1589. prior ecclesiæ Lochiensis, cùm non ægro corpore esset, sed animo, quem quatiebat sæpe impotens furor, seu ob ardorem inopinum, ac insolitum vniuersæ Galliæ, quæ tunc æstuare incipiebat moribus implacatissimis: aut quia etiam videret imminentes iam in sua rapaces manus externi militis imperantis arci, in qua miser ille senex quotidiano fungebatur ecclesiæ suæ, & officio, & ministerio, illigauit tandem insanus collum fortuito interioris sui cubiculi laqueo ad tabulari angulum: paulóque pòst exanimis compertus est. Actum confestim de eius applicandis fisco bonis omnibus. perorauit loci illius causidicus, disertus satis, apud iudicem, frequẽtésque hominis manias, ac delitia, restibus variis, omnique exceptione maioribus, docuit. nec proinde sæuitum est in cadauer mortui. Parco nomini ciuis Lutetiani, viri sanè boni, ac innocentis, at verò & locupletis, bona si sua nouisset. seipsum ille confixit fulgenti gladio intra intimum etiam cubiculum. bona ipsius appetita ab ærusca toribus aulicis. probatum autem est incidisse eum in grauissimas animi ægritudines, ob repentinos quosdam casus qui officiebant plurimum rationibus domesticis: probatum deinde animi aliquando deliquium, nec semper benè ei constitisse cerebrum. conticuit ex iis, subseditque aulica inhiatio. Secus verò fuerit, si ex crimine clausus iam Reus sibi manus intulerit. in quo vt exempla plura vidimus, atque audiuimus, cætera non persequar, si tamen, istud adiecero, rarò scilicèt contingere, & contigisse, vt fiscus ex rabie illa, lugendóque exitu quippiam eripiat. tantum enim factis areis destituuntur cadauera. vide actionem Dom. Seruini, patroni fisci, erudituissimi, volum. 3. vide & Fornerium lib. 3. cap. 11. selectionum.

IMP. ANTONINVS.

L. 3.

Procurator meus, qui vice Præsidis prouinciæ non fungitur, sicut exigere pœnam desertæ accusationis non potest, ita iudicare vt ea inferatur, sententia sua non potest.

Notanda regula iuris forensis ex hac lege: cui denegatur executio, denegatur & pronuntiatio. vel, cui denegatur consequens, denegatur & antecedens. Sæpe hoc contingit in iurisdictione episcopali. episcopo enim vt non licet super damnis, & eo quod interest, executorium decernere, ita nec pronuntiare. Si id faxit, locus est indubitatæ appellationi tanquam ab abusu, vt alibi ostendo suprà.

IMP. ALEXANDER.

L. 4.

Cum, vendente procuratore meo, emisse te prædia dicas: pretium eorum necessariò soluere debes, cùm his verò quibus mandantibus eadem prædia emisse te, & tradidisse dicis, agente te, procurator meus, si eius audientiam elegeris, cognoscet: vt pecuniam, quæ pretij nomine, tibi debetur, & vsuras quæ fisco soluendæ sunt, consequi possis.

Tradit nempe beneficium, aut subsidium potius, quod indulgere solent leges, ac iudices miseris fideiussoribus, vt scilicet cogere possint debitores eadem vrgendi necessitate qua & ipsi condemnati, compulsique fuerint, at verò & apud eosdem iudices. Aiūt istud adipato sermone, vt cætera, Baldus, & Paulus Castrens. nos autem vernaculo nostro forensi: *A quoy faire sera contrainct par les mesmes voyes, & contraintes qui se feront contre ledit &c.* singularis in id textus in cap. vlt. ext. de fideiussor. Imò & fideiussor interdum agere ante diem potest aduersus debitorem principalē, si eum labi facultatibus videat, aut si diuturnior sit fideiussoria obligatio, l. si pro ea. inf. mand. & l. Lucius. eod. illo tit. ff. ad quam dixi. atque ad l. his consequenter. §. Celsus. ff. famil. hercisc.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 5.

Ad fiscum pertinentes causas, Rationalis decidat, omnibus concussionibus prohibendis. Iunge l. 6. 8. & 9. cuius legis nonæ verba sunt: *super eius contumeliis, vel deprædationibus, deferri querimoniam sinceritati tuæ, vel rectori prouinciæ non dubitet, &c. si in prouincia moliri hāc audaciam quisquam ausus fuerit, publicè viuus concremetur.*

Vide quæ fusissimè diximus ad l. 1. ff. de offic. procur. cæs. miror autem quod ad d. l. vniuersi. hoc tit. compertum mihi est ex Paulo Castrensi. mera ipsius verba exscribam, nè quid interpolarum puretur: *Dicit Guill. de Cuneo quod quidam procurator Regis Franciæ pro concussionibus factis accusabatur ad pœnam ignis per istam l. & quod ipse defendit cum dicendo, quod cùm ipse sit illustris vt sup. eod. l. si quis aduersus. nullus alius à Rege inferior poterat eū*

condemnare. Sic ille. Eò autem facit optimè quòd Gallus alter, Io. Faber, scribit ad §. fin. de exceptionib. lib. 4. instit. *procuratorem scilicet regium magnum esse magistrum in Frãcia.* Non enim procurat sola negotia Principis, verè dispensator rerum omnium quæ ad fiscum, vt quondam de procuratore Cæsaris dictum est in l. 1. si aduersus fiscum cod. aut, (vt tuetur inscriptionem l. 7. hoc ti. Cuiacius lib. 8. obseru. cap. 32.) *Rationalis ac procurator summa rei.* Sed criminum etiam, publicatumq; omnium actionum, seu popularium vindex ille procul dubio, moderator, cognitor, disceptatorq; vnicus, sublatoque turpiliano vetere, ac cæteris quæ sibi intersc, atque aduersus singulos permittetet libertas olim ciuica: vnde cùm odiis perpetuis, vltionumque inexhaustis motibus exercerentur, conflictarenturque Romanæ familiæ, mota nimirùm persæpe accusatione ab eo cujus, priuata sui, aut suorum ratione nihil interesset, iure equidem populare istud sublatum est nostris moribus, ad retinendam eò magis, & quà fieri possit, ciuium, satis alioquin ad discordias procliuium, concordiam: cùm & apud Venetos, quorum prudẽtem politiam nemo non suspicit, tradat Contarenus tractatu de Venet. rep. perrarò euenire, vt priuati in accusationes prorumpant, quod si id fiat, flagrant subinde irarum, vltionumque hinc illinc ingentia concitamenta, ait ille. Prudentissimo igitur more libertas ista iamdiu summota est per vniuersam Galliam, admissusque cognitor, seu actor publicus, qui per se, perque ipsius prouinciales vicarios vlciscatur tempubl. Gallicam: nec propterea facilè eiicratur, seu recusatur, vt loqui mos est, nisi seu ille, seu patroni fisci, comperiantur esse à partis aduersæ consilio, quod notat Boet. q. 258. vel nisi iustissima aliunde subsit causa, nempe consanguinitas proxima, professum odium, & similia Factum id inter cætera memini an. 1595. in causa decani S. Martini Turonensis, aduersus capitulum. recusati enim sunt vtrimque illustr. duo aduocati fisci. totaque ex eo in D. Guesleum, procuratorem catholicum, causa recubuit, commissi etiamus ad eausam, Laur. Bochellus, & ego. Dixi de his ad l. 1. ff. de offic. procurator. cæs. Laudatur deniquc apud exteros politica illa nostrorum principum ratio: vt qua scilicet, nec ipsi nec ipsorum procuratores distermineniur vllo obice à priuatis singulis, vbi de iure dicundo agitur. qua æquanimitate, & clementia, cùm commendaret, inter cætera. Traianum suum Plinius, *Dicitur*, inquit, *actori, atque procuratori tuo, in ius veni. sequere me ad tribunal.* sic ille in Panegytico.

GRATIAN. VALENTIN. ET THEODOS.

L. pen.

Nullus ex officio rationalis, qui exactioni, vel chartis inseruiat, in aliud iudicium adduci oportet. &c.

Ferè ausim dicere officium istud rationalis, id est procuratoris cæsaris, referri posse hodię ad exceptorem, seu scribam procuratoris catholici. scio quantum olim posset procuratoria illa dignitas. iudicabat enim procurator cæsaris inter fiscum & priuatos, vt & passim liquet ex hoc tit. pluraque in id habebat officia, seu ministeria: sed, vt ex priscis, nihil impedit assumere quod imaginem præstet.

TIT. XXVII. QVANDO LICEAT VNIQVIQVE SINE IVDICE SE VENDICARE, VEL PVBLICAM deuotionem.

Explicandum primò quid, *publica deuotio.* Vuesembecius enim hîc in paratit. scribit priuatam defensionem intelligi, quæ cuique, tutandæ suæ, publicæque salutis causa, permissa est. Cuiacius contrà, & cuius sententiæ magis accedo, refert istud ad milites. hi enim ait, vt deuotissimi appellari solent, (deuotissimos sibi milites reddidit, apud Sueton. in Iul. Cæs. cap. 67.) ita qui ab ea defensione desciscunt, deserta militia, lædunt

deuotionem publicam. Sic ille, & optimè, vt omnia. victimæ enim sunt publicæ, milites: atque vt apud Horatius. lib. 4. Od. 14. *Deuota morti pectora libera.* verè καθωσιωμένοι, id est, ἀφωσιωμένοι non εἰς κόλασιν, vt dixit Zonaras ad canon. 17. concil. Sardicens. sed εἰς τὸν ὑπὲρ πατρίδος θάνατον. plura in hoc ad l. licet. sup. de pact.

IMPP. VALENT. THEOD. ET ARCADIVS.

L. VII.

Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, vt quicunque militum, vel priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata insidiis aggreßionis obsederit, permissa cuicunque licentia, digno illico supplicio subiugetur, ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id quod intendebat, incurrat. melius enim occurrere in tempore quàm post exitum vindicare. vestram igitur vobis permittimus vltionem, & quod serum est punire iudicio, subiugamus edicto: vt nullus parcat militi, cui obuiare telo oporteat, vt latroni.

Componenda lex 2. quæ vlt. hoc eod. tit. cùm idem prorsus sanciat. dixi fusissimè, vt vim vi repellere liceat, ad l. vt vim ff. de iustit. & iu. & ad l. scientiam §. qui cum aliter. ad l. Aquil. De insessoribus autem viarum, vide singularia quædam ad l. 6. per omnes regiones. sup. de defensorib. ciuitat. Tanta fuit vndequaque per vniuersam Galliam, maximéque in syluis, latronum frequentia, regnante Francisco primo, vt cùm, inter cæteras, scateret potissimùm eiuscemodi formidolosis monstris sylua *de Ceruone*, apud Neustrinos, commissa tandem illa fuerit ex edicto, proximis ipsius accolis, ann. 1545 nè scilicet vlla deinceps fierent seu noctu, seu interdiu, latrocinia: comminatioq; in eos adiecta est pœnæ admissi sceleris, nisi confestim denuntietur viatoribus syluaticis, & propræfecto nemorum quicquid in ea parte, per prædam, aut cædem contigerit. morem apud Anglos similem narrat Alciatus lib. 6. parerg. cap. 29. pluraque Sanctionius, lib. 1. tit. 33. artic. 18. constitutionum quæ ad aquas, & nemora. Quantum ad latrunculatores, quorum ea cognitio, notaui ad l. solemus. §. latrunculator. ff. de iudic. Cùm autem crurifragii supplicio affici soleant, ex edicto Francisci 1. anni 1534. vsitatum & istud longè anteà fuisse, constat ex Aimoino monacho, lib. 5. cap. 50. in hæc verba: *Nequißimus Burchardus consensu sociorum, fuga elapsus Flandriam exire volens, nec valens, sola iniquitate propria prohibente, infirmitate cuiusdam reuersus, & interceptus regis imperio, exquisito mortis genere, alta rota superligatus coruorum, & alitum rapacitati expositus desuper oculis defossus, & tota facie dilaceratus, infernis sagittis, & lanceis, & iaculis millies perforatus miserrimè interfectus in cloacam proiectus est.* Locum hunc prætermisit Cuiacius lib. 3. obseruato. cap. 28. vbi rotæ pœnalis originem repetit ex Demosthene, Cic. Apuleio, Luciano, Nicephoro. Quantum ad Isauros, illorum barbariem vtcumque explicui ad l. 9. Præsides. sup. de feriis. De nocturnis verò vrbicatum viarum insessoribus, quos aliàs vocant, *tirelaynes*, vide ad l. 4. ff. ad l. Aquil. Hi cùm haud secius quàm cæteri per agros, & syluas, latrocinia, per gladios, & arma quælibet, peragant, laqueo, aut triremis vinculo luunt de more, maximè apud populosam, variosque hinc illinc gerronum, ganeonumque inertes greges abdentem, Lutetiam.

TIT. XXVIII. DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. I.

Cùm de inofficioso matris suæ testamento filius dicere velit aduersus eum qui ex causa fideicommissi hæreditatem tenet: non est iniquum hoc ei accommodari: vt perinde fideicommissarius teneatur, ac si pro hærede, aut pro possessore possideret.

Nihil de ista præteritione apud Batt. Bald. Paul. Castr. Salic. Iasonem, Io. Fab. vulgatius enim vel apud Iustinianeos, ex tit. de exhæredatio. liber. in instit. pro ex hæredatione esse, si mater filium testamento prætetierit: atque id, quia solis patribus, nec verò matribus, datum sit vt libetos in potestate habeant, cùm tamen aliunde ingenres sine matris in filios prærogatiuæ, & *maternum nomen superbum sit, ac potens*, vt ostendo ex auctoribus classicis ad l. 46. si extraneo. ff. de vsufr. Obseruat in genere magnus Cuiacius lib. 3. obs. cap. 8. ingrata esse ea testamenta, in quibus de nobis bene meritis nihil relinquimus, siue liberi sint, siue extranei. Liberi enim prætetiti, ait, vel exhæredati à parentibus, debitam non retulisse gratiam dicendi sunt. Indéque præteritos liberos, ἀχαρισ-μένους vocat rectissimè: de hoc satis. Quotidiana autem decisio est in foro ex hoc textu, vt quemadmodum fideicommissatius vniuersalis, penes quem tota hæreditas, conueniri potest querela inofficiosi à filio quem mater testamento prætererit, ita & legatarius vniuersalis, cùm vtérque pro hærede, & pro possessore possideat. vt à contrario qui ex certa parte scripti sunt hæredes, vel certis tebus pro sua institutione contenti esse iussi sunt, legatariorum loco habentur, in l. 13. quoties. inf. de hæred. instituend. incidir verò quæstio vtilis in maiori auditotio, ann. 1602. 5. Martij, ex l. Imperator. §. 1. si centum. de leg. 2. cuius hæc verba: *si centum legatis, duplum restituere rogatus sit, ad summam legati videbitur constituisse, al. constitisse.* Argumento enim huius textus censuit curia legatarium vniuersalem conueniri non posse à creditoribus hæreditariis in plus quàm ex legato illo vniuersali perceperit, nec proptereà opus esse vt quasi hæres beneficium inuentarij impetret. litigatorum nomina, I. Flesselles, legatarius vniuersalis, & Iac. le Moyne, accensus, seu apparitor forensis. quò & spectat decisio Chopini, lib. 2. tit. 5. ad consuet. Parif. & Bacquetij, cap. 21. num. 76. 77. 78. de inst. & iure. vt scilicet donatatius bonotum pro rata conferat ad onere, debitáque hæreditaria.

IMP. SEVERVS ET ANTONINVS.

L. 3.

Si mater filiis duobus hæredibus institutis, tertio post testamentum suscepto, cùm mutare idem testamentum potuisset, hoc facere neglexisset: meritò, vt potè non iustis rationibus neglectus, de inofficioso querelam instituere poterit. Sed cùm eam in puerperio decessisse proponas: repentini casus iniquitas per coniecturam maternæ pietatis emendanda est. quare filio tuo, cui nihil præter maternum fatum imputari potest, perinde vtilem portionem tribuendam esse censemus, ac si omnes filios instituisset, &c.

Componenda omninò lex 3.inf.de post.hæred.instit. quæ & funestum casum ferè similem sufficiet. verba & hæc faciunt Iustiniani.tit.de Senatusc. Tertyl.lib 3. instit. *matri subueniendum esse existimauimus, respicientes ad naturam, & puerperium, & periculum, & mortem sæpe ex hoc casu matribus illatam.* rursus verò ex eodem in vulg.l.assiduis.inf.qui potiores: *quis earum non misereatur propter obsequia quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem.* Querelam hanc præclarè attollit Medea apud Euripid. in Med.

Ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν, λέγουσι δ' ἡμᾶς
Ὡς ἀκίνδυνον ζῶμεν κατ' οἶκον, οἱ δὲ μαρνάντες δορὶ,
Κακῶς φρονοῦντες. ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν
Μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. id est,

Nobis necesse est ad vnam animam spectare. dicunt autem nos vitam domi sine periculo agere, se verò pugnare hasta, imprudentes. Quàm vellem potiùs ter ad clypeum stare, quàm parere semel. Plura in hoc vide, si lubet, ad l.46. si extraneo. ff. de vsufr. Item & vtrùm viuus sit, nécnè partus cùm nascitur, vide ad l. septimo mense. de sta. hom. & ad l. 3. inf. fin. reg. vbi de peritis. excurrunt hîc Baldus, Paulus Castrens. & Iason, in quæstiones planè alienas, & quæ ferè neque ad legem, neque ad forum, maximè Gallicum. Quæro, ait Bartolus, ac post eum cæteri, vtrùm, contra præsumptionem huius legis, admittatur probatio in contrarium: matrem nimirùm noluisse partum quem gerebat in vtero, instituere: acceditque sententiæ Guill. Cugnerij, qui putabat admitti. hoc & Baldus, hoc Paulus Castr. sed an impia vnquam illa cogitatio insederit, insessuráve sit matris vllius animo, quęcúmque mater illa sit, vix est, opinor, vt vllus vnquam dixerit. Vide de præsumpto æquali affectu parentum erga omnes liberos, ad l. si pactum. de probat. & ad l. Tale pactum. §. vlt. de pact. ff. vt autem habeatur deinceps vera differentia inter dictionem latinam, *liberi*, & Gallicam, *enfants*, maximè vbi de contractibus agitur: pronuntiatum est in purpuris an. 1584. prid. assumptionis Virginis, contra Renatum Chopinum, vocabulo nostro Gallico, *enfans*, non comprehendi nepotes, in locatione simplici. Vrgebat ille ex vulg. l. liberorum. de verb. sign. & doctrina Aleiati, tam ad l. liberorum. quam ad l. filij. cod. illo tit. aduersus Io. Clericum, Senatorem, debere eum excedere ædibus conductis, quia in contractu locationis cautum esset, exiturum d. inquilinum, si Pet. Baronius, Chopini socer, qui locabat, vel alius quis ex eius liberis habitare vellet. Vis autem erat in dictione Gallica, *enfants*: nempe *si ledit Baron, ou quelqu'vn de ses enfants y vouloit demeurer.* Atqui genero suo, Yuoni Bernardo, in Sen. patrono, ius illud, inter cætera dotis capita, transcripserat Chopinus, factus paulò antè ædium Dominus, defuncto socero. Dici ferè haud possit quam crucem fixerit tanti viri ingenio ea forensis controuersia. Causæ coniectionem latinam, typis excusam iudicibus obtulit. Imò & versus Dom. Harlæo, tunc Sen. Principi, inscripsit, quorum hi in partem,

Eripe: néve fori aduersis sine vincier armis, &c.
Ergo, pater populi, pietatis & optime vindex,
Dotalem nostræ, patrio de munere, natæ
Ipse tuere domum.

Iudicatum verò ita in emphyteusi, ann. 1522. die 14. Aug. inter Hubertum Poutfour, & Natalem Fourré, tradit Barn. Vestus, celebris etiam in Sen. patronus, in Paris. arestorum catalectis, aresto, 4. Itaut ambigi de eo amplius non debeat inter peritos.

IMP. ANTONINVS.

L. 5.

Si pater tuus post litem contestatam, vel postquam propositum habuisset inofficiosum fratris testamentum dicere, te hærede relicto, decessit: causam cœptam, vel quocumque modo illi placitam, exequi non prohibêris.

Vulgata hinc regula, querela inofficiosi præparata ad hæredem transmittitur. iunge l. 7. quemadmodum. ff. hoc tit. ad quam dixi.

IDEM IMP.

L. 6.

Cùm quæritur, an filij de inofficioso patris testamento agere possint, si quartam bonorum partem pater reliquit, mortis tempore, inspicitur.

Textus quotidianus in hoc, vt ad computandam, æstimandámque legitimam, spectetur semper tempus mortis patris. citatur à Molinæo ad cōsuetud. Borbon. artic. 216. doctrinámque illam repetit ad cap. 12. consuetud. Regiomootanæ. Vna tantùm, soláq; exceptio est, vbi de regno, ducatu, Marchionatu, Comitatu, aut Baronia agitur. tunc enim, quia dignitates sunt indiuiduæ, legitima non in corporibus hæreditariis, sed in pecunia dari *liberis* solita est. vide Vid. Papium. q. 476. peccasséque in eo queruntur sagaciores Galli Carolum V (quem aliàs, Sapientem dicimus) quòd scilicet heduórum regionem, seu Burgundiam, vt vocant, secundogenito, in causam legitimæ, dederit. Bella enim inde aduersus Reges nostros perpetua, & quamdiu secundogeniti posteritas superfuit. Verùm, vt redeam, addit idem Vid. Papius, q. 487. supplementum legitimæ fieri in pecunia, si in pecunia pars legitimæ accepta sit. Quæsitum est, vtrùm ex moribus Gallicis necesse sit filio agere ad supplementum legitimæ: necesse autem non esse decidit Molinæus. ad consuetud. Bituric. ait. 3. tit. de testamentis. saisitus enim est, inquit, sua legitima: *& à interest de demander partage & sequestre*, recta via, in casu moræ: sunt eius verba. Vnum subiungam de Turonibus nostris, Andensibus, & Cænomanis, & aliis, apud quos vsitata in id videtur dictio, *Auenant*. Censet enim rursum Molinæus, ad consuetud. Cænoman. artic. 261. non intelligi de Romana legitima, sed de portione virili successionis statutatiæ.

AVTH.

Nouissima. Vsque ad 4. liberos, legitima omnium erit triens, seu tertia pars assis hæreditarij. vltra 4. liberos, legitima erit dimidia pars hæreditatis. quoquo autem relicti titulo debetur omnis legitima, ex æquo (id est, citra prærogatiuam primogenituræ) *diuidenda est.*

Hæc ex Nou. de triente & semisse. quam importunis adeò omniū flagitationibus promulgauit, quia & in Codice, & in Pandectis, nihil planè de portionibus legitimarum pro numero liberorum, adiectum esset, vt pudori sibi esse profiteatur, in eadem illa Nouella, prætermissum id fuisse. eóq; proinde spectat quod leguleijs passim in ore, maléque intellectum: *erubescimus sine lege loqui*. ignorant enim cur ita Iustinianus: erubuisse nempe illum, quòd nulla in hoc speciali lege cauisset cùm componendo Codici, digerendisque Pandectis nauaretur à Triboniano, decémque aliis Iurisconsultis, opera. legitimæ autem apud nos pro locis, & personis variæ sunt. Primùm enim ex Parisiorum moribus, est dimidium eius quod quis ab intestato habuisset, nisi pater, aut mater, auus, aut auia, aliúsve ascendentium, vel donassent inter viuos, vel testati essent: deducto tamen semper ære alieno, funerariisque impensis. Ita consuet. Paris. art. 298. dicunt istud interpretes ex l. parentibus. inf. hoc tit. *portionem portionis debita ab intestato*. Apud Heduos, seu Burgundiones, est, vt in d. Nou. tertia pars, vel semis, pro numero liberorum, cap. 7. art. 2. & 3. Apud Burdegalenses, est, inter nobiles, dimidium in corporibus hæreditariis, dimidiúmque in pecunia, filiabus autem datur tantùm pecunia: ita consuet. Burdegal. art. 76. quo & adijcitur, ædificia in feudis, titulósque, ac dignitates feudales non venire in æstimationem legitimæ. Apud Armoricos tertia pars tandem præfinita est

est secundo genitis, inter nobiles, ex noua consuet. art. 546. cùm olim prorsus nihil haberent: quod & in hunc diem apud Ambianos. Peronensibus tamen, ex noua etiã consuetudine, quinta pars omnibus secundogenitis, citráque vllam ex arcibus, seu castris paternis. verba consuetudinis sunt hæc, art. 169. *n'ont les puisnez, fils, & filles ensemble, qu'vn quint hereditał esdits fiefs, sans y comprendre le chastel, & principal manoir, & pourpris d'iceluy, auquel les puisnez ne peuuent rien, ains appartient entierement à l'aisné.* Notat Paulus Castrens. ad hanc Auth. quod præteriri non debeat: seruari nimirùm in vniuersa Italia, atque ex statutis, vt, existente masculo, numquam succedat filia. Dotatur dumtaxat, ait, nec dos illa habetur loco legitimæ. dat enim frater, quicquid velit: níque nubat soror, nihil prorsus illa consequitur. In quo equidem meritò dixerimus parui fieri ius Romanum ea ipsa in regione vnde quondam ortum est. Filiabus enim debebatur perinde ac filiis legitima, toto hoc tit. ff. & Cod. notat Iason hîc quod vel bene peritos falleret: filiũ scilicet qui rogatus est hæreditatem restituere, posse detrahere duas quartas. Seruamus etiam id ex Senatusconsultis, tamen cõtra iuris ciuilis regulas, in l. iubemus. inf. ad Trebell. iuxtáque decisionem canonicam in cap. Raynutius. de testam. de qua quæstione vide, si lubet, Cuiaciũ, lib. 8. cap. 3. obseruatio. & Molinæum ad Alex. lib. 7. cõsil. 3. patri tamẽ, eodẽ ipso casu restitutionis, nõ licet nisi vnã detrahere: nulláq; aliaratione, inquit Iason, nisi quia de eo nihil à iure cautũ sit: decisionẽ mq; istam Baldo magis tribuit ad l. si à milite §. fi. ff. de testã. milit. fauor deniq; tãtus legitimæ, quia à natura debeatur, auth. de hered. & Faleid. vt transmittatur ad hæredes, etiamsi præparata querela non sit à defuncto cui debebatur. §. vlt. l. si quando. inf. hoc tit. Illibatáque semper est, nec ei quicquam decedit, etiamsi agnitum sit, probarúmque testamentum quo testator hæreditatem legatis exhauserit. l. vlt. inf. hoc tit. l. legatum ff. de his quæ vt indign. Deinde filius non cogitur accipere legitimam in pecunia, etiamsi pater testamento ita cauerit: vt docet Iason ad l. scimus. inf. hoc tit. nec obstat d. l. scimus §. sancimus. 1. vbi videtur statui contrarium. de alternatiua enim loquitur, quæ arbitrio filij, ex eod. textu relinquitur, velit, necne, pecuniam. Vnum superest in quo variarunt interpretes, nempe an amittatur legitima naturæ, vel Trebellianica ob non confectum inuentariũ: non amitti, putat Alexander, lib. 4. consil. 67. nititúrque sententia Bartoli. hoc & Vidus Papius q. 53. tantúmque excipit extraneum, quia certat de lucro captando. Contra autem sentiunt Baldus, & Oldradus, à quorum etiam partibus stat Molinæus ad d. consil. 67. nulláque distinctione, filij, an extranei, de quo in auth. sed cum testator. inf. ad l. Faleid. Quantum ad Trebellianicam, amitti eam non minus à filiis, quàm ab extrancis, si non conficiatur inuentarium, decidit Decius consil. 480. num. 15. & consil. 495. num. 24. ex communi doctorum, aduersus Bartolum. vidique semper præferri hanc sententiam seu in deliberationibus, seu ex Senatuscõsultis, nisi valdè liqueat de bona fide eius qui non fecerit. præsumuntur aliàs, ac de more, amota bona. De his ergo hactenus. Quantum ad legitimam ascendentium, dixi ferè quantum satis, ad l. nam & si parẽtibus. ff. hoc tit. Quantum ad æqualitatem inter eos quibuscum diuidenda sit legitima, vt scilicet tribuatur in capita, citráque prærogatiuam, primogenituræ, distinguit optimè Molinæus ad consuet. Burgund. art. 45. hoc inter secundo genitos, inquit, non autem inter eorum filios.

Quoquo relicti titulo, &c.

Rectissimè glossa notat emendatum hoc esse & alia Nouella, quæ est, vt cùm de appellatione cognoscitur. vbi idem constituit Iustinianus: relinqui scilicet oportere legitimam titulo institutionis. Baldus, & cæteri ad hanc l. vno verbo, cur ita constitutum sit, obiter, quasique in transcursu, subijciunt: quia nimirùm honoratior institutio quàm legatum, vt in l. filium. §. sed & si. de legat. præst. l. Iulianus. si quis omissa causa testam. ff. Duæ autem sunt rationes, quibus motum fuisse Imperatorem, vt ita sanciret, verisimilius est. Primùm enim vtilior, longè est institutionis titulus, quàm legati, propter ius accrescendi. Nam si hæres datus in legitima, ante aditam hæreditatem moriatur, tota institutio ad institutum in legitima pertinebit. l. 1. §. si ex fundo. de hæred. instit. ff. Deinde verò filius, cui, titulo institutionis, legitima relicta est, potest propria auctoritate nancisci quod ita relictum est. secus si titulo legati, l. 1. ff. quod legatorum. §. 1. Inst. de

legar. Tertiò, facta institutione, filius in sua legitima, gaudebit beneficio legis vlt. Cod. de ed. diui Hadr. toll. vt nempe ex sola inspectione testamenti carentis omni vitio visibili, mittatur in possessionem bonorum. Annotandum istud putaui quia prima ratio interpretum, quæ ab honore petitur, non satis aperit quid aliunde verisimilius ex mente Imperatoris.

AVTH.

Vnde & si parens in quendam liberorum, vel in quosdam fecerit donationem immensam, quisque tantum feret ex hæreditate nomine Falcidiæ quantum poterat ante donationem deberi. Licet autem ei qui largitatem meruit, abstinere ab hæreditate, dummodo suppleat ex donatione, si opus sit, cæterorum portionem.

Necessaria hæc summa Baldi: immensa donatio in vnum ex liberis collata, per alios vsque ad legitimam reuocatur. Paulus Castrensis explicat quid sit immensa donatio: aitque eam esse, cùm egreditur dodrantem, id est, nouem vncias. si non excedat, ait, nõ est inofficiosa, cùm residuum, putà tres vnciæ, ad omnium filiorum legitimam sufficiat. conuenire autem omnes interpretes videò, vt falcidia hîc dicatur impropriè, pro legitima. Quantum ad reuocationes donationum factas ad legitimum modum, habemus exempla varia. Primum est si vxor superinducens vitricum liberis, ei donat plus quàm ferat lex, hac edictali. Cod. de secund. nupt. acceptúmque ex illa edictum Gallicum. nihil frequentiùs. Secundò, si in consuetudine Paris. donauerit testator amplius quinta parte patrimonij. Tertiò, si in contractum constituti annui reditus deducta sit stipulatio suprà denarium decimum sextum. non enim propterea vsurarius contractus est, sed fit reductio, seu reuocatio ad modum vsurarum legitimum. Quartò, si in consuetud. Turon. Cænom. & Andens. donarint parentes filiæ in dotem plusquàm obtineat contingens olim in bonis paternis, ac maternis portio. tunc enim nihil morante regula iuris ciuilis in l. fuit quæstionis. de coll. dot. & in l. Pomponius Philadelphus. ff. famil. hercisc. decidetur de data dote quod supra legitimam videbitur. trado Senatusconsulta ad d. l. Pomponius. collimant enim eò dumtaxat tres illæ consuetudines, vt, *verè fraterna æqualitate*, quod dixit Tullius pro Ligario, diuidantur bona inter liberos. Plura similia. quotidiana autem seligo.

IMP. ALEXANDER.

L. 8.

Parentibus arbitrium diuidendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est: dummodò non minùs is qui pietatis conscius est, partis quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex iudicio parentis obtineat. qui autem agnouit iudicium defuncti, eo quod debitum paternum pro hæreditaria parte persoluit, vel alio legitimo modo satisfecit, etiamsi minùs quàm ei debebatur, relictum est: si is maior 25. annis est: accusare inofficiosam voluntatem patris, quam probauit, non potest.

Notat optimè glossa quinq; causas quæ repellunt querelã: prima, si sit ingratitudo. 2. quinquennij silentium. 3. portio debita & data. 4. agnoscendo voluntatem defuncti. 5. si aliunde quam ex inofficiosi querela possit agere. Succurrit verò ad eiuscemodi diuisiones paternas inter liberos locus mirus certè, ex M. Seneca lib. 3. controuers. 3. vult

enim nec expectandum esse senium, nouissimumq; impendens fatum, vt pater bona cũ liberis suis diuidat. *Cum filio tricenario,* ait, *patrimonium diuidat.* sic ille, cuius tamen sententiam adscribendam magis dixerim senioris à vulgo fabulosæ reip. Platonis quibusdam angulis. reperio enim apud iurisconsultos, & imperatores, scriptoresque cæteros, factum quidem istud à testatoribus, id est à morti proximis, sed à bene sanis neutiquam, nisi alterutrius parentis delata esset hæreditas. Sapientissimus omnium scripsit, cap. 31. eccles. *filio, mulieri, fratri, & amico, nè des potestatem super te in vita tua, & non dederis alij possessionem tuam nè fortè pœniteat te. Cùm Proculeius quereretur de filio,* ait Quintil. lib. 9. cap. 3. sub fin. *quòd is mortem suam expectaret, & ille dixisset se verò non expectare. Imò,* inquit, *rogo expectes.* Sic ille. Vide ad l. 20. si filia nupta. § si pater ff. famil. hercisc. nec enim mihi hodie suppetit ex senatusconsultis, quod extenro ibi scholio subiungam. Quantum ad probationem, confirmationémue diuisionis testamentariæ quæ ab vno ex liberis facta sit: tria in hoc concurrentia, seruque dignissima textus exigit: Si videlicet legitimam habeat, si maior sit annis 25. sique parentum debitum pro parte hæreditaria soluerit. quam solutionem Salicetus vocat, *qualificatam,* verbo barbaro, sed efficaci, *quis,* inquit, *pro rata assignationis, & diuisionis factæ à patre ita soluerit.* Repetio in cõsuetudine Atuerna, cap. 12. de successionibus, & testamentis, art. 50. quod conuenientissimè huc faciat. Verba ipsamet vernacula adscribã: *L'heritier* ab intestat, *institué par testament, ou non, qui sciemment accepte aucuns legs à luy faits par le defunct, ou satisfait à aucuns des legats faits par ledit defunct, ou autrement aggree en aucune partie ledit testament, il approuue toute la disposition & ordonnance d'iceluy defunct, & est absolument tenu la garder & accomplir. &c.* De hac etiam probatione, ratique habitione rei gestæ, id verò si factum solum, citráq; vllam scriptionem, interuenerit, vide quæ adieci ad l. 48. si tamen. § ei qui. ff. de ædilit. ed. & ad l. si maior. inf. commu. diuid.

IMP. ALEXANDER.

L. 11.

In arenam. Filium arenarium meritò quis indignum sua successione iudicat, nisi & ipse similis conditionis sit.

Cur ita, tractaui tribus locis ad Pandectas, ad l. 2. de seruo corrupto. ad l. 4. de his qui not. infam. ad l. 4. §. 2. de ædil. ed. ad l. si cui. quib. mod. vsufr. amitt. appositè Suetonius in Tyber. cap. 35. *Ex iuuentute vtriúsque ordinis profligatissimus quisque, quominus in opera scenæ, arenæque edenda, Senatusconsulto tenerentur, famosam iudicij notam subibant, eos, eásque omnes, nè refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit,* D. Augustinus: *Romani cùm artem ludicram, scenámque totam probro ducerent, genus id hominum, non modò honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri, notatione censoria voluerunt.* sic ille ex libris Cic. de rep. cap. 13. lib. 2. de ciuitate Dei. *Téne genui, alui, literísq; instituendũ curaui, vt ludio, ganeo, histriòque propudiosus fieres?* Ita denique apud scriptorem eximium pater mœstissimus. Arguunt nempe ista in partem quàm iusta fuerit exhæredatio de qua in textu, nisi tamen, vt additur, pater ipse esset arenarius, aut histrio. Itaut filius parenti non magis in patrimonium, quàm in vitia, & ignominias succedat, quod latè disserit Saluianus lib. 1. ad eccles. catholicam. hinc Bartolus, & Iason ad nostrum hoc rescriptum decîdunt, si mater fuit meretrix, non posse exhæredari ab ea filiam quæ meretriciam etiam viuat vitam. quò & spectet locus Æschynis in Timarchum, in hæc verba: *μὴ ἐπάναγκες εἶναι τῷ παιδὶ ἡβήσαντι τρέφειν τὸν πατέρα, μηδ' οἴκησιν παρέχειν, ὃς ἂν ἐκμισθωθῇ ἑταιρεῖν.* id est, neque necessitatem imponit (sup. lex) puero, vbi adoleuerit, patrem alendi, aut domicilio excipiendi, si fuerit ab eo ad turpem quæstum elocatus. Bonus Bartolus qui vix à limine salutauerat musas, Iuuenalémq; proinde tam parum nouerat, quàm atticismos Aristophanis, Pindarive strophas, & antistrophas, illiuit tamen aspero, rudi, inconcinnóque suo commentario verè versum hybridam, partim scilicet ex Iuuenale, partimque ex anonymo: quod vt ad mentem legis facit vtcúmque, ita nec abs te, opinor, fuerit, si Ger-

manos ipsos versus Iuuenalis ex Satyra 2. hîc proferam:

Quis cælum terris non misceat, & mare cælo,
Si fur displiceat Verri, aut homicida miloni?
Claudius accuset mœchos, Catilina Cethegum? &c.

Dixit Bartolus, prout in buccam venerat: *nil Iudæus Iudæo, & nil Catilina Cethego.* quasi nimirùm ex Iuuenale, nec tamē apud Iuuenalē. In cæteris, fatendū ingenuē de salebrosis ac strigosis scriptis Bartoli, Accursij, Baldi, cæterorúmq; id genus, interpretū, eruras esse decisiones puriores, frequentioréſque ad forum. per loca enim fugitiua repostæ illæ sunt, aut consarcinatæ potiùs, prout vanitas, tametsi barbara, scholastici pulueris impelleret, vt tractatus longiores, ad titulos, explicari in scholis solitos, facerent.

IMP. ALEXANDER.

L. 12.

Si pater puellæ, cuius vos curatores esse dicitis, filio ex semisse, ipsa autem ex triēte, & vxore ex reliquo scriptis hæredibus, fidei filiorum commisit, vt si quis eorum intra 25. annos ætatis decederet, superstitibus portionem suam restitueret: præterea vxori, vt id quod ex causa hæreditatis ad eam peruenisset, filiis post mortem suam restitueret, fideicommisit: calumniosam inofficiosi actionem aduersus iustum iudicium testatoris instituere non debetis, cùm ex huiusmodi fideicommissaria restitutione, tam matris, quàm fratris eius portio ad eam poterat peruenire.

Primùm obseruabitur, legem hanc corrigi lege, quoniam in prioribus. inf. hoc tit. deinde verò, vt aperiatur textus subobscuri plenissima cognitio, sic habe: propter fideicommissum inuicem inter filios relictum, neuter filiorum videtur grauatus, quia omnes sunt in pari spe. Fidei enim filiorum commisit pater, vt si quis eorū intra 25. annos ætatis decederet, superstitibus portionem suam restitueret: nec ideò habet locū querela inofficiosi, quasi grauata sit legitima restitutione fideicommissi: nempe propter incertum illum euentum, & quia à sorte, fortunâque est, (autà deo potiùs, vt loqui vult Christianos D. Augustinus libro, de fato) vter prior vitam eum morte commutaturus sit, vt in l. 1. sup. de pact. & in l. de fideicommisso. de trāsact. sup. Docent hîc ex ea ipsa ratione incertitudinis, Baldus, Paulus Castrensf. & Iason, donationes mutuas, seu reciprocas iccircò tolerari inter vir. & vxorem, quia non sit mera liberalitas, sed sors vtriúsque commissa ventis, nauigij instar, quod in alto, procelloso, scopulosóque mari est, & vector.

——dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus.
Quatuor, aut septem, si sit latissima teda.

Sunt nempe illi casus qui incidūt rebus mortalium, ait lex, inter antiquam prudentiā. inf. de vsufr. nec lōgiore proinde scholio opus esse arbitror, cùm ex his retegatur liquidò rescripti nostri sentētia, nihilq; amplexatæ sint magis leges prouinciales (consuetudines vocāt) partis illius nostræ Galliæ quæ moribus regitur, quàm donationes inter virū & vxorē mutuos, ob incertitudinem scilicet mortis alterutri donantium obuenturæ, itaut persæpe qui iunior est, intereat ante seniorē, cuius sperare tille tacitis votis bona.

IMP. GORDIANVS.

L. 13.

Cùm duobus hæredibus institutis, vno ex quinque altero ex septem vncijs, aduersus eum qui ex septem vncijs hæres scriptus fuerat, iusta

querela contendisse, ab altero autem victum te alleges: pro ea parte qua resolutum est testamentum, cùm iure intestati qui obtinuit succedat: neque legata, neque fideicommissa debentur: quamuis libertates & directè competant, & fideicommissariæ præstari debeant.

Bartolus. Baldúsque explicant in hæc verba: resoluto testamēto per querelam inofficiosi, pro parte, legata diuidua præstantur pro parte. Distinctionem tamen illam reijcit Iason, summáque ratione. hodie enim, ait, legata omnia semper in totum, ac indistinctè, seu, vt loquitur, integraliter, præstantur, ex auth. ex causa. Cod. de lib. præter. sic ille. cúmque dicat glossa testamentum posse resolui pro parte ex postfacto: non posse autem ab initio pro parte valere, & pro parte non: vt obscurum id, necessariam rationem diuersitatis Iason tutius adhibet quam interpretabor clarissimè. Si enim à principio forma desit in testamento, putà si septem testes nō habeat, vel si præteritus sit filius: omissio illa formæ, quæ ab initio subesse debuit, totum testamentum vitiat. eóque casu nec debentur vel pia etiā legata, cùm actus planè sit nullus. quod & iudicatum sæpissimè à Senatu in legatis factis xenonibus, seu hospitalibus, vt loquimur, nec modò in quotidianis testamentis, sed & in iis quæ à lue pestifera laborantibus facta sint, vt in quibus relaxari quidem possint formæ, seu solennia testaméntorum, sed non tolli, ac remitti: quo sensu accipitur, de more, lex, casus maioris. Cod. qui testam. fac. poss. iudicatum, inter cętera, secundum hæredes Ameloti, qui anno 1580. quo vastabat lues illa vniuersam Lutetiam, testamentum, æstu pestis correptus, in multam pauperum gratiam condiderat, sed non adhibito numero testium, quem consuetudo exigit. ruptum enim est, legatáque, tametsi pia, fuere irrita. Immensa est exemplorum similium seges. Quod si non ab initio, id est, non ex iure ipso, aut consuetudine, sed ex postfacto, id est, ob personas hæredum, quos testator forsan separatis ex vnciis instituerit, vt in specie huius legis, ita ut conualescat in his institutio, in illis non tunc, atq; eo casu, potest quis pro parte esse testatus, & pro parte non, eráque proinde ex his intelligentia legis nostræ est, ac legis, ius nostrum. de regul. iur. quę ait: in genere, atq; indistinctè, ius Romanum non pati eundem in paganis & testatò & intestatò decedere: earúmque rerum pugnam esse, testatum, & intestatum. Subtilitas hæc iuris explicari debuit, cùm aliàs falli possint vel bene periti ad quotidiana rerum experimenta, collimantes tantùm ad vulgatam illam regulam legis, ius nostrum. de qua suprà. Verè equidem periculosum ex definitionibus, regulis, & axiomatis iuris iudicare, aut respondere, cùm subuerti possint facillimè distinctionibus factis, quas pauci sciunt, præcelluítque in eo Bartolus. Dixere propterea Latini Iurisconsulti, *omnis definitio in iure ciuili periculosa est*. Græci, πᾶς ὁ ὁρισμὸς χαλαρὸς σαθρός, id est, omnis legalis regula putris: innuentes scilicèt non constare eas rectiùs, validiùs, tenaciùs, quàm si quis putri, & caducę arbori, mutóque caduco adhæreat, vt verba in eo vsurpem Hadriani apud Spartianum, conquerentis quòd successorem valetudinarium elegisset.

IMP. GORDIANVS.

L. 14.

Eum qui inofficiosi querelam delatam non tenuit, id est, qui in inofficiosi querela succubuit) *à falsi accusatione non summoueri placuit.*

Componenda omnino lex, vlt. inf. de fid. instrum. ad quam plutima ex vsu forensi, Deo dante, vtilibúsque Baldi, atque aliorum interpretum sententiis, dicturus sum, allegare solent hunc textum paulò eruditiores practici, cùm duo cōiunctim apud iudicem petimus, primæque petitioni, vt principali, inhæremus maximè, subiungimus autem eodem libello alteram, quam secundario, vltimóque tandem iure petimus, si deficia-

mut in prima vernaculum forense est, *& subordinement que telle, ou telle chose soit adiugée au demandeur.* quò & spectant verba hæc Pauli Castrens. num. 2. hîc: Dico testamentum falsum, vel nullum, &, si reperiretur verum, ac validum, dico ipsum inofficiosum, &c.

IMP. PHILIPPVS.

L. 15.

Filiam præteritam à matre, ad successionem eius, citra inofficiosi querelam, aspirare non posse, explorati iuris est.

Vno verbo: Præteritio facta à matre, pro exhæredatione est. de qua præteritione quoniam dixi ad l. 1. sup. hoc tit. nihil amplius addam.

IMPP. VALERIAN. ET GALIEN. ET VALERIAN. N. Cæs.

L. 16.

Contra maiores viginti quinque annis duplicem actionem inferentes, primam, quasi testamentum non sit iure perfectum, alteram, quasi inofficiosum, licèt iure perfectum: præscriptio ex prioris iudicij mora quinquennalis temporis non nascitur, quæ officere non cessantibus non potest.

Iunge l. scimus. §. vlt. inf. hoc tit. l. 1. §. vlt. de Annali exceptio. & auth. Si tamen. de temporib. & reparatio. appellatio. Vulgara enim ex his fit regula: non negligenti non currere præscriptionem. Io. Faber hîc, & Boërius q. 140. decisionem huius legis proferunt ad redhibitiones gentilitias, seu actiones retractus iure sanguinis, vt loquimur. Nota autem ex Molinæo ad consuetud. Paris. §. 42. num. 70. tempus 40. dierum currere ad redimendum, iure feudali, seu, retrahendum, vt in vernaculo est, feudum à vassallo venditum, etiam pendente lite inter contendentes de iure patronatus feudalis: eãséntque hoc ipsum Vidus Papius, q. 257. in retractu gentilitio, cõtra Iasonis sententiam. qui vtitur argumento legis, quamdiu. Cod. qui admitti ad bon. poss. Ferronus ad consuetud. Burdeg. tit. de retractu. §. 12. Tiraquellus tract. de retractu, §. 1. glo. 10. num. 40. tandémque Ferrerius, aduocatus Tolos. ad d. quæst. 257. larum verò in id, sua ætate, iudicium laudat Dom. Marionius, patronus fisci, in inuentario litis Castrobriantianæ. vidi deinde ita sentire, ad fori hemicycelium, consultissimos, Iac. Choarrium, Ant. Oysellium, Franc. Chauuelinum, Ann. Robertum, Dionys. Butill. Reperio tamen exceptionem, nisi eùm, dissimulato contractu litigarum per plures annos fuisse, fraudem esse pronuntiauerit tandem Senatus. Tunc enim à solo aresti die, quo detecta est fraus, annus aduersus consanguineos currere incipit. Ita placuit ann. 1569. die 1. Decembr. perorantibus Dom. Brissonio, antequàm patronus fisci esset, & Fr. Chauuelino. Contractum fuerat per concessionem in censum, aut, vt dicimus, *par vn bail à rente*, quamuis tamen esset pura, veráque venditio, ex qua proinde patronus feudalis vt rem sibi, iure feudi, habere liceret, litem intenderat. probationes hinc inde factæ. obtinuit aduersus emptorem: posteà autem experitur consanguineus aduersus patronum, qui ex ipsa contractus simulatæ illius venditionis lectione, viginti quinque exactos annos docet, quibus nulla vnquam lis de redhibitione gentilitia. replicat consanguineus ex argumento huius legis, atque ex Io. Fabri, ad ipsam doctrina: nominatim quippe retractum gentilitium in hoc ipsum meminit. & quia per annos 25. personata semper illa fraus, nec detecta, nisi ex Senatusconsulto de quo suprà, contendit ex eo maxime nec an-

num etiam priùs aduersus eum eueurrisse. Superauit ergo, vt dixi, patronum feudalem qui anteà emptorem superauerat, inanique postremò opera, vt quæ non sibi, sed consanguineo profuerit. Successit nuper ardua quæstio, & quæ diuisit decuriæ edictalis iudices anno 1617. die 14. Ianuar. inter Franciscum Destud, & Iac. Demung. vtrùm in addictione fundi, & quæ, cum appellatum fuisset, confirmata est à Senatu, præscriptio redhibitionis istius gentilitiæ, quæ annalis, eucurrerit: itaut consanguineus, qui expectabat vltimum in ea lite iudicium, summouendus foret, quia post annum à die addictionis. tuebatur se decisione huius rescripti vt certissima, & Io. Fabri scholio quo affert in exemplum, retractum gentilitium. Aduersarius contrà, appellationem annumerabat moratoriis exceptionibus, id est, fugitiuis, ac odiosis, & quarum proinde nulla habenda esset ratio, præsertim in iure in quo condonatur nihil quicquam de præscripto legis patriæ. Clarúmque istud fieri ex persona minorum, qui cùm secerni vulgaribus omnium regulis soleant, at in eo solo luunt negligentiam tutorum, perinde ac si essent maiores. Præterea non agebat ille, nec vllam litis partem constituebat in appellatione de qua suprà. Sed in hac l. contra maiores. ille ipse qui litigauerat in causa qua testamentum dicebatur non iure perfectum, rediit postea ad inofficiosi querelã. In eo igitur constitit tandem, póstque varias hinc inde disseptationes, Senatusconsultum, quo actionem retractus linearis à die addictionis currere, nec verò à die appellationis finitæ, pronuntiatum est. Desinam in hypothesi quæ, cùm occurrisset in publicis causarum actionibus, ann. 1584. agitatáque esset à patronis fortissimis, Ren. Chopino, & Fr. Chauuelino: sustinuit tamen Senatus vltimum suum iudicium, deliberandúmque ampliùs censuit. Emerat aliquis à Comitis Choysiani consanguineo domum, nostra in hac Lutetia, amœnissimam, stipulatione adiecta, vt, ad soluendum hypothecarum vinculum, altera denuò, secundáque, decursis hastis, venditio fieret. soluit igitur laudemia, professionéque facta census debiti, (vulgò, *estant ensaysiné par le seigneur*) possidere palam, in oculísque omnium incipit: ædésque posteà auctioni, vt conuenerant erat, subiicit, & manet tandem emptor iudicialis. prominet Comes intra annum, à decreto interposito, quippe venditoris consanguineus. depellit emptor, quia à die professionis censualis, annus redhibitionis gentilitiæ inciperet, ex lege Paris. art. 130. & 135. cæterùm imaginariam esse venditionem quæ publicè insecuta fuerat, factam scilicèt in hoc dumtaxat vt liberum esset omnibus hypothecis quicquid ipse anteà apud tabelliones emisset. cõsanguineus eòtrà veram esse, solámque esse venditionem contendebat, quæ ex decreto interposito. Sustulerat enim hypothecarum quoscumque obices, quibus stantibus, conualescere potuisset numquam prima emptio. Senatus, vt dixi, prima illa actione, diffindi diem oportere, rémque esse consilij, existimauit. Tandem verò ann. 1584. die Febr. summouit vltimo suo iudicio consanguineum, vt qui intra tempora professionis censualis non venisset. litigatorum alter vocabatur, *Cordonnier*. nec alio deinde iure vtimur.

CARINVS, ET NVMERIANVS.

L. 17.

Cùm filium, te præterita, sororem hæredem instituisse proponas, inofficiosi querelam persequi potes.

Summa hæc facilior: filius præteriens matrem, videtur eam exhæredare. docet tamẽ Io. Faber ad auth. non licet. inf. de liber. præter. inserendam esse exhæredationis causam: aliàs locum esse querelæ inofficiosi, rumpíque testamentum: & cùm scribat Salicetus præteritiones istas, etiam in collateralibus, pro exhæredationibus haberi. norandum tamen obiter quod aduertit Bartolus, paucas nempe esse leges quæ de præteritione matris facta à filio, loquantur. Imò Iason vnicam esse hanc l. asserit, in qua reperiatur eiuscemodi prætetitio: obseruarúrque istud eò magis quòd magnus Aristoteles doceat lib. 8. ethic. non licere filio exhẹredare patrem, quamuis hoc possit pater, ait ille. Verba eius sunt, δόξειεν οὐκ ἐξεῖναι υἱῷ πατέρα ἀπείπασθαι, πατρὶ δὲ υἱόν, id est, videretur non licere fi-

lio exhæredare patrem patri autem filium. Quantò autem magis in matre, vide supra ad l.3.hoc tit. Vide etiam ad l. nam & si parentibus. ff. hoc tit. vbi Senatusconsulta in hoc ipsum recenseo.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 18.

Cùm te pietatis religionem non violasse, sed mariti coniugium, quod fueras sortita, distrahere noluisse, ac propterea offensum, atque iratum patrem ad exhæredationis notam prolapsum esse dicas: inofficiosi testamenti querelam inferre non vetaberis. Iunge l.20. quæ eorumdem Imperatorum est. *Filia in orbitate patris relicta, cum marito, cui, matre volente, nupsit, colens concordiam, iustas offensionis, post eiusdem matris pœnitentiam, causas non præstat: nec ex momentariis voluntatibus matris, nupta, atque vidua iure esse compellitur.*

Cōponenda etiam lex,5. Repræhendenda magis es.inf.de institut.& substit.& l.sicut. ff.de oper. libert. Scribunt quatuor grauissimi gentis nostræ Gallicæ sctiptores, seruarum id ab antiquo ex patriis moribus, vt per nuprias non eximatur filia sacris paternis, neque propterea de potestate patris exeat: ita enim Io. Faber ad tit.de Senatusc. Tertyll.lib.3.instit. Will. Bened.ad cap.Raynutius. in verb. cuidam Petro tradiderunt. nu. 98. Tiraq.glo.1.partis primæ legis primæ connubialis.vbi fusissimè.tandémque Io.Bodinus lib.1.cap.3.de republ. Sed quicquid sentiant, maritus, vt nunc viuitur, adeò penes se, suáque in potestate habet coniugem, vt nisi aut sæuire, aut sæuisse, probetur, vēdicare illam possit semper inter manus soceri, ageréque vt sibi restituat. persæpe hoc vidimus: vt nec etiam iustior, sanctiórque vlla vnquam querelà, petitio, vendicatióq; est. At verò nec vlla vnquam vis paterna, aut materna, deterior, ac iniquior, quàm quæ damnatur his duobus rescriptis, & d.l.5. de institut. & substitution. seu diuina iura inspexerimus, seu etiam humana, & quicquid olim prudentissimis illis duobus populis, Græcis, ac Romanis religioni habitum est. Primùm enim vt à sacris, verísque oraculis ordiar quibus data vxor viro in opem: (ita enim Genes.cap.2.) fuerit ad rem vulgarissimam, instar omnium, quod, apud Tob.10. parentes præcipiunt filiæ, quæ in vxorem ad filium sancti illius senis deducitur. Verba ipsa textus proferam: *Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire, monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprahensibilem exhibere.* Sic prisca illa sanctitas: cui conuenientissimum quod apud ipsos Greciæ profanos vates longè eximium. Sic enim Euripid.in Danaë:

Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων,
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

id est, mulier egressa ædibus paternis, non ampliùs parentum est, sed lecti, id est, mariti. Idem rursus in Andromacha:

Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσ', ἁμαρτάνει βίου.

id est, viro si priuetur, vitam amittit. Phocylides:

----Τί γὰρ ἥδιόν τε, καὶ ἄμεινον,
Ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι,
Καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ: μηδ' ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος, id est,

Quid enim suauius, & melius, quàm vt vxor viro conueniat amicè vsque ad senectutem, & maritus suæ vxori, neq; incidat inter eos contentio. vocat ex ea ratione Homerus Ιλ.ι. vxorem θυμαρῆ, id est, viro conuenientem, seu placentem.

---ἔχων ἄλοχον θυμαρῆ.

ait ille, id est, habens vxorem ex animo. valdè autem propriè Theocritus, Idyl. 29. vers. 2. οἰκωφελῆ id est, vtilem domo. hactenus Græci. Habent verò etiam Romani politiores quæ ad imperialia hæc duo rescripta faciant maximè. Seligam inter cætera quod ex carmine ad Liuiam, vbi auctor, (Albinouanum esse constat inter eruditos, non Ouidium) conuertit sermonem ad vxorem Drusi mortui:

Tu concessus amor, tu solus, & vltimus illi,
Tu requies fesso grata laboris eras.

Apud Halicarnasseum, tametsi Græcum scriptorẽ, lib. 2. ita Romulus Sabinis: Date operam maritis, quibus fors dedit corpora. (Romanum regem Latinè hîc loqui necesse est) Tacitus lib. 3. Annal. *Post laborem quid honestius quàm vxorium leuamentum*: Iustinus lib. 23. de vxore Agathoclis: *Dixit, nubendo, se non prospera tantùm, sed omnis fortunæ iniisse societatem.* Apud Lucanum lib. 8. sic vxor Pompeij ad ipsum Pompeium:

--- si maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus seruasse mariti.

Labor denique in seponendo, quàm inueniendo, maior: finémque ad immensa illa faciam ex singularis exempli vxore, qualem fuisse apud maritum matrem suam testatur beatus Augustinus lib. 9. confessionum, cap. 9. *Nouerat haec non resistere irato viro non tantùm facto, sed nè verbo quidem.* Optimè igitur Imperatores duobus his rescriptis admiscerunt filiarum querelas de inofficiosis testamentis parentum qui, vt sæpè, quia pessimè inter se, & generos cõueniret, vt vlciscerẽtur tacitas, æstuántesque animi ægritudines, & quia deficere à dilectis maritis filiæ noluissent, exhæredes eas scripserant. Donum Dei, genet optimus: conuelandáque cætera, si fœlices nuptiæ, hinc interpellari nolunt Imperatores quietem coniugum momentariis, id est, leuiculis, ineptísque voluntatibus socrus litigiosissimæ, ac diuexantis indies filiam.

Πολλῶν γρῆες ἔπερσαν ἐΰκλεα δώματα φώτων.

id est, multorũ benè conditas familias pessum dederunt anus: dixit Naumachius apud Stob. orat. 74. nolunt vbi velis, vbi nolis, cupiunt vltrò: apud Comicum in Eunucho. Plautus verò in Trucul.

Malè quod mulier facere incepit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserae miseria 'st.

Multùm equidem ista faciunt ad l. 20. & l. 18. vt eiusdem argumenti ambas, cùm socrus, de qua ibi agitur, pertæsa generi, vel quia parum industrium crederet, vt pluribus generis mala ea sors contigit: vel quia parùm ei gratus, forsan per mores, pérque conuelatum ante nuptias, inopiæ malum, quæ ars etiam quotidiana, nihil non moliretur assiduis suis querelis apud benè concordem cum marito filiam, vt eum relinqueret seorsúmque, ac secum, quasi vidua, maneret: sic enim intelligẽda sunt verba textus, *post eiusdem matris pœnitentiam.*

Ὄλβιος, ᾧ, εἰ γῆμ' αὐτῆς, τύχε πενθερὰ ἄφρων.

Narrat Plutarchus habuisse se infœlix primum ex ea causa matrimonium, socru nimirùm, & quibusdam vxoris suæ fratribus, atque cognatis interijcientibus nonnulla semper incentiua diuortij inter nouos coniuges, itaut Delphos ipse, ac vxor profecti sint ad sacrum, pro concordi matrimonio, faciendum in templo Delphico. vtitúrque in id comparatione tabularum quæ dissoluuntur facillimè, si agitentur statim, aut paulò pòst hoc & ferè ipsum de Suetonio Plinius lib. 10. ep. 95.

AVTH. EX NOV. 115.

Sed si. Si filia in corpus suum peccauerit post 25. annos, vel sine consensu patris nupserit, (sup. post 25. annos) exhæredari non potest.

Dixi abundè satis ad l. 19. qui liberos. al. Capite tricesimo quinto. de rit. nupt. ad l. pen. de sponsal. ff. in parentes qui filiabus conditionem non quærunt. Idem verò, quod Nouella ista, statuunt constitutio Henrici 2. ann. 1556. consuetud. And. art. 251. Armor. art. 499. Bituric. tit. 18. art. 5. Sic & Molinæus dum rationem adijcit cur filia renuntians successioni paternæ, & maternæ, tabulis dotalibus, nõ possit restitui quia minor, natáq;

forsan annos 15. cùm renuntiaret, *non solent enim*, inquit, *filiæ dari nuptum post viginti quinq; annos.* quod ipsum reperit ad consuet. Blæs. art. 155. reperio autem duas consuetudines quæ nec annos 25. exigat, vt exhæredari possit deuirginata filia. exhæredationem enim eo casu, concedit consuetudo Turonensis art. 286. si ante annos 24. seu sit plebeia, seu nobilis. Imò si antè annos 20. apud Cænomanos, artic. 269. si sit nobilis. cur Andenses aliud à Cœnomanis senserint, tradit Mingonius ad consuet. And. sed ratione tam inepta, ac ridicula, vt memorare, sit pudor. Præclarum autem quod, in prosternentes pudicitiam puellas, apud Æschynem, in Timarchum , vbi priscum Atheniensium morem meminit. sic enim ille: ἵνα δὲ μὴ δοκῶ λακεδαιμονίους θεραπεύειν, καὶ τῶν ἡμετέρων προγόνων μνησθήσομαι. οὕτω γὰρ ἦσαν πρὸς τὰς αἰσχύνας χαλεποί, καὶ περὶ πλείστου τῶν τέκνων τὴν σωφροσύνην ἐποιοῦντο, ὡς ἀνήρ τις τῶν πολιτῶν, εὑρὼν τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα διεφθαρμένην, καὶ τὴν ἡλικίαν οὐ καλῶς διαφυλάξασαν μέχρι γάμου, ἐγκατῳκοδόμησεν αὐτὴν μεθ' ἵππου εἰς ἔρημον οἰκίαν, ἀφ' οὗ προδήλως ἔμελλεν ἀπολεῖσθαι διὰ λιμὸν συγκαθειργμένη. καὶ ἔτι, καὶ νῦν τῆς οἰκίας ταύτης ἕστηκε τὰ οἰκόπεδα ἐν ὑμετέρῳ ἄστει, καὶ ὁ τόπος οὗτος καλεῖται, παρ' ἵππον, καὶ κόρην id est, nè verò Lacedæmoniis assentari videar , maiorum etiam nostrorum mentionem faciam, hi enim tam iniquis animis probra ferebant, suorúmque liberorum modestiam tanti faciebant, vt ciuium quidam, depræhenso filiæ suæ stupro, cùm puella formam, vsq; ad nuptias, non diligenter custodiisset, eam vnà cum equo, in deserta domo, incluserit, à quo, in illa carcere, fame efferato interitura esset. Solum illius domus etiam nunc in vestra vrbe extat, & locus ille, *Ad equum & puellam*, appellatur. Sic Æschyn. Cæterùm Faber hic, atque ex hac Nou. & l. 2. §. si mulier. ff. ad Sen. Tertyl. arguit filiam non posse, ex causa vitæ famosæ, matrem exhæredem scribere. quod notatu dignissimum. naturalis enim istud obsequij, ac pudoris erga parentes, vt quibus ortum suum debeant liberi.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 21.

Fratris, vel sororis filij, patrui, vel auunculi, amitæ etiam, & matertera testamentum inofficiosum frustra dicunt: cùm nemo eorum qui ex transuersa linea veniunt, exceptis fratre, & sorore, ad inofficiosi querelam admittatur, &c. Iunge l. seq. 27. *Fratres, vel sorores vterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur. consanguinei autem, durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis, de inofficioso quæstionẽ mouere possunt, si scripti hæredes infamia, vel turpidinis, vel leuis nota macula aspergantur, vel liberti, qui perperam, & non bene merentes, maximísque beneficiis suum patronum assecuti, instituti sunt, &c.*

Componendæ fuerunt duæ hæ leges, cùm mutuò sese explicent. Prima admittit in genere fratres, & sorores ad inofficiosi querelam: Altera, quam subiungo, remouet fratres vterinos omninò, ac indistinctè: admittit autem consanguineos si infamis, vel leui nota, fuerit qui à defuncto fratre hæres scriptus est. Vnde fit, vt, cùm querelæ isti numquam sit locus nisi turpi persona instituta , nec deberi etiam vllam legitimã sentiat hîc, cùm Wil. Cunerio, Bartolus, dummodò dici nihil possit in personam instituti. Querela enim tantummodò competit in odium turpis, ignominiosæq; personæ institutæ, cuiusmodi esse, inter cæteros, filium sacerdotis, Iason adnotat: rescinditúrque testamentum in totum, nec vsque ad solam legitimam: quæ Baldi doctrina, Saliceti, ac Pauli Castrensis: solúsque ferè est Matth. Affl. Senator Neapolit. qui eo casu scribat legitimam fratris esse quartam portionis quam ab intestato habuisset. sic enim ille , decisio. 204.

Quæsitum est de legatis, & fideicommissis. In quo etiam eorumdem interpretum, putà Baldi, Pauli Castr. Salic. ac Iasonis sentẽtia est, ad hanc l. vt debeantur: res enim, aiunt illi, ad causam intestati deducitur ob hæredis scripti odium, legéque ipsa statuẽres, nec testamentum ex forma deficit, sed ob indignitatem instituti: laudat in id Baldus legem, eam quam. inf. de fideic. atque vt de eo nemo deinceps ambigat, Iason, inter dissentientes interpretes, subiicit communem esse eam sententiam. Quærit Io. Faber, vtrùm peccet testator, qui extraneum instituit, fratribus, cognatisque, & agnatis exclusis. peccare autem non putat, nisi odio, vel non iure id faciat, id est, si odio gratuito, nec iustis ex causis, putà si vitæ, si honori, si bonis insidiatus sit frater, vt interpretatur Nouell. de nuptiis §. ingratitudinem: nostérque Molinæus ad consuetud. Paris. §. 30. num. 138. & 139. quò & spectant versus Euripid. in Iphigenia, Aulide.

Δεινὸν, κασιγνήτοισι γίνεσθαι λόγους,
Μάχας θ', ὅταν ποτ' ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν. id est,

Res grauis, fratrum contentiones verbales, & pugnæ, si quando inter eos iurgia incidant. hinc denique, *Fraterno primi maduerunt sanguine muri*, ait Lucanus, lib. 1. Frustrà tamen testamento suo causas illas exhæredationis testator inseret, nisi hæres institutus, nulla aspersus infamiæ macula, probauerit, vt docet Paulus Castrensis. Imò nec necesse esse causas illas inseri, scribit Bartolus,?qui & adiicit quod apud cæteros interpretes, præteritionem nempe haberi pro exhæredatione. Quærit Salicetus an legitimatis concedi etiam querela ista debeat. negat verò, cùm legitimatio, inquit, ius agnationis non afferat seu inter fratres, seu inter agnatos cæteros, sed inter patrem, & filium dumtaxat. His igitur ita excussis ad forum nostrum redeo. Solennes enim plures causæ, ad eiuscemodi fratrum testamenta, agitatæ sunt, quòd fratres superstites exhæredari essent cùm elogio, conuitio, maledicto, nota, & contumelia, non aliàs conquesturi si præteriti tantummodò fuissent. sed in paucis tamen successit illa expostulatio: valuítque nihilominùs liber testatoris stylus in exhæredatos fratres eorúmve filios, ac filias. Scio quid ordo ampliss. ad querelam neptium, quas amita ex causa prostratæ pudicitiæ inserta testamento, exhæredauerat, ruptum enim testamentum illud est anno 1602. die 4. Mart. inter Iacobum Gombert, & Renatam Hubert, eius vxorem, appellantes, & Nicol. Pontet, &c. appellatos. sed habita ratio est matronalis pudoris qui in nupta conseruati illibatus debuit, vt à Dom. Harlæo, tunc Senatus Principe, qui causæ præfuerat, didici. quod & ipsum spectauit Senatus ann. 1585. die 9. Maij, in causa mulieris secundò nuptæ, quam hæredes primi mariti, ad dotalitij liberationem, admissi, cùm vidua esset, adulterij insimulabant. Secundus enim maritus viduæ, ab eo in vxorem ductæ, adfuit, vt & Iacobus ille Gombertius Renatæ Hubert, vxori, quæ tam malè ab amita moriente habita fuerat. vetus illud arestũ illustrar declamatione oratoria Annæus Robertus lib. 1. rer. iudicatarum cap. 14. Dicebam pro vxore, Lud. Buissonius pro nouo marito, Ant. Arnaldus pro prioris mariti hæredibus. Sed in cæteris, atque vbi de læsa pudicitia actum non est, collegi è multis, potiora quædam Senatusconsulta, quibus cõualuerunt eiuscemodi voluntates vltimæ, quæcumque in ipsis elogia, notæ, ac contumeliæ memoratæ in exhæredatos fuissent. Primùm enim ferè nemo nescit de fori peritis, Pigretianum iudicium, latum anno 1605. die 28. Mart. Breuis est species. Pigretius vexatus diu lite importuna à fratre fuerat: acerrimaque indies nectebátur inter vtrúmque iurgia. tandem frater ille cùm liberos plures ex prima coniunge suscepisset, nouercam eis superinduxit, ex qua & noui liberi. Et cùm tacitæ, arcanæ, grauissimæque aliunde essent inter eos lites, Pigretius testamentum holographum condidit in extremis, in quo verba hæc postrema adiecit, *& ingentibus aliis de causis, teterrimásque ob iniurias, quas ab eo accepi.* Filióque fratris illius sua omnia bona reliquit. Frater agit aduersus defuncti testamentum, queritur quòd cum elogio, conuitio, ac maledicto exhæredem ipsum scripserit. causa celebris. Annæus Robertus pro filio exhæredati: Io. Nauarrotus pro exhæredato. Senatus, elogiis, ac exhæredatione insuperhabitis, filio legatum addixit, quo tamẽ vt frueretur pater ad vitam, quia ita cõsenserat filius, adiectum est. Addam aliud. Anno enim 1609. die 19. Mart. de simili etiam inofficiosi querela in eodem auditorio peroratum est inter fratres Alarti cuiusdam Burdigalensis, & eius viduam, quam inuitis consanguineis duxerat, & per 37. annos cum ea, maritali titulo, vixerat. Tandem verò non enatis li-

beris, decessit, insertisque pluribus in fratres conuitiis, seu maledictis, vxorem rerum omnium suarum hæredem instituit. Iac. Gutherius, & Iac.Coruinus,dicebant. Dom. Seruinus,patronus fisci, censuit non esse exhæredationem cùm maledicto, sed enuntiasse dumtaxat testatorem iustas conquerendi causas de fratribus, qui ipsum tamdiu, támque miserè,ac variè diu exagitauerant.elogia tamen erant, & conuiria,notæq; irati animi:quibus etiam postpositis testamentum confirmatum est. Postremò celeberrima, de elogiis testamentariis dissertatio forensis matutinam iudicum sessionem exemit, vtrùm valeret Petri cuiusdam Bretti testamentum quo fratrem tam variis maledictorum, cõntumeliarúmq; generibus onerauerat, vt nihil turpius, deterius,exundantius. quinimò & memorabat subsignatum à seipso libellum,quem ad cæteras exhæredationis causas scripserat, locúmque, vbi delitesceret, indicabat, quo reperto, stupendum verè auctarium fuit vnde magis,magisque patefieret offensus defuncti animus. Sigillatim enim enunciabantur minæ quibus terrebatur indies à fratre perditissimo, vt nè manu eius,ac insidiis occideret. Tum verò etiam pactiones designabat,quibus de vniuersa ipsius vertenda substantia ageret tam infamis ganeo: posteà meretricieorum amorum insaniâ:imò & incestas cùm variis sanctimonialibus libidines: eum deniq; fecisse adeò proreruiam,vt nec quadruplum, supra paternum, maternúmque patrimonium, suffecturum foret elusis creditoribus,à quibus hinc illinc pecunias,quasi benè locuples,hæréisque testatoris futurus, corraserat. Eruditè equidem Iul. Brodæus, & Herric. Arnaldus,Antonij filius:qui,cum pro legatariis ageret,dixit, inter cætera,interesse etiã publicè,nè irrita fieret tam flagitiosæ,desperatæque vitæ hominis exhæredatio, vt metuerent deinceps cæteri emendatorium nepotinorum sumptuum Senatusconsultum, exhæredationésque sui,si quæ inciderent,efficacissimas. orationem præterea ex hypothesi,politiorisque Romanæ facundiæ auctoribus concinnauit fœliciter: valdéque extulit Nouellam 83,vt qua liceat fratri fratrem cùm elogio exhæredem scribere si insidias in vitam,vel bona,aut existimationem molitus fuerit. Brodæus contrà totus fuit in ferali fratris defuncti odio prætexto, conuelatóque propudiis ad id quod cuperet, conuenientissimis: Cæterùm improbata semper fuisse elogia, seu maledicta in consanguineorum,seu collateralium, vt loqui mos est, testamentis: nec obtinere illa nisi cùm auus,aut auia,pater,aut mater,testantur: cum enim esse intellectum legis. 3. de lib. & post.legis,his verbis.de hæred.instit.legis 3.de carbon.ed.legis,cum ratio,de bon.damnar.ac l.1.de his quæ vt indign.Cod.singularia autem plurima ex Apuleio,lib.2. apolog. ex Luciano,in Nigrino. Sen. Tac. Dione, & aliis protulit ad iratorum morientium, vt sese quà possint,vlciscantur,suprema fulmina. Tamen Senatus,quia de profligatæ salutis homine liquebat nimiùm:confirmauit præfecti Parisiensis sententiam, qua exhæredationem ratam fecerat. Dixit tamẽ mihi postridie inter sermones illustriss. Dom. Virdunius,hodie Senatus Princeps,nisi in aperto fuisset exhæredati istius vita, vt qui rectis moribus sese in totum abdicasset, iudicaturos numquam fuisse ex temporali Senatusconsulto iudices:in cæteris enim,quæ non ita inclarescerent, probandas semper exhæredationis causas ab instituto, vt hic doceent nominatim interpretes, disertique in eo sunt textus in d.§.ingratitudinem. Nou.de nupt.quę 82.atque in § causas.Nou.vt cùm de appellat.cognosc.adeout duabus tantummodò excurrentibus iudicantium sententiis ancipites obtinuerint legatarij aduersus exhæredati, qui, pendente appellatione, obierat,creditores coúsque confidentissimos. De hoc plus satis. Vnum superest ex Cuiaciu lib.17.obs.cap.vlt. Interpretatur enim legem, fratres. ex intima iurisprudentia, vt ait ipsemet,accipiendámque esse potiùs de hæreditate quæ soluendo sit: non autem de omni seruo cum libertate hærede scripto.cum vix acturus sit frater aduersus eiuscemodi seruum hæredem scriptum, de hæreditate quæ soluendo non sit, plura ille eo loco.

IMP.

IIDEM AA.

L. 22.

Si maritus, facto testamento, te quidem ex asse scripsit hæredem: filia autem, quam habuit in potestate, exhæredata iure facta minimè perhibetur: nihílque ei relictum est, neque iustas offensæ causas præstitisse expressè conuincitur: eam de inofficioso testamento querentem totam hæreditatem, obtinere posse non ambigitur. Quod si iam obtinuit, vel posteà vendicat, quodcumque maritus, mortis suæ tempore debuisse tibi perhibetur, id ab ea reddi oportet.

Quæ sit legis istius interpretatio, trado ad l.17. Si tibi. ff. de vsufr. vult in summa obligationes, actionésque omnes quas haberet hæres aduersus defunctum, & quæ, per aditionem hæreditatis ab eo factam, confusæ sint, restituendas ei esse, si testamentum, quo scribebatur hæres, rescissum, per inofficiosi querelam, fuerit. Baldus, Salicetus, & Paulus Castr. eò applicant quæstionem in retractu gentilitio: Si nimirùm fructuarius emerit proprietatem, vtrùm consanguineus possit ex statuto auferre, intra annum emptionis, non modò proprietatem quæ empta sit, adiectáque vsufructui, (consolidatam aliàs dicunt Iurisconsulti, quo etiam verbo nos Galli in hoc ipsum vtimur) sed & ipsum vsumfr. decidunt verò omnes & rectissimè ex hoc textu non posse. contrarium tamen respondet Iulianus in d. l. si tibi. quod proinde responsum damnat apprimè Molinæus, vt fusiùs ad eum locum interpretor.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 25.

Filiis matrem, quæ de mariti moribus secus (gl. id est, malè) *suspicatur, ita posse consulere, iure compertum est, vt eos sub hac conditione instituat hæredes, si à patre emancipati fuerint: atque eo pacto bonorum possessionem patrem cum re accipere non videri qui conditioni minimè obtemperauerit, neque & nomine filiorum, inofficiosi eo modo actionem posse competere quibus nullam iniuriam fecerit mater, sed potiùs putauerit prouidendum, & ideò debet restituere.* (gl. postquam eos emancipauerit. quod si non emancipet, curator à iudice dabitur hæreditati, cui restitutio fiet.

Componendæ omninò lex, 22. mulier decedens. ff. ad Trebell. lex 33. si quis in suo. §. 1. inf. hoc tit. lex, quidam. ff. de hær. instit. quatuor autem earum legum vix vllus hodie in foro vsus, nisi quoad tutores testamentarios, quos semper confirmat ordo amplissimus, cùm ex iis, quemadmodum & in casu huius legis, consilium pro liberis capiat paterna, maternáve pietas. vide duo in id necessaria Senatusconsulta ad l. 20. De creationibus. sup. de episc. audient. verè hæc matronalis sedulitas, & firmamẽtum familię, quæ duo de vxoribus optimis, prouidis, liberorúmque suorũ amantibus, apud Columellam lib. 12. & Afranium. cùm enim, mater ista testatrix sciret vnicè quàm malè ageretur cũ liberis, si in mariti decoctoris potestate manerẽt, ea defuncta, & quã præpropetè, ac turpiter absumeretur quicquid eius testamento relinqueret, conditionem emancipatio-

Z

nis iniecit institutioni, vt qua ruitura esset domũ, ac bona, orbis liberis, aduersus οἰκοφθόρον maritum, qualem vocat Euripides in Oreste his versibus:

Οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
Ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα, καὶ σώζει δόμον.

id est, maritum, domus perditorem, prohibet vxor bona, ei cõiuncta, & seruat domum. Cæterùm argutè cùm de legis istius interpretatione scripserit Cuiacius lib. 4. cap. 24. obs. nihil prorsus, vnde eliceretur vlla ad forum decisio, compertum est.

IIDEM AA.

L. 26.

Ex tribus vnciis hærede instituto filio: intra pubertatis annos directam non inutiliter à patre fieri substitutionem, certum est.

Tres istæ vnciæ procul dubio quartam, seu legitimam naturæ efficiunt, quę proinde cùm grauata esset substitutione directa, ac pupillari, videbatur locus querelæ inofficiosi, ex l. quoniam in prioribus. inf. hoc tit. quæ onera omnia, quæcumque illa sint, legitimæ naturali eximit. Sed communis interpretum sententia est, putà Baldi, Pauli Castrens. Salic. Alexandri, & Iasonis, vt non onerandæ, grauandæque, vt loquuntur, legitimæ animo, sed prospiciendi potiùs filio intra annos pubertatis, substitutio pupillaris à patre facta sit, cui scilicèt non minus quàm sibi ipsi testamentum vsque ad eam ætatem faciat: laudant in id legem, Papinianus. §. sed nec impuberis. ff. hoc tit. Imò adijcit Bartolus eum qui substitutus sit filio pupillariter, grauari quidem posse per fideicommissum in legitima: nititúrque l. si fundum per fideicommissum. §. fin. cùm l. seq. de legat. 1. puberi autem substitui à patre non posse in eadem legitima, docent omnes interpretes ex d. l. quoniam in prioribus. vide insuper quæ in hoc ipsum notaui ad l. si adrogator. ff. de adoption. reperio Paulum Castr. diffusiùs, accuratiúsque tractasse quod ad hanc l. spectet. raræ autem eiuscemodi quæstiones nisi in ea parte Galliæ quæ iure scripto, pro moribus, vtitur.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 28.

Liberi de inofficioso querelam contra testamẽtum parentum mouentes, probationem debent præstare quòd obsequium debitum iugiter, prout naturæ ipsius religio flagitabat, parentibus adhibuerint. Sin autem mater contra filij testamentum inofficiosi actionem instituat: inquiri diligenter iubemus vtrùm filius nulla ex iusta causa læsus matrem in nouissima læserit voluntate, eo quòd neque luctuosam ei & legitimam reliquerit portionem: vt testamento rescisso matri deferatur successio. Si tamen mater inhonestis factis, atque indecẽtibus machinationibus filium obsedit, insidijsque eum vel clandestinis, vel manifestis appetijt, vel inimicis eius suas amicitias copulauit, atque in aliis sic versata est, vt inimica eius potiùs quàm mater crederetur, hoc probato, etiam inuita acquiescat filij voluntati.

Differentiam nempe constituit inter probationes ingratitudinis filij erga parentes, & parentum erga filios. præsumuntur filij ingrati, si & in hoc paterna, maternáve

elogia, nisi probent contrarium. præsumuntur verò parentes grati, quicquid ferat testamentum filij, nisi ipsos probet hæres ingratos. Docét tamen Bartolus, & Baldus, emendatum istud l. omnimodò. inf. hoc tit. qua statuit Iustinianus præsumi quemlibet gratum, nisi probetur ingratus: proindéque necessarium esse, causas exhæredationis inseri, ex auth. non licet. de liber. præt. dixi ad l. 17. Cum filium. sup. ad l. Papinianus. §. sed neque impubetis. l. nam & si parentibus. ff. hoc tit. quod ad præteritiones parentum ex vsu, iudiciisque quotidianis, visum est. Cæterùm quòd ait textus, eum qui versatur cùm inimicis nostris, amicum nostrum nõ esse, optimè Paulus Castrens. refert ad filios, & domesticos, secus esse inquiens in extraneis, quiq; nullo nobis obsequij vinculo deuincti sint. auertit enim id humana societas. Cic. ad Brutum, lib. 1. *Nihil mihi minus hominis videtur quàm non respondere in amore iis à quibus prouocére.* Plin. in præfat. lib. 7. *homines sumus, & occupati officiis.* Inde apud Plutarchum vocatur homo à Græcis φώς, ὅτι τοῦ γινώσκεσθαι, καὶ γινώσκειν ἑκάστῳ διὰ συγγένειαν ἔρως ἰσχυρὸς ἐμπέφυκεν. id est, quoniam vnicuique ob cognationem amor vehemens & cognoscendi, & vt cognoscamur, atque cum cæteris hominibus versemur, innatus est. Ita ἐν τῷ, εἰ καλῶς εἴρηται, λάθε βιώσας. Notat verò glossa, vnáque post eam interpretes, & hîc, & ad l. 1. § cum patrunus in verb. cum inimicis. ff. de off. præf. vrbi, auferri posse feudum vassallo, si cum inimicis patroni feudalis amicitiam contraxerit. quòd & ipsum scribit Baldus consil. 250. volum. 2. Sed frustra id. feuda enim cùm sint apud nos propria vassalli, seu, vt loquimur, patrimonialia, summo illo iure numquam agitur, nisi, præter inimicitias, conspirauerit cum inimicis, quasique stricto gladio consi xerit cum patrono. Itáque etiam cum hostibus regni fœdera semper excipio, vt in plærisque fors tulit. Imò quamuis inimicitias capitales exerceat vassallus ipsemet, personisque, quod aiunt, positis, aduersus feudi superioris dominum, didici olim à Lud. Buissonio, patrono experientissimo, posse eum petere apud loci iudicem, vt alteri cuicúmque nobili, quem patronus nominauerit, quique suspectus non sit, præstare fidem liceat, laudabátque in id decreta Senatus vetera. Indubitati quinetiam iuris est, postulari posse à vassallo tuitiones ex Rege, & curia, (aluas gardias vocant) si modò manifestissimis probationibus minas, iustúmq; metum apud iudicem doceat. Ita Will. Brolius ex arestis, ibique Molinæus, reiecta Vidi Papij decis. 56. Ita Conchylius, cap. de iust. & iu. In institut. iuris Gall. Boët. qu. 207. Capell. Tolos. q. 489. at verò & Bart. in l. Capitalium. §. statua. de pœn. Bald. ad l. si pater. de cessio. bon. ff. vide plura ad l. denuntiamus. sup. de iis qui ad stat. confug.

IMP. ZENO.

L. 29.

Quoniam Nouella constitutio D. Leonis ante nuptias donationem à filio conferri ad similitudinem dotis quæ à filia confertur præcepit: etiã ante nuptias donationem filio in quartam præcipimus imputari. Eodémque modo cùm pater, vel mater pro filia dotem, vel pro filio ante nuptias donationem, vel auus paternus, aut maternus, vel auia paterna, aut materna pro suo pronepote, vel pro sua pronepte dederit: non tantùm eandem dotem, vel donationem conferri, verum etiam in quartam partem ad excludendam inofficiosi querelam, tam dotem datam, quàm ante nuptias donationem præfato modo volumus imputari si ex substantia eius profecta sit de cuius hæreditate agitur.

Iunge omninò l. 6. dotem dedit auus. de collatio. bonor. l. vlt. fuit quæstionis. de collatio. dot. l. Pomponius Philadelphus. famil. hercisc. & l. 3. §. sed vtrum. de minorib. ff.

Ad duas posteriores notaui plurima ex vsu. Subiungam verò hic quod semper quæstiones fori adiuuet. Primùm enim citatur hæc lex à Molinæo ad artic.42.cõsuet. Rupellanæ, vt doceat donationem propter nuptias factam nepoti ab auunculo, conferendam esse, nisi nepos donatione contentus, hæreditate auunculi abstineat. Deinde si in donatione fiat mentio patris, decidunt Bartolus ad l. cum aliquis. inf. de iu. delibet. & Vid. Papius.q.565. perinde esse, ac si patri ipsi donatum sit, vt cuius cõtemplatione successerit, incideritque liberalitas, in quo & notanda lex vlt. ff. pro soc. atque l. vlt. inf. de vsuf. proindéque conferendum id in diuidenda successione paterna, si modò patet hæres fuerit. Iason, & Paulus Castrens. hic, laudant in hoc ipsum legem, vt liberis. inf. de collationib. nempe vt seruetur inter cohæredes æqualitas. tradunt Senatusconsulta Bacquetius cap.21.nu.63. de iust. & iu. & Loëtius, arest.38. in lit. D. Docet verò Chopinus lib.2.tit.2.num.7. ad consuet. Paris. si nepos, repudiata paterna hæreditate, auitam successionem adierit, non teneri conferre quod paterna auia nurui donauerit contemplatione patris. Cætera de renuntiatione, & supplemento legitimæ, ad l. seq. persequar, maximè in iis quæ ad l. Pomponius. prætermiserim. Iudicatum est in quinta inquisitionum classe, ann.1596. die 9. Martij, ad consuetudinem Sylnanectensem, posse nepotem esse auiæ donatarium, prætereàque hæredem patris qui sit legatarius tantùm, donatariúsque vniuersalis matris: & quia controuersa erat admodum illa quæstio, consultæ classes omnes fuerunt. litigatorum nomina, Laur. le Febre, & Craignatius.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 30.

Omnimodo. Liceat iis personis, quæ testamentum quasi inofficiosum, vel alio modo subuertendum queri poterant, id quod minus portione legitima sibi relictum est, ad implendam eam, sine vllo grauamine, vel mora exigere, si tamen non ingrati arguantur. Nam si nullam eorum quasi ingratorum fecerit mentionem, non licebit eius hæredibus ingratos eos nominare, &c.

Quotidianus textus ad supplementum legitimæ, si minùs ea relictum sit testamento, siqué qui agit non probetur ingratus ab hærede qui & notam istam à testatore ipso iniustam testamento videat. Non agitur vt subuerti debeat testamentum, ait Iason, sed in hoc dumtaxat, vt suppleatur quod deest legitimæ, de quo etiam textus singularis in l.31. quæ nuper. inf. hoc tit. πληρωμάτων vocant Nouellæ. Assumptus verò hinc articulus 33. & 34. cap.19. consuetud. Bituricens. Verba adscribam: *En contract de mariage des enfans, le pere ou mere leur peuuët donner de leurs heritages, & biens pour leurs parts, & portions, ce que bon leur semblera, & moyennant ce leur faire renoncer à leurs futures successions, & escheoytes au profit des autres enfans. lesquelles renonciations seront bonnes, & valables, & rendront inhabiles lesdits enfans, renoncants à la succession, lesquels par ce moyen ne se pourront dire apres le decez du pere ou mere saisis d'aucune part & portion de leurs successions. Toutesfois si par ledit contract & donation à eux faite, ils n'ont eu leur entiere legitime, ayant esgard au temps de la mort du pere ou de la mere, ils pourront demander le supplément d'icelle:* ostendit nempe, vt passim in reliquis, vernaculum istud Gallicum quantæ peritiæ, iurisque scientiæ esset illust. ille Pet. Lisetius, Senatus Princeps, à quo mores olim Bituricenses redacti, paucis enim ferè quicquid ad Romanam legitimam, complexus est. In cætera autem Gallia, si nihil in contrarium statuant prouinciales, filius non cogitur experiri actione supplementi legitimæ, sed est saisitus sua legitima, potéstque rectà agere famil. hercisc. atque vt curator bonis detur, & sint penes sequestrem, si nectatur mora. Ita Molinæus ad artic.3. tit. 19. de testamentis, d. consuetud. Bituric. qui exceptionem proinde vnicam adiicit ad Alexandr. lib. 3. consil. 29. nisi filia, quæ renuntiauit, honestè collocata sit. Tunc enim & si minùs legitima à patre acceperit, tamen supplementum petere non potest, vt docet ibi fusiùs. Scripserat

indistinctè cōtrarium Vidus Papius q.519.si renuntians filia immoderatè læsa sit: Aliud tamen sensit ordo amplissi.ann.1605.die 28.Mart.inter præfecti,seu seneścalli, vt vocāt, Lugdunensis,qui dicebatur Botion,duas filias. Id verò ad hanc speciem: dederat in dotem vndecim aureorum millia primogenitæ quæ ex eo hæreditati paternæ renuntiauerat,sibique eodem contractu receperat,seu,vt loquimur,reseruauerat,facultatem testandi de reliquis suis bonis liberam.eloeat,aliquot post annis, alteram, donátque viginti aureorum millia.& cùm decederet,legat insuper eidem secundæ filię quindecim aureorum millia. Prima igitur filia inofficiosi querelam mouet, petitque supplementum legitimæ,quia soror triginta quinque aureorum millia à patre accepisset, illa verò sola,quæ dixi,vndecim. Depellebat hoc solo secundogenita, quòd renuntiasset soror, liberéque deinceps,vt posset pater de cæteris testari, conuenisset. Summota querela est,perorantibus Dolæo,& Choartio,filio. Quæsitum est, quo tempore præscribatur actio ad supplementum legitimæ:præscribi autem non quinquennio,vt dixerat Bartolus,sed triennio,secundum Baldum,Salicetum,ac cæteros, docet rursus Papius, q.82. & ita seruamus. Quæsitum etiam de quibus bonis detrahenda sit legitima, an ex solo patrimonio,an ex quæstibus,bonísque vniuersis,si longè exuperent auita. Iudicatum verò sæpissimè inaudiui ab antiquioribus, spectare eo casu legitimam bona cuiuscumque modi omnia,eóque sensu accipiendas esse legem,si totas. & legem,si mater.inf. de inoff.donat.legem,87. Titia §.Imper.ad quem& interpretes.de legat.2.didici insuper à Dom. Cochlæo,maximo iamdudum,rigidóque deaurati auditorij Senatore, decisum fuisse, se litis interprete, minùs legitima posse relinqui oberato filio, ad breuissimam hanc speciem: pater cùm videret appetitum vndequaque à creditoribus filium, cuius plures erant liberi,donauit nepotibus bona sua omnia,relicto tantùm partis eorum vsufructu filio. patre igitur defuncto creditores factum hoc in fraudem contendebant,debérique veram,nec adumbratam legitimam, in corporibus hæreditariis,filio vnde ipsis vtcúmque satisfieret,cùm auferri ea non possit,sed relinqui debeat,deducto omni onere,proútque exstent bona tempore delatæ hæreditatis,ex vulg.l. quoniam in prioribus. inf.hoc tit. Petitione tamen ista summoti sunt,quia in directa: & quia prospexisset pater quantum satis filio. Secus in hæreditate à latere,quàm vt adeat debitor,instant creditores.cogendus enim est eo casu,dato nempe in id mandato, seu procuratione,vt loquimur,acceptáque à creditoribus cautione qua indemnis abeat. Ita enim pronuntiatum in purpuris à Dom.Poterio.an.87.ad ferias Pentecostes. Sed hactenus de potioribus supplementi legitimæ regulis. vnum subijciam de ea parte legis qua prohibentur hæredes ingratos filios nominare,si nihil de ingratitudine testator scripserit.de eo enim dixi ad l.28.liberi:sup.hoc tit. deinde singularis & hic glossa est, quæ docet non licere hæredibus patroni feudalis, auferre feudum vassallo ex causa feloniæ quam in dominum admiserit,si dominus ipse, seu patronus quamdiu vixit nūmquam conquestus est: Notandúsque in id textus legis,Rei iudicatæ.ff. soluto matr. Sic & intellige Senatusconsultum à me adiectum ad l.2.ff.de his qui sunt sui vel.al.iur.

§. *Imputari illa debent in legitimam quæ occasione militiæ ex pecunijs mortui acquisita sunt: si talis sit militia, vt vendatur. Tanta autem pecunia in legitimam portionem computanda est, quantam dari statutum est, si in eo gradu mortuus esset is qui militiam ex pecunijs testatoris adeptus est: exceptis solis viris spectabilibus, silentiarijs sacri Palatij.*

Rectè Gothofredus ad l. creditor.ff.de action.empti,docet militiam esse eorum qui in aliqua schola inter statutos relati sunt,& ab ea salarium accipiunt. discimus autem ex hoc §. militiæ venalis pretium imputari in legitimam, inspecto tempore non quo primùm empta sit,sed quo delata hæreditas,& quanti denique vendi possit. quod ipsū reperies in l. vlt.inf.de pignorib. Militiæ autem istæ venales,quas explicui ad l.a. §. mirabile sup. de vet.iu.enuel. distinguendæ sunt à iuridicinis in hunc modum: quod scilicet distrahi,vendique possint auctione publica, iuridicinæ verò non, in quibus perpe-

tuum aliumde illud est, vt numquam in hypotheeam incidant, (sacrum enim esse depositum quis nescit?) Imò nec pœnæ vllius stipulatio admittitur, de qua venditor militiæ cum emptore conuenerit, fallente fidem alterutro: venditote nimirùm in eo quod veodiderit: aut emptore, in accipiendo etiam quod emerit. Ita de more Senatus, & quoties in apertum, mediamque apud iudices, lucem prodeunt eiuscemodi dedeeora seculi, de quibus dici possit iure optimo Augustinianum hoc, *toleramus qua nolentes concedimus*. singulatisque est decretalis Innoeentij tertij epistola, in cap. cum iamdudum. de præsb. in antiq. prætermittam senatusconsulta cætera, vt, doctrinæ, legisq; perpetuæ loeo, subiiciam quod in genere ad hane quæstionem pronuntiatum in publicis causatum actiooibus ao. 1618. die 22. Iunij. Cùm enim dom. Teuinus, paulò ante suppressam Pauletaoam, munus Præsidis in quinta inquisitionum classe, dom. Falconio vendidisset centum ferè librarum millibus, pœna mille quingentorum aureorum adiecta in eum qui aduersatus pacto fuisset: abrogata dinuudinatione publicorum munerum, maximè quæ ad iurisdictiones spectarenr, ex Rothomagensi edicto, an. 1616. pedem retulerat emptor, planéque à conuentione dieesserat, quia casus improuisus contigisset ex quo depretiata erant omnia omnino publiea munera. Pænam autem nihilominus petebat venditor, easumque dici posse inopinum negabat, cùm exactum esset triennium quo & emptor, & quiuis deniqne magistratuum, ac iudicum sciret plus satis, desitura dinundinationis illius Pauletanæ tempora. Itaut noui nihil contigisset ex ea causa an. 1616. apud Rothomagum. pendebat ergo animis pars audientium, vtrùm vel easus ille inopinus diceretur, vel ex Thesi dirimenda esset quæstio, nempe ab initam aduersus bonos mores pactiooem. Tandem tamen commissam eiuseemodi pænam oon deberi pronuntiatum est, quod proinde notarunt mecum plurimi, vt ratam deinceps, ad pudendas istiusmodi pænarum pactiones regulam: eamque esse mentem senatusconsulti eonfirmauit mihi postridie dom. Virdunius, Senat. Princeps, cùm eum de more inuisissem. perorabant Galandius & Mauguinius. Vt autem hypothecarum quæstionē in cæteris, persequar: militia quæstoria perpetuo obligatur nexu principi, donec vel quadrans vltimus, quem debeat quæstor, persolutus fuerit: Imò & bona omnia, quæcūque, ex eo tempore, quo admissus est, comparauerit. seruamus enim religiosissimè legē, a 8. Si is qui. ff. de iure fisci. at verò nee successor liberatur, sed potest manus regia in munus, ita perpetuò obligatum, iniiei, vt, hastis decursis, væneat, nisi luatur residuum: ordinarij hoe iuris apud curiæ subsidiorum iudices, celebremque actionem, quæ quadragesima septima, dom. Bretius. laudatissimus hodie fisei Gallici patronus, de ea ipsa quæstione edidit, cùm fisci tributorij causas in eadem subsidiorum curia, ageret. Præclaro quinetiam ptiuilegio, eensuit duobus senatusconsultis ordo amplissimus præferendam omnibus mariti creditoribus viduam, si aliumde quàm ex militiæ maritalis pretio, consequi non possit dotalitium: seu conuentionale illud sit, vt obtinuit Magdalena de Bragelonoe, dom. Chessæi, senatoris Paris. vidua, an. 1614. die. 2. Augusti: seu statutarium, atque consuetudinarium, vt loquimur: quod rursus in publicis causarum actionibus, iudicatum est, secundum Iohannem de Hu, Michaelis Cretault, viduam, cùm nempe ex omuibus mariti bonis, solius militaris, apud Vnellos, seu Perticenses, iutidicinæ (dicimus, *l'estat de Lieutenant de la mareschaussée du Perche*) superesset pretium. perorabant Hudonius, & Montius, an. 1618. die 24. Iull. Reperio tamen seruatum vsque adcò prærogatiuæ veteris quippiam militiis iudicialibus, vt quamuis ex pecunia societatis connubialis maritus emerit, tamen, defuncta coniuge sine liberis, hæredes vxotij cogere eum non possint vel extremo in senio, mortisque inopinæ ob metum, ad auctionem muneris publicam ex qua illi partem pretij capiant: ita senatus secundum *Philip. Gourreau, Prousterium*, libellorum, in regia magistrum, an. 1615. die 15. Febru. singularis textus à patronis omissus est ex l. 73. si societatem. ff. pro soc. ad quam propterea senatusconsultum applico. Imò quæcumque dinundinationum iofamia, per annos quindecim, nempe ad annum vsque 1618. magistratibus, ac iuridieinis omnibus honorem, per vniuersas Galliæ totius plagas, decussetit, tantum nihilominus delatum semper est auctoritati parentum inter liberos, vt quo pretio æstimassent eiuratum à se, in gratiam vnius liberorum, magistratum, in eo posteà, cùm diuiderentur bona, antestaret paterna æstimatio. recenseo senatusconsultum ad l. si filia nupta. ff. famil. hereisc. Tandem denique nè dinundinatio ista, quam Pauletanam dicebant, lege deinceps publiea adiuuetur, sanxit opti-

mus,iustissimusque noster Lodoicus 13. an. 1618. mens.Ianuar. Super sunt quidem graues deterioris nostri huius seculi maculæ: Impenso enim nihilominus pretio magistratus,dignitatesque væneunt:sed non ita stupendo, vt priùs, haudque auctore Principe: nec cedent,quod magis est,in patrimonium:quæ fuit cladis publicę cadauerosior nota. At verò nec imputabuntur deinceps in legitimam. Quid enim incertius quàm vt quadraginta dies viuat qui, decumbens ex morbo,magistratum pretiosissimum eiurauerit, atque id ab eiuratione,seu resignatione admissa à Principe? Si enim ante dies istos inopinæ mortis casus contigerit, magistratus,dignitas,munus publicum,iuridicina,totum id,vno verbo,quod ingentis nuper patrimonij fuerat, abscedit à bonis mortui, quæriturque publico.foretque propterea iniquum, si,ad incertos illos euentus, vmbram hodie bonorum haberet cohæres pro legitima: quæ mera equidem decisio est Pauli Castrensis ad hunc §. in quæstione legitimæ ex causa beneficij ecclesiastici, quod vni ex filiis,inquit,comparatum à patre fuerit.esto enim, ait, quòd multæ in id pecuniæ expensæ sint:non tamen ceder in legitimam, cùm vendi non possit, nec ad hæredem transmitti. sic ille. Mirè autem exhibet simoniacas istas negotiatiooes Budæus ad l. vn. ff. de ambitu cùm scilicet abrogatæ nondū apud nos essēt electiones in beneficiis ecclesiasticis:quāuis tamē nec melius quicquā ex Frācisci primi,ac leonis decimi, cōuentione,vt qua in peius omnia ruerint. Verba ipsius exscribam quippe [illegible], & quæ rem efficacissimè oculis subiiciant: *Cicero pro Planco, de lege ambitus loquens: Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione deuincta, seueritatem senatus, bonorum omnium vim, ac dolorem excitauerunt. hæc doce, hæc profer, huc incumbe laterensis: decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse. pronuntiasse, diuisisse. hactenus Cicero. huiuscemodi diuisores interdum in creationibus Pontificum, & cœnobiarcharum interueniunt. huiúsquemodi sodalium decuriationes fiunt: & per sequestres sacerdotiorum palam cautiones expediuntur. Mancipes, & conductores res transigendas, perficiendásque suscipiunt: cùm interim cupiditas humana sacrosancti paracleti auspicijs dinundinationes factitans, inexpiabilibus commerciis conscelerare sanctissimos ritus non vereatur ab antiquis institutos. nec verò aliam ob causam palladium ecclesiæ Francicæ vt extorqueretur, non pridem effectum est. Sic enim appellare placet inclytam illam sanctionem maiorum nostrorum virtute atque innocentia partam: quam vnus, aut alter fortasse hostibus eius proditam trans Alpes deportantes, præsentis calamitatis telam flagitiosissima cupiditate inde exorsi sūt.* Hactenus Budæus, qui longè plura eò loco. Vt autem ad institutam textus nostri interpretationem reuertar, duo ad imputationes istas spectant: Vnum de iure accrescendi. Si enim accrescat aliquid legitimæ, non imputatur legitimæ: veluti, ait Baldus ad l. pen. inf. hoc tit. si fratres instituti habeant minùs legitima, altérque partem suam repudiet, tunc accrescet procul dubio pars illa alteri, nec imputabitur in legitimam, hac ratione, quòd scilicèt nihil eo casu capiatur iudicio testatoris, nec beneficio supplementi legitimæ, sed per accidens, ex natura proprietatis. Alterum verò, ait iterum Baldus, est de lucris omnibus prouenientibus ex casu, & cùm aliquid aliundè quæritur quàm ex substantia testatoris, vt fusiùs explicat. plura enim non dicam, nè excurrat in tædia, τὴν περιέχοντα, scholium.

Exceptis solis viris spectabilibus, silentiariis nostris.

Horū prærogatiuas vide in l.3.cod. de silētiariis, & decurionib.lib.12. ac in l.vlt.inf. de excusationib.tutor. Docet eruditè Mensius in glossario, quod nullibi anteà aduerterā, atuerò nec magnus Cuiacius, aliíue elegātiores iuris interpretes: fuisse nimirū Silentiarios duorū ordinū: Alii enim præerāt secretis imperatoris, ait ille, qui io hoc laudar Procopiū, lib.4. de ædificiis Iustiniani: Euagriū, lib.3.ca.29. historiæ ecclesiast. ac Dorotheū, ductrina, 23. Itaut haud abs re cōparandos eis hodie dixerim quatuor notarios secretorū Principis, (vulgo dicimus, *les quatre secretaires d'estat*,) cum penes eos sint arcana imperij Gallici. Alij autem, & qui tantò viliores, quantò hi eminentiores, indicebant silentium, inde dicti σιωπηροὶ, in glossis veter. eiusmodique nunc apparitores seu aulici, seu iudiciales. De quo viliori Silentiariorum ordine idem Procopius lib.1. belli Persici, passimque in conciliis. Agathias propterea illos vocat τοὺς ἐπιστάτας τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς,

Id est, præfectos ſilentio eirca Principem. Notanda hæc diſtinctio, vt in qua excutire vel erudıtiſſimos vbique viderim.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 32.

Quoniam in prioribus ſanctionibus iſtud ſtatuimus, vt ſi quid minus legitima portione iis derelictum ſit qui ex antiquis legibus de inofficioſo teſtamento actionem mouere poterant, hoc repleatur, nè occaſione minoris quantitatis teſtamentum reſcindatur, hoc in præſenti addendum eſſe cenſemus, vt ſi conditionibus quibuſdam, vel dilationibus, aut aliqua diſpoſitione, moram, vel modum, vel aliud grauamen introducente, eorum iura minuta ſint quibus legitima debetur: ipſa conditio, & quodcumque aliud onus tollendum eſt: & ita res procedere debet, quaſi nihil eorum teſtamento additum eſſet.

Emendatur hac lege lex, Si pater puellæ. ſup. hoc tit. De legitima enim ſubducitur quicquid eam onerat, ſeu ſit conditio, ſeu dilatio, aut quiduis aliud ſimile: veluti, ſi legitima daretur in æſtimatione, aut aſſignaretur in nummis: aut in re vna, ait Faber ad l. Sancimus. Inf. hoc tit. Dubitabatur de ſubſtitutioue, ob legem, Ex tribus vnciis. ſup. eod. Verùm, vt ad eam moneo, ibi proſpicit pater filio impuberi, nec verò quartam illius onerat. Notandum tamen eſt, legitimam eſſe, non quotam hæreditatis, licet ad eam obtinendam ſpectetur tempus quo delata ſit hæreditas: ſed quotam bonorum. Deducitur enim omne æs alienum, vt accipiat filius legitimam ex eo quod ſupereſt, arg. l. Subſignatum. §. Bona de verb. ſignific. Deducitur etiam impenſa funeris, l. Papinianus §. quarta. ff. de ınoff. teſtam. quod cùm quaſi exſcripſerint peritiſſimi illi legiſlatores qui emendarunt mores Pariſienſes anno 1580. in hæc verba, art. 298. *La legitime eſt la moitié de telle part & portion que chacun enfant euſt eu en la ſucceſſion deſdits pere & mere, ayeul ou ayeule ou autres aſcendants, ſi leſdits pere & mere, ou autres aſcendans, n'euſſent diſpoſé par donations entre vifs ou derniere volunté: ſur le tout deduit les debtes & faits funeraux*: magna inde orta quæſtio eſt in quarta claſſe inquiſitionum, anno 1619. die 12. Ianuar. ob artic. 295. cuius etiam verba: *Si l'heritier ſe veut contenter de prendre les quatre quints des propres, & abandonner les meubles, acqueſts & conqueſts, auec le quint deſdits propres a tous les legataires, faire le peut, en quoy faiſant il demeurera ſaiſi deſdits quatre quints, & leſdits legataires prendront le ſurplus, les debtes toutesfois prealablement payées ſur tous les biens de l'heredité.* Dubium faciebat quòd duo illi articuli vt recenter à ſtatuentibus adiecti ſunt, quaſique è regione, mutuóque in confinio oppoſiti, ita nec veriſimile, omiſſum fuiſſe quippiam à viris omniũ totius Galliæ ſagaciſſimis, iuxtà & experientiſſimis: imò cenſuiſſe illos potius eximendam eſſe impenſam funeris quatuor patrimonij quincuncibus ſingulari apud eos ratione quam non expreſſerint. forſan verò & hæc fuerit, quòd in legitima naturali, pars ex vniuerſo patrimonio, ex mobilibus, immobilibuſque acquiſitis detrahatur: At legitima ſtatutaria, ſola partis auiti, familiariſque patrimonij detractio eſt: denique contendebant alii, inhærendum tenaciter verbis ſtatutorum, vt omiſſum habeatur pro omiſſo, docent enim ita Bartolus, ac cæteri interpretes ad l. 3. ff. de negot. geſt. Molinæuſque maximè ad conſuetud. Pariſ. §. 13. Videbatur etiam aliis, firmiſſima illa ratio quæ à maiori ad minus, à fauorabili ad minus fauorabile, à domeſticis, naturalibuſque heredibus, ad alienos, iuréque ipſo Romano ſummotos hæredes. Legitimam enim naturalem minuit impenſa funeris, d. art. 298. quantò ergo magis in ea quæ à ſolo ſtatuto, legéque prouinciali tribuitur non perſonis equidem (collateralibus quippe nihil deberi conſtat plus ſatis ex l. fratris, & l. fratres. ſup. de inoff. teſtam.) ſed familiæ potius, vt nè ſcilicet ex illa res auitæ exeant: quod tantoperè cauent iuriſconſulti variis locis, atque inter

cætera, in l. filiusfam. §. cùm pater. de leg. 1. in l. Lucius. §. Lucius. iuncta glo. & §. instituto. l. pero. §. fratre. l. cùm pater. § libertis. de leg 2. l. pater. §. quindecim. de leg 3. l. 7. sed sciendum. ad Trebell. ff. singulares sunt illi textus ad tuenda, quà fieri possit, gentis cuiúsque, per longam nepotum seriem, auita patrimonia. Postremò regina adeò actionum omnium, quibus pecunia exigitur, funeraria est, vt præferatur semper omnibus, dicique velit proptereà Vlpianus creditorem, qui propter funus aliquid impendit, contraxisse, non cũ hærede, sed cum defuncto, l. 1. ff. de religios. Nec mutat, quòd omissa fuerit impensæ istius funebris mentio. d. artic. 295. petenda enim interpretatio ex parte alia quæ posteà sequitur, tit. de successionibus directis, & collateralibus, art. 334. quemadmodũ ad leges Romanas iubet Imperator, in l. 1. & 2. de vet. iu. enucl. conciliationes hinc illinc mutuas fieri τῶν ἐναντιοφανῶν, i. eorũ omniũ quæ modò plus, modò & minùs, implicitè, explicitéq; conscripta solertissimis illis decẽ cõpositoribus fuerint. Discimus autẽ ex eo capite 334. mentẽ hanc esse statuentiũ, vt, inter hęredes, ac legatarios diuidatur æris alieni pensio prout quisq; maiorẽ, minorémve successionis partẽ percipiat. Verba ipsa subijciã, cùm ex indubio, perspicuóq; suo contextu quæstionẽ omnẽ dirimant: *Et quand ils succedent les vns aux meubles, acquests & conquests, les autres aux propres, ou qu'ils sont donataires, ou legataires vniuersels, ils sont tenus entr'eux contribuer au payment des dettes, chascun pour telle part & portion qu'ils en amendent. En quoy ne sont compris les aisnez, lesquels ne sont tenus des dettes personnels en plus que les autres coheritiers, pour le regard de leursdite aisnesse.* Quis ergo non videt caput 295. de quo suprà, planè suam ex his, verámque sententiam accipere, vt nimirùm hæredes à latere de impensa funeris, sicut & de cæteris hæreditariis delatæ oneribus, teneantur? Imò vt inclarescat res tantò altiùs ex perscriptis cæterarum Galliæ prouinciarum sciitis: (quæ interpretatio fieri consueuit vbi dissentire in aliquo videntur) idem prorsus statuit lex Meldensis, cap. 5. artic. 26. idem lex Tricassina, tit. 6. art. 95. Idem Victriacensis tit. 6. artic. 100. idem Marchiensis, cap. 19. artic. 212. harum nulla est quæ impensam funeris ab aliis hæreditariis debitis summoueat: quin statuunt omnes econtrà, vt promiscuè, potissimóque omnium iure, hæredes à latere, quibus specialis à statuto legitima præfinitur, legatariósque etiam, aut donatarios vniuersales, cùm reliquo omni ære alieno, sequatur. Disceptatio hæc agitata variis, eruditísque rationibus cùm fuisset, per tres matutinos consessus, in quarta classe inquisitionum, obtinui tandem aduersus vxoris meæ hæredes, contra quos actionem eo nomine instituteram, quia scilicet prærogati à me sumptus illi fuissent maritali officio, & quoniam me vxor, (quæ debetur morienti à superstite pietas) testamenti sui holographi executorem, sepulturæque ordinatorem, scripserat. Rata igitur deinceps fori doctrina fuerit: hæredes à latere obligari funerariis sumptibus, vt & cætero æri hereditario, quatenus ex hæreditate percipiant: eóque sensu intelligendum esse articulum 295. quem præclaro suo Senatusconsulto ita tandẽ interpretati sunt optimi, sagacissimíq; iudices, Dom. Roberto, litis interprete, clarissimóq; Dom, Chamronio, Præside. Pauca iam de vtriúsque legitimæ distinctione subiungo quæ sciri etiam necesse est: in naturali enim legitima onera omnia, præter debita peręditaria, vt reiiciantur penitus, statuunt leges. A natura enim est, *nec potest pater eripere filio quod à lege accipit. quomodo enim potest pater eripere quod non potest dare?* ait auctor controuers. lib. 3. controu. 3.. In statutis autem habetur, nec minus ratio familiarum, nè per inimicitias, insitiam, prauásq;, vt sæpe, testatoris libidines, corruant. Interest enim pariter reip. vt dignitatum ordo, familiarúmque seruetur, inquit lex 1. de vent. inspic. ff. Sic & iamdudum censuit ordo ampliss. ex §. prohibemus. Nou. 18. de triente & sem. legitimam statutariam, purà quatuor illos quincunces patrimonij, quos dixi, grauari non posse vsufructu. veluti si testator, qui videt sibi auferri, ex patriis moribus, libertatem testandi de asse toto sui patrimonij, sed de solo quicunce, vt apud Lutetianos, legauerit alicui bonorum suorum omnium vsumfru. ferè enim nihil agit: legatũmque eo casu non in quincunce proprietatis, sed solius vsusfru. valiturum est, hac nimirùm ratione, quòd non de proprietate, sed de solo vsufructu testatus fuerit. frustráque proinde, saluis verbis legis patriæ, sententiam eius circumuenire conatus est. Vsus apud nos ille est legis, omnium. ff. de vsusfru. Senatusconsultáque repeties apud Chopinum, lib. 3. cap. 3. tit. 1. consuet. Andens. & lib. 3. cap. 7. de priuileg. rustic. atque in Loëtianis schediasmatis, lit. V. num. 8. Singulare autem aliud ius legitimæ est,

vt suppleatur semper si quid ei desit ob euictionem: deinde vt præstetur nulla interueniente Falcidia,cùm hæreditatis sit portio,nec verò legatum:ita lex pen.inf.hoc tit. Dixi de iure primogeniorum comparato legitimæ naturali inter nobiles, in directa, vt scilicet quæratur primogenito sine maiore,grauioréque onere, quàm vt soluat cùm cæteris suis cohæredibus debita personalia ex æquis, quamuis ex variis Galliæ nostræ moribus,modò semissem hæreditatis feudalis præcipiat,modò & bessem. Plura in hoc Molinæus ad consuet.Paris.§.11. num. 12. & seqq. à cuius tamen sententia recessum est in pretio feudi empti à patre qui decessit antequam solueret. Tunc enim, habita ratione emolumenti,soluere oportet primogenitum qui semissem, bessem, aut duos trientes, pro variis prouinciarum consuetudinibus, præcipit. de his dixi ad l. in fundo. ff. de rei vendic.& ad l.1.inf.si cert.pet.

IMP. IUSTINIANUS.

L. 33.

Si quis in suo testamento maximam quidem portionem libero relinquat,minusculum autem alij,vel aliis de stirpe sua progenitis,ipsam tamen legitimam siue in hæreditate, siue in legato, vel fideicommisso, vt non possit locus inofficiosi testamenti querelæ fieri: & ille quidem qui ex paruulo genitoris sui consequitur substantiam, eam suscipere maluerit: qui autem ex maiore parte eam amplexus est, (siue vnus, siue plures sint)non statim,& non sine contentioso proposito,vel vlla mora eam restituere voluerit,sed expectato iudiciorum strepitu, & multis, variísque certaminibus habitis,post longum tempus, ex sententia iudicis vix eam reddiderit:crudelitatem eius competēti pœna aggredimur, vt si hæc fuerint subsecuta,non tantùm in id quod testator voluit eum restituere, condemnetur: sed etiam aliam tertiam partem quantitatis, quæ fuerat in testamēto derelicta,modis omnibus reddere cogatur, vt auaritia eius legitimis ictibus feriatur: aliis omnibus quæ in eodem testamento vel elogio scripta sunt, pro sui tenore ad effectum perducendis.

Singularis ista decisio est, vt faueatur præstandis ab hærede ociùs, citráque vllas innexas fraudes,& moras,liberorum,in quo crudelis visus est pater,legitimis, vt quæ sint debita bonorum subsidia beneficā, inuito patre, naturam testantia, vt arguit principiū Nouellæ,de hæredib.& Falcid. cedunt deinde in alimentorum vicem, in quibus proptereà,quanta festinatione agendum sit à iuridicis,docent plus satis lex 1.& 2. ff. de feriis. quas & in hoc attingit hic Baldus. Porrigitur verò etiam optimè à Paulo Castrensi constitutionis huius duritie ad pecunias relictas puellis in dotem:vt nempe soluantur, in promptúque sint, ad annos puellæ mobiles, nec in longinqua extrahatur tempora quod occasio idonea, apertáque exhibet. scripsi sat dudum in nobilem Belgicum, qui, cùm ad dotandam sororem videret accidendum ex bonis paternis quod ex iure, & legibus negari non poterat, suas eò artes omnes verteret, vt à nemine vnquam desideraretur misera,quæ ita semper ad focum fratris, per tot annos consenuit, vt tandem quadragenaria in materteræ suę ædes secesserit,litémque super legitima testamentariam aduersus fratrem mouerit. Depellebat ille actionem ex eo quod constaret testamento cogi ipsum non posse numerare dotales nummos sorori,nisi cùm nuberet,id est pridie nuptiarum.at nullus,aiebat,qui te in vxorem expetat. agitata vtrímque est quæstio legis, quod pupillæ.ff.legis,ex his verbis.Cod.quando dies leg.ced.legis, cùm testator. Cod. de testament.manumiss.l.intercidit.de condit.& dem.l.si vxorem. Cod.de condition.

infert.& l.fancimus.Cod.de nupt.petebat enim furor non tantùm pecunias quas pater testamento in dotem fuam præfinierat, fed & vfuras legitimas ex eo tempore qun facta fuiffet nuptiarum capax. Et quia per fe non fteriffe dicebat frater fi illa non nupfiffet, in quo dolum prætexebat fentētia Matthæi Affl. Senat.Neapolit.qui decifio. 370. fcribit nihil imputandum fratri fi fororem non dederit nuptum, pœnáque liberari dummodò occafiones non defugiffe doceat:probauerat illa reftibus locupletiffimis contrarium, itque effeciffe eum perpetuò latenter, pérque artes varias,vt, quamdiu ætas idonea fuerat, auerterentur aliò procorum defideria. Senatus tandem in fecunda claffe inquifitionum,ann 1597.menf.Januar.Dom.Heræo,litis interprete, damnauit fratrem exoluendæ in dotem teftamentariæ legitimæ, vfurífque etiam legitimis ab anno ætatis vicefimo.vocabatur Damerualliu. Infernict præterea Iuftinianea ifta decifio monachis in exitiofos,*frugéfque tantummodò confumere natos*, Abbates fiduciarios, (commendatarios vocant) qui, nifi feparatæ fint menfæ, auferunt, abfumunt, abliguriuntque indies monaftica etiam demenfa, quæ veræ funt religioforum legitimæ. Dici vix poffit quantæ in hunc diem in ventres iftos inanes querelæ, & quot in vanum pronunriata à Senatu iudicia. Caufam dixi aduerfus Ant.Oyfellium,Antonij patroni eruditiffimi,filium,anno 1595.pro cœnobitis D.Michaëlis in Eremo,apud Pictones,aduerfus Abbatem eiufcemodi fiduciarium qui defraudabat adeo monafticum genium vt ferè per inopiam fecederent. Damnatus eft à Senatu erogandis vnicuique ducentis in annos libris Franeicis, id verò anticipata femper folutione in trimeftria fingula. Proferam ad extremum quod paffim de legitima pauperum in bonis ecclefiafticis,apud ecclefiæ auctores claffícos,maximéque apud D. Hieronymum in Sophoneam Proph. cap. 3. D. Ambrof.lib.1.offic.cap.30.Saluian.lib.1.ad ecclef.cathol.& D.Bernardum epift. 2.*Vertunt in lucrum fuum qua in donaria Dei conferuntur, nec habent pauperes quod manè comedant*, ait D.Hieronymus.vrget verò longè ardentiùs D.Bernardus in hęc verba·*quicquid præter neceffarium victum,ac fimplicem veftitam de altari retines, tuum non eft,rapina eft Clamant pauperes,noftrum eft quod effunditis, nobis crudeliter fubtrahitur quod inaniter expenditis*. vide in hoc plura ad auth.hoc ius porrectum.de facrof.ecclef.

§.1. *Filius infans non poteft ingratus à matre fua vocari, nec ab hereditate repelli,odio mariti ex quo infans. Iniquum enim eft vt alieno odio alius prægrauetur: cùm poßit fub conditione emancipationis hereditatem mater filia derelinquens, & patris odium punire, & iuri filij fui minimè nocere,nec fuam naturam fallere. Satis enim crudele nobis effe videtur,eum qui non fentit,ingratum exiftimari.*

Concidi textum ad neceffaria, feruatóque femper verborum delectu. damnare autē eò magis debuit Iuftinianus auitum iftud odium in infantulos iftos nepotes ex caufa patris,quòd non folùm fallat in eo naturam fuam auia, vt loquitur, (quid enim *eft liberis amabilius,adhuc annis innocentibus*:ait Minurius fœlix in Octauio) fed peiorem, crudeliorémque & ipfis extraneis, qui folam liberorum quorumlibet innocentiam fpectant, fefe exerat. *Quis patiatur paterno vitio prolem innocentem grauari*? ait lex, lege duodecim. inf.de legit.hær. *Nullum enim patris delictum innocenti filio pœna eft*, inquit lex 2. §. nullum. ff. de decurionib. plura in hoc tota diftinct. 56. atque apud Halicarnaff. lib 8.& Plutarchum, ἐν τῷ περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων. feu, de iis qui ferò à numine puniuntur. egregiam ibi comparationem reperies. notanda verò ratio quam affert orator Lyfias, oratio.pro Polyftrato, circa finem, cur ignofcendum fit liberis: οὐκ ἴσμεν εἴτε ἀγαθοί, ἤτε κακοὶ γενήσονται φύσει): id eft,nondū fcitis, an adulti feu boni,feu mali futuri fint.fusè Demofth.epift.3.quæ eft de Lycurgi liberis.nihil hîc Bartolus Baldus,Paul.Caftr.Salic.Iafon,quod vel tantillum meminiffe debeam. adeò vacuæ in longè plurimis eiufcemodi immanes & columnæ,& paginæ. Vt ergo in fotum noftrum redeam,Iuftinianea hæc decifio variis, folemnibúfque areftis,confirmata eft. pronuntiatum enim ad Pafchales ferias ann.1584.nepotes auo fuccedere, quæcúmque

& legibus: veluti, si concessa sit testamenti factio seruo, monacho, vel dãnato ad perpetuos remiges: ita enim interpretes hîc, & Ferronus ad consuet. Burdig. tit. 5. §. 15. vel a ijs qui testati non possit, intelligendum id si modò adhibeatur testium numerus, qui ex iure Romano, canonico, aut qualem denique desiderant leges prouinciales, & patriæ, seruari consueuerit: aut si vlla denique alia solennitas de publico sit necessaria. Distinguit tamen Wil'. Bened. ad cap. Raynutius. in verb. in eodem testamento. num. 135. Si, inquit, priuato cuidam concessum sit testandi priuilegium, nihil planè de solennitatibus condonatum est. Secus si vniuersitati clericorum: tunc enim solennitas omninò remissa est. Aliò etiam excurrit Io. Faber. veluti, ait, si iubeat Pontifex, aliquem admitti in monachum. intelligẽdum enim hoc, si modò annum professionis impleat. Sexcenta sunt similia. Notabitur deinde ex hoc legis principio iuris Romani perpetua, ac numquam satis laudata dignitas, de qua cùm singularia quædam congesserim ad l. 2. sup. de vet. iu. enucl. vt certè, sepositis semper diuinis codicibus, nihil in reliquo scriptorum veterum quod tantæ Romani imperij maiestati comparari debeat, addo hodie fateri & hoc ipsum coactam olim fuisse ipsam Græciam. Sic enim Gregorius Thaumaturgius, in laudatione Origenis. Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν νόμοι, οἷς νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν κατευθύνεται πράγματα, οὔτε συγκείμενοι, οὔτε ἐκμανθανόμενοι ἀταλαιπώρως, ὄντες μὲν αὐτοὶ σοφοί τε, καὶ ἀκριβεῖς, καὶ ποικίλοι, καὶ θαυμαστοί, καὶ συνελόντα εἰπεῖν, ἑλληνικώτατοι. ἐκφρασθέντες δὲ, καὶ παραδοθέντες Ῥωμαίων φωνῇ, καταπληκτικῇ μὲν, καὶ ἀλαζόνι, καὶ συσχηματιζομένῃ αὐτῶν τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ βασιλικῇ, φορτικῇ δὲ ὅμως ἐμοί. id est, admirabiles nostræ leges, quibus nunc omnium, qui Romano imperio subiacent, diriguntur negotia. neque enim compositæ inuicem, connexæque sunt, neque ediscuntur segniter, citráque studium. prudenter scriptæ sunt, & accurato iudicio, variæ prætereà, & admirabiles, &, vt paucis dicam, Græca eruditione referrissimæ: conceptæ autem, ac traditæ Romanorum lingua, terribili illa quidem, & superba, & præ se ferẽte impetium quod obtinent, molesta tamen mihi. sic ille.

——exemplaria tanta
Nocturna versate manu, versate diurna.

Vsurpabat aliquando vulgatum istud Horatij in Pascali panegyrico, Dom. Marionius, patronus fisci facundissimus, cùm patronos hortaretur, inter cætera, ad tantæ prudentiæ, hodie ferè, nimiúmque insuperhabitæ, indefessum studium, cuius arcana, diuináque dixerim, illa vis, vt (quod olim veteres de poëmate Homerico (si vniuersam legeris, & iterum, iterúmque repetita semper lectio placeat, seu ad verba Iurisconsultorum spectes, quibus nihil mollius, significantius, elegantius: si responsa, nihil fœlicius, diuinius. Audiui sæpiùs, cùm primùm in forum veni, Andream Tiraquellum, illum scilicèt in mãsuetioribus musis, seuerioréque fori literatura, verè πάντων, dicere solitũ apud familiares, perlegisse se continua serie Pandectas, & Codicem septies. Antecessores iuris prætermitto quorum quotidiana in hoc opera. sed de Car. Molinæo, Ren. Chopino, D. Brissonio, celeberrimis nẽpe literati fori assertoribus, & quorum manus tot egregia rei forẽsi, ac literariæ transcripsit posteris, quis ausit enumerare iteratas ab ijs tantæ lectionis vices, cùm ad manum omnia & scribendo, & respondendo de iure, habuerint? optarim equidem vt cirrati illi scioli, quibus leuis adeò videtur hæc nostra opera, intelligerent obfirmato studio, quod in applicationibus meis segniter, oscitantérque, vt audio, desiderant, quódque econtrà vniuersæ Galliæ, ipsisque etiam exteris gratum, acceptúmque est.

§. Illud. Si quis à patre certas res vel pecunias acceperit, & pactus fuerit quatenus de inofficioso querela aduersus testamentum paternum minimè ab eo moueretur: vetere iurgio exploso, filius huiusmodi pacto minimè prægrauatur, secundum Papiniani responsum, in quo definiuit, meritis magis filios ad paterna obsequia prouocandos, quàm pactionibus adstringendos. sed hoc ita admittimus, nisi transegerit filius cum hæredibus paternis, & iudicium patris transactione agnouerit.

Obseruabitur primùm quanta prudẽtia admissæ sint hæredũ institutiones inter liberos. In parte enim illa Galliæ quæ iure scripto pro moribus vtitur, ferè numquã ab obsequiis paternis, maternisve deflectũt liberi. sed omnes certatim eò collimãt, vt, quà fieri possit, maxima semper ineatur gratia à parentibus: nec certamẽ inter eos maius. *Si patrẽ tuum officio debito promerueris, paternam pietatem tibi non denegabit.* verba sunt legis vlt. inf. de alend. liber. *Quid pretiosius filiis non ingratis erga parentes?* ait Nou. cui titulus, *neque virum quod ex dote, neque mulierem ex sponsalitia largitate proprium lucrum habere.* De plano expediebãtur causæ obsequij liberorum, l. nec quicquam. §.3. de off. procons. filius excusabatur qui patri paruerat etiam in atrocioribus interdum, l. Gracchus. & glo. inf. de adult. tarúmque vt pater ferè vnquam nisi de vnico diceret quod in l. 48. his verbis. §.1. ff. de hæred. instit. *filius meus impijssimus, male de me meritus, hæres esto.* Vis enim illa est, vt vnicè, supráque modum amentur à parentibus vel immerentes, impiissimique vnici.

μοῦνος τηλύγετος πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.

id est, vnicus filius in multis possessionibus. Ita de amore illo nimio, poëta vetus. memini cùm vnicus illustrissimi viri filius, cuius parco nomini, longè plurima præter decorum, & quæ ad perniciem traherent, ferè indies ageret, itaur pater quereretur ægerrimè apud intimos: *At hæc vnicorum equidem ferè sunt iura*: dixit, me audiente, amicissimus. plura denique apud Iurisconsultos, & Imperatores, quæ ostendant quantæ semper religioni esset liberis, obsecundare, ad omnia, parenti, veritis nempe, perpetuóque cauentibus nè malè de bis quereretur pater, aut mater etiã, eo defuncto. quanta tamen aliunde cura, ac solertia continere deberent parentes in officio, nè sese eripiat tandem filius, *conuersísque fugax auferatur habenis,* dixi ad l. r. sup. de offic. præt. arguitque. §. istius hypothesis diffisum de filio testatorem, quia fortè eum malè, præ cæteris, afflixerat, transegisse cum eo nè querelam aduersus testamentum eius moueret, cùm blanditiis potius, ac meritis prouocari debeant liberi ad obsequia paterna, quàm pactionibus adstringi. Vt vt sit, institutiones hæredum liberæ valent plurimùm, vt nè despiciantur vnquam parentes, quasique insuperhabeantur à liberis, formidantibus scilicèt nè quid deterius in eos statuatur ab iratis. Secus verò longè est in cætera Gallia quæ mores patrios iuri Romano anteponit. Primogenitus enim qui videt licere nihil testanti patri in perscriptas cuiúsq; prouinciæ leges, quominus, vel patre inuito, duos trienres ex hæreditare feudali auferat, attollit sæpe, ac sæpius *vacuum plus nimio verticem*: vitã ad omnes libidinũ, nequitiarúmque species soluit: Flocci facit paternas iracundias: imò & naso interdum suspendit, fruges scilicet consumere natus: nec randem infenso patri aliud quicquam superest, nisi vt vicem suam, ex deprauato, sceleratóque filio doleat. Rem, καθ' ὑποτύπωσιν, in multis vidimus. Vt autem ostendam paucis quem in vsum proferri possit. nostri huius §. decisio: perspicuè hinc discimus, pactiones omnes initas inter patrem, & filium, quibuscúmque arctissimis modis deuinctæ, obligatæque sint, fluxas esse nihilominus, posséque rescindi quotiescumque, intra decennium, à die mortis patris, lubuerit manet enim semper præsumptio, liberum non fuisse filio, obniti voluntati patriæ. nec ista vnquam rata, firmáque sunt, nisi, patre mortuo, nouus filij consensus accesserit. præclara in hoc Molinæi nota est ad consuet. Aruer. cap. 12. artic. 53. quotidianique textus in l. 1. §. quæ onerandæ. quar. ter. actio non datur: & in l. pen. de furt. ff.

§. Et generaliter. Quando pater minus legitima portione filio reliquit: si filius post obitum patris hoc quod relictum, vel donatum est, simpliciter agnouerit, non adijciens nullam sibi superesse de repletione quæstionem: nullum sibi filius fecit præiudicium, sed legitimam repleri oportet, nisi hoc specialiter siue in apocha, siue in transactione scripserit, vel pactus fuerit, quod contentus relicta, vel data parte, de eo quod deest nullam habeat quæstionem.

Vult in summa, filium nunquam summoueri petitione supplementi legitimæ, licèt quod ei reliquit pater, acceperit, nisi specialiter residuo, qualecunque illud sit renuntia-

uerit. Tantus nimirùm fauor legitimæ: vt quæ à natura magis, quàm à patre debeatur, vbi enim de quacunque alia donatione, vel legato agitur, qui, nulla protestatione facta, accipit, agnouisse adeò voluntatem defuncti intelligitur, vt conqueri ampliùs, & oppugnare testamentum sit nefas. l. 6. Cum donationis. de inoff. donatio. inf. quæ eo modo concilianda est. petitionem illam supplementi non esse necessariam filio in Gallia, sed esse saisitum, vt loqui mos est, posseque prouocare ad diuisionem, & sequestrationem, si ei fiat mora à cæteris, dixi ex Molinæo, sup. ad l. omnimodo. in princip. Cùm autem de apocha, seu transactione agitur quæ ex causa supplementi istius interuenerit, non parua equidem fat dudum ad hunc §. in publicis causarum actionibus, disceptatio orta est, nempe anno 1609. indecisam tamen reliquit ordo ampliss. censuitque amplius deliberandum. Docet Vid. Papius, q. 93. filium posse nihilominus, etiam eo casu, agere ad supplementum, quamuis, inquit, & acceperit, & protestatus non sit, nisi quod habet hic textus. insertum sit apochæ. quam falam esse aduersus eum exceptionem contendit Papius euixissimè. Conchylius ad consuetud. Niuern. §. 24. de iure coniugum, quæstionem agitat, an renunciatio valeat, facta supplemento legitimæ, eòque tandem recidit, vt dicat, valere nempe ob dubium euentum, quo pater, penes quem renuntiatio illa facta est, fieri possit pauperior. sic ille. Secus verò, si, mortuo iam patre, transigatur inter fratres. perpetua enim doctrina est interpretum, putà Baldi, Saliceti, Pauli Castrensis, Alberici, Angeli, & Iasonus, ad hunc textum, Bartoli autem ad l. quotics. §. si duo de hæred. instit. & ad l. si liberi. de oper. libert. ff. numquam depelli eum cui minus legitima relictum sit, à petitione supplementi, quæcumque apocha, renuntiatióque generalis eo nomine intercesserit. Itaque ait Iason, si frater det fundum sorori pro parte sua hæreditaria, quicquid illa conceptis verbis dixerit, nihil sese amplius petituram ex causa legitimæ, imò profiteatur sibi sufficere quod accepit, &, vt ait noster textus, *sese esse contentam relicta, vel data parte*, petit amen semper poterit supplementum, nisi expresse, ac nominatim adiiciatur, se numquam postea illud petituram. Desiderabam anxiè, dum causa acta est, vt solueretur hæc quæstio à senatu, nihil enim aliud disceptabatur à litigatoribus: nondúmque didici quid decreuerit. perorabant Per. Mauguinius, & Pet. Martellerius, trado tamen veram, communémque interpretum sententiam. miror Ferrerium, summum nuper in Senatu Tolosano patronum, qui eruditis obseruationibus illustrauit Widum Papium, intactum istud reliquisse ad d. q. 93. vbi nominatim de clausula huius paragrapi, factum verò arbitror, quia vt experientissimus erat patronus ambigi numquam de eo apud iudices Tolosanos vidisset. Quæsitum est in Senatu Aquensi an fructus percepti ab vno ex filiis, cui debetur sola legitima, imputari debeât in ipsam legitimam, vt nimirùm tantò minus accipiat: decisum verò est ex doctrina legis, iubemus. inf. ad Trebell. non esse imputandos. pronuntiauit Senatusconsultum in purpuris illustriss. Dom. Varus, hodie annuli Gallici custos, dum curiæ illi præesset, musiuóque quasi opere exornatum, cum aliis eiusdem curiæ selectioribus decretis, edidit. Idem etiam iudicatum, secundum ascendentes, refert Ferrerius, de quo suprà ad Vid. Pap. q. 478. ad quam tamen subijcit generaliter perpetuum id esse ex iure, digestorum in l. Papinianus. §. vnde si quis. ff. hoc tit, vt fructus minuant legitimam descendentium: quod & ita sentiunt omnes interpretes non modò ad d. l. iubemus. sed & ad l. filium quem. inf. fam. hercisc. ad quam, inter cæteros, ita vetus interpres, *fructus percepti non imputantur liberis primi gradus in Trebellianicam, aliis verò sic*: citátque d. legem, iubemus. vt textum qui in hoc, pro decisione perpetua esse debeat. Cur autem solis liberis primi gradus indulgeatur ea fructuum non imputandorum gratia, haud alia procul dubio ratio est, nisi quod, viuo etiam patre, quodammodo domini existimetur, vt loquitur Paulus in l. in suis. ff. de lib. & post. in cæteris secus.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 36. pen.

Scimus. Siue in totũ euictio subsequatur debitæ portionis .i. legitimæ, siue in partem,

vel alia res restitui debet, vel pecunia, vel repletio fieri, nulla Falcidia interueniente, &c.

Mens hæc totius constitutionis, ex verbis textus. vt autem hîc legitima naturæ in genere, atque indistinctè, dicitur debita portio, & tit. seq. debitum bonorum subsidium, ita & apud Matth. Affl. decisio. 160. atque apud Thomam Grammaticum, decisio. 101. qui ambo Senatores Neapolitani, paragium dicitur quota hæreditatis, loco legitimæ debita filię, vt nubat secundum dignitatem natalium. differúntque proinde, in eo quod legitima refertur ad bona dumtaxat ex quibus detrahitur: paragium verò ad vtrumq;, tam ad bona scilicet, quàm ad personas. vt enim minus esse non potest legitima, ita & aliunde dandum est habita ratione personæ quæ nubit: in quo facit optimè lex, cum post. § gener. ff. de iu. dot. hinc apud nos, vernaculóque Gallico, tametsi ferè obsoleto, dicitur, *fille de haut parage*: verbo, quod in hunc diem legitur apud varias Galliæ nostræ consuetudines, putà Turon. Andeus. Blæs. Armor. *fille mariée, & emparagée*, aiunt consuet. And. art. 128. & 241. & Cænom. art. 138. id est, *mariée à son pareil en noblesse.* Si secus facit, dicunt Normani, *desparager*. Raguellus in indice eonquisiuit, ad vocem *paraige*, multa equidem ex variis prouinciarum nostrarum moribus, ex constitutionibus Siciliæ, & Flandriæ Chronico, vt sanè auctor in huiusmodi valdè necessariis caralectis perdiligens, prætermisit tamen quod nuncad pleniffimam rei, verbique interpretationem ex duobus illis clarissimis Senatoribus Neapolitanis, de quibus suprà, per occasionem loci, affero. Vt autem quæ ad decisiones nostræ huius constitutionis spectant, persequar: quod dicitur, euictione secuta legitimæ vel in totum, vel in partem, supplementum, aut, vt habet textus, repletionem fieri pecunia, notandum quod attingit. Io. Faber, assignari videlicet legitimam non posse in quantitate pecuniæ: secus verò si euicta sit. exceptio enim illa nostræ legis est. Deinde quod de Falcidia non detrahenda textus subiicit, ratio perspicua fuerit ex l. quoniam in prioribus. supr. hoc tit. quòd nempe integra, nullóque onere adiecto, præstari debeat legitima. nec omittendum propterea quod abundè Argentræus ad hanc partem differit q. 5. & q. 39. *en l'aduis, sur les partages des Nobles*, pag. 2151. ostendit enim legitimam secundogenitorum statutariam, vt loquimur, non posse dari secundogenito inuito, in pecunia, vel reditu pecuniario, sed in solis corporibus hæreditariis, eorū enim reditus, (ait ille) labore, & cultura augeri potest: in reditu pecuniario secus. Agit insuper eodem illo tractatu, quæst. 6. de statuto Neapolitano dante postgenitis alimenta dumtaxat ad vitam, & militiam, nec verò vt per se illa habeant, sed per solius primogeniti beneficium. quod olim ex vetere Armoricorum, seu, Britonum statuto obtinuit, donec, ad iuges postnatorum querelas, quos malè afficiebant primogeniti, emendatum illud sit nouis moribus, quibus hodie portio illa secundogenitorum triens est bonorum, ad vitam, atque ex beneficio, aut vt ipsamet verba profetam, à *viaige & bien-fait*. dixi de imputationibus fructuum in legitimam, ad l. si quando. §. & generaliter. sup.

§. *Cum autem. De fideicommisso vniuersali relicto filio sub conditione, vel in diem, vsque ad legitimam ei debitam, detrahitur conditio, vel tempus: in reliquo manet fideicõmissum. quod enim post legitimam portionem detractam restat, restitui debet eo tempore quo testator voluit.*

Dixi ad l. quoniam in prioribus. sup. hoc tit. quod hîc sit satis. adieci autem paucula ex Paulo Castr. vt clarior sit textus.

§. *vlt. Quinquennium datur ad querelam mouendam, & currit à die adita hæreditatis, ad quam adeundam terminus hæredi assignatur nè defraudetur interim filius debito naturali. querela autem non praparata, vel nondum nata, quæ tamen nasci speratur, transmittitur per filium ad suos descendentes, seu ad suam posteritatem.*

Hæc ex textu longissimo, ex glo. Baldo, & Paulo Castr. mentem legis perficiunt. seruari autem omninò, quotidianisque experimentis, ostendo ad l. contra maiores: & ad l.si quis filium.sup.hoc tit. Cæterùm vt legitima appellatur hic debitum naturale, notabis ex Molinæo, consil.35. eam detrahi non modò de iis quæ supersunt, postquàm æs omne alienum dissolutum est, sed de iis etiam quæ siue in testamento, siue inter viuos donata fuerint: Item, portionem adeò esse hæreditatis, vt legitima nunquam debeatur ei qui hæreditatem repudiauerit. In hoc desinam. Lex enim vltima cùm agat de triplici peculio, pagano, Castrensi, & quasi Castrensi; cuius quasi Castrensis occasione memorantur causarum patroni, viri disertissimi, magistri artium literalium, archiatri, & alij qui salaria, seu stipendia percipiunt de publico, dixi de his, at verò & de clericis, atque monachis, eorúmque vsitato hodie peculio, ad rubricam, legésque varias tituli, de peculio, ff.

TIT. XXIX. DE INOFFICIOSIS DONATIONIBVS.

IMP. PHILIPPVS.

L. I.

Si, vt allegatis, mater vestra, ad eludendam inofficiosi querelã, penè vniuersas facultates suas, dum ageret in rebus humanis, factis donationibus, siue in quosdam liberos, siue in extraneos, exhausit: ac posteà vos ex duabus vnciis fecit hæredes, easque legatis & fideicommissis exinanire gestiuit: non iniuria iuxta formam de inofficioso testamento constitutam subueniri vobis, vt pote quartam partem non habentibus, desideratis.

Plura hic obseruanda sunt. Primùm enim vt semper à tituli, textúsque suscepti sententia ordiar. Docet plus satis Imperator excogitatas fuisse huiuscemodi inofficiosas donationes à parentibus, vt eluderentur inofficiosi querelæ, nec minueretur factatum donationum quippiam, nè quidem per legitimas vt in testamentis. consultum est igitur, & in hunc casum liberis, introducta scilicèt inofficiosæ donationis querela ad inofficiosi testamenti similitudinem. Ambæque proptereà vno dumtaxat casu differunt, quòd nimirùm per inofficiosi querelam, totius testamenti fiat rescisio: vbi autem de inofficiosa donatione agitur, detrahẽdum tantummodò vnde impleatur legitima: vel, vt loquuntur interpretes, reuocatur donatio vsque ad legitimam, l. pen. inf. hoc tit. & Nou.92. Quacumque enim arte defraudare conentur parentes liberorum, quibus non tam bene velint, innocentiam, passi non sunt Romani Principes vt auferatur naturale debitum: quippe quod in omnem causam, debeatur liberis, tanquam naturæ veris, genuinisque creditoribus, ait non modò Matth. Affl. Senator. Neapolit. decis.162. sed, auctor longè antiquior, ac elegantior, Procopius lib.1. de bello Persico, in hæc verba: φύσει τοῖς παισὶ τὰ τῶν πατέρων ὀφείλεται. οἵ τε νόμοι, πῇ διαλλάσσοντες ἀλλήλοις, ἀεὶ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις μαχόμενοι, ἐνταῦθα ἔν τε Ρωμαίοις, καὶ πᾶσι βαρβάροις ξυνίασί τε, καὶ ξυνομολογοῦντες ἀλλήλοις, κυρίους ἀποφαίνουσι τοὺς παῖδας εἶναι τοῦ τοῦ πατρὸς κλήρου. id est, natura liberis bona parentum debentur. & leges, cum inter se semper diuersæ sint, pugnéntque inter homines, in hoc tamen & inter Romanos, & inter omnes barbaros conueniunt, & consentientes inter se; dominos declarant liberos paternæ hæreditatis. sic Procopius ominari tamen non possum quî donationes istæ bonorum omnium fierent, n purè, ac simpliciter, an potius retento vsufru. Indistinctè istud textus: sique aduerta- ur ad seriem temporum, licebat nondum donare, retento vsufructu, ætate Philippi

Imperatotis à quo promulgata hæc lex, nec licuit nisi sub honorio, & Theodosio, qui auctores legis, quisquis.inf.de donation. Itaut fateri necesse videatur donationes istas omnium bonorum factas fuisse, contracta quadam à donatoribus fiducia, vt in emancipationibus, pactóque inter patentem, & filium tacito, vt nempe frueretur nihilominus parens donatis quamdiu viueret. Affectus certè immensus ille est, aut miseranda potius, fatuáque simplicitas: víxque propè est vt quis vnquam donet sua omnia, retento vsufructu, quamuis hodie, constitutionis illius Imperatoriæ exemplo, liceat. Imò improbatur à Romani iuris interpretibus, vt quis à se bonorum omnium proprietatem abdicet. Damnat, inter cæteros, Bartolus ad l. stipulatio hoc modo concepta. de verb. oblig. nouissimóque Argentræus ad consuet. Armor. vbi longè plurima ex auctoribus: quicquid fusissimè in contrarium disserat glossa pragmaticæ sanctionis, tit. de sublatione Clement. literis. Ratio Bartoli est, quia non solùm aufertur ex eo testandi libertas, sed & votum captandæ mortis inducitur. tolerantur propterea vno casu, si videlicet donator recipiat, seu, reseruet, vt loqui mos est, testandi, donandique ius ad certam vsq; pecuniam. fit hoc sæpissimè, tabulísque potissimum dotalibus. donauit in hûc modum nec ita diu illustriss. Cardinalis, cùm illustrissimam neptim collocaret nuptui: consiliúmque ad huiusmodi conditionales donationes reperies apud Alexandr. lib. 5. consil. 59. vbi plura noster Molinæus. vide etiam, si lubet, consuet. Borbon. art. 211. ad quem notat idem Molinæus, quamuis donatio sit vniuersarum facultatum, & donator, retento vsufructu, sibi recipiat, seu reseruet, vt dixi, testandi libertatem de certa quantitate pecuniæ, tamen intelligi istud de solis bonis præsentibus. Præclarè Baldus consil. 377. lib. 5. Qui donat, inquit, retento vsufructu, & onerat donatarium distributione dimidiæ partis bonorũ ad animæ ipsius donatoris remedium, potest nihilominus testari de dimidia destinata pauperibus, & reuocare in eo mandatum, tamquam datum executori. Respõdet verò iterum Baldus, lib. 2. consil. 270. ad aliam ferè similem speciem in hæc verba: Qui donat omnia sua bona inter viuos retento vsufru. & hoc adijcit, Donatarius distribuat post mortem meam dimidium bonorum meorum inter pauperes: reuocare posteriore testamento non potest donationem, cùm sit donatio inter viuos, non causa mortis. Sic ille: cuius tamen responso hoc subijciam ex Nic. Valla, maximo olim Senatore Paris. tractatu. 2. de rebus dubiis: constat, inquit, omnes ferè donationes, rei veritate inspecta, esse causa mortis, nam fieri solent vel ab infirmis, vel ætate confectis, vel à valetudinariis, aut propter mortis propinquæ periculum, aut cogitatione mortis. sic ille. egregium verò, quod scribit ad donationes vniuersarum facultatum de quibus nostra lex, Aristoteles lib. 5. politic. cap. 8. in fi. hæreditates videlicèt deferendas esse οὐ κατὰ δόσιν, ἀλλὰ κατὰ γένος, id est, non per donationes, sed per genus, ac sanguinem, seu relinquenda potiùs esse bona consanguineis, quàm extraneis donanda. Sunt qui, odio interdum in propinquos, imò & in ipsos liberos, aut pio etiã, sed nõ satis perpenso affectu, donãt quicquid per leges prouinciales licèt, modò pauperibus, modóque ecclesiis: miserósq; ita, & infœlices consanguineos, perpetuis in ærumniis, angustiísque rei familiaris deserunt: coërcitum autem hoc semper à Senatu, nec tantùm vsque ad legitimam, vt censet in hanc ipsam speciem Paulus Castrens. hìc, num. 4. sed in totum, vt inter cętera nouissimè visum est in testamento ditissimæ matronæ (Corbiam, al. daruergues, vocabant) quæ, ex hæredibus factis, filia, ac nepotibus, sua omnia bona ecclesiæ, pauperibúsque donauerat: id verò, vt constabat, in odium filiæ. causa celebri actione disceptata est in majore auditorio, ann. 1617. die 15. Iunij, à Pet. Martellerio, & Iac. Talæo, tandémque, infirmato testamento, filiæ, ac nepotibus bona addicta sunt. trado aliud Senatuscon. in eandem hypothesim ad l. pen. ff. de probation. dixíque de eo ferè quod satis ex D. Augustino, aliísque ecclesię scriptoribus classicis ad l. Papinianus. §. si imperator. de inoffic. testam. ff. Quæsitum est, vbi de reuocanda immodica donatione agitur, ponendáque Falcidia: quorum bonorum ratio habenda sit: vno autem verbo decidit Cuiacius, lib. 5. obseruatio. cap. 14. non præsentia modo, sed etiam antè donata bona ad calculum reuocari oportere, totiúsque ex eo patrimonij summam spectandam esse.

IMPP. VALERIAN. ET GALIENVS.

L. 2.

Si pater omne patrimonium suum, impetu quodam immensæ liberalitatis, in filium effudit: arbitri famil. hercisc. officio congruit, vt tibi quartam partem debitæ ab intestato portionis præstet incolumem.

Impetum hunc paternæ, immensæque liberalitatis erga vnum ex filiis, haud abs re dixerimus cum Basilio, epist. ad Gregor. Nazianz. ἔρωτα δυσέρωτα. valdéque propriè vernaculo Gallico, *vn amour desreglé*. longè enim ab eo differt στοργὴ φυσικὴ, seu affectus ille naturalis quo propendéte æqualiter debent parentes in singulos liberos, ipsísque ex æquo bona sua relinquere, vt iubet lex, vt liberis. inf. de collationib. egregiè Dio, lib. 52. ἰσονομία ἰσομοιρίας ὀρέγεται: ἢ τυχοῦσα μὲν αὐτῆς, χαίρει, διαμαρτοῦσα δ' ἄχθεται. id est, æqualitas generationis æqualem bonorum partem desiderat. Si eam contigerit, gaudet: si frustretur, ægrè fert plura sunt eo loco. Iustinus lib. 3. *fundos omnes æqualiter diuisit, vt æquata patrimonia neminem potentiorem redderent*. Eleganrissimas duas declamationes, seu μελέτας παραμυθικὰς, scripsit Libanius, quarum altera (quadragesima prima illa est) agit de patre qui duos habens filios, alterum exhæredauit. Sed qui domi erat, cùm strenuè, & fortiter se gessisset, ἄριστος, ait textus, in præmium petiit, fratrem in partem admitti. reclamante patre, non persuasit. Iccircò ipse exhæredari postulat. Altera autem, quæ quadragesima est, cùm duo essent filij, & alterum hostiliter odisset pater, ægrotans alteri filio iussit, vt se vnum tabulis hæredem scriberet: hic verò & fratrem scripsit. Qua re cognita, conualescens pater abdicauit eum qui adscripserat. Verba textus: νοσήσας ὁ πατὴρ, καὶ εὑρὼν καὶ τὸν ἕτερον ἐγγεγραμμένον, ἀποκηρύττει τὸν ἐγγράψαντα. his ita præmissis, καὶ ὡς ἐν παρέργῳ, interpreror iam quæ ad quotidiana rerum forensium. Distinctio enim in hanc partem apprimè necessaria est. Aut ambo parentes, vel alteruter, omne suum patrimonium impetu illo effudére in vnum ex liberis, donatione inter viuos, ritè, ac rectè accepta, & insinuata: quo casu, si de consuet. Paris. agatur, valet illa donatio, vulgato textu, art. 272. d. consuet. titulo quippe singulari, & particulari, vt loquimur, illud fit: satisque, si modò renuntietur hæreditati à donatario, art. 303. Ibidem. Aut testamento illud fit: & tunc irrita procul dubio voluntas inter liberos, ex eadem consuetudine quæ vetat, d. art. 302. nè quacumque ex causa sit vlla inter cohæredes inæqualitas. Quod adeò perpetuum in prouinciis nostræ Galliæ, quæ mores patrios anteponunt, vt, sola ferè excepta Bituricensi, neque ex donatione inter viuos, neque ex testamento liceat efficere conditionē vnius liberorum auctiorem, ac meliorem cæteris. Si secus fiat, liberi reliqui agere possunt inofficiosæ donationis querela aduersus donationem, non minùs quàm aduersus testamentum: id verò quantumuis sint hæredes patris. fallit enim tunc regula quæ vult hæredem teneri de eo quod defunctus fecerit, ac promiserit: quoniam, vt docet hîc Bartolus, potest hæres aduersari facto, ac promissis defuncti si ab eo aduersus iura, legésque patrias factum, donatúmve quippiam fuerit. Cum autem in hac l. donauerit defunctus sua omnia per modum quotæ, notanda etiam Io. Fabri doctrina est, vt possit nimirùm donatarius conueniri tanquam hæres. Quæsitum est cùm inter liberos, id est, in linea directa hæc obtineant, verùm & in fratribus etiam testatoris, eorúmve liberis, exterísque in vniuersum qui sunt à latere. Rata autem fori sententia illa est, valere eo casu donationem seu inter viuos, seu ex testamento facta sit. itaut frater liberis fratris legare possit mobilia, & quæstus, quoscumque habeat, quamuis aliundè & frater ille superstes fratri testatori succedat in auito patrimonio. nec secuamus proinde, inter collaterales, regulam iuris, qua dicitur, hæredem hæredis, testatoris esse hæredem: vt prohibeatur ex eo donatio patrui. Sunt enim illi quasi extranei: nullàque fratri querela inofficiosi aduersus testamentum fraternum competit, nisi turpi persona instituta, vulg. l. fratris. & l. fratres. sup. de inoff. test. Sic

optimè Isocrates,ad Demonicum,amicos cognatis præfert, τοῖς τῶν φίλων προσήκουσιν: ait ille.rationémque elegantem continuò subiicit ex natura, atque ex moribus, quibus amicitia iungitur. Sic verò & apud Euripid.in Oreste,

Μυρίων κρείσσων ὁμαίμων φίλος.

id est, innumeris consanguineis amicus melior, nec propterea debetur eis ab intestato hæreditas nisi ex necessitate,& quoniam,vt scribit Cic.lib.2. de legib.nulla persona est quæ ad vicem eius qui è vita emigrauerit propiùs accedat. Ita igitur iudicat semper ordo amplissimus.longius esset proferre iudicia: vide quod faciat satis non modò apud Loëtium,in lit.D.num.17.sed & apud necessarium illius schol.at vide etiam quæ effudi ipse ad d.l.fratris.

IIDEM AA.

L. 3.

Precibus quidem tuis proposita rescripta eos parentes denotant, qui cùm testamento facto viui patrimonium suum immensis donationibus exinaniissent,inane nomen hæredum liberis reliquerunt. sed ad intestatos quoque eadem ratio æquitatis extenditur.

Faciliùs ita: Querela inofficiosæ donationis habet locum etiam contra donatarios, vt reuocetur eatenus donatio quatenus est bonorum subsidium,seu legitima. Nota autem ex l.cùm quæritur.sup.de inoffic.testam.spectari quidem tempus mortis,vt sciatur quanta esse debeat legitima: sed hoc quando illa petitur titulo vniuersali. secus si particulari,vt ex transactione:ait Chassaneus ad consuetud.Burgundiæ,rubr.7.§.2.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Si filius tuus immoderatæ liberalitatis effusione,patrimonium suum exhausit,Præsidis prouinciæ auxilio vteris, qui, discussa fide veri, si in integrum restitutionem ex filij persona tibi competere ob improbabilem donationis enormitatem animaduerterit: in remouendis iis quæ perperam gesta sunt,tibi subueniet. Ideóque non est tibi necessarium aduersus immodicas donationes auxilium ad instar inofficiosi testamenti.

Vult inofficiosæ donationis querelam necessariam non esse, si in integrum restitutio ex filij persona patri, vel matri competat ob improbabilem donationis enormitatem. Ratio: quia subsidiaria hæc querela:nec vnquam concurrit cum remedio extraordinario:aiũt interpretes.arg.l.in causæ.2.de minor.ff.maximè verò id,quoniam, vt impetratur extra ordinem restitutio, ita & rescindi ex eo donationem, nemo bene peritus non dixerit,si filius,ex cuius persona agit mater, fuerit læsus, & minor.ann. 25. cùm tam immoderatè donauit. Transmisit enim beneficium restitutionis ad matrem, vt in l.non solum.de in integr.restit.ff.officerétque illa suis rationibus si querelam inoff. donatio.moueret,vt qua duntaxat reuocaretur donatio ad legitimam. nec admittendum propterea vt beneficium longè maius, plenius, ac potentius concurrat cum inferiore,ac speciali,& particulari,vt loqui mos est: arguúntque hoc ipsum ex textu Bartolus, Baldus,Salic.& Paul.Castrens.quæ doctrina etiam fori est. Decurritur enim potius ad diploma regium,si quæ læsionis rima pateat aduersus instrumentum,de quo querimur, quàm vt instituatur vulgaris quædam actio.

IIDEM AA.

L. 5.

Si totas facultates tuas per donationes vacuas fecisti, quas in emancipatos filios contulisti: id ex factis donationibus detrahetur, quod ingratis liberis relinqui necesse est vt summoueatur inofficiosi testamẽti querela, & filij, vel nepotes posteà ex quocumque matrimonio legitimo nati debitum bonorum subsidium consequantur.

Paucis immutatis ita textum explano. Populariùs verò & sic Baldus, atque Salicetus: quod immoderatè vni ex liberis donatum est, propter superueniẽtes liberos, vsque ad legitimam reuertetur in patrimonium donatoris. Tamen & interpretandum istud paulò diluriùs ex doctrina tam Bartoli ad hunc textum, quàm Pauli Castrensf. ad l. 1. nu. 4. hoc tit. Aut enim donatum est extraneo, & tunc reuocatur vniuersa donatio, si suscipiantur posteà ex noua coniuge liberi, vulg. l. si vnquam. de reuocand. donation. aut donatum est vni ex liberis, & tunc reuocatur etiam donatio, sed pro liberorum, qui postea nati sint, numero, nimirùm ex tacita voluntate donantis, vt hîc, & l. filiæ. de legat. 3. l. quæsitum. § ipse quoque Papinianus. de fundo instr, quibus textibus allegatis à Bartolo, addam & singulatem ex l. tale pactum. §. vlt. ff. de pact. ad quem locum cùm varia ex melioris notæ auctoribus, atque ex Senatusconsultis adiecerim, claudetur hîc nostrum scholium, si tamen dixero, vt legitimam vocant Imperatores debitum bonorum subsidium, id est, beneficium legis, non patentis, ita & portionem deficientem eius qui, per ingressum religionis, fit incapax, vel qui abstinet, accrescere hæredi vniuersali, imò & omnibus in genere quibus competit legitima. Doctrina ea est, scitúque dignissima, Molinæi, consil. 29.

IIDEM AA.

L. 6.

Cùm donationibus in fratrem tuum collatis, facultates patris tui exhaustas esse, eumdémque patrem vestram ea quæ superfuerant, codicillis inter vos diuisisse proponas: si voluntatem eius non agnouisti, &c. de enormitate donationum ad exemplum inofficiosi testamenti Præses prouinciæ iurisdictionis suæ partes exhibebit.

Hinc interpreres: Qui expresŝè renuntiat, vel tacitè, accipiendo legatum, voluntatem patris agnouit, de enormitate donationis quæri amplius non potest, nisi beneficio ætatis iuuetur. nè tamen fallatur quis in eo quòd velint Imperatores à contrario, per agnitionem, acceptionémq; legati, tolli querelam inofficiosæ donationis: notanda distinctio est Bartoli, Baldi, & cæterorum ad hunc textum, inter querelam inofficiosi, & actionem ad supplementum. qui enim agnoscit legatum sibi factum testamento de quo queri poterat, repellendus equidem si queratur posteà. supplementum autem legitimæ, vel ad annos vsque triginta petere poterit, nisi disertè, ac specialiter supplemento illi renuntiauerit. l. si quando. §. & generaliter, sup. de inof. testam. ad quam dixi,

IIDEM AA.

L. 7.

Si mater patrimonium tuum ita profunda liberalitate in fratrem tuum, euisceratis opibus suis, exhausit vt quarta partis dimidium non habeas: &c. quod immoderatè gestum est, reuocabitur.

Vult in summa, donationem inofficiosam reuocari quatenus modum excedit. quod & in l. seq. sic verò, vbi de donationibus quæ hodie, maximéque in auitis, egrediuntur notissimos legum prouincialium terminos: veluti, si quis, apud Parisienses, vltra quintam partem patrimonij, testamento legauerit, detrahetur enim duntaxat quod excedit: cùm ei condonandum scribat Iurisconsultus qui, in æstimatione faciẽda patrimonij sui, aberrauerit. l. 79. Cùm pater. §. pater. de leg. 2.

IIDEM AA.

L. 8. quæ pen.

Ferè nihil, præter verba quędã, notandũ video: *veluti, cùm aduersus eorum cogitationes qui consiliis* (gl. malignis) *supremum iudicium anticipare contendunt, & actiones filiorum exhauriunt, aditum querelæ ratio deposcat.*

Applicari enim id possit in eos qui quod testamento valiturum non esse, firmarique non posse prospiciunt, per donationes, contractúsque interpolatos efficiunt. quod frequentissimum inter virum, & vxorem, non susceptis ex eorum matrimonio liberis. aut inter cœlibem locupletiss. & consanguineum, consanguineósve nonnullos quos præ cæteris diligat. Item, *communi consentiente domino*. rectissimè glossa explicat, id est, *marito*, eodémque patre. agit enim de donatione inter virum, & vxorem, déque filio eorum emancipato, cuius, vt & vxoris, vocat lex patrem, eundémque maritum, communem vtriúsq; dominum: itaut nihil vxor donare, alienaréque possit, nisi cõsentiat & auctoritatem præstet, id verò quæcumque bonorum separatio intercessetit, vt iudicat de more ordo amplissimus. sic dicere solemus nos Galli, vbi contrahir, quacumque ratione mulier, *estant auctorisée d'vn tel, son mary.*

TIT. XXX. DE INOFFICIOSIS DOTIBVS.

IMP. CONSTANTINVS.

L. vn.

Cùm omnia bona à matre tua in dotem dicantur exhausta, leges legibus concordare promptum est, vt ad exemplum inofficiosi testamẽti aduersus dotem immodicam exercenda actionis copia tribuatur, & filiis conquerentibus emolumenta debita deferantur.

Singularis glossa hîc, quæ matrem intelligit de transeunte ad secundas nuptias, pa-

ctúmque cum viro faciente de luctanda dote. sed hanc querelam cessare iure nouo legis, hac edictali.inf. de sec.nupt. vt docent omnes interpretes, ita & nostrum esse ius Gallicum hodie dicimus, latis duobus edictis ad exemplum d.legis, hac edictali. Alterum est sub Francisco II.ann.1560. quo vetatur vidua quæ secundò nubit, donare nouo marito amplius quàm consecuturus sit ex sua hæreditate quiuis liberorum, & cui minor portio obtigerit. Quotidianum hoc, nec eget proinde vllius Senatusconsulti auctoritate adiecta. Alterum verò latum est Blæsis ab Herrico 3.ann. 1579. quo sancitum est, vt si vidua susceptis ex priore matrimonio liberis, secundas cum vili, ac indigno, nuprias ineat, aut interdum cum famulo, cuius infœlici cupidine capta sit, ait lex vn. de Senatusc. Claud. aut bacchata potius, vt tit. de successionibus, quæ fiebant per bon. vēdit.lib.3.Institut. nihil prorsus, & quocumque colore, donare possit huiuscemodi marito: Imò interdicatur ei bonorum omnium mobilium, ac immobilium quæcúmque alienatio. memini, cùm P. de Beau-jeu, anno tricesimo, patréque honesto, ac diuite natus, duxisset viduam veteris cuiusdam aulici (Cangæum vocabant) quæ ferè quinquagenaria, quatuor filias nubiles habebat, diuitiarúmque non ignobilem luculētiam, acri adeò contentione egit Cl.Duretus, tunc in Senatu patronus opiniosissimus, cui primogenita, superstite adhuc Cangæo, nupserat, vt, quamuis, seu per claritatē natalium, seu per diuitias, haud tam indignus esset eiuscemodi vetula, quæ ex facto eum ad se pellexerat, cum ambiret ille appeteretque minorem filiam: tamen in odium libidinosæ istius matris quæ iuueni marito donasset, procul dubio, bonorum suæ prioris societatis partem maximam, confirmata sit Senatusconsulto iuridici Turonensis, qui audacter ex edicto Blæsensi interdixerat, iudicium. Optimè equidem Baldus ad hanc l.cùm ait, *secundas nuptias esse contristationem filiorum primi matrimony.* sunt eius verba. Vt autem eodem commentario attingit idem Baldus statutum Florentiæ, quo, muliere mortua sine liberis, tota dos cedit lucro mariti superstitis, ita & nemo bene peritus, egregiéque cordatus, probauerit, opinor, sententiam Pauli Castrensis ad hunc eundem textum, profitentis auctorem se fuisse vt statutum illud obtineret etiamsi extarent liberi primi matrimonij; vanáque equidem, ac infruuita est ratio qua nititur. *Alioquin*, ait, *non reperiret vidua maritum si qui essent ex priore matrimonio liberi.* Prudentiores longè Galli legislatores, qui cauerunt semper nè in aliquo fatuæ, impiæque matres, per secundas nuptias, prioribus liberis nocerent. dixi plura ad tit. de donat. inter vir: & vxor. ff. Cæterùm quod dicitur in textu, *leges legibus concordare*, maius nihil, penitiúsve quicquam complectitur, nisi vt, quod ait glossa ad nouum hunc legis istius casum, referri debeat quod in inofficioso testamento, inofficiosisque donationibus, superioribus duobus titulis Imperatores sanciunt: clarissimúmque hoc ex sola lectione textus breuissimi. Nec istud proinde ad axiomata iuris, vt putat vulgus, pertrahendum est.

TIT. XXXI. DE PETITIONE HÆREDITATIS.

IMP. M. ÆLIVS ANTONINVS.

L.I.

Senatusconsultum auctore diuo Hadriano, auo meo, factum, quo cautum est quid, & ex quo tempore, euicta hæreditate, restitui debeant: non solùm ad fisci causas, sed etiam ad priuatos hæreditatis petitores pertinet. vsuras autem pecuniarum, ante litis contestationem, &c. & fructus, &c. bona fid. possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores facti sint. post litem autem contestatam, fructus quos perceperunt, & percipere potuerunt, vsurásque pretij rerum ante litis contestatio-

nem venditarum, ex die contestationis computandas, omninò reddere compellantur.

Componenda omninò lex, sed etsi. & lex, item veniunt. ff. hoc tit. ad quas dixi de fructuum perceptorum, percipiendorúmque restitutione, quantum sit satis.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 2.

Si post motam controuersiam, &c. Fructibus augetur hæreditas, cùm ab eo possidetur à quo peti potest.

Glo. vt quia possidet pro hærede, vel pro possessore, vel titulo qui habeatur, instar tituli. notat verò Ioan. Faber hic, non dici eum habere titulum qui rem litigiosam emit. Quærit Paulus Castrens. ac cæteri, vtrùm petitione hæreditatis agi possit aduersus eum qui habeat titulum: quod tamen adeò confusè, implicitéque discutiunt, & si longo sermone tam & hic quàm ad l. 7. hæreditatis. inf. hoc tit. vt ferè quid velint, nesciant. Qui possidet cum titulo, ait Bart. ad d. l. 7. habet titulum, & possessionem, melior ergo conditio est possidentis in pari causa. Parem verò causam non esse vult Salicetus, ibidem, si possideatur pro hærede, vel pro possessore, cum sint tituli putatiui. concluditque, titulum Rei oportere esse fortiorem titulo actoris: eáque etiam Baldi ad d. l. 7. sententia est. contrarium tamen sentire videtur Castrensis ad d. l. 7. aliud esse inquiens in petitione aduersus titulo possidentem, aliúdque aduersus eum qui sine titulo, saltem idoneo, & efficaci possidet. non competit aduersus titulo possidentem post decennium: competit autem vsque ad 30. annos contra eum qui sine titulo possidet. vera hæc equidem sententia est, & ita seruamus. Cæterùm vt fructibus augetur hæreditas, ita & in eadem hæreditatis petitione speciale hoc, vt possessor pretium quod ex venditione rei hæreditariæ percepit, restituat: quia in locum hæreditariæ rei venditæ pretium eius succedit, & quodammodo ipsum hæreditarium factum est, l. si & rem, & pretium. ff. hoc tit. ista ex vsu.

IMP. ANTONINVS.

L. 4.

In restituenda hæreditate, compensatio eius habebitur quod te in mortui infirmitatem, ínque sumptum funeris bona fide, ex proprio tuo patrimonio erogasse probaueris.

Iunge l. si necessarias. ff. de pignor. act. & l. legatum. inf. de religios. notandum verò apprimè quod habent Baldus, & Paulus Castrens. ad hunc textum, impensas videlicet factas in infirmitatem, ac sepulturam defuncti, æquiparari, regique iisdem regulis. Addit Castrensis, non quidem stari penitus dicto simplici, aut etiam iuramento hospitis qui eas se fecisse dixerit, probationem tamen posse fieri per verisimiles coniecturas. memini agitatam variè, ac eruditè hanc l. ann. 1580. die 19. April. in maiore auditorio, matutináque sessione à Dom. Brissonio, tunc fisci patrono, in causa creditorum. Nic. de Fizes, vnius è quatuor notariis secretorum Principis, qui aliàs dicebatur, de Saulues. Euiscemodi creditorum variæ erant species, alij enim cupediarij, alij candelarij, fabri Ferrarij, muliones, Pharmocopæi, aliique complures quorum debita probata, subscribátque fuerant à defuncto, & eius coniunge, stante matrimonio. certabántque singuli ex causis, priuilegiisque, vt videbatur, meritissimis. Pharmocopæus verò quòd Pharmaca sua, operam, labotémque assiduum nec interdiu duntaxat, sed & noctu impendisset offi-

set officiosissimè ad valetudinem defuncti, longè potiorem ex eo priuilegij sui causam contendebat. Imperantes enim ægrotos non alia ratione dixerunt Alphenus, in l. 26. Medicus. ff. de oper. libert. Seneca lib. 6. de benefic. & lib. 1. de ira. Varro lib. 1. de re rustica. Donatus in Andriam Terentij. Itaut malè Haloander subiecerit verbum, *implorantes*, pro, *imperantes*, in d. l. medicus. maximè cùm sciatur ex vsu, atque experimentis, tradere se medicos, potissimúmque Pharmacopæos, non commendare, quod ait rursus Seneca, curandis, leniendis, temperandis, auertendísque morbis ægrotantium: cecinit propterea rectissimè Euripides in Hyppolyto:

Κρέσσον δ' νοσεῖν, ἢ θεραπεύειν,
Τὸ μὲν ἐστιν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει
Λύπη τε φρενῶν, χερσίν τε πόνος.

id est, melius est ægrotare, quàm curare ægrotum, illud quidem est simplex, huic verò adiungitur tristitia animi, labórque manuum. hócque ipsum est quod scripsit Hippocrates aphorismo primo: παρέχειν τὰ ἔξωθεν, i. præbere externa: medicus enim, vt eodem loco dicitur, debet & præbere quæ necessaria sunt, τὰ δέοντα, inquit textus, fungíque officio vario, prout incurrens, excurrénsque ægritudo exigit. at verò & omni culpa vacare, aliundéque explorare singula quælibet vt bene habeat ægrotus, abscedátque periculum. Ex his igitur, continuísque, & assiduis erga defunctum ministeriis vrgebat Pharmacopæus aduersus creditores cæteros, vt qui præbuissent quidē, vnde viueret defunctus, put à panes, carnē, & alia id genus: ipse autē pharmaca, operámq;, ac laborem indefessum adhibuerat, vt nè decederet. qua insuper ratione vtebatur aduersus viduā quæ, renūtiatione facta societati, putabat fore se hoc ære alieno liberam, quamuis vnà cum marito comprobasset, & subscripsisset rationes à singulis oblatas, stante adhuc matrimonio, vt dixi suprà: publicam denique esse causam suam, nec tantùm priuatam, cùm æqualiter ad omnes medicina sola pertineat, nulláq; res tam necessaria sit omni generi hominum quàm medicina, vt fusiùs differit Fabius, declamatio. 268. Lucianus autem in abdicato: τὸ τῆς ἰατρικῆς ὅσῳ σεμνότερόν ἐστι, τοσούτῳ καὶ τῷ βίῳ χρησιμώτερον. eligi inde solitos medicos in ciuitatibus, testatur Plato in Gorgia. frequentissimúsque in hoc ipsum textus in l. 1. ff. de decretis ab ordine faciendis. prælatus igitur Senatusconsulto extemporali Pharmacopæus. cuius Senatusconsulti mentio fère ab omnibus, qui ex eo tempore scripserunt, facta est. Ita enim Bacquetius cap. 21. num. 291. de iustit. & iure, Chopinus ad consuet. Andens. lib. 3. cap. 3. tit. 5. Loëtius num. 29. in lit. C. Chanutius, quæst. 86. & cùm paulò pòst aretographus ille forēsis P. typis nouis sua hinc illinc emēdicata à patronis, imò & procuratoribus Paris. nec satis ferè semper intellecta aresta excudisset, memini & istud missum à Mich. Thelio, procur. ingeniosissimo, quatenus à nobis & hoc, & alia quædam, vt ad paganum illum scriptorem, amicum suum, qui efflagitabat istam operam, mitterentur, accepisset. Vnum de chirurgis superest, prælati quippe etiam sunt cæteris creditoribus ann. 1596. die 8. Februar. duo illi præstantissimi, publicóque vtilissimi, Colotij, qui calculum potenti tunc aulico, Dosio, pacta quingentis aureis incisione, exemerant: neque quicquam hodie in foro hac doctrina certius.

IIDEM A.

L. 5.

De hæreditate, quam bona fide possidebas, si contra te pronuntiatum est, in restitutione eius detrahetur quod creditoribus eiusdem hæreditatis exoluisse te bona fide probaueris, nam repeti à creditoribus, qui suum receperunt, non potest.

Componenda omninò lex, vlt. inf. hoc tit. & vulg. l. repetitio. ff. de condict. indeb. ad quam tamen noua recensione, suppleui quod festinantiùs paulò, prima editione, perstrinxeram. Vno verbo, d. lex, repetitio intelligitur de reali actione. lex, si pœnæ. eod

Bb

illo tit. de cond. indeb. ff. intelligitur de personali. lex ista, & d. l. vlt. quando quis non proprio nomine, sed appellatiuo, tanquã hæres, contemplationéque hæreditatis quam putabat suam, soluit: quod optimè ita Baldus hìc.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 7.

Hæreditatis petitionem quæ aduersus pro hærede, vel pro possessore possidentem exerceri potest, petitione longi temporis non submoueri, nemini incognitum est, cùm mixtæ personalis actionis ratio hoc respondere compellat. à cæteris autem tantùm specialibus in rem actionibus vindicari posse, manifestum est: si non agentis intentio per vsucapionem, vel longum tempus explosa sit.

Mixtam personalem actionem ideò appellat petitionem hæreditatis, quia fit in rem, & in personam: duratque ex eo 30. annis, tam hìc, quàm l. hæreditatem. in quib. caus. cessat longi tempor. præscr. & l. licet. de iu. deliber. inf. sunt hi textus forenses vsitatissimique ad præscriptiones hæreditatum, vt scilicet pacata sit, inter maiores, & triginta annorum possessio. quo & proinde referenda lex. 3. sicut. de præscr. 30. annor. atque cap. vigilanti. de præscr. vbi auctor legis illius, *sicut.* nempe Theodosius, iunior, Theodosij senioris nepos, & Arcadij filius, vocatur Ephesinus legislator, quia Ephesinum concilium indixit aduersus Nestorium, archiepiscopum Constantinopolitanum, qui beatam Virginem, θεοτόκον, id est, deiparam, vocandam esse impudentissimè negauerat, propterea quod ab homine Deus nasci non posset. mendúmque propterea in inscriptione, quæ præfert Arcadij, & Honorij nomina, docebunt Procopius lib. 1. de bello Vandilico, in pr. & totum consilium Ephesinum, maximè in prima parte, cap. 32. & in secunda parte, act. 1. cuius hæc verba in prin. *Post consulatũ dominorũ nostrorũ, Flauij quidem, XIII. Valentiniani verò III. semper Augustorum. X. Cal. Iullij, synodo congregata in Ephesiorum Metropoli, ex decreto religiosissimorum Imperatorum: & considentibus in sanctissima ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis episcopis.* In quo tamen prætereundum non videtur, quod statim eodem concilij principio subsequitur, vt clarum sit, non Imperatorem, sed S. Pontificem Romanum præfuisse. Sic enim: *Cyrillo Alexandriæ, qui & cælestini quoque sanctissimi, sacratissimique Romanæ ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, &c.* moneo ista in transcursu, cùm pauci aduerterint. fateórque debere me hanc obseruationem Clariss. Sanctandreano iamdudum, apud Basilicanos recuperatores, Præsidi, cùm incidisset, ante triginta annos, literaria, inter sermones, hæc discussio. De petitione autem hæreditatis aduersus titulo, vel sine titulo, saltem habili, ac efficaci, possidentem, dixi quod satis ad l. 2. sup. hoc tit.

IIDEM A A.

L. 10.

Si filiusf. delatam sibi hæreditatem per longum tempus detinuit: eo ipso, vt pote agnita hæreditate, patri suo eius commodum acquisisse videtur.

Hinc Baldus, & Salicetus: ex diutina possessione præsumitur solennitas extrinseca, id est, patris consensum præcessisse. Refert istud Præses Magister cap. 31. & cap. 48. de bonorum publicationibus, ad decreti auctionalis solennitates edictis, patriisque prouinciarum moribus præscriptas. docet enim præsumi ex verbis narratiuis istas interue-

nisse, si quinque, sex, decem, aut 20. anni excesserint: obtinuisséque id tandem ob litigatorum malignitatem, qui subductis persæpe instrumentis auctionalibus, appellabant postea ab adiudicatione, quasi non adhibitis solennibus facta fuisset. hodie autem doctrina ea fori est, vt post decem annos, mouere nihil amplius liceat de solennibus, dummodò instrumento decreti auctionalis enunciata sint singula. liquétque ex his quanti momenti sint experimenta quotidiana, ac forensia. Certum enim nihil quippiam glo. doctrináque Iasonis, & cæterorum interpretum ad l. sciendum. de verb. oblig. vbi fides materiæ de solennitatibus intrinsecis, atque extrinsecis, & quando præsumi debeant. Incertum verò tantus Præses relinquit quanto tempore obstruatur os vitilitigatoribus contendentibus defuisse quod tamen adsuetit. Nos tandem hodie perspicuum, verum, indubitatúmque morem tradimus, ex quo deinceps conquiescant eiuscemodi quæ olim fuerant, ex ambiguis anteceessorum scriptis, palatina, vt sic loquar, iurgia Longius autem multò temporis spatium desiderant nonnulli vt præsumatur vnionis ecclesiæ alicuius solennitas. Cùm enim præsumi eam scribant ex diuturnitate temporis, Alexander lib. 6. consil. 119. & Boërius q. 345. id verò etsi aliunde non proferatur rescriptum pontificium: aliis visum est, 40. annis opus esse: eo enim tempore, inquiunt, nec priùs, mutatur status beneficij, cap. cùm de beneficio. de præbend. in 6. Accedat, quòd præscriptio illa sit ecclesiæ contra ecclesiam. cap. de quarta. de præscript. in antiq. Vsitatũ deniq; ita docet Molinæus toto consi. 44. & ad Decium, consil. 233. Censet tamen ille eod. loco, ad Decium, impetrari posse beneficium malè vnitum, tanquam vacans iure deuoluto, absque præuia vlla declaratione nullitatis: & vincunt, inquit, impetrantes etiam in possessorio, non obstante longa, & pacifica possessione, possidentium tanquam vnitum: quia scilicet non possederint vt beneficium, sed tanquam proprietatem, & ita, ait, practicatur. additque fieri hodie debere vniones, ex pragmatica sanctione, per ordinarios, & diœcesanos: aliàs si per solum pontificem, appellari posse ab abusu. sic ille. Necesséque hoc fuit adijci, vt intelligatur quod indistinctè habet ad hanc l. Bartolus, explicans longum tempus de vicennio. Dat exempla Paulus Castr. de iis quæ probantur per coniecturas ex longo tempore, putà in diuisione facta inter fratres qui seorsim diu, pérque annos decem possederint: de quo & glossa. ad l. si maior. commu. diuid. cum l. non ideo. famil. hercisc. inf. vide ad d. l. si maior. de vsu Gallico. Dat etiam in seruitute transeundi per fundum alienum, si nempe per longissimum tempus, te sciente, ac patiente, factum illud sit. in quo tamen nec longissimum tempus sufficere adnotat, cùm sit seruitus discontinua. vt reuera hodie titulo semper opus est. Nemo autem accuratius, tametsi rudi sermone, vt in cæteris, explicat quid sit intrinseca solẽnitas, quidque extrinseca, quàm Io. Faber ad §. vlt. institut. de fideiussorib. Solennitas intrinseca, ait, præsumitur, sed non extrinseca. quia extrinseca in facto consistit, nec ad positionem vnius facti, sequitur positio alterius. Intrinseca verò est quam verborum prolatorum includit significatio, veluti, in verbo fideiussionis includitur stipulatio, quia sine stipulatione non valet fideiussio. Extrinseca vero illa est quam nec verborum prolatorum includit significatio, imò & quæ nec apta est vt includat, veluti, si scriptum sit, mulierem intercessisse, non sequitur, renunciasse eam Velleiano Senatusconsulto. Idem & in prædio minoris vendito. non enim sequitur, decretum interuenisse. sic ille, cuius verba paulùm expoliui.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS.

L. 5.

Cogi possessorem ab eo qui expetit, titulum suæ possessionis dicere, inciuile est, præter eum qui dicere cogitur vtrùm pro possessore, an pro hærede possideat.

Hinc Glossa, & alij interpretes: qualitatem seu titulum, possessionis conuentus possessor reali iudicio non tenetur dicere, nisi vbi de petitione hæreditatis agitur. In cæte-

tis satis est, si dixerit, possideátve vel non, latè autē ostendo ad l.4. sup. de edendo, quàm graue sit, vt quis parare in se cogatur vnde malē habeat. memini, cùm eques paracleticus, Inteuillius, Campaniæ rector, conueniretur circa annum 1584. ab illustriss. Principe, Francisca Aurelian. illustriss. Herrici Borbonij, Condeani Principis, vidua, vt parte dimidia Ormianæ syluę cederet, ad cuius litis ingressum, procurator Inteuillij professus fuerat, prima sua depulsione, editurum se instrumenta quibus fulciretur ipsius possessio: itaut tota in id staret contestatio, iuxta Ruscinonensis edicti præscriptum, artic. 5. Inteuillius, agnita illa procuratoris crassa, supináque ignorantia, appellauit continuò à litis contestatione. (dicimus nos Galli, *il appella de l'appoinctement en droict*) cum non titulo, sed possessione longissima, imò & centenaria, & cuius origo memoriam excederet, repellendam esse ab ipso limine iudicij petitricem defendere debuisset procurator, cuius propterea improbauit, reiecit, abnuitque depulsionem de qua supra, & quicquid ertore illo insecutum fuisset: meras enim esse hodie velut fabulas quod proferebat petitrix de vetustissima quadam Ormianæ ditionis diuisione anni millesimi trecentesimi quinquagesimi quinti, (affertuo archetypum) inter Ioan. Cathalaunensem, & Ducem Atheniensem, titulum κατ᾽ ὄνομ, scilicet, pérque occasionem transmarinatum Galliæ expeditionum quæsitum, quibus nihil olim proceribus Gallis damnosius.

——δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν,

ait epigrammatographus: id est, nouit longum tempus immutare, sup. iura, & causas dominij. *fundique vsucapio*, vt vulgatum ex Cic. pro Cecin. *hoc est finis sollicitudinis, ac periculi litium non à patre relinquitur, sed à legibus.* Inde egregiè rursus ille ipse, Agraria, 2. de agri Recentorici vetustissimis sua ætate possessoribus, *illum agrum publicum esse fatentur*, inquit, *sed mouere possessionibus negant oportere*. Processum ergo vlteriùs non est, cùm *nec fas, nec iura finerent*. trado in hanc ipsam quæstionem Senatusconsultum latum in publicis causarum actionibus ann. 1608. die 24. Iunij, secundum possessorem tricenarium, qui dicebatur, Metault, ad l.9. Officium. ff. de rei vendicatio. Sic verò in Francis Alaudiis, quæ dicimus, docet Molinæus ad consuet. Parif. § 46. num. 11. & 15. præsumi rem Alaudialem, in dubio, nec proinde cogi possessorem titulum possessionis suæ dicere, maximè si centum anni excesserint. Sic etiam possessor beneficij ecclesiastici non cogitur ostendere titulum, cum antiqua possessio est. scribit Marescallus, vetus auctor pragmaticæ sanctionis (nō Guymierius, vt in inscriptione est) ti. de pacif. possessor. in verb. inquirant. vbi plura. Vnicam exceptionem reperio, si videlicet de censuali iure agat primarius, directúsque dominus aduersus possessores vt ad libros suos censuales conficiēdos (vocant, *le papier terrier*,) exhibeantur tituli, ac instrumenta, quotquot ad ius dominicum spectare dominus viderit. editio enim eo casu necessaria est, atque vt possessor eiuret quod exhibendum petitur: (purgate se iuramento, vulgò dicimus.) ita seruamus: quod & scripsit fusiùs Molinæus ad consuet. Parif. §.51. num. 15. & 16. ac nouissimè Conchylius ad cōsuet. Niuern. §. 26. *des Bordelages*. lex hæc deniq; nominatissima, vbi de edendis à possessore antiquo titulis agitur. Nihil autem omninò haurire ex Bart. Bald. Paul. Castr. Salic. potuimus quod vel tantillum ad forum.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Cùm hæreditatis petitioni locus fuerat (gl. inter legitimum, & scriptum hæredem qui possidet) *exceptio assumebatur* (glo. contra creditores, & legatarios) *quæ tuebatur hæreditatis petition, nè fieret ei præiudicium. magnitudo enim & auctoritas centumuiralis iudicij non patiebatur per alios tramites*, (glo. id est, per extraneos agere volentes, scilicèt si erat lis mota, vel sperabatur moueri) *viam hæreditatis pe-*

titionis infringi. cúmque multæ varietates & controuersiæ veterum exortæ sint, eas certo fine concludentes, sancimus, &c.

Quæ supersunt ex textu, percipientur populariùs ex his: *Quando est controuersia de hæreditate, legatarij possunt agere contra hæredem scriptum: & legatum, præstita ab ijs cautione, consequi. sed creditores agere possunt contra possessorem, vel petitorem hæreditatis, cautione non præstita: & quod perceperint à possessore, possessor ille, si succumbat posteà, deducet in restituenda hæreditate: si verò à petitore, & petitor succumbat: repetet petitor à possessore hæreditatis.*

Iunge l. 5. de hæreditate. sup. hoc tit. ad quam perstrinxi quæ & huc omninò spectet. eóque facit lex vlt. de ed. diui Adriani toll. & quando scriptus hæres in possessionem mittatur. inf. quam vide. In casu denique huius, ac illius, cùm scilicet testamentum nullo vitio visibili suspectum est, vindiciæ dicuntur de more secundum actorem ex testamento, quæcumque opponatur exceptio, d. l. vlt. Imò nec appellationem admittendam esse vult lex, 6. quisquis. inf. quorum appellatio. non recipiuntur. & ita seruamus. Quod autem de magnitudine, & auctoritate centumuiralis iudicij interijcitur, nõ hoc ad Senatum referẽdum est, vt ineruditè putat Bartolus, sed ad quadtuplicem illum iudicum consessum, quibus præerat prætor, quíque de priuatis omnibus causis Romæ cognoscebant, putà de vsucapionibus, de tutelis, de gentilitatibus, de agnationibus, alluuionibus, nexis, mancipiis, parietibus, fluminibus, stillicidiis, testamentis ruptis, aut ratis, cæterarúmque rerum innumerabilium iuribus: ita Cic. lib. 1. de oratore. quanquam grauissimi patroni, ac oratores de priuatis illis causis perorare apud centumuiros solerent, vt, inter cæteras, Quintiana, Rosciana, pro Comœdo, Cecinnana, de quibus passim apud Cic. Quintilian. & Plin. atque auctorem, ante omnes, dialogi de claris oratoribus. fuerunt centum quinque: terni quippe ex singulis tribubus, quæ erant triginta quinq;, electi. Vt autem faciliùs nominarentur, centumuiri dicti sunt, vt Bibliorum sacri septuaginta interpretes. fuisse enim septuaginta duos, eruditus nemo nescit. Pulchrè Martialis lib. 6. de filio Reguli patris eloquentiam mirante:

Iam clamor, centúmque viri, densúmque corona
Vulgus, & infanti Iullia tecta placent.

& lib. 7. de Silio Italico, summo oratore, ac poëta:

Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

Ouid. lib. 4. Fastor.

Seu trepidos ad iura decem vocat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice causam:

Rursúsque lib. 3. de Ponto:

Vtque fui solitus, sedissem forsitan vnus,
De centum iudex in tua verba viris.

Obseruabitur prætereà in transcursu, hastam ideò accipi pro centumuirali iudicio, quia, quo die sessiones iudicum in basilicis 4. centumuiralibus haberentur, proponeretur, ac erigeretur, ante subsellia, hastile, vt paratæ sessionis symbolum: eóque sensu intelligendus locus Valerij lib. 7. *Notæ*, inquit, *insaniæ Tuditanus testamento filium instituit hæredem, quod Titus longus sanguine proximus hasta iudicio subuertere frustrà conatus est.* at verò & locus legis 2. de orig. iur. *Cùm esset necessarius magistratus qui hastæ præesset, centumuiri litibus iudicandis constituti sunt.* Tandem temporibus Plinij, lib. 2. epist *causæ ferè semper paruæ, & exiles apud eos fuerunt, raróque incidebat,* (vt eodem loco subiicit) *vel personarum claritate, vel negotij magnitudine insignis. distingor*, ait, *centumuiralibus causis quæ me exercent veriùs quàm delectant.* Imò & diobolares eiuscemodi causas vocat auctor historiæ fori Romani, lib. 2. cap. 9. Quintilianus lib. 12. de Trachalo loquens: *Cùm in Iulia Basilica diceret primo tribunali,* ait ille, *quatuor autem iudicia cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, &c*proptereà sic Lazius in commentariis reip. Rom. lib. 3. cap. 10. vbi agit de centumuiris: *manet*, inquit, *horũ imago quadã in Germania superiori, vbi passim iudicia in pagis celebrata ex mul-*

IIDEM AA.

L. 7.

Si mater patrimonium tuum ita profunda liberalitate in fratrem tuum, euisceratis opibus suis, exhausit vt quartæ partis dimidium non habeas: &c. quod immoderatè gestum est, reuocabitur.

Vult in summa, donationem inofficiosam reuocari quatenus modum excedit. quod & in l. seq. sic verò, vbi de donationibus quæ hodie, maximéque in auitis, egrediuntur notissimos legum prouincialium terminos: veluti, si quis, apud Parisienses, vltra quintam partem patrimonij, testamento legauerit, detrahetur enim duntaxat quod excedit: cùm ei condonandum scribat Iurisconsultus qui, in æstimatione faciẽda patrimonij sui, aberrauerit. l. 79. Cùm pater. §. pater. de leg. 2.

IIDEM AA.

L. 8. quæ pen.

Ferè nihil, præter verba quædã, notandũ video: *veluti, cùm aduersus eorum cogitationes qui consiliis* (gl. malignis) *supremum iudicium anticipare contendunt, & actiones filiorum exhauriunt, aditum querelæ ratio deposcat.*

Applicari enim id possit in eos qui quod testamento valiturum non esse, firmaríque non posse prospiciunt, per donationes, contractúsque interpolatos efficiunt. quod frequentissimum inter virum, & vxorem, non susceptis ex eorum matrimonio liberis. aut inter cœlibem locupletiss. & consanguineum, consanguineósve nonnullos quos præ cæteris diligat. Item, *communi consentiente domino*. rectissimè glossa explicat, id est, *marito*, eodémque patre. agit enim de donatione inter virum, & vxorem, déque filio eorum emancipato, cuius, vt & vxoris, vocat lex patrem, eundémque maritum, communem vtriúsq; dominum: itaut nihil vxor donare, alienaréque possit, nisi cõsentiat & auctoritatem præstet, id verò quæcumque bonorum separatio intercesserit, vt iudicat de more ordo amplissimus. sic dicere solemus nos Galli, vbi contrahit, quacumque ratione mulier, *estant auctorisée d'vn tel, son mary.*

TIT. XXX. DE INOFFICIOSIS DOTIBVS.

IMP. CONSTANTINVS.

L. vn.

Cùm omnia bona à matre tua in dotem dicantur exhausta, leges legibus concordare promptum est, vt ad exemplum inofficiosi testamẽti aduersus dotem immodicam exercenda actionis copia tribuatur, & filiis conquerentibus emolumenta debita deferantur.

Singularis glossa hîc, quæ matrem intelligit de transeunte ad secundas nuptias, pa-

ctúmque cum viro faciente de lucranda dote. sed hanc querelam cessare iure nouo legis, hac edictali. inf. de sec. nupt. vt docent omnes interpretes, ita & nostrum esse ius Gallicum hodie dicimus, latis duobus edictis ad exemplum d. legis, hac edictali. Alterum est sub Francisco II. ann. 1560. quo vetatur vidua quæ secundò nubit, donare nouo marito amplius quàm consecuturus sit ex sua hæreditate quiuis liberorum, & cui minor portio obtigerit. Quotidianum hoc, nec eger proinde vllius Senatusconsulti auctoritate adiecta. Alterum verò latum est Blæsis ab Herrico 3. ann. 1579. quo sancitum est. vt si vidua susceptis ex priore matrimonio liberis, secundas cum vili, ac indigno, nuptias ineat, aut interdum cum famulo, cuius infœlici cupidine capta sit, ait lex vn. de Senatusc. Claud. aut bacchata potius, vt tit. de successionibus, quæ fiebant per bon. vẽdit. lib. 3. Institut. nihil prorsus, & quocumque colore, donare possit huiuscemodi marito: Imò interdicatur ei bonorum omnium mobilium, ac immobilium quæcúmque alienatio. memini, cùm P. de Beau-jeu, anno tricesimo, patréque honesto, ac diuite natus, duxisset viduam veteris cuiusdam aulici (Cangæum vocabant) quæ ferè quinquagenaria, quatuor filias nubiles habebat, diuitiarúmque non ignobilem luculẽtiam, acri adeò contentione egit Cl. Duretus, tunc in Senatu patronus opinio sissimus, cui primogenita, superstite adhuc Cangæo, nupserat, vt, quamuis, seu per claritatẽ natalium, seu per diuitias, haud tam indignus esset eiuscemodi vetula, quæ ex facto eum ad se pellexerat, cum ambiret ille appeterétque minorem filiam: tamen in odium libidinosæ istius matris quæ iuueni maritu donasset, procul dubio, honorum suæ prioris societatis partem maximam, confirmata sit Senatusconsulto iuridici Turonensis, qui audacter ex edicto Blæsensi interdixerat, iudicium. Optimè equidem Baldus ad hanc l. cùm ait, *secundas nuptias esse contristationem filiorum primi matrimonij*, sunt eius verba. Vt autem eodem commentario attingit idem Baldus statutum Florentiæ, quo, muliere mortua sine liberis, tota dos cedit lucro mariti superstitis, ita & nemo bene peritus, egregiéque cordatus, probauerit, opinor, sententiam Pauli Castrensis ad hunc eundem textum, profitentis auctorem se fuisse vt statutum illud obtineret etiamsi extarent liberi primi matrimonij; vanáque equidem, ac infrugita est ratio qua nititur. *Alioquin*, ait, *non reperiret vidua maritum si qui essent ex priore matrimonio liberi*. Prudentiores longè Galli legislatores, qui cauerunt semper nè in aliquo fatuæ, impiæque matres, per secundas nuptias, prioribus liberis nocerent. dixi plura ad tit. de donat. inter vir. & vxor. ff. Cæterùm quod dicitur in textu, *leges legibus concordare*, maius nihil, penitiúsve quicquam complectitur, nisi vt, quod ait glossa ad nouum hunc legis istius casum, referri debeat quod in inofficioso testamento, inofficiosisque donationibus, superioribus duobus titulis Imperatores sanciunt: clarissimúmque hoc ex sola lectione textus breuissimi. Nec istud proinde ad axiomata iuris, vt putat vulgus, pertrahendum est.

TIT. XXXI. DE PETITIONE HÆREDITATIS.

IMP. M. ÆLIVS ANTONINVS.

L. I.

Senatusconsultum auctore diuo Hadriano, auo meo, factum, quo cautum est quid, & ex quo tempore, euicta hæreditate, restitui debeant: non solùm ad fisci causas, sed etiam ad priuatos hæreditatis petitores pertinet. vsuras autem pecuniarum, ante litis contestationem, &c. & fructus, &c. bona fid. possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores facti sint. post litem autem contestatam, fructus quos perceperunt, & percipere potuerunt, vsurásque pretij rerum ante litis contestatio-

ſet officioſiſſimè ad valetudinem defuncti, longè potiorem ex eo priuilegii ſui cauſam contendebat. Imperantes enim ægrotos non alia ratione dixerunt Alphenus, in l. 26. Medicus. ff. de oper. libert. Seneca lib. 6. de benefic. & lib. 1. de ira. Varro lib. 1. de re ruſtica. Donatus in Andriam Terentij. Itaut malè Haloander ſubiecerit verbum, *implorantes*, pro, *imperantes*, in d. l. medicus. maximè cùm ſciatur ex vſu, atque experimentis, tradere ſe medicos, potiſſimúmque Pharmacopæos, non commendare, quod ait rurſus Seneca, curandis, leniendis, temperandis, auertendíſque morbis ægrotantium: cecinit propterea rectiſſimè Euripides in Hyppolyto:

Κρεῖσσον ἢ νοσεῖν, ἢ θεραπεύειν,
Τὸ μὲν ἐστὶν ἁπλοῦν, τῷ δὲ συνάπτει
Λύπη τε φρενῶν, χερσίν τε πόνος.

id eſt, melius eſt ægrotare, quàm curare ægrotum, illud quidem eſt ſimplex, huic verò adiungitur triſtitia animi, labórque manuum. hócque ipſum eſt quod ſcripſit Hippocrates aphoriſmo primo: παρέχειν τὰ ἔξωθεν, i. præbere externa: medicus enim, vt eodem loco dicitur, debet & præbere quæ neceſſaria ſunt, τὰ δέοντα, inquit textus, fungique officio vario, prout incurrens, excurréntque ægritudo exigit. at verò & omni culpa vacare, aliundéque explorare ſingula quælibet vt bene habeat ægrotus, abſcedátque periculum. Ex his igitur, continuíſque, & aſſiduis erga defunctum miniſteriis vrgebat Pharmacopæus aduerſus creditores cæteros, vt qui præbuiſſent quidē, vnde viueret defunctus, put à panes, carnē, & alia id genus: ipſe autē pharmaca, operámq;, ac laborem indefeſſum adhibuerat, vt nè decederet. qua inſuper ratione vtebatur aduerſus viduā quæ, renūtiatione facta ſocietati, putabat fore ſe hoc ære alieno liberam, quamuis vnà cum marito comprobaſſet, & ſubſcripſiſſet rationes à ſingulis oblatas, ſtante adhuc matrimonio, vt dixi ſuprà: publicam denique eſſe cauſam ſuam, nec tantùm priuatam, cùm æqualiter ad omnes medicina ſola pertineat, nulláq; res tam neceſſaria ſit omni generi hominum quàm medicina, vt fuſiùs diſſerit Fabius, declamatio. 268. Lucianus autem in abdicato: τὰ τῆς ἰατρικῆς ὅσῳ σεμνότερόν ἐστι, τοσούτῳ καὶ τῷ βίῳ χρησιμώτερον. eligi inde ſolitos medicos in ciuitatibus, teſtatur Plato in Gorgia. frequentiſſimúſque in hoc ipſum textus in l. 1. ff. de decretis ab ordine faciendis. prælatus igitur Senatuſconſulto extemporali Pharmacopæus. cuius Senatuſconſulti mentio ferè ab omnibus, qui ex eo tempore ſcripſerunt, facta eſt. Ita enim Bacquetius cap. 21. num. 291. de iuſtit. & iure, Chopinus ad conſuet. Andenſ. lib. 3. cap. 3. tit. 5. Loëtius num. 29. in lit. C. Chanutius, quæſt. 86. & cùm paulò pòſt areſtographus ille forēſis P. typis nouis ſua hinc illinc emēdicata à patronis, imò & procuratoribus Pariſ. nec ſatis ferè ſemper intellecta areſta excudiſſet, memini & iſtud miſſum à Mich. Thelio, procur. ingenioſiſſimo, quatenus à nobis & hoc, & alia quædam, vt ad paganum illum ſcriptorem, amicum ſuum, qui efflagitabat iſtam operam, mitterentur, accepiſſet. Vnum de chirurgis ſupereſt, prælati quippe etiam ſunt cæteris creditoribus ann. 1596. die 8. Februar. duo illi præſtantiſſimi, publicóque vtiliſſimi, Colotij, qui calculum potenti tunc aulico, Doſio, pacta quingentis aureis inciſione, exemerant: neque quicquam hodie in foro hac doctrina certius.

IIDEM A.

L. 5.

De hæreditate, quam bona fide poßidebas, ſi contra te pronuntiatum eſt, in reſtitutione eius detrahetur quod creditoribus eiuſdem hæreditatis exoluiſſe te bona fide probaueris, nam repeti à creditoribus, qui ſuum receperunt, non poteſt.

Componenda omninò lex, vlt. inf. hoc tit. & vulg. l. repetitio. ff. de condict. indeb. ad quam tamen noua recenſione, ſuppleui quod feſtinantiùs paulò, prima editione, perſtrinxeram. Vno verbo, d. lex, repetitio. intelligitur de reali actione. lex, ſi pœnæ. eod

illo tit. de cond. indeb. ff. intelligitur de personali. lex ista, & d. l. vlt. quando quis non proprio nomine, sed appellatiuo, tanquã hæres, contemplatione que hæreditatis quam putabat suam, soluit, quod optimè ita Baldus hic.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 7.

Hæreditatis petitionem quæ aduersus pro hærede, vel pro possessore possidentem exerceri potest, petitione longi temporis non submoueri, nemini incognitum est, cùm mixta personalis actionis ratio hoc respondere compellat. à cæteris autem tantùm specialibus in rem actionibus vindicari posse, manifestum est: si non agentis intentio per vsucapionem, vel longum tempus explosa sit.

Mixtam personalem actionem ideò appellat petitionem hæreditatis, quia sit in rem, & in personam: durátque ex eo 30. annis, tam hîc, quàm l. hæreditatem. in quib. caus. cessat longi tempor. præscr. & l. licet. de iu. deliber. inf. sunt hi textus forenses, vsitatissimique ad præscriptiones hæreditatum, vt scilicet pacata sit, inter maiores, & triginta annorum possessio. quo & proinde referenda lex. 3. sicut. de præscr. 30. annor. atque cap. vigilanti. de præscr. vbi auctor legis illius, *sicut.* nempe Theodosius, iunior, Theodosij senioris nepos, & Arcadij filius, vocatur Ephesinus legislator, quia Ephesinum concilium indixit aduersus Nestorium, archiepiscopum Constantinopolitanum, qui beatam Virginem, θεοτόκον, id est, deiparam, vocandam esse impudentissimè negauerat, propterea quod ab homine Deus nasci non posset. mendúmque propterea in inscriptione, quæ præfert Arcadij, & Honorij nomina, docebunt Procopius lib. 1. de bello Vandilico, in pr. & totum consilium Ephesinum, maximè in prima parte, cap. 32. & in secunda parte, act. 1. cuius hæc verba in prin. *Post consulatũ dominorũ nostrorũ, Flauij quidem, XIII. Valentiniani verò III. semper Augustorum. X. Cal. Iullij, synodo congregata in Ephesiorum Metropoli, ex decreto religiosissimorum Imperatorum: & considentibus in sanctissima ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis episcopis.* In quo tamen prætereundum non videtur, quod statim eodem concilij principio subsequitur, vt clarum sit, non Imperatorem, sed S. Pontificem Romanum præfuisse. Sic enim: *Cyrillo Alexandriæ, qui & cælestini quoque sanctissimi, sacratissimique Romanæ ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, &c.* moneo ista in transcursu, cùm pauci aduerterint. fateórque debere me hanc obseruationem Clariss. Sanctandreano iamdudum, apud Basilicanos recuperatores, Præsidi, cùm incidisset, ante triginta annos, literaria, inter sermones, hæc discussio. De petitione autem hæreditatis aduersus titulo, vel sine titulo, saltem habili, ac efficaci, possidentem, dixi quod satis ad l. 2. sup. hoc tit.

IIDEM AA.

L. 10.

Si filiusf. delatam sibi hæreditatem per longum tempus detinuit: eo ipso, vt pote agnita hæreditate, patri suo eius commodum acquisisse videtur.

Hinc Baldus, & Salicetus: ex diutina possessione præsumitur solennitas extrinseca, id est, patris consensum præcessisse. Refert istud Præses Magister cap. 31. & cap. 48. de bonorum publicationibus, ad decreti auctionalis solennitates edictis, patriísque prouinciarum moribus præscriptas. docet enim præsumi ex verbis narratiuis istas interue-

nisse, si quinque, sex, decem, aut 20. anni excessèrint: obtinuissèque id tandem ob litigatorum malignitatem, qui subductis persæpe instrumentis auctionalibus, appellabant postea ab adiudicatione, quasi non adhibitis solennibus facta fuisset. hodie autem doctrina ea fori est, vt post decem annos, mouere nihil amplius liceat de solenibus, dummodò instrumento decreti auctionalis enuntiata sint singula. liquétque ex his quanti momenti sint experimenta quotidiana, ac forensia. Certum enim nihil quippiam glo. doctrináque Iasonis, & cæterorum interpretum ad l. sciendum. de verb. oblig. vbi fides materiæ de solennitatibus intrinsecis, atque extrinsecis, & quando præsumi debeant. Incertum verò tantus Præses relinquit quanto tempore obstruatur os vitilitigatoribus contendentibus defuisse quod tamen adfuerit. Nos tandem hodie perspicuum, verum, indubitatúmque morem tradimus, ex quo deinceps conquiescant eiuscemodi quæ olim fuerant, ex ambiguis antecessorum scriptis, palatina, vt sic loquar, iurgia. Longius autem multò temporis spatium desiderant nonnulli vt præsumatur vnionis ecclesiæ alicuius solennitas. Cùm enim præsumi eam scribant ex diuturnitate temporis, Alexander lib. 6. consil. 219. & Boërius q. 345. id verò etsi aliunde non proferatur rescriptum pontificium: aliis visum est, 40. annis opus esse: eo enim tempore, inquiunt, nec prius, mutarur status beneficij, cap. cùm de beneficio. de præbend. in 6. Accedat, quòd præscriptio illa sit ecclesiæ contra ecclesiam. cap. de quarta. de præscript. in antiq. Visitatû deniq; ita docet Molinæus toto consi. 44. & ad Decium, consil. 233. Censet tamen ille eod. loco, ad Decium, impetrari posse beneficium malè vnitum, tanquam vacans iure deuoluto, absque præuia vlla declaratione nullitatis: & vincunt, inquit, impetrantes etiam in possessorio, non obstante longa, & pacifica possessione, possidentium tanquam vnitum: quia scilicet non possederint vt beneficium, sed tanquam proprietatem, & ita, ait, practicatur. additque fieri hodie debere vniones, ex pragmatica sanctione, per ordinarios, & diœcesanos: aliàs si per solum pontificem, appellari posse ab abusu. sic ille. Necesséque hoc fuit adijci, vt intelligatur quod indistinctè habet ad hanc l. Bartolus, explicans lungum tempus de vicennio. Dat exempla Paulus Castr. de iis quæ probantur per coniecturas ex longo tempore, putà in diuisione facta inter fratres qui seorsim diu, pérque aonos decem possederint: de quo & glossa. ad l. si maior. commu. diuid. cum l. non ideo. famil. hercisc. inf. vide ad d. l. si maior. de vsu Gallico. Dat etiam in seruitute transeundi per fundum alienum, si nempe per longissimum tempus, te sciente, ac patiente, factum illud sit. in quo tamen nec longissimum tempus sufficere adnotat, cùm sit seruitus discontinua. vt reuera hodie titulo semper opus est. Nemo autem accuratius, tametsi rudi sermone, vt in cæteris, explicat quid sit intrinseca solēnitas, quidque extrinseca, quàm Io. Faber ad §. vlt. institut. de fideiussorib. Solennitas intrinseca, ait, præsumitur, sed non extrinseca. quia extrinseca in facto consistit, occ ad positionem vnius facti, sequitur positio alterius. Intrinseca verò est quam verborum prolatorum includit significatio, veluti, in verbo fideiussionis includitur stipulatio, quia sine stipulatione non valet fideiussio. Extrinseca vero illa est quam nec verborum prolatorum includit significatio, imò & quæ nec apta est vt includat, veluti, si scriptum sit, mulierem intercessisse, non sequitur, renunriasse eam Velleiano Senatusconsulto. Idem & in prædio minoris vendito. non enim sequitur, decretum interuenisse. sic ille, cuius verba paulùm expoliui.

IMPP. ARCADIVS, ET HONORIVS.

L. 5.

Cogi possessorem ab eo qui expetit, titulum suæ possessionis dicere, inciuile est, præter eum qui dicere cogitur vtrùm pro possessore, an pro hærede possideat.

Hinc Glossa, & alij interpretes: qualitatem seu titulum, possessionis conuentus possessor reali iudicio non tenetur dicere, nisi vbi de petitione hæreditatis agitur. Io cæte-

ris ſatis eſt, ſi dixerit, poſſideátve vel non, latè autẽ oſtendo ad l.4. ſup. de edendo, quàm graue ſit, vt quis parare in ſe cogatur vnde malè habeat. memini, cùm eques paracleticus, Inteuillius, Campaniæ rector, conueniretur circa annum 1584. ab illuſtriſſ. Principe, Franciſca Aurelian. illuſtriſſ. Herrici Borbonij, Condeani Principis, vidua, vt parte dimidia Ormianæ ſyluę cederet, ad cuius litis ingreſſum, procurator Inteuillij profeſſus fuerat, prima ſua depulſione, editurum ſe inſtrumenta quibus fulciretur ipſius poſſeſſio: itaut tota in id ſtaret conteſtatio, iuxta Ruſcinonenſis edicti præſcriptum, artic. 5. Inteuillius, agnita illa procuratoris craſſa, ſupináque ignorantia, appellauit continuò à litis conteſtatione. (dicimus nos Galli, *il appella de l'appoinctement en droict*) cum non titulo, ſed poſſeſſione longiſſima, imò & centenaria, & cuius origo memoriam excederet, repellendam eſſe ab ipſo limine iudicij petitricem defendere debuiſſet procurator, cuius propterea improbauit, reiecit, abnuitque depulſionem de qua ſupra, & quicquid errore illo inſecutum fuiſſet: ineptas enim eſſe hodie velut fabulas quod proferebat petitrix de vetuſtiſſima quadam Ormianæ ditionis diuiſione anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi quinti, (aſſeruo archetypum) inter Ioan. Cathalaunenſen, & Ducem Athenienſem, titulum κατ' ὄναρ, ſcilicet, pérque occaſionem tranſmarinarum Galliæ expeditionum quæſitum, quibus nihil olim proceribus Gallis damnoſius.

—δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν,

ait epigrammatographus: id eſt, nouit longum tempus immutare, ſup. iura, & cauſas dominij. *fundíque vſucapio*, vt vulgatum ex Cic. pro Cecin. *hoc eſt finis ſollicitudinis, ac periculi litium non à patre relinquitur, ſed à legibus*. Inde egregiè turſus ille ipſe, Agraria, 2. de agri Recentorici vetuſtiſſimis ſua ætate poſſeſſoribus, *illum agrum publicum eſſe fatentur*, inquit, *ſed mouere poſſeſſionibus negant oportere*. Proceſſum ergo vlteriùs non eſt, cùm *nec fas, nec iura ſinerent*. trado in hanc ipſam quæſtionem Senatusconſultum latum in publicis cauſarum actionibus ann. 1608. die 24. Iunij, ſecundum poſſeſſorem tricenarium, qui dicebatur, Merault, ad l.9. Officium. ff. de rei vendicatio. Sic verò in Francis Alaudiis, quæ dicimus, docet Molinæus ad conſuet. Pariſ. § 46. num. 11. & 15. præſumi rem Alaudialem, in dubio, nec proinde cogi poſſeſſorem titulum poſſeſſionis ſuæ dicere, maximè ſi centum anni exceſſerint. Sic etiam poſſeſſor beneficij eccleſiaſtici non cogitur oſtendere titulum, cum antiqua poſſeſſio eſt. ſcribit Mareſcallus, vetus auctor pragmaticæ ſanctionis (nõ Guymierius, vt in inſcriptione eſt) ti. de pacif. poſſeſſor. in verb. inquietant. vbi plura. Vnicam exceptionem reperio, ſi videlicet de cenſuali iure agat primarius, directúſque dominus aduerſus poſſeſſores vt ad libros ſuos cenſuales conficiẽdos (vocant, *le papier terrier*,) exhibeantur tituli, ac inſtrumenta, quotquot ad ius dominicum ſpectare dominus viderit. editio enim eo caſu neceſſaria eſt, atque vt poſſeſſor eiuret quod exhibendum petitur: (purgare ſe iuramento, vulgò dicimus.) ita ſeruamus: quod & ſcripſit fuſiùs Molinæus ad conſuet. Pariſ. §. 51. num. 15. & 16. ac nouiſſimè Conchylius ad cõſuet. Niuern. §. 26. *des Bordelages*. lex hæc deniq; nominatiſſima, vbi de edendis à poſſeſſore antiquo titulis agitur. Nihil autem omninò haurire ex Bart. Bald. Paul. Caſtr. Salic. potuimus quod vel tantillum ad forum.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Cùm hæreditatis petitioni locus fuerat (gl. inter legitimum, & ſcriptum hæredem qui poſſidet) *exceptio aſſumebatur* (glo. contra creditores, & legatarios) *quæ tuebatur hæreditatis petition, nè fieret ei præiudicium. magnitudo enim & auctoritas centumuiralis iudicij non patiebatur per alios tramites*, (glo. id eſt, per extraneos agere volentes, ſcilicèt ſi erat lis mota, vel ſperabatur moueri) *viam hæreditatis pe-*

titionis infringi. cúmque multæ varietates & controuersiæ veterum exortæ sint, eas certo fine concludentes, sancimus, &c.

Quæ supersunt ex textu, percipientur populariùs ex his: *Quando est controuersia de hæreditate, legatarij possunt agere contra hæredem scriptum: & legatum, præstita ab ijs cautione, consequi. sed creditores agere possunt contra possessorem, vel petitorem hæreditatis, cautione non præstita: & quod perceperint à possessore, possessor ille, si succumbat posteà, deducet in restituenda hæreditate: si verò à petitore, & petitor succumbat: repetet petitor à possessore hæreditatis.*

Iunge l.5. de hæreditate. sup. hoc tit. ad quam perstrinxi quæ & huc omninò spectēt. eóque facit lex vlt. de ed. diui Adriani toll. & quando scriptus hæres in possessionem mittatur. inf. quam vide. In casu denique huius, ac illius, cùm scilicet testamentum nullo vitio visibili suspectum est, vindiciæ dicuntur de more secundum actorem ex testamento, quæcumque opponatur exceptio, d.l. vlt. Imò nec appellationem admittendam esse vult lex, 6. quisquis. inf. quorum appellatio. non recipiuntur. & ita seruamus. Quod autem de magnitudine, & auctoritate centumuiralis iudicij interijcitur, nō hoc ad Senatum referēdum est, vt inerudité putat Bartolus, sed ad quadruplicem illum iudicum consessum, quibus præerat prætor, quíque de priuatis omnibus causis Romæ cognoscebant, putà de vsucapionibus, de tutelis, de gentilitatibus, de agnationibus, alluuionibus, nexis, mancipiis, parietibus, fluminibus, stillicidiis, testamentis ruptis, aut ratis, cæterarúmque rerum innumerabilium iuribus: ita Cic. lib. 1. de oratore. quanquam grauissimi patroni, ac oratores de priuatis illis causis perorare apud centumuiros solerent, vt, inter cæteras, Quintiana, Rosciana, pro Comædo, Cecinnana, de quibus passim apud Cic. Quintilian. & Plin. atque auctorem, ante omnes, dialogi de claris oratoribus. fuerunt centum quinque: terni quippe ex singulis tribubus, quæ erant triginta quinq;, electi. Vt autem faciliùs nominarentur, centumuiri dicti sunt, vt Bibliorum sacri septuaginta interpretes. fuisse enim septuaginta duos, éruditus nemo nescit. Pulchrè Martialis lib.6. de filio Reguli patris eloquentiam mirante:

Iam clamor, centúmque viri, densúmque corona
Vulgus, & infanti Iullia tecta placent.

& lib.7. de Silio Italico, summo oratore, ac poëta:

Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

Ouid. lib.4. Fastor.

Seu trepidos ad iura decem vocat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice causam:

Rursúsque lib.1. de Ponto:

Vtque fui solitus, sedissem forsitan vnus,
De centum iudex in tua verba viris.

Obseruabitur prætereà in transcursu, hastam ideò accipi pro centumuirali iudicio, quia, quo die sessiones iudicum in basilicis 4. centumuiralibus haberentur, proponeretur, ac erigeretur, ante subsellia, hastile, vt paratæ sessionis symbolum: eóque sensu intelligendus locus Valerij lib.7. *Notæ*, inquit, *insania Tuditanus testamento filium instituit hæredem, quod Titus longus sanguine proximus hastæ iudicio subuertere frustrà conatus est.* at verò & locus legis 2. de orig. iur. *Cùm esset necessarius magistratus qui hastæ præesset, centumuiri litibus iudicandis constituti sunt.* Tandem temporibus Plinij, lib. 2. epist. *causæ ferè semper paruæ, & exiles apud eos fuerunt, raróque incidebat,* (vt eodem loco subiicit) *vel personarum claritate, vel negotij magnitudine insignis. distingor*, ait, *centumuiralibus causis quæ me exercent veriùs quàm delectant.* Imò & diobolares eiuscemodi causas vocat auctor historiæ fori Romani, lib. 2. cap. 9. Quintilianus lib. 12. de Trachalo loquens: *Cùm in Iulia Basilica diceret primo tribunali*, ait ille, *quatuor autem iudicia cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, &c.* proptereà sic Lazius in commentariis reip. Rom. lib. 3. cap. 10. vbi agit de centumuiris: *manet*, inquit, *horū imago quadā in Germania superiori, vbi passim iudicia in pagis celebrata ex mul-*

tis colonis complentur, quibus Sculptetus, veluti quaestorius apud Romanos, cum bastula praesidet. quae & in Austriacis regionibus consuetudo perseuerat, &c. miratus sum proinde nec semel pernegatum istud aliquando, factisque sponsionibus, à doctissimo, multique nuper nominis patrono, qui & posteà Consistorianus Comes: imò & abiisse in eius sententiam nōnullos in quos, per famam nominis, traiectum fuerat literariæ litis arbitrium. Nimius fortè videor, atque extra forum. sed parcant superciliosi. locus nostræ legis numquam aliàs plena cognitione perceptus fuisset. attigi etiam ad l.17. quæ repudiātis. ff. de inoff. test. Scio quid Cuiacius libr. 9. cap. 27. obseru. vbi ex professo de hac l. sed nulla prorsus ea in parte decisio est, quæ faciat ad forum.

TIT. XXXII. DE REI VENDICATIONE.

IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Si inferiorem partem ædificij quæ solum contingit, ad te pertinere probare potes: eam quam vicinus tuus imposuit, accessisse domino tuo, non ambigitur. sed & id quod in solo tuo ædificatū est, quoad in eadem causa manet, iure ad te pertinet. Si verò fuerit dissolutum, eius materia ad pristinum dominum redit, siue bona fide, siue mala ædificium exstructum sit.

Componendæ leges plurimæ, lex, si duo §. sed si supra. vti possid. l. qui domum alienam. ad l. Aquil. ff. l. si quis sciens. l. si in area. inf. l. in fundo. ff. hoc tit. l. si supra. l. ergo. in fin. ff. de acquir. ter. dom. nec prætermittendi etiam duo versus qui ad hanc nostram l. in glo.

Quicquid plantatur, seritur, vel inædificatur.
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Sumptus autem seruabit quisquis bona fide ædificium in alieno posuerit, d. l. si quis sciens. l. si in area. inf. hoc tit. l. 16. Si quis mihi. ff. mand. dixi longè plura ad d. l. in fundo. Deinde verò, vt regula nostræ huius legis intelligitur, si ædificium solo cohæreat, ita & fallit, si non cohæreat, l. si precario. ff. communi diuid. vbi textus est de macerie, id est, muro sicco, nec ferruminato, neque enim dicitur solo cohærere, sed tantùm imponi. sic & in l. Titius. de acq. rer. dom. vbi de horreo frumentario ex tabulis facto, ac imposito in fundo alieno, quod & idem in l. 39. Si areæ. de legat. 2. Idémque in l. malum. de verb. sign. vbi de stratura loci alicuius ex tabulis facta, quæ æstate tollitur, & hyeme ponitur. quemadmodū & si quis in campo Martio casas, seu tuguria collocauerit, quod tamen vetat lex vn. Cod. Theod. de campo Martio vrbis Romæ. Rursus verò, vt nostro in textu, materia ad pristinum dominum redit, si ædificium fuerit dissolutum, ita & in hoc ipsum notanda lex, habitator. ff. hoc tit. vbi dicitur, habitatorem qui in alienā ædificia fenestras, & ostia imposuit, quamdiu iuncta manent, eorumdem ædificiorum sunt: simul atque inde dempta sunt, in pristinam causam redeunt. hypothesis elegans legitur in l. 9 hoc amplius. §. Alphenus. ff. de damno inf. Alphenus scribit, si ex fundo tuo crusta lapsa sit in fundum meum, eámque petas: &c. ita demum crusta vendicari potest, si non coaluerit, nec vnitatem cum terra mea fecerit. nec arbor potest vindicari à te quę translata in agrum meum, cum terra mea coaluerit. ita Alphenus: cuius responsum Molinæus explicat ad consuet. Paris. §. 1. gl. 5. num. 118. vt scilicèt longum aliquod tempus desiderari non debeat, sed satis sit, vnitatem cum terra mea factam esse, in quo & iunge Nouellam Leonis 95. species ea contingit anno 1607. in Campania prope monasterium Claræuallensium, de vineto cuius partem abripuit fulminea cæli tempestas, déque alto

colle in imum alterum vinetum contorsit, (eleganter, tametsi in aliam speciem, Procopius libr. 1. pag. 4. de bello Persico, [illegible] dixerimus nos Galli, *darder*) radicibúsque adeò integris, ac terra sua implicitis, vt, ob factum pluuiis solum mollius, facilè coaluerint in fundo vicini, vnitatémque cum terra fecerint. lis inde exorta: decisáque à patronis Paris. ex d. l. hoc amplius.

IMP. GORDIANVS.

L. 5.

Domum. Malæ fid. possessores eius quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam habent repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem vtiles, licentia eis permittitur, sine læsione prioris status rei, eos auferre.

Tractaui quæstionem repetitionis sumptuum qui bona, maláve fide facti sint in rem alienam, ad l. 41. Planè. de petit. hær. & ad l. fundus qui, famil. hercisc. ad l. si seruus seruum. §. si oliuam immaturam. ad l. Aquil. ad l. in fundo. ad l. habitator. hoc tit. ff. vt autem ex domorum cultu, decus vrbium, l. 2. de prædiis, & omnibus rebus nauiculariorum lib. 11. maximéque vt nè deformentur ruinis, l. 2. §. si quis nemine prohibente. & l. vlt. ff. nè quid in loco publ. l. præscriptio temporis. inf. de operib. publ. l. præses prouinciæ, inspectis. de offic. præs. § cum in suo solo. instit. de rer. diuis. ita & plectendum, mulctandúmque censent Iurisconsulti eum qui vendiderit sciens ædes suas, vt, destructis illis, vendantur singulæ partes ab emptore, l. vlt. de damno inf. l. Senatus. de contr. empt. l. cætera. in fi. cum l. seq. Senatus. de legat. 1. legatúmque inutile est ædium, vt diruantur: veluti, lego tibi centum, vt ædes tuas destruas quæ fortè mihi obsunt, l. filiusf. §. ædes destruendæ. de leg. 1. Præcipua enim semper magnarum vrbium illa dignitas, vt (quod passim de Troia, apud Homerum) sint ἐΰδμητοι, ἐϋκτίμεναι, ἐϋτείχεις, εὖ ναιετάωσαι, id est, benè ædificatæ, pulchris mœnibus, & bene habitatæ. λιπαρὰς dixit maximè Athenas, id est, formosas, Aristoph. in equitib. ob elegantiam structuræ ædium. Otho apud Tacit. lib. 1. histor. de Roma: *vos pulcherrimam hanc vrbem domibus, & tectis, & congestu lapidum stare creditis?*

Qua Tuscum Tyberim & Romana palatia seruas.

apud Virgil. mirati sunt proinde mecum plurimi, vt sat dudum exciderit viro maximo, censere, in causa emphyteusis factæ olim à clericis Passianis in Geruasiana Ecclesia, de quibus ad volumen primum Pandectarum diximus, concedendã esse emphyteutæ nepotibus deiectionem domus, quam auus in emphyteusim acceperat, atque vt ligna, & lapides, cæteráque rudera possent, cui videretur, vendere, nisi ingenres in exstruenda, excitandáque à fundamentis, illa domo impensas refunderent. allegauit nostrum hoc Gordiani rescriptum vt fulciret sententiam. sed, quod continuò obseruauimus, exceptio est, nisi agatur de domibus vrbicis. lex autem ista intelligitur de iis quæ non in vrbe, sed ruri constructæ sint. Tanti publicus ille aspectus vrbium, cuius tuendus semper, præ cæteris, nitor, vt scribat Spartianus vetuisse Hadrianum Imperatorem nè in vlla ciuitate domus aliquæ, transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa, diruerentur. quò & spectant lex, si qui post. & lex, Nemini. inf. de ædif. priuat. cùm prohibeant nè de ciuitate ad villam transferre liceat ædificiorum ornamenta: at verò & d. lex, cætera. §. vlt. de leg. 1. in qua memorantur illi ipsi consules qui fuerũt tempore Adriani, nimirùm Auiola, & Pansa, simúlque ipse Hadrianus. Itaut facilè dixerimus latam illam fuisse anno ab vrbe condita, 874. & à reparatione salutis humanæ. 127. hinc verò etiam, id est, vt consulatur tantò studiosiùs decori antiquo populosæ Luteriæ, (quæ vniuersæ Galliæ ornamentum, miraculique instar exteris, atque vt eam ciues singuli concinnare, & perpolire, operosis semper sumptibus gestiant, iure singulari, ac priuilegio, liberum eis est, quotiescumque lubuerit, petimere omnes reditus annuos, qualescumque illi sint, qui-

fusissimè dixi: tum verò quia, vt seipsam marito committit mulier, ita & res suas eiusdem pari arbitrio gubernari, bonum, æquúmque est, ait lex, hac lege. inf. de pact. conuent. vide omninò Tiraquellum, ad artic. 15. consuet. Picton. glo. 8. in verb. *de son mary.* vbi docet, ius illud auctoritatis virorum in vxores, transisse primùm ab Atheniensibus ad Romanos, deinde verò à Romanis ad gentes longè plurimas. Addit præterea eodem loco, num. 49. auctoritatem mariti maioris non sufficere ad alienandas res vxoris quæ nondum annos 25. attigerit. sed vana illa quæstio, cùm nec dubitandi vllam rationem admittat. fit autem eo casu de more, vt maritus promittat ratum facturam vxorem cum staræ ætatis fuerit, adiecta, ni hoc illa faciat, detrimentorum impendiorúmq; omnium stipulatione aduersus maritum quæcumque ex eo stipulator traxerit. Apud nos, ait Molinæus ad consuet. Paris. §. 1. glo. 1. num. 73. est administrator legitimus in rem suam, habétque ciuile dominium dotis, id est, administrationem: vxor naturale. Nota autem ex Loëriano libello, aresto, 15. lit. f. mariti culpam in omittendis quæ à statuto præfinita sunt, adeò vxori nocere, vt & patrimonio ipso per maritum illa careat. In quo tamen semper memini quod persæpe mihi à Fr. Chauuelino, suæ ætatis consultissimo, confirmatum est de victriario quodam Parisi eius vicino, qui de re aliqua dotali vxoris solus, citráque mandatum vxorium, (procurationem dicimus) litem mouerat, tandémque causa, ex Senatusconsulto, ceciderat. Cum enim comperisset, per fraudem, dolúmque aduersarij id contigisse, adiissétque Chauuelinum cui lis à iuniore patrono explicata est de more, vidit ille seruatas quidem omnes litis ordinandæ formulas, itaut quasi præclusi essent ad instaurandam litem omnes aditus: obseruauit autem maritum litigasse solum, neque dato etiam procuratori forensi mandato vxorio: supplicatio igitur, seu requesta ciuilis, vt loqui mos est, ex aperta illa causæ salutis impetratur, causam dicit Chauuelinus: tandémque, vt prædixerat, à Senatu supplicario admittitur. Naturale enim nihilominus rei dotalis dominium penes vxorem est, vt ciuile penes maritum, quale scilicèt à me supra delineatum est, nempe quoad administrationem, & fructus, quamdiu constat matrimonium: nihílque vltra.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. II.

Si quis sciens alienum agrum seuit, vel plantas imposuit: postquàm hæ radicibus terram fuerint amplexæ, solo cedere rationis est. Tamen qui bona fide possidens hoc fecerit, sumptus seruabit.

Quod hîc dicitur, *radicibus terram amplecti*, hoc ipsum fœliciter lex. 9. hoc amplius. §. Alphenus. de damn. inf. ff. *vnitatem cum terra facere.* Tunc enim pullulat ab radice quod satum, plantatúmque est. plura non dicam cùm fusè iam de quæstione huius legis dixerim tam ad l. 2. sup. hoc ti. quàm ad l. in fundo. ff. hoc tit. ad l. planè. de petit. hær. l. si quis seruum. §. si oliuam immaturam. l. qui domum. ad l. Aquil. ff.

IIDEM AA.

L. 12.

Inciuile, atque inusitatum est quod postulas, vt mancipium quod tradidisti, & eo modo dominium eius transtulisti, inuito eo ex nostro rescripto tibi aßignetur, sanè de pretio conueni aduersarium tuum.

Ratio est, quia in contractibus nominatis, statim atque perfecta conuentio est, pœnitentiæ amplius locus non est, cùm nomine ipso actionem pariant: secus in innominatis, in quibus ex solo implemento, vt explico pluribus ad l. iurisg. & l. ab emptione. ff. de

pact. atque ad l. naturalis. totóque tit. de præscr. verb. Vulgatissimum istud. Compone autem l. non ieicirco. de contr. empt. inf. fides habita sit de pretio, id est, nisi conuentum sit vt certa die pretium soluatur: ita Paul. Castrens. fusissimè autem interpretor, ad l. procuratoris. ff. de Tributor. itaut longiore hic scholio res non egeat.

IIDEM AA.

L. 13.

Ordinarij iuris est, vt mancipiorum orta quæstione, priùs exhibitis mancipiis de possessione iudicetur, ac tunc demum proprietatis causa ab eodem iudice decidatur.

Populariter Baldus, & alij: Possessorium debet priùs terminari per sententiam, quàm deueniatur ad petitorium. Sic verò prohibetur constitutione Caroli 7. nè impetretur rescriptum ad cumulationem petitorij cum possessorio. Componendæ in eo, lex exitus. de acq. possess. lex, si de vi. de iudic. ff. & lex, incerti. inf. de interdict. & cùm rata sit illa apud interpretes regula. nihil etiam apud nos vsitatius. Ratio est primùm ex l. 1. §. 1. vti possid. & l. naturaliter. §. nihil commune. de acqu. poss. ff. vbi dicitur, separatam esse oportere possessionem à proprietate. deinde verò ex l. 2. eod. tit. vti possid. quòd scilicèt qualiscumque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus iuris habeat quàm ipse qui nō possidet. imò in dubio præsumitur dominus argum. l. proprietatis. inf. de probation. hinc petitorium appellatur secunda actio, respectu scilicèt possessorij priùs instituendi, ac iudicandi, in l. vlt. inf. quor. bonorum. hinc etiam Caius in l. 34. is qui destinauit. ff. hoc tit. *Is qui destinauit rem petere, animaduertere debet an aliquo interdicto nancisci possit possessionem: quia lōgè commodius est ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, quàm, alio possidente, petere.* sic ille. memini hunc textum allegari semper solitum à Franc. Chauuelino, patrono suæ ætatis consultissimo, cum de interdictis retinendæ possessionis (vocant, *complaintes*) incideret, in deliberationibus forensibus, quæstio, vide quæ ad eam dixi. Commoda enim possessionis, præter id quod suprà de dominij præsumptione attigi, sunt hæc: primùm inducit præsumptionem bonæ fidei, glo. in verb. syncerè. ad cap. Sanctorum. & glo. ad verb. Bona fides. in cap. si diligenti. de præscript. Deinde ex possessione diuturna præsumit lex omnia facta legitimè, ac solenniter, iustóque titulo, & bona fide, l. cùm de in rem verso. de vsur. glo. 1. ad l. pen. si maior. Cod. commu. diuid. gl. vlt. quam vide, & nota, ad can. dilectio. 16. q. 3. Posteà, vetus possessio est loco tituli, vicémque legis, id est, contractus, obtinet, l. 1. §. vlt. & l. 2. in pr. de aq. & aqu. plu. arc. item, possessio aduersarium facit actorem, & petitorem, in eúmque proinde onus probandi reiicit, itaut eo non probante pronuntietur pro eo qui possidet, l. 2. l. circa. de probatio. l. vlt. de rei vend. ff. l. liberis. §. vlt. de lib. causa. §. retinendæ. inst. de interd. imò cùm obscura sunt vtriúsque iura, pro possessore contra petitorem iudicari solet, d. §. retinendæ. in fi. hoc ipsum est quod aliis verbis dicitur, ex l. nemo prædo est. §. vlt. & l. in pari causa. de reg. iur. nempe in pari causa præferri possessorem. Vnum subiungam ex interdicto de vi, & vi armata, quod aliàs redintegrandā dicimus, priùs scilicèt terminari oportere quæstionem possessionis, quàm deueniatur ad criminalem: vel, vt dicatur faciliùs, priùs de possessione pronuntiandum est, & posteà crimen violentiæ à iudice excutiendum, l. 1. Cod. de appellation. Solùm reperio in beneficiis ecclesiasticis, vt cumulari debeant duæ instantiæ tam super vindiciis, seu recredentia, vt loquimur, quàm super iusta possessione, quæ aliàs etiam dicitur, *maintenuë*. verba edicti 1539. artic. 59. sunt: *Defendons à tous nos iuges de ne faire deux instances separées sur la recreance, & maintenuë des matieres possessoires, ains voulons estre conduittes par vn seul procez, & moyen.* Sed perspicua in his ratio est, quòd nimirùm vtrúmque sit possessorium, momentaneum alterum, *qui est la recreance*, & perpetuum alterum, *qui est la maintenuë*.

IIDEM AA.

L. 14.

Cùm à matre domum filij te sciente comparasse proponas: aduersus eum dominium vendicantem, si matri non successit, nulla te exceptione tueri potes. Quod si venditricis obtinet hæreditatem, doli mali exceptione, pro qua portione ad eum hæreditas pertinet, vti non prohiberis.

Iunge l. venditrici. inf. de rebus alien. non alienand. l. qui tibi. de hæred vel act. vẽd. l. pupilli. §. pen. soror. de solution. ff. nota autem ex Marth. Affl. Senatore Neapol. decis. 240. num. 8. necesse non esse hæredi vt probet factum defuncti à iure reprobatum. quod & longo sermone persequitur Thomas Grammaticus, alter Senator Neapolit. decis. 93. in decisionibus. Neapolit. veluti si, (vt semper de moribus nostris agamus) donet pater, vel mater, vni ex liberis amplius quàm ferat lex prouincialis, seu consuetudo, vt loquimur, id verò apud Aodes, Cænomanos, & Turones, vbi vetatur indistinctè, & quocumque colore quæsito fiat donatio. Aut etiam dixerimus, si vel testamento, contractu, tabulisve secundo geniti connubialibus, quod sæpe visum est, auferatur primogenito ex iure feudali quod ei aliunde quàm à patre, putà à lege prouinciali, & patria ratum, fixum, immotúmque est: poterit enim eo casu primogenitus & esse hęres patris, aut matris à quibus donatum est, & agere ex lege aduersus donationem, vt qua violatum sit ius prouinciale, ac patrium. dixi de hoc latiùs ad l. si adrogator. ff. de adoptionibus. Notandúmque in hoc apprimè consilium 184. libr. 4. apud Bald. vbi docet filium, tametsi hæredem, posse aduersari facto patris ratione fraudis in eum admissæ. Scio etiam citari à plurimis, legem vlt. inf. de euictionib. vt dicant hæredem fideiussoris, posse, ex persona sua, vendicare, ac euincere rem, cuius nomine fideiussor ille fidem suam adstrinxerit. Sed falluntur. licèt enim iure suo euincat hęres, tenetur tamen de euictione in id quod interest, vt nominatim explicat lex, Venditrici. inf. de reb. al. non al. atque ita ex facto decidit bellissimè Nic. Valla, Senator Parif. tractatu. 9. de rebus dubiis.

IIDEM AA.

L. 15.

Quoties duobus in solidum prædium iure distrahitur, manifesti iuris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem. erit sanè in arbitrio tuo, pretium quod dedisti, cum vsuris repetere, ita tamen, vt perceptorum fructuum, ac sumptuum ratio habeatur, &c.

Ratio est in vulg. l. Traditionibus. sup. de pact. ad quam plenissimo commentario dixi. Sic in re feudali, potior est qui primò inuestitur, ait Io. Faber, cùm inuestitura tan tùm operetur in feudis, quantum traditio in reliquis, vt eodem loco subijcit. In quo tamen obseruabitur, adhibitam olim inuestiturã, maximè iure Germanico, & Gallico ad omnium rerum traditiones quæ absentes essent: id est, quarum præsentium possessio non daretur, sed certa quædam symbola, quibus adumbrabatur veritas. Sic Imperator Lodoicus statuit, vt si quis extra suum comitatum, solúmque natale, fortè in castris, aut palatio regio, de bonis quæ in Comitatu illo essent, testari vellet, constitueret ille fideiussorem, qui faciendæ, post mortem testatoris ipsius, inuestituræ curam gereret. Ita lex pen. de vlt. vol. in leg. Lomb. Vide etiam Otomanum, si lubet, in verbis feudalibus. de his enim plus satis cùm exoleuerint. habent verò Belgæ nostri, seu Picardi, vt voca-

mus, nantissamenta pro traditione; cùm scilicet de nanciscenda possessione agitur. habent etiam missiones in possessionem. *saisinas, & desaisinas, vest, vesture, & devest.* quorum omnium solennes necessariæque describuntur formulæ in cons. Veromand. art. 119. & 120. atque in consuet. Rhem. art. 163. & seq. Inde Butillerius, (qui Belga, & Senator Paris.) in summa rurali, *faire passer son propre heritage en vest, ou en devest.* A Germanis nempe deriuant, apud quos, vesten, confirmare est, & stabilire. Inter solennia olim & hoc fuit, vt inuestitura, seu, insaisinamentum, vt loquimur, per festucam feret. Inde infestucatio dominica vocabatur, vt ex statuto Machliniensi videre est: contráque, *le devest, ou dessaisine,* exfestucatio, apud Othonem Frisinghens. cap. 34. & Sigebert. Chron. ann. 1123. Sique, quod ab optimatibus audio, nihil intercesserit quod cœpta mutet in publico consilia, vniuersæ deinceps Galliæ futura sunt nautissamenta, ex edicto regio, quæ solius in hunc diem secundæ Belgicæ, seu Picardiæ scribo istud κατ' ἐξοχήν. Contrarium seruatur in beneficiis ecclesiasticis, vt in quibus ex sola concessione transferatur ius in re, cap. Si tibi absenti. de præb. in 6. Ita vt ferè nunquam aduertatur ad possessionem, sed ad titulum, dummodò tamen possessio adepta sit, viuo adhuc, ac superstite eo qui resignauerit, nec post triennium, ab admissa resignatione, possederit. Tunc enim distinguendum: aut resignans in confinio mortis est: & tunc purgari mora non potest: & quamcúmque, post triennium, possessionem accipiet resignatarius, vacat nihilominus beneficium per obitum, si factum illud sit paulò antè quàm decedat resignans: nè videlicet inducatur successio in beneficiis ecclesiasticis. Ita Senatus de more: licet tamen iudicari aliud anteà soleret, vt constat ex veteribus curiæ placitis, eóque, inter cætera, quod secundum Magdalenes Parisiensis curionem paræcum latum est. Aut econtrà Resignans, exacto illo triennio, optimè habet, manétque diu incolumis: & tunc satis est resignatario, si sanus sit resignãs, & nulla sit in eo mortis suspicio, cum possessionem ingreditur resignatarius. Perinde enim est ac si de nouo, post triennium, resignatum fuisset à benè sano beneficium. Aut deinde resignans intra triennium moritur. Et eo casu salua res erit, si resignatarius, etiam paulò ante obitum resignantis, possidere incipiat. Ait enim regula, de publicandis resign. *si in possessione resignans moritur.* Atqui secus contigit: adepta scilicet possessione antequàm resignas decederet. Aut postremò resignans intra sex menses obiit. Et tunc cessat omnino regula illa de publicandis. cùm nihil statuat eo casu. vanáque est in id Molinæi ad eam regulam disceptatio, quæst. 5. nu. 33. d. reg. de publicand. Beneficium enim non vacat per mortem. Sufficiétque resignatario si vel intra sex menses, vel vltrà, apiscatur possessionem: imò etsi post annum. Secus si per occasionem matrimonij resignatum sit beneficium, neque secutis nuptiis, (quæ species mortis ciuilis) resignatarius possessionem intra sex menses, ab admissa resignatione, acceperit. Tunc enim vacat procul dubio, beneficium ob præsumptam resignatarij fiduciam, seu confidentiam, vt vocant. Ita de more ordo ampliss. consilijque magni iudices. nec aliud quicquam seruari, confirmauit mihi Dionys. Butillerius, qui, ad quotidiana hæc, nec tam multis nota, omnium hodie coryphæus. Persequor cætera. Si enim vno, eodémque die collatum sit duobus vnum, idémque beneficium, nec appareat quis priùs impetrauerit, præferetur qui priùs literas præsentauerit. Quòd si eodem die præsentent, tunc locus gratificationi: præferétque episcopus, cui mandatum apostolicum inscriptum est, quem è duobus illis voluerit. Ita textus in cap. pen. duobus. de rescript. eod. lib. 6. Quæsitum sat pridem, si eodem etiam die collatio facta sit duobus tam à Rom. Pontifice, vel eius legato, quàm ab ordinario, in quo sistenda sit, & vter alterum summouere debeat. Certi autem iuris est, potiorem quidem esse collationem Pontificis, aut legati à latere, propter conferentis ampliorem prærogatiuam, sed ita, nisi alteruter beneficiarius possessionem priùs inierit. Tunc enim anteponendus possessor: seruamúsque in eo decisionem cap. si à sede. d. tit. de præb. in 6. Si autem à neutro possessum sit, (quod rarissimum mihi agnouit aliquando, in deliberatione forensi. Idẽ Butillerius, de quo supra) primas obtinebit ex eodẽ cap. Si à sede. quisquis nõ modò à Pontifice, sed & à legato ipso ius habeat: inanísque in id ordinariorum futura, querela est, cùm legati à latere idem prorsus, quòd Romanus ipsemet Pontifex. Inde apud Theod. Balsamonem, sexta in Trullo, legati pontificij dicuntur, οἱ πρέσβεις ἀπὸ προσώπου. id est, à persona ipsa, vt qui, quamdiu legatione funguntur, personam non referant modò, sed planè etiam induant summi illius moderatoris ecclesiasti-

ci, à

ci, à quo missi sint. Celebris ad eam quæstionem, per duas sessiones, acta à nobis causa est, an. 1598. mens. maio, pro Cl. Bello, opt. eruditóque Theologo, cui præbendam ecclesiæ Carnutensis contulerat legatus Pontificius: vicitque ille tandem aduersus Ant. Mussart, qui, dùm hoc ipsum ab episcopo, cui à secretis erat, beneficium cósecutus fuisset, nihil non quauis arte, fraude, ac opera, egerat, vt nè, præ illo, acquireret Bellus possessionem necessariam. Mirum qui obices, vbi perorandi tempus adfuit, à collatore, quippe potentissimo, oppositi. Numquam, penè dixerim, vetera, recentiáq; legationis pontificiæ iura acriùs, longius, studiosiúsque agitata, discussáque sunt. Prima secundáque sessione dixi. Phil. Girardus Mussarto aderat. Prolatus à me postridie, ad replicationem, conciliorum Codex, ita indulgente Dom. Harlæo, tunc Sen. Principe. neque enim fas: neminique vnquam patrono licuit, nisi vbi de constitutionis regiæ, legisve prouincialis interpretatione actum est: aut si, ad fidem historiæ Franciæ, Hispanicæ, vel similium, referatur controuersia, vt alibi, ad Pandectas, tit. de offic. quæst. pernotaui. nihil verò eruditius, operosius, ac sagacius, quàm quod in legatos à latere, próq; ordinariis collatoribus Dom. Seruinus, patronus fisci, effudit. Conuenerunt ad causam omnes diuinæ illius domus Sorbonicæ Theologi, quam administrabat tunc cliens noster, vt qui vir solers, gratiosúsque apud omnes ordines: támque grata vniuersis ea forensis victoria, vt, functo diem paulò pòst amœnæ habitationis vetere emphyteuta, prælatus ego, aduersus æstuantes vndequaque ambientium amicitias, fuerim. nemo succenseat: opportunus habendæ gratiæ hic locus. Sciendum verò in cæteris prodesse nihil quicquam anticipatæ possessionis iura si donatum sit aliquid ecclesiæ, aut pauperibus. De ecclesia singularem textum reperies in l. vlt. de sacr. eccles. De pauperibus, in l. id quod. de episc. & cler. In quo tamen notabis acceptationem esse necessariam, d. l. id quod. ad quam ostendo id fusiùs. Exceptio deinde alia est in donatione eiusdem rei facta duobus à Principe. Primus enim donatarius præfertur, licèt secundus possessionem priùs cœperit: hoc Iason in amplissimo, vnicóque, ad hunc tit. commentatio, num. 5. 6. & 7. hoc Tiraquellus, tractatu de nobilitate, cap. 37. num. 57. & 58. nouissiméque Bacquetius, ex vsu, & quotidianis experimentis, cap. 5. de iure desertæ, vacantisque hæreditatis. (vocant, *droict de desharance*) Sola enim habetur ratio gratiæ Principis, vt quę verbo perficiatur. νεῦσε Κρονίων. apud Homerum, de ioue nutu solo perficiente quicquid velit: quod ad Principes refert Eustatius. Nec propterea in huiusmodi donationibus, insinuatione opus est, ex doctrina Baldi, consil. 300. vol. 2. nè quidem si ab Augusta facta sit donatio, consil. 105. lib. 3. ex eod. maximè verò titulum anteriorem seruamus, non spectata possessione, in regiis beneficiorum collationibus. Quòd si eodem die factæ sint, hora prior attenditur, ex doctrina Tiraquelli, in genere, ad quæstionem prælationis ex die, & hora, q. 17. de iure primigenior. opinione 11. num. 3. hoc etiam Decius, consil 689. atque Matth. Affl. decis. 387. vbi magni, in hoc, facit glossam l. si ex pluribus. §. vlt. ff. de solut. vide & Molin. ad reg. de verisi. not. num. 36. Quinimò & ordo regesti spectandus, si quæ hora sit prior, non liqueat, vt docet Chopin. lib. 3. tit. 2. consuet. Paris. iudicátque hoc ipsum de more ordo ampliss. Scio quid Loëtianus libellus ad lit. 5. num. 10. trado autem hic, ni fallor, quæ desiderium tuum explcant. In cæteris, prætérque collata eodem die à Pontifice, eiúsve legato, & ordinario, beneficia, at verò & à Principe, vt suprà, citra horæ certitudinem, semper spectatur, prior possessio, non titulus inter duos eiusdem rei seu donatarios, seu emptores, iuxta vulgatissimæ huius legis præscriptum, maximéque ex lege Gallica, cuius hæc verba apud Car. Magnum, in capitularibus, lib. 7. cap. 279. *Si aliquis vnam rem duobus per legitimas scripturas, donauerit, vni priùs, & alteri postea, non querendus est in his donationibus qui primus, qui posterior sit, sed qui rem, tradente donatore possederit, ii eam cui est tradita, possidebit: nec interest an in parentes, an in extraneos talis sit facta donatio.* Hactenus textus tanti Imperatoris, cuius altrix nostra Gallia. Vnum superest quod nec alienum fore arbitror, huc enim fecerit optimè decisio legis primæ. in fi. & legis, 11. Potior. in pr. qui potiores, atque legis 4. quæ res pignori. ff. de duobus creditoribus, quorum alter conuenit, vt si ab eo, intra certum diem, pecuniam acciperet debitor, fundus esset ei obligatus: alter autem intra illum diem credidit, accepitq; eundem fundum pignori. præfertur enim posterior ille creditor: quia eodem ipso momẽto quo numerata ab eo pecunia est, hypothecam etiam acceperit. Sagacissimè Bartolus, & Cuiacius legem illam primam, quæ Papiniani est, interpretati sunt.

Ce

IIDEM AA.

L. 19.

Indicia certa, quæ iure non respuuntur, nõ minorem probationis, quàm instrumentorum, continent fidem.

Vult dominium probari non modò instrumentis, sed indiciis, præsumptionibus, signis, argumentisque certis, & clarissimis: veluti si, vt habent Baldus, Paulus Castrens. & Salic. hîc, possederit aliquis, opinione domini, fundum aliquem per longissimos annos, famáque accedente publica. Differt enim probatio à præsumptione, quòd probatio per se, præsumptio per ea quæ certa sunt, fidem faciat. differt à fictione, quia fictio aduersatur veritati, præsumptio fundatur in veritate: cùm fictio sit legis, aduersus veritatem, in re possibili, ex iusta causa, dispositio. ita Alciatus in tractatu præsumptionum. Regula etiam est, præsumptiones oportere esse propinquas, non remotas, vt in l. interpositas. sup. de transact. Debent prætereà esse in specie, non in genere. frustra enim malum aliquem ex eo dixerimus, quòd solitus sit merum inferre, nisi & in specie, de qua agitur, metum intulisse probetur: sic optimè glossa intellexit verbum, *incoloratè*, in l. minor autem magistratus §. denique. de minorib. eóque sensu accipitur cap. ad nostram. de empt. & vend. vbi de vsurario, & de præsumptione vsuræ. Præsumptiones autem multas simul iunctas, cùm plenam facere probationem scribat Boërius in appendice decisionum, consil. 4. num. 81. & 84. tres sufficere, notant Canonistæ ad cap. 1. de clericis non resid. & Molinæus ad regulam, de publicand. resignationibus. sed in genere, tantò magis multiplicatur fraudis præsumptio, quantò plures cautelæ, ac circuitus adhibiti fuerint, vt eodem loco persequitur, repetitque axioma istud, consil. 31. num. 16. at verò & tractatu, de vsuris, num. 407. vbi docet multiplicatione instrumentorum augeri præsumptionem fraudis ac simulationis. In quo equidem haud parui facio quòd Baldus vocet præsumptionē, *conscientiam legis*, ad l. non ignorat. num. 4. inf. qui accus. poss. Cum enim alia sit iuris, & canonis, siue legis, alia hominis, alia naturæ, alia facti, totidem modi illi sunt suffecti à lege vt obliqua velut via insistatur fugientis veritatis vestigiis, atq; vt illa tandem iter, à quo deflexit, recipiat. vide glo. ad cap. is qui fidem. de sponsalib. apud Gregor. Si denique præsumptio fit ex vno actu ad consequentes, vt liquet ex l. 3. § is qui. l. non omnes. § à Barbaris. de re milit. l. si cui crimen. de accusationib. ff. l. 3. Cod. de episc. aud. notanda nec minùs aliunde regula glossæ ad l. non est verisimile. ff. quod met. causa, quæ vult præsumptioni standum esse, donec contrarium probetur. maximéque cùm violentæ sunt præsumptiones, quod dici solet ab interpretibus: aut, vt nostra hæc lex vocat, indicia certa, & indubitata, quæ scilicèt speciem plenæ probationis obtinent, cuiusmodi exempla plurima sunt, in iure putà in l. cùm de in rem verso. de vsur. in l. procula. de probat. in l. 2. & 3. de pact. in l. filium. de iis qui sunt sui. in l. Lucius. 82. de condit. & demonstr. ff. in cap. Afferte. de præsumpt. in cap. is qui fidem. de sponsal. vbi glossa singularis. Sic probatur dolus, in l. dolum sup. de dolo. sic fraus & simulatio, in l. post contractum. de donatio. ff. ad quam latè Bart. sic vsura, in cap. ad nostram. de empt. & vend. & in cap. illo vos. de pign. apud Gregor. Tanti esse reperio indicia apud Baldum, consil. 401. volum. 5. quotiescumque peruestiganda veritas, vt ad ea necessarium nec esse censeat, testes esse omni exceptione maiores, dummodò dicant verisimilia, τὰ εἰκότα, vt loquitur in hoc ipsum Aristoteles lib. 1. Rhetoric. cap. vlt. Sic intelligendus locus Lysiæ, ἀξιοῦσι σκέψασθαι ἀλήθειαν ἐκ τῶν εἰκότων. id est, veritatem inueniri ex iis quæ apparent verisimilia. nec aliud quicquam commendauit eminentiùs Areopagitarum Senatusconsulta quàm quòd ὡσανεὶ θηρεύοντες, καὶ ἐπὶ σμικρὸν ἐπινοοῦντες τὰ λεγόμενα, id est, quasi venatorum in morem, & vsque ad minutias, obseruantes singula quæ dicerentur, iudicarent sæpissimè aduersus eos quos in spem victoriæ adduxerat multitudo testium, superioresque in causa efficerent qui erāt ἀμάρτυροι, id est, sine vllo teste. Ita apud Lysiam pro Callia: ita & Æschynes contra Timarchum. Verba Æschynes sunt: διὰ

τοῦτο τὸ συνέδριον διατελεῖ εὐδοκιμοῦν ἐν τῇ πόλει, καὶ καλεῖται ἀκριβέστατον, σεμνότατον, δικαιότατον δικαστήριον: εἰ ἀμφισβητεῖ, ἐλέγχεται. id eſt, ex eo conſeſſus iſte ſumma, ſanctiſſimáque in hunc diem, iuris dicandi exiſtimatione florentiſſimus eſt in ciuitate: & vocatur ſagaciſſimus, auſterrimus, iuſtiſſimus. Si de re aliqua dubitet, per argumenta quod in vero eſt exquirit. ſic ille: ex quo, & Lyſia tantillum hoc de longè plurimis. Vide etiam quod nec leuiore opera, de his ipſis indiciis, intermixtóque celebri Senatus decreto, ſelegi ad l. dolum. ſup. de dolo.

IIDEM AA.

L. 22.

Certum eſt malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei verò exſtantes: poſt litis autem conteſtationem vniuerſos.

Meras inanéſque, penè dixerim, ſubtilitates iuris, in reſtituendis fructibus, emouit tandem conſtitutio Franciſci. I. anni 1539. art. 94. quo hodie, pérque quotidiana iudicia, certum eſt, fructus vniuerſos deberi ab omnibus ſeu bonæ, ſeu malæ fidei poſſeſſoribus, non modò poſt litis conteſtationem, ſed à tempore moræ, id eſt, à tempore petitionis factæ apud iudicem. id verò nulla amplius diſtinctione facta fructuum naturaliũ, aut induſtrialium, reiectáque diſtinctione actionum ſeu ſtricti iuris, ſeu bonæ fidei, item & actionum realium, ac perſonalium, vt anteà. Feréque tria tantùm excipiuntur, in quibus ad diei fructus ſoleant citra moram, nulláque petitione facta in iudicio. Primum eſt in emptore, qui poſſidere incipit emptum prædium à tempore emptionis, nec tamen ſoluit pretium: ſeruamus enim in eo religioſiſſimè legem 4. Curabit. de act. empti, inf. vt ſcilicèt vſuræ legitimæ pretij conuenti debeantur à tempore ipſo contractus, & poſſeſſionis, in compenſationem perceptorum ab emptore, qui nõ ſoluit, fructum. Secundũ eſt in hærede, cui reſtituitur tandé aut integra hæreditas, aut portio, vt enim fructus omnes augent hæreditatem, l. item veniunt. §. fructus. ff. de pet. hæredit. ita & procul dubio eſt, illos deberi à tempore mortis, & quo delata ſit hæreditas. Dubitatum aliquando eſt in legitima. In ea antem hoc ipſum cenſuit ordo ampliſſ. in quinta claſſe inquiſitionum, aduerſus Paponẽ an. 1590. mẽſ. Ianuar. rurſúſque aduerſus quemdam, Aignetardium, nomine, ann. 1610. die 6. Ianuar. in quarta inquiſitionum. legitima tamen illa intelligenda eſt de naturali. In Trebellianica enim ſecus, l. fideicommiſſarium. ff. ad Trebell. at verò & cùm dos vicem obtineat legitimæ naturalis, idem quoque in ea ſeruari, quoad vſuras, à die matrimonij, conſtat plus ſatis inter fori peritos, vt alibi doceo. Tertium eſt in dotalitio, vt cuius actio ſit verè alimentaria, σιτοδίκη, qualis illa apud Demoſth. diſertiſſimus in eo textus eſt tit. de dotalitiis, art. 256. cõſuet. Pariſ. vidi qui de ſtatutario iſtud intelligerent: quia conuentionale, ſeu præfixum, vt loquimur, ſit in pretio conuento, cuius proinde vſuræ vt edictales, ex ratione ſcilicèt denarij qui eas præfinit, cùm totæ ex edicto pendeant, quo nõ niſi ex interpellatione priùs facta conceſſæ ſunt, ita nec etiam niſi à die interpellationis deberi quicquam eo nomine ſentiunt. Sed falluntur, tum quia articulus ille 256. loquitur indiſtinctè in vtróque tam conuentionali, quàm ſtatutario: tum verò quia vtriúſque vna, eadémque ratio eſt, nempe ad alendam viduam. Poſtremò ita ſemper iudicat Senatus, referuntúrque à Bacq. duo in hanc ipſam quæſtionem Senatuſconſulta vetera, cap. 15. num. 79. de iuſt. & iure. pudórque fuerit cenſere contrarium. Supereſt iam vt ſingulares quædam, in ratione fructuum, ſubiiciantur regulæ. Primùm enim fructus eos eſſe conſtat qui, deducta impenſa, ſupererunt, l. 7. fructus. ff. ſolut. matr. Imò quod in ſementem erogatur, ſi non reſponderint merces, ex vindemia, deduci, vult Vlp. quia totius anni vnus fructus eſt, ait ille in l. 8. ſi fundus. § vlt. eod. illo tit. ſol. matr. de hac autem quæſtione nihil vnquam didici: putóque valde arbitrariam. Deinde ſi vita fungatur fructuaria, pendentibus, maturíſque fructibus, nihil tamen ex iis debetur hæredi. Ita enim pronuntiatum

in purpuris à maximo Præside, Dom. Brissonio, ano. 1589. ad ferias Pentecostes. 19. Maij nec fetuamus proinde in eo Cuiacij fenteotiam lib. 24. obsetuat. cap. 21. optimus nempe interpretandi iuris magister, forum est, vt in quo Senatusconsulta, quæ ad quæstiones feruntur, vsum, morémque perficiant. Sic enim & accipienda lex, diuortio. §. non solum. ff. sol. matr. vbi dicitur, si oues sint proximæ tonsuræ, lanam earum inter fructus computandam. Notum id ἐν πλυμάλῳ Βιτυεία. Tertiò, fructuum restitutio intelligenda est æstimatione communi, quod explico latiùs ad l. Aquil. ff. l. ita vulneratus. ad quam ostendo reiectam apud nos æstimationem, *quanti plurimi*, id verò indistinctè, contra Molinæi fenteotiam. Quartò, conductori fructuum monasterij nihil quicquam iuris cōpetit in peculio mortui Monachi, quasi illud sit loco fructuum, de quo cùm ætate Rebufi, incidisset quæstio, ille & eam meminit, tit. de fructibus. glo. vn. art. 1. Quintò, in causa dotis, fructus debentur à die matrimonij, nempe ob matrimonij ipsius onera, l. vlt. de iu. dot. inf. cap. Salubriter. de vsur. & quòd insuper dos sit loco legitimæ, vt dixi suprà. explicat istud Molinæus consil. 15. & ad consuetud. Cœnoman. art. 261. Sextò, cùm fructus ciuiles dicantur pensiones, & obuentiones quæ occasione rei alicuius percipiuntur, vt docent Alexander lib. 4. consil. 56. atque Molin. ad consuet. Paris. §. 1. gl. 1. q. 3. regulam constituit idem Molinæus ead. glo. 1. num. 50. 51. 52. 53. vt sicut in naturalibus spectatur tempus quo separantur à solo, quantum ad effectum acquisitionis, ita & in ciuilibus spectetur tempus quo deberi incipiunt.

IIDEM AA.

L. 25.

Solennibus pensionibus rei pro alio satisfacientem, non interueniente venditione, solutionis causa minimè dominum facit.

Baldus: descriptio in censuum non facit quem dominum. Iunge l. si functiones. & l. censualis professio. Cod. de donationib. Distinguit tamen Faber, nisi qui soluit, possideat, & per longum tempus solutio facta sit. Tunc enim præiudicatur, inquit, vero domino. quod & censet Matth. Affl. Senator Neapol. decis. 315. ex solutione autem census probatur territorium, vt latè differit Bacquetius cap. 3. de iustitia, & iure. probatur enim possessio per solutionem census, & tributi: apud Symmachum lib. 1. epist. 27. vide Brissonium lib. 1. cap. 5. Antiquitatum iuris, vbi tradit priscum morem quo Romani in campo Martio declarabant, & profitebantur apud censores quaotum quisque in bonis haberet: sicque intelligit legem 64. ff. de acq. rer. dom. cuius hæc verba valdè ad nostram faciunt: *Quæ quisque aliena in censum deducit, nihilomagis eius fiunt* Notanda lex deniq; *pour les papiers censiers, & terriers*. In illis enim scribuuntur nomina possessorum censum soluentium: in his nomina possessorum profitentium: singulatisque de huiusmodi professionibus textus est in l. forma censuali. ff. de censib.

IIDEM AA.

L. 27. quæ penult.

Seruum emptor non traditum sibi præsentem vendicare non potest.

Bald. Titulus sine traditione non est causa transferendi dominij. Dixi fusissimè ad vulg. l. traditionibus. sup. de pact. vtriúsque enim, licèt diuersis verbis, vna, eadémque decisio est.

IIDEM AA.

L. vlt.

Res alienas poßidens, licèt iuſtam tenendi cauſam nullam habeat, non niſi intentionem ſuam implenti reſtituere cogitur.

Vult nempe, actore non probante, Reum abſolui, ſiue poſſideat iuſtè, ſiue iniuſtè. Ratio eſt in l. 2 ff. vti poſſid. cuius hæc verba: *iuſta, an iniuſta aduerſus cæteros poſſeßio ſit, in hoc interdicto nihil refert. qualiſcúmque enim poſſeſſor, hoc ipſo quod poſſeſſor eſt, plus iuris habet quàm ipſe qui non poſſidet.* egregiè Tertullian. de præſcriptionib. *Noſtra eſt poſſeßio, dum poſſidemus, &c.* Vide plura ad l. ordinarij. ſup. hoc tit.

TIT. XXXIII. DE VSVFRVCTV, ET HABITATIONE, ET MINISTERIO SERVORVM.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. I.

Si vſufructus omnium bonorum teſtamento vxoris marito relictus eſt: quamuis à te prohibuerit exigi, tamen non aliter à debitoribus ſolutam pecuniam accipere poteris, quàm oblata, ſecundum formam Senatuſconſulti, cautione.

Iunge l. 6. ſi pecuniæ. ff. vt in poſſeſſ. legat. & l. 4. inf. hoc tit. Notat Gloſſa, fieri iſtud non fauore legis, vel teſtatoris, ſed fauore hæreditatis: poſſe tamen hæredem remittere, cùm eius ſolius interſit. Aliàs enim liberum eſſet fructuario proprietatem ad nihilum redigere, quod latè explicat Baldus hîc. eóque ſpectat conſuetudo Pariſ. art. 285. cuius verba: *le donataire mutuel ne gaigne les fruicts que du iour qu'il a preſenté caution ſuffiſante, & demeurent les fruits à l'heritier iuſques à ladite caution preſentée.* Vult hoc ipſum indiſtinctè Pontifex, in cap. vlt. de pignorib. apud Gregor. etiam in vidua fructuaria: in qua tamen & hoc iure ſingulari, contráque ius commune, temperandum cenſet idem Baldus: vt ſcilicet cogi poſſit hæres fideiuſſorem quantumuis inopem ab ea accipere. cui ſententiæ & accedit Chaſſaneus ad conſuet. Burg. rubr. 4. §. 6. in verb. *& ſera tenuë.* textúmque in id diſertum reperio in cap. per veſtras. de donatio. inter vir. & vxor. diſtinguit verò prudentiſſimè conſuetudo Pariſ. art. 264. dummodò fructuaria illa vidua ſecundò non nubat. atq; id, ſeu agatur de re immobili, ſeu de mobili, vt diſtinxerat auth. cui relictũ. inf. de ind. viduit. toll. addit verò iterum Chopinus ad d. conſuet. lib. 2. tit. 2. dummodò fructuariæ ſuſpecta non ſit fides. citat Albericum ad hanc l. primam: ſed doctrina ea eſt Bartoli, Baldi, Pauli Caſtrenſ. ad hanc eandem legem primam, rurſúſq; Bartoli ipſius ad l. poſtquam. §. Imperator. ff. vt in poſſeſſ. legator. vel fideicommiſſ. atque Vidi Papij, quæſt. 250. Deniq; cauſa pleniſſimè cognita, verſari in eo debent iudices, quorum proptereà officio, ſagacitati, prudentiæque incumbit vt videant vtrùm eſſe debeat fundus penes aliquem illæſæ exiſtimationis virum à quo in ſingulos annos fructuarius accipiat quod ipſemet, dato fideiuſſore, perciperet, quæ ſententia eſt Bartoli, & Baldi. aut quacumque alia ratione caueant, nè quid detrimenti capiat, ex legato huiuſcemodi vſufructu, proprietas, vt ipſemet Papius decîdit quæſt. 248. plura non dicam, quia & iam affeci quæſtionem ad l. 7. Si vini, olei. ff. de vſufr. earum rerum quæ vſu conſumuntur.

IMP. ALEXANDER.

L. 4.

Vsufructu constituto, consequens est vt satisdatio boni viri arbitratu præbeatur ab eo ad quem id commodum peruenit, quòd nullam læsionem ex vsu proprietati afferat. nec interest siue ex testamento, siue ex voluntario contractu vsusfructus constitutus est.

De boni viri arbitratu, seu arbitri, dixi ad l. societatem. ff. pro soc. nota autem dotalitiariam priuari quidem vsufructo, si abutatur: quod & docet Chopinus ad consuet. Andens. lib. 3. cap. 3. tit. 1. sed non id, vt vtilitatem functionis amittat. fruetur enim nihilominus, sed non per manus suas, ἐ αὐτοχειί, vt pluribus explicat Argentræus ad consuetud. Armor. artic. 442. glo. 8. quod egregium sanè heurematicum.

IIDEM A.

L. 5.

Si pater vsumfr. in tempus vestræ pubertatis matri vestræ reliquit: finito vsufr. postquàm vos adoleuistis, posterioris temporis fructus perceptos ab ea repetere potestis quas nulla ratione sciens de alieno percepit.

Casus hic, quo scilicèt vsusfr. finitur tempore, omissus est in §. finitur. instit. eodem hoc tit. De vsufructu autem dato patri plebeio, ex moribus Turonum, in bonis filiorum vsque ad annos quatuordecim, & filiarum vsque ad annos duodecim, artic. 246. hoc ita demum intellige, si modò nec ante has filiorum, filiarúmve ætates, nouercam eis superinducat. Tunc enim finietur vsusfructus non solum pubertate liberorum, sed & secundo suo matrimonio. ex Senatusconsulto quod in purpuris ad interpretationem articuli illius pronuntiatum anno 1589. considenre Senatu Cæsaroduni Turonum, rebellante Lutetia. Rationem aresto plus æquo suffecerit lex 3. de sec. nupt. & quicquid in secundo nubentes viduas toto illo tit. in l. lex quæ. de admin. tutor. vnàque etiam cũ paratitlo Cuiacij, de secund. nupt. vbi exscribit singulares duos versus ex Odyssea, quibus mirè pauci sque exhiber, Homerus amorem matris erga liberos prioris matrimonij excidisse, aut interiisse potius, statim atque secundi thori venerem experta est, rotúmq; adeò ad secundum maritum degenerasse, vt nè quidem amplius seu prioris mariti, seu liberorum meminerit. apertè autem & hoc Gaius in l. 4. ff. de inoff. testam. ad quam cùm singularia quædam ex auctoribus in nouercas contulerim, vide insuper, si luber, insigne nouercalis malitiæ exemplar, apud Apuleium lib. 10. Metamorphos. locus enim longior. Lucianum in Abdicato. & An. Robert. lib. 1. cap. 8. rerũ iudicat. pulchrè equidem Tacitus lib. 3. Annal. cùm ait corruptos sæpe prauitatibus vxorum maritos. quod enim in secundò nubentes matres responsum est à Iurisconsultis, sancitúmque ab Imperatoribus, quorum imitatione, ac exemplo promulgatum etiam apud nos edictum de secundis nuptiis, sub Henrico II. hoc ipsum & in eiuscemodi vxorios patres detorsit, explicuitque ordo amplissimus, vt alibi moneo.

IDEM A.

L. 6.

Interest. Qui proprietatem æstimatam in dotem accepit, obligare eam potest. quoniam soluto matrimonio restituenda æstimatio eius est.

Qua mente, & quo vsu intelligendum istud, dixi ad l. plærúmque. & tres sequentes. ff. de iure dot.

IMP. GORDIANVS.

L. 7.

Eum, ad quem vsusfructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati iuris est.

Id est, vt docent interpretes, modica impensa ad fructuarium spectat, magna verò ad proprietarium. quod quia etiam explicui ad l. 8. vsufructu. §. hactenus. (qui in vulgatis facit initium legis) ff. de vsufr. ad eam remitto.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 8.

Neque fructuarium ad obtinendam proprietatem rerum quarum vsumfr. habet, neque successores eius vlla temporis ex ea causa tenentes præscriptio munit.

Glossa notat verba, *ex ea causa*, quia secus est, ait, si interuenerit, & dominum non admiserit. nam tunc per 30. annos potest præscribere. l. si quis emptionis §. 1. & 2. inf. de præscr. 30. ann. eóque etiam referenda lex, vlt. in fin. inf. de præscr. longi temp. vide autem quæ in hoc ipsum adieci ad l. sciendum. ff. qui satisd. cog.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 12.

Ambiguitatem antiqui iuris decidentes, &c. Si quis vxori suæ, vel alij cuicúmque vsumfr. reliquerit sub certo tempore, in quod vel filius eius, vel quisquam alius peruenerit: stare debet vsusfructus in annos singulos, in quos testator statuit, siue persona, de cuius ætate compositus est, ad eam peruenerit, siue non. neque enim ad vitam hominis respexit, sed ad certa curricula: nisi ipse cui legatus est vsusfr. ab hac luce fuerit subtractus, &c. Si autem talis fuerit inserta conditio, donec in furore filius, vel alius quisquam remanserit, vel in aliis similibus casibus quorum euentus in incerto sit: siquidem resipuerit filius, vel alius pro

quo hoc dictum est, vel conditio extiterit, vsumfru. finiri. Si autem adhuc is in furore constitutus decesserit, tunc quasi in vsufructuarij vitam eo relicto, manere vsumfr. apud eum. Cùm enim possibile erat, vsque ad omne vitæ tempus vsufructuary non ad suam mentem venire furentem, vel conditionem impleri, humanissimũ est ad vitã eorum vsumfr. extendi. quemadmodum enim si decesserit vsufructuarius ante impletam conditionem, vel finitum furorem extinguitur vsusfructus, ita humanum est extendi eum in vsufructuarij vitam, etsi anteà decesserit furiosus, vel alia conditio defecerit.

Vna est ex 50. decisionibus Iustiniani: ponitq; glossa notandam speciem vt intellectus fiat clarior. Lego, inquit, Titio vsumfr. per decennium, donec vixerit filius meus. decem anni dumtaxat, nõ autem mors filii, vsumfr. finient. Adducit & hoc interpretes, dum legem in pauca contrahunt: Vsusfructus relictus vsque ad tempus certæ ætatis alicuius, non petit morte illius: sed tunc demum cum tempus euenerit, vel si legatarius morte præuentus fuerit. Baldus, Paulus Castr. & Salic. quærunt de legato vsusf. à patre quamdiu filij furor durauerit, vtrùm, mortuo filio, finitus censeri debeat. Vertit hinc inde quæstionem Baldus. Tandem verò in rationes adeò implicitas, parúmq; idoneas definit, vt eas insuper habendas facile, opinor, quiuis mecum dixerit. meliusq; fecisset, si iis quæ imperator, pro ratione argutissimæ huius suæ decisionis, subiicit, immoratus fuisset. Ait Paulus Castrensis, fieri hoc quia in quo quis statu decedit, duraturus & ille in eo semper præsumitur, si longius vixisset. Prætermisso cætera ex interpretibus, si tamen dixero notandam maxime in eo distinctionem eius tem Baldi inter legatum purum, & conditionale. purum legatum est, si legauerit testator vxori vsumfr. vsque ad annos decem, sique post illud tempus Seio eundem vsumfr. reliquerit. eo enim casu, quæcumque mors vxoris interueniat, expectandum Seio decennium. Secus si legatum sit conditionale. Spectanda verò etiam est, ait ille, personarum qualitas, & testatoris erga legatarium charitas, in quo citat apposite legem, in fideicommissi. § cum Pollidius. ff de vsuris. eóque faciunt conditiones morandi cum aliquo, vel in aliqua ciuitate. Si enim annua testator legauerit his verbis: Si morentur cum matre mea: etiam mortua ea legatum debetur, inquit lex, Annua. in pr. de ann. leg. Idem iuris est, si dictum sit, si ab vxore mea non recesserint, in l. mæuia §. 1. eod. illo titu. de ann. legat. Ratio fuerit ex l. Caio. §. 1. de alim. leg. vbi sic textus; *Tamen hanc fuisse defunctæ voluntatem, & cogitationem interpretor, vt & post mortem eadem præstari voluerit.* hoc & ipsum in l. libertis. 18. eod. illo tit. de alim. legat. §. ab hæredibus. & in l. 83 Illis libertis de condit. & dem. ff. *Illis libertis*, ait textus, *alimentorum nomine, si cum filio meo morati fuerint, menstruos denarios centenos, & vestiaria dari volo libertis in obsequio fuerunt, quamdiu adolescens ad obsequium proueheretur, &c. apud castra deesset. alimenta nihilominus libertis præstanda sunt.* Imò & deberi etiamsi, ob grauiorem seruitutem, ab eo discesserit *libertus, cum quo vt moraretur, testator voluerit,* reperies in d. l. Caio. d §. 1. Verba etiam legis, 8. si quis ita legauerit. eod. illo tit. de condit. & dem. sunt hæc: *si ita dictum sit, dum vxor mea cum filio meo erit. non tenetur enim quis omni momento cum ea morari.* Præterea debebitur nihilominus quod legatum est sub conditione morandi in hac, vel illa ciuitate, si libertatem ea conditio infringat: nisi in libertis, l. Titio centum §. Titio centum 12. de cond. & dem. de ipsis libertis textus est in l. hæ demum. in fin. de op. libert. ff. Vt autem fœtura ingens quæstionum, earumque illustrium, ac nobilissimarum in publicis fori nostri auditoriis, Decisio legis illius, Titio centum d. §. Titio centum 2. eam ipsam quam trado, interpretationem accepit à senatu an. 1614. die 3. Iullij, vt scilicet conditio morandi in ciuitate, locóue alio non seruetur. vbi de persona libera agitur, nec verò si in personas quascũque seruiles concepta sit, de quibus intelligendæ sunt d. lex libertis. lex illis libertis, lex Annua, lex mæuia & lex, hæ demum. Recensebo causæ speciem. Mauguinio, Ioãnes du May, cum in oppido, Belna, loco natali, apud heduos, fortunarum suarum, quæ amplissimæ, sedem posuisset videretque, senex factus, ac sine liberis, nullos demum fu-

turos sibi hæredes quàm duos ex fratre filios, qui erat ex antecessoribus Tolosanis, testamento relinquit ei filiorum fratris, qui Belnam incolere maluerit, quicquid bonorũ, Belnæ, locisque finitimis, possidebat, conditione tamen adiecta, vt ex liberis, ac nepotibus fratris præferatur semper primogenitus, si ita velit: quæ tamen optio vt semper intra annos statę ætis, putà viginti quinque, fiat, cauet disertissimè: ac vt ne irrita sit voluntas, fratrem executorem testamenti sui constituit, antecessorem nempe illum Tolosanum, quem dixi. Paulò post moritur, frater superstes ciuem Tolosanum esse vult primogenitum. conatur autem omni opera vt secundogenito desidetium induat habitandæ heduorum prouinciæ: atque vt votum perficiat, bonosque ducat ad exitus, mittit eum Diuionem, dignaturque magistratu senatorio. dat vxorem de nobilissima familia heduam, omniaq; insuper fraternæ hæreditatis bona. quinimò & hoc additur, obuenturas numquam alioqui, citraq; patrimonij istius hedui accessionem, nuptias. Possidet ergo ex his secundogenitus bona patrui, fitque, ducta vxore, & ciuis Diuionensis, & Senator. Patre autem mortuo, primogenitus, qui erat etiam Senator Tolosanus, bona illa reuocat, quia primogenitus, contenditque cogi propterea non posse vt ex testamento patrui seu Belnæ, seu Diuioni moretur, cùm libertatem infringere non possit eiusmodi conditio. nec solo d. legis, Titio centum. argumento vtitur, quale suprà propositum est, sed & præclarum insuper Burdigalensis curiæ præiudicium recitat ex scripto, vt ambigendi præcidatur, summoueaturque omnis ad has quæstiones remota. liberarunt enim Burdigalenses iudices similem legatarium, ciuem Burdigalensem, conditione morandi Lapurdæ, seu Baionæ, vt hodie nomen est, quicquid ita statuisset testator: bonáque ei nihilominus addicta sunt ex ratione d. legis, Titio centum. Obstabat tamen, vt videbatur, focrus secundogeniti intercessio, cui Gitardus aderat. agebat enim illa ex sponsu, meráque, ac enixa conuentione tabularum dotalium, qua de bonis illis heduis nominatim, disertéque adeò pactum erat, vt aliàs initæ nunquam fuissent nuptiæ. Causa denique disceptata acerrimè hinc illinc: superauit primogenitus: conditióque illa morandi Belnæ, pro non scripta habita est. perorabant Mauguinius, Monstrolius, & Giratdus. Excipe autem in eo, si quod sit turpe, pudendúmque legatum sub eadem conditione morandi in loco aliquo. Iudicauit enim eo casu ordo amplissimus contra d. legem, Titio centum. d. § Titio genero. 2. anno 1617. die 15. Iunij, dicentibus Grenetio, & Mestræo, Dom. Beliambij, Senatoris filio, pœnáque libidinosi legati adiecta est, nisi fructuaria, cui eo nomine relictus, in hunc diem, annuus mille ducentarum librarum reditus, conditioni pareat morandi intra eam ipsam Lutetiæ nostræ regionem quam testator, tametsi indecenter, ac propudiosè, circumscripsit. dixi de hoc fusiùs ad tit. de cond. ob turp. caus. ff.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 15.

Cùm antiquitas. Si habitationem quis reliquerit, datur legatario etiam locationis licentia. quid enim distat, siue ipse legatarius maneat, siue alij cedat vt mercedem accipiat? &c.

Matth. Affl. Senator Neapol. decis. 401. differentiam constituit inter ius habitationis concessum inter viuos, vel testamento. qui enim, inquit, excipit sibi habitationem inter viuos, simplicem vsum excipit, id est, sibi solicitaut locare alij non possit. Si autem concedatur habitatio testamento, tùc ius integrum est, fierique potest à legatario, cuieúmque voluerit, locario. Ita sentit ille in summa, ad cuius tamen sententiam vide quid adiecerim ad principium tituli, de vsu & habitatio. ff. Vnum superest quod de 50 Iustiniani decisionibus, quarum hæc vna est, moneam. Cùm enim non ita facilè deprehendi possint auctaria illa Iustinianeæ compositionis, in quibus præclaram suam & sagacitatem, & iuris scientiam patefecit Tribonianus, scribit rectissimè Merillius, antecessor Bituricens. tractatu nuper edito in 50. decisiones: ea nota decisiones illas à con-

stitutionibus dignosci, quod in decisionibus controuersiæ antiquorum iurisconsultorum decidantur: in constitutionibus verò, ius vel quod erat iam desuetum, abrogatur, vel quod erat certum, immutatur, vel quod erat dubium, interpretatione suppletur, vel quod erat superfluum, coarctatur, vel differentia quædam tollitur. Nostra igitur hæc lex ex illis quinquaginta, vt dixi supra. fuot verò etiam lex seq. 14. lex 15. & lex. 16. hoc eod. tit. Scholæ, fateor, exercitationes in eo profero, sed quæ faciant etiam ad forum, nè, quando incidunt, anteponatur audaculi forsan formularij iudicium laudatissimis in hunc diem Romanæ iurisprudentiæ instauratoribus, quorum & in ipsis maximè veterum Iurisconsultorum conciliandis altercationibus, probata hactenus semper sit perita, argutáque prudentia.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 14.

Antiquitas, &c. Si quis fundum, vel aliam rem testamento reliquerit, quatenus vsusfructus apud hæredem maneat, (id est, si nudam proprietatem fundi legauerit, retento, seu deducto vsufru. pro hærede, vt explicant interpretes) *talis vsusfructus vnà cum hærede* (gl. primo) *finitur.*

Eadem Glossa adijcit, nisi constet testatorem de secundo hærede sensisse. Etenim, vt docet Labbæus ad artic. 19. de donationib. in consuet. Bituric. in exorbitantibus mētio hæredis intelligitur de primo hærede dumtaxat, citátque in id, hāc l. sic verò & hoc sermone, *dum nupta erit*, primæ nuptiæ significantur. vulg. l. boues. §. hoc sermone. de verb. signif. de cuius legis illustratione librum singularem scripsit Tiraquellus. dixique in hoc ipsum ex iure, Romano, & Gallico ad l. 8t. si socius. ff. pro soc. memini legere me in aduersariis patroni veteris haud alienam speciem agitatam olim, nempe ann. 1541. die 25. Iullij, in maiore auditorio, inter Boërios fratres, qui tūc patroni in Senatu, & eorum matrem, illustriss. Dom. Montholonio Præside, qui paulò post fuit custos annuli Gallici. Quæsitum enim est de iis quæ effectum ex primo implemento accipiant, ad hanc speciem: conuenerat tabulis nuptialibus, vt si emeretur domus constante matrimonio, frueretur ea superstes coniugum, quamdiu viueret. Domus duæ per interualla temporum emptæ sunt, quarum postrema, cùm esset pretiosior, superstes vxor frui voluit. obstant liberi: defendúntque præcipiendam eam solam à matre quæ priùs comparata sit, tum quia ita concepta esset stipulatio tabulis dotalibus, tum vero ex textu Africani, qui in id perelegās in l. 63. si ita quis stipuletur. de verb. oblig. vbi commissa semel stipulatio, ampliùs, iterúmque non committitur. Deinde conditionum natura ea est, vt quod dixi suprà, effectum ex primo implemento accipiant. hinc, ait Bartolus ex argum. l. si pupillus. de conditionib. institutionum, ff. puri, & purificati idem esse iudicium. melius autem Pomponius, auctor legis illius, cùm scribit, conditionem expletam perinde esse, ac si purè hæreditas vel legatum relictum sit. contendunt ergo ex his aduersus matrem liberi, eligere eam non posse ædes quæ posteà comparatæ sint, sed primas. vrgebat autem ipsa nomine materno, & momento fruitionis quam ceu inuidebāt ingrauescentis iam ætatis parenti, cuius futuri erant hæredes:

Matris superbum nomen est, & nimium potens,

apud. Sen. in Hippol. Vrgebat verò etiam ex coniectura voluntatis contrahentium. Quis enim vnquam dixerit vt in eiusmodi stipulationibus nō sibi caueant primùm coniuges, posteàque liberis? singularis in id textus in l. quidam cùm filium. inf. de hær. instit. *filius, viuo patre, existimatur quodammodò dominus*, ait vulg. l. in suis. de lib. & post. pater igitur, ac mater, quamdiu viuunt, potiores sunt domini, nec, nisi *euntibus ordine fatis*, bona parentum debentur liberis. *seruauit ordinem natura*: ait optimè Tacitus: dum iunioris, seniorisque lachrymosas mortes describit. Tamen ad componendos aduersæ prolis

animos, eò deiicit quod ei præ manibus est, mater, vt apud præfectum Paris. offerat supplecturam se in quo controuersæ domus locatio exuperare videbitur locationis domus, quæ priùs exempta fuerat, pretium. Accipere nolunt liberi: petúntque semper domum vltimam. Appellántque à sententia qua pronunciatur, matrem fruituram domo, de qua lis erat, secundum conditiones quas ipsamet obtulisset. Senatus verò confirmauit, indignatus liberorum adeò ferocem in maternum nomen peruicaciam. obtinuisset enim, vt verisimillimum est, vel sine auctario: cùm non amarè, id est, ex subtilitate iuris, nec tanquam inter infestos, tractanda esset stipulationis conceptæ interpretatio, vt monet Paulus, ad similia, in l. si id quod. §. 2. de donat. inter vir. & vx.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 16. quæ pen.

Corruptionem. Non solùm actio quæ de vsufructu nascitur, sed nec ipse vsusfructus non vtendo cadit, sed tantummodò morte vsufructuarij, & ipsius rei interitu: multa enim & innumerabiles causæ rebus incidunt mortalium, per quas homines iugiter retinere quod habent non possunt. Excipitur tamen ea capitis diminutio quæ vel libertatem, vel ciuitatem Romanam possit adimere.

Hoc ipsum in empbyteuta decidit Molinæus ad consuet. Paris. §. 15. num. 3. Quærit Baldus hîc vtrùm per exilium, seu bannum, vt vocàt, amittatur vsusfructus. decidit autem quod hodie apud nos, nostrisque moribus vulgatum. Si enim ad tempus facta sit exilij condemnatio, id est, in triennium, aut quinquennium, quæ solita in eiuscemodi iudiciis tempora: manet vsusfructus, simplex enim relegatio est, quę nec libertatem aufert, nec bona, sed ciuitatem, prouinciámque ad tempus dumtaxat. Si verò in nouennium, aut in perpetuum damnatus sit Reus, tunc & perire vsumfr. cùm cæteris bonis, quæ adimuntur, necesse est. rectissiméque asserit eodem loco nec deberi alimenta, quãuis contrarium sentiret alius quidam interpres, quem nominat. eo sensu accipienda lex, Statius Florus. §. Cornelio fœlici. ff. de iu. fisci. reperiésque apud Bacquetium. cap. 15. nu. 61. de iust. & iu. iudicia quibus censuit Senatus, cẽsetque indies de more, vbi quęstiones hæ incidunt, peti posse ab vxore dotalitium in bonis mariti, si ad perpetuas triremes damnatus sit. Secus tamen si de substitutione agatur, tunc enim quæcúmque sit triremium perpetua seruitus, & quæcumque monastica professio, vnde inferatur mors ciuilis, expectanda tamen semper est mors naturalis, vt fiat locus ei qui proximè substitutum damnatum sequitur: ita Molin. ad d. consuet. Paris. §. 41. num. 81. & ad regul. de infirmis resignantibus, num. 219. profert Senatusconsulta Tolosana Maynardus lib. 7. cap. 18. Quæsitum est de beneficiis ecclesiasticis, vtrùm ex eiusmodi causis vacent: neminem autem consultorum nostri ordinis reperio qui & vacare non sentiat. omnem enim capitis diminutionem reus eo casu patitur. vide ad l. furti. ff. de his qui not. infam. & ad l. vlt. sup. de his qui ven. æt. impetr.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Ex libris Sabinianis. Sancimus seruus, vel filiusf. capite minutus sit magna, vel media, vel si moriatur, aut emancipetur: sique manumittatur seruus, vel intereat: non interrumpi patri vel domino vsumfru. qui per eos acquisitus sit, sed manere intactum. Neque si pater magnam ca-

pitis diminutionem, vel mediã passus fuerit, vel morte ab hac luce fuerit exemptus, vsumfr. perire: sed apud filium remanere, etiamsi hæres à patre non relinquatur. vsumfr. enim per eum acquisitum, apud eum remanere, etiam post patris calamitatem, oportet. cum plarumque versimile sit, testatorem, contemplatione magis filij, vsumfr. reliquisse.

Notandus textus non ex vsu, sed ex ratione ad similia. vt enim interpretes, cùm legem in pauca contrahunt, docent vsumfru. filiosf. vel seruo alieno rel. ctum, acquiri patri, & domino, ita vt, licèt filius, vel seruus, moriantur, aut statum mutẽt, resideat nihilominus apud patrem, vel dominum, redeat verò ad filium à quo habuit originem, si decesserit pater, passúsve sit capitis diminutionem maximam, aut mediam, cùm contemplatione filij, potiùs quàm patris, legatus vsusfructus fuerit: sic & eò nos vertunt in versi mores, vt contemplatio, de qua in textu, non modò ad species pertrahatur de quibus in l. eo tempore. §. vlt. & l. vlt. pro soc. atque in l. si pupilli. de negot. gest. ff. sed ad beneficia etiam consistorialia quæ conferuntur ad gratiam, nominationémque Principis, at verò & ad indulta: vt scilicèt vacatio numquam intelligatur per obitum eorum, quorum nomina in collatione, sed eorum tantummodo quorum contemplatione Princeps collata esse voluerit. Ita enim in consistorio Principis, & apud magni consilij iudices: non tamen in Senatu. Illéque concordatorum vsus est, titu. de regia ad prælaturas nominatio. fac. cùm beneficia illa non cohæreant personæ nominati, vt in hoc retineam verbum Bartoli ad hunc textum, dum loquitur de iis quæ non quæruntur patri per filium, si nimirùm, inquit, personæ filij cohæreant: vanáque propterea distinctio quam eodem loco subijcit, an filius, cui donatum est, viuo patre, decesserit, an autem mortuo. quocumque enim casu contingat mors nominati, in cõsistoriali beneficio, vel in indultis curiarum, mors illa numquam inspicitur. Quinimò & vlteriùs adeò proceditur, vt, quamuis indultarius interierit, tamen si, qui nominatus ab eo est, viuat cùm incidit beneficium ab ecclesia in qua nominatio facta sit, quæri tamen debeat beneficiũ illud, quasique militia ex casu, viduæ, ac liberis indultarij mortui. Noui quos in hunc diem beet postuma illa sors, nè dicam, diuina virgula: (si tamen beandi verbum admittas in re planè contraria bonis moribus, Christianóq; nomini.) Quicquid sit, certi adeò iuris est, nempe Galliei, quod scribo, vt, cùm nominatus fiduciarius sat dudũ (parco nominibus) litem supervacaneã de eiuscemodi beneficio ex casu, instituisset, idq; per occasionem beneficij quod ex persona, & iure defuncti petiet ac apud magni consilij iudices, quorum de his controuersiis notio, recuperauerit, ille litis impendia, quibus mulctatus fuerat, aduersus viduam, vt cuius causa, ac liberorum, litem mouisset. vitiosioris nimirùm ętatis stigmata, notásque expromo. neutiquam enim istud ferant boni mores.

TIT. XXXIIII. DE SERVITVTIBVS, ET AQVA.

IMP. ANTONINVS.

L. I.

Si quas actiones aduersus eum, qui ædificium contra veterem formam extruxit, vt luminibus tuis officeret, competere tibi existimas: more solito per iudicem exercere non prohiberis. Is qui iudex erit, longi temporis consuetudinem vicem seruitutis obtinere sciet: modò si is qui pulsatur, nec vi, nec clam, nec precariò possidet.

Cõponendæ omninò lex, 10. Qui luminibus. de seru. vrban. præd. & lex, potest cõmu. præd.

præd.ff.ad quas eximia quædam dixetim.ex priscis,vsque nostræ Galliæ,addam & hodie quod nec minus aduersus insolitas,indebitásque ædium altitudines prætermittendum arbitror. Destinationes enim patrumf. sempet apud nos excipio, quales tradit d. lex,Poteſt.vt ad eam fusiùs,ex consuet.Parisf.explico. Creberrimæ illæ sunt vbiq; apud nostram Lutetiam,maximè in angipottibus,nè,quod ait nostra lex,'extructo contra veterem formam ædificio,id est,altiùs, inutilis ferè, molestáque omninò fiat domus quæ è regione sit,obstructis nempe luminibus ab altiore ædium oppositarum vicinia. Titulum propterea exigit lex Parisiensis,tit. de seruitutibus, vt eminentiæ illi (ita Cicero) sit locus.latissimè de eiuscemodi destinationibus apud Molinæum. §.1. gloss.in verb. *le fief.* num.15.consuet.Parisf.& Boër.decis.322.singulares autem aliunde reperio textus in iure qui destinationem patrisf. pro lege habendam clarissimè indicant. Ita enim in l. quod in rerum.§.vlt.de legat.1.in l.prædus.§ Titio. cum duobus seq. vsque ad fi.l.quæsitum.§ si quis.de legat.3.l.Seiæ.§. Tyrannæ.l.si fundum sub conditione. § qui fundū. de leg.1.l.Testatrix.si seruitus vindicetur.gl.in l.3.§ si loci.de alim.legat.l.1.§.1. si vsufruct.petatur. *In ea maiestate vrbis,& ciuium,*ait Vitruuius lib.2.cap.8. *infinita frequentia, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. ergo cum recipere non posset area plana tantam multitudinem ad habitandum in vrbe,ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coëgit deuenire. Itaque pilis lapideis,structuris testaceis, parietibus cæmentitiis altitudines extructæ, contignationibus crebris coaxatæ,& cœnaculorum summas vtilitates perficiunt,& despectationes,* &c. sic ille. nihil verò Bartolus,cæterique interpretes quod conferri huc debeat. adeò vacuâ ferè semper ipsorum pagina.

IDEM A.

L. 2.

Si aquam per possessionem Martialis, eo sciente, duxisti: seruitutem,exemplo rerum immobilium,tempore quæsisti. quod si ante id spatium,eius vsus tibi interdictus est,frustrà sumptus in ea re factos præstari tibi postulas:cùm in aliena possessione,operis facti dominium, quod in eadem causa manet,ad eum pertineret cuius est possessio.

Quantum noceat eiuscemodi aquæ per agros vicinos ducendæ seruitus, liquere possit vel ex eo plus satis, quòd ferè numquam aliàs concedi soleat nisi adiecta semper stipulatione pensitationis annuæ, nempe ob formam aquæductus qui per vniuscuiusq; domini fundum transit:ita reperies in l.si pendentes.§.si quid cloacarij.ff de vsufr.egregiéque Mercurialis lib.2.variar.lectio.cap.9. De aquæductibus etiam publicis,qui olim Romæ,& iam Lutetiæ, & quantopere conquesti sint nuper Rungiani agri possessores, totáque adeò vicinia, in qua & suburbanum meum solatium, ob ademptos fontes quibus irrigabatur prædiorum. εὐγηνεῖς, versabantúrque aquaria pistrina,id verò vt delicias deinceps per incisa potentum marmora, pérque compitalitias ambulationes Principis vrbium,faciant,cùm rusticanæ olim,ac innocentes,vtilissimæq; agricolis,

Roscida mobilibus certarent lambere riuis

Gramina. dixi ad l.14. seruitutes. §.publico.ff. de seruitut. de his ergo hactenus. Tota legis huius secundæ decisio ad præscriptiones seruitutum pertinet, nullóq; alio titulo quàm possessionis quæ per longos annos à scientibus,patientibúsque dominis,tolerata sit:per decem scilicèt inter præsentes, & viginti inter absentes, ait glussa. Quæsiit verò inde interpretes,de quibus seruitutibus intelligi hoc debeat, vtrùm de iis quæ causam habent continuam,seu perpetuam,an de cæteris quarum causa sit discontinua, nec perpetua:decidúntque & optimè, intelligendam esse de seruitutibus quæ habeant causam continuam,vt nimirum præscribi possint longo tempore, exemplo rerum immobilium,id est,decem annis,vt dixi,si sciens,præséntque sit,neque obnitens,fundi dominus,aut etiam viginti,si absit à prouincia,ita enim explicat lex vlt.inf. de præscr. lon-

gi tempor. Secus in seruitutibus discontinuis, tunc enim duplicato tempore opus est, vt ostendo ad l. si sic constituta. ff. quemadm. seruit. amitt. dicam tamen obiter, triginta annos exigi, nostris moribus, vbi seruitutes sunt discōtinuæ: disertū, inter cæteras, habet articulum consuetudo And. nemp. 454 ad quem nihilominus & hoc notat Molinæus, desiderari tempus cuius initium excedat hominum memoriam, si per certa anni tempora, putà ad vindemias colligendas, fiat transitus, vt dicam ad l. vlt. hoc tit. Atque vt nihil studiosum lectorem fugiat, docet primùm Bartolus hîc, ac post eum cæteri, maximéque Baldus, qui in eo multus est, seruitutem continuam esse in qua facto hominis opus non est: in discontinua autem desiderari factum hominis. Inde apparet, ait ille, seruitutes viæ, & itineris, non esse continuas, sed discontinuas, cùm non eatur, vehatúrque perpetuò, *seruitus viæ, natura sui, habet intermissionem*, ait lex, 13. Cùm vsufructus. ff. de vsufru. leg. Aquæductus autem causam habet continuam quia perpetuus sit, & continuus aquæ fluxus. In iis ergo quæ continuam causam non habeant, non currit præscriptio nisi eius temporis cuius initij memoria non extet, l. hoc iure. §. ductus aquę. de aq. quot. & æst. l. si quis diuturno. ff. si seruit. vind. in aliis secus. Quærit Io. Faber hîc à quo tempore incipiat præscriptio. resoluítque eam incipere ex quo quis incipiat vti iure seruitutis domino sciente. Vt enim seruitutum non ea natura est vt quis aliquid faciat, sed vt aliquid patiatur, aut non faciat, l. 15. quoties. §. vlt. ff. hoc tit. ita & docet lex, si ego. §. 1. de publiciana. ff. patientiam in seruitutibus pro traditione esse: affértque illa in exemplum, si quis per domum suam passus sit aquæductum transduci. præstatio autem seruitutis fit, nostris moribus, cùm vicinus in fundū inducitur per promissorem, eique demonstratur, ac assignatur locus per quem ipse ire, agere, aquam ducere possit, latè hoc Nicol. Valla tractatu 7. de rebus dub. cognoscitúrque seruitus, an sit realis, vel personalis, ex verbis concessionis. Si enim verba sonent ius, erit realis seruitus: si factum, erit personalis. eóque sensu accipiendæ sunt. l. 3. l. Lucius. de seruit. rust. præd. l. vt pomum. de seruit. l. Iulianus. §. 1. de leg. 1. nec immeritò tamen notat Glossa hîc, non esse opus titulo ad præscriptionem seruitutis, cùm seu in Pandectis, seu in Codice, rarò, præter possessionem, titulum etiam desiderari reperias. in qua & memorabo iterum decisionem Fabri, censentis, foueam quæ in tuo fundo sit, aquásque meas tanto tempore exceperit vt origo excedat hominum memoriam, claudi, complerique à te non posse, nisi consensero. etsi enim perpetuò aquæ non fluant, parata tamen semper fouea est, vt seu ex cœlo, seu ex domesticis ædium mearum vsibus aqua decurrens eò influat. quæ etiam ratio Pauli est in l. foramen. ff. de seruit. vrban. præd. Aliud autem statuit consuetudo Paris. artic. 186. aliud Aurelian. art. 66. Blæs. art. 230. Bituricens. artic. 1. & 2. tit. 11. Regiomontana, cap. 10. art. 1 Neustrina, art. 594. maximéque vbi de stillicidij, prospectúsque iure agitur, titulum desiderant consuetudo Melodunens. art. 188. Antisiodorens. art 100. Syluanectens. art. 268. Tricass. art. 61. Carnutens. artic. 80. Andegauēs. art. 450. Cœnoman. artic. 462. Ambianens. art. 165. Rhemens. art. 350. Nouiomens. art. 32. Si verò desit titulus, & à die prohibitionis, seu, contradictionis, vt loquimur, triginta anni effluxerint, tricenarias illas etiam in stillicidiis, ac prospectibus, præscriptiones admittunt consuetudo Borboniens. art. 519. Niuernens. cap. 10. art. 2. Melodunens. art. 75. Bituricens. tit. 11. art. 2. & 3 Cathalaunens. art. 144. & Laudunens. art. 145. sunt verò etiam quæ quadraginta annos desiderant, cùm nempe sine titulo progressa eò est seruitus. Sic enim inter cæteras, Ambian. Quidam prætereà sunt casus iure nostro Gallico, in quibus nulla vnquam possessione præscribitur seruitus, nisi possessioni accedat titulus. Eiusmodi enim est ius operarum, (vocant, *coruées*) vide Vid. Pap. q. 407. atque artic. 71. cōsuet. Paris. Sic & iura dominica Clibani, ac Molēdini. eod. art. 71. & 72. iura præli. vt passim in agro Parisiensi. Iura census, nisi in partem, vt quotidiana in id lex, comperit. inf. de præscr. 30. vel 40. ann. vide etiam de his omnibus Chopin. lib. 2. tit. 8. consuet. Paris. atque Bacquet. cap. 29. in fi. de iust. & iure. num. 39. Libertas autem secus. Per triginta enim annos præscribi eam reperies d. artic. 186. & l. 3. §. vlt. ff. de vsucap. Quantum ad iura eligendi, cæteráque omnia spiritalia, vel annexa spiritalibus, Baldus ad hanc nostram l. censet posse illa præscribi 40. annis, citátque cap. de quarta. de præscription. & doctrinam Innocentij ad cap. consultationibus. de iu. patron. longè plurima idem Bald. ibid. Dixi ad d. l. si sic constituta. quemadm. seruit. amitt. ff. de detentione quinquennali apud Turon. Andes, & Cœnoman. & de præscriptione operarum. ad

quam propterea reperies quæ hic prætermitto. Notabis autem apprimè ex Cæpola, bono auctore in quæstionibus seruitutum, cap. 22. de seruitut. vrban. præd. atque ex Alexandro lib.5.consil. 69. vbi & Molinæus: etiamsi quis in fundo superiori, domino sciente, ac patiente, & iure seruitutis, aliquid fecerit, riuúmque forsan duxerit, tamen possessionem seruitutis aquæductus non incipere antequam, ex facto, aperiatur riuus per quem ducatur aqua. vide & in id textum legis, si partem. atque Paul. Castr. ff. quemadm. seruit. amit.

IMP. CLAVDIVS.

L. 6.

Præses prouinciæ, vsu aquæ, quam ex fonte ruris tui profluere allegas, cōtra statutam consuetudinis formam, carere te non permittet: cùm sit durum, & crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen ortum, sitientibus agris tuis, ad aliorum vsum vicinorum, iniuria propagari.

Destituta hæc ferè ab omnibus interpretibus. Præclara autem ratione decidit, eũ in cuius fundo aqua scaturit, decurritque in agros vicinos, posse adeò coërcere, sibique vni habere quod in viciniam influit, vt ductis quacumque voluerit, sitientes suos agros riuis, irriget primùm quod suum est, nec emittere cogatur nisi quod sibi, prædiisque suis minus necessarium videtur. Id verò quæcumque constituta sit, pactáque seruitus, aut, vt in textu est, quamuis contra statutam consuetudinis, (id est, soliti aquæ ductus) formam. Communis enim illa interpretatio est, ait Salicetus, vt quodcumq; pactum præcesserit, & quæcumque sit longa consuetudo, tacitè tamen intelligatur cōcessa seruitus, dummodo fundus constituentis, per siccitates nimias, aquis non egeat: cùm in liberalitatibus, excipiatur semper hoc, ne scilicet egeat qui liberali manu aliquid porrigit de quo singularis textus apud Paulũ in l. inter eos §. vlt. de re iudic. ff. vide & Molinæum ad Alex. lib.5. consil.69. ex consilio 337. Pauli Castrens. Bartolus vnam, solámque veluti lineam duxit, nec amplius, esse nimirum ex ordine charitatis, seu liberalitatis, vt incipiat à seipso. Duo dat exempla Baldus, alterum de muliere repetente dotem à marito qui priuilegium obiicit, ne conueniatur nisi in quantum facere possit, l. maritum. l. ex diuerso. §. vlt. sol. matrimon. l. sunt qui. cum seqq. de re iudic. ff. vult enim Baldus argumento huius legis, mulierem nihilominus posse vrgere maritum vt dotem integram, nihil morante illo personali beneficio, restituat: nimirum, ait, ex ordinata charitate, cum domina sit doris. Alterum exemplum est in patre, vel filio: vt scilicet nec pater filium, nec filius patrem alere cogatur, si qui conuenitur in augustia sit rei familiaris, vixque habeat vnde vitam toleret. Plinius lib. 2. epist. 4. verbum in liberales fatuos adscribit quod neque hic prætereundum putem: *Ita temperãda est liberalitas,* inquit *ne nimia profusione in arescat.* quò & facit Ennianus versus,

Vt nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Increpanturque proinde à Seneca lib.1. de benefic. qui quasi suæ pecuniæ irati, illam non donant, sed adeò proiiciunt, vt posteà indigeant. transiit denique in adagium, vt ex Claudiana hac constitutione dicant plurimi, sitientibus agris nostris, irrigandos non esse vicinos. *proximus sũ mihi:* dixit comicus. Aduertendũ tamen, vt nulla alia ratione motus est Imperator, nisi quia caput fontis esset in agro eius ipsius qui sibi aquarum vim, ad irrigandos suos agros qui inarescebant, continebat, & cuius liberalitati debebatur à vicinis quòd fontis illius riuulos, per facta vndequáque incilia, acciperent, ita nec alij cuiuis indultum vnquam fuisse, vt damno viciniæ, aquam quæ per fundum suum decurrit, in lacus forsan, & stagna quædã redigat. Temerarium hoc, repressumq; non iratu à senatu, vt alibi ad pandect. lib.8. ostendo. fuit verò lex olim apud Platonicas, vt eo casu ædiles, seu ἀστυνόμοι, in vrbe, in agris ἀγρονόμοι, id est agrorum præfecti, quid faciendum foret, præscriberent: quales & nunc habet hispania, ob ariditates agrorum

vbique frequentissimas. vocant, Rigatores, al. *Regaires*, quod præsint rigandis agris, aquisque stata, promulgataque dierũ necessitate deducendis per siticulosam viciniam. verba Platonis in partem referam ex lib.8 de legibus. Εἰ δὲ ταῦτα μὴ ἐθέλωσι διὰ ταῦτα κοινωνεῖν ἀλλήλοις, ἀσθυνόμος, ἢ ἀγρονόμος ταξάσθω τί χρὴ ποιεῖν ἑκάτερον. si conuenire inter se vicini non possint, inquit, tunc ædilis, vel præfectus agri, quid fieri ab vtroque debeat, statuito. describit in cæteris iniuriam vicini, qui aquam in loco superiori temerè adeò manare prohibet, vt inferiori noceat. Vide ad l. 6. Si quis ex argentariis § si initium ff. de ed. vbi tractaui istud fusius ex vsu quotidiano, & senatusconsultis. Alias enim & hîc subiicerem. ostendo autem ad l. 14. Seruitutes §. publico ff. de seruitut. Claudium Imperatorem, Romæ vsque adeò curæ suæ fecisse deductiones aquarum, vt tãtas nũquam à cæteris imperatoribus factas fuisse, scribat accurata opera maior Plinius. Corruerant illa iamdiu cum longè plurimis tantæ vrbis miraculis per iniurias tẽporum, vastationesque barbaras, vsque ad Sixtum Pontificem, qui hoc ipsum præstitit quod vetus Claudius, hodiéque in nostram lutetiam iustissimus, generosissimusque, Lud. XIII. ob vrbis amplitudinem cui longè, latéque fontanarum aquarum vsus per quam necessarius, cùm vænalium ex fluuio Sequana, non parua sit in variis vrbis regionibus difficultas. Tanto Principi, ad cætera quæ indies confert in suam Galliam, debetur & ista maxime à Parisiensibus gratia. Aquam auro comparat Pindarus in Olymp. quoniam vt notat ibi Schol. aqua omnium elementorum sit maxima, & vtilissima, vt aurum cæterarum materiarum pretiosissimum. Verba eius sunt: τῶν ἄλλων στοιχείων μεῖζον, καὶ χρησιμώτερον, τὸ ὕδωρ: ὡς χρυσὸς τῆς λοιπῆς ὕλης πολυτιμώτερος. Inde extra ordinem puniuntur, in l. 1. de extraordinar. crim. qui aquas spurcauerint, fistulas, & lacus, ad iniuriam publicam. Inde tit. 42. de aquæductibus. lib. 11. Inde & tot passim de aquis tam priuatis, quam publicis loca, toto lib. 8. ff. & hoc nostro tit. Attigit denique immensum hoc Cuiacius in parat. ad hunc tit. & quasi in transcursu.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 7.

Si manifestè doceri potest, ius aquæ, ex vetere more, atque obseruatione, per certa loca profluentis, vtilitatem certis fundis, irrigandi causa, exhibere: procurator noster, nè quid contra veterem formam, atque solennem morem, innouetur, prouidebit.

Dixi de seruato in hunc diem, rigandorum agrorum more ex riuis, amniculisque vicinis, perque varias nostræ Galliæ regiones, ad l. 5. Via. de seruitutibus, & ad l. 12. imperatores de seruitut. rust. præd. ff. Ita enim apud Aruernos, Bigerrones, Grassenses, Vnellos, seu Perticenses, Neustrinos, Drocenses, Campanos: prout que fontium, fluminum, riuulorumque penuria in locis quibusdam maior est, partiuntur aquas rustici, vt prata, & fundos confines irrigent,

Inducántque satis flumium, riuósque sequentes.

Passim hoc ipsum de Italia testatur Virgilius, de Græcia Pausanias, de Perside Herodotus, hodiéque potissimùm in Hispania, cùm inarescat passim. Verba autem Will. Tyrij, lib. 17. cap. 3. belli sacri, in descriptione vrbis Damasci, totiúsque viciniæ, hęc sunt: *fluuius à promontorio descendens vicino, in superioribus regionis illius partibus, canalibus exceptus, vt liberius per plana possit deduci, per diuersas subiectæ regionis partes, ad agrorum sterilitatem fœcundandam dirigitur.* Ista nimirùm ad illustrationem textus nostri, cum nihil aliud apud interpretes præterquàm de molendinis: quatenus nempe exstrui, citra vicinorum detrimentum, debeant: in quo sequuntur Glossam, vt ferè semper in cæteris. Dixi quantum satis ex vsu Gallico, ad l. si quis ex argentariis. §. initium. ff. de ed. Vide & Vallam, tractatu 8. de rebus dubiis. Chassanæus ad consuetud. Burgund. rubr. vlt. §. 2. num. 14. scribit, Molendinum dominicum, seu Bannale, vt loquimur, posse per longissimum tem-

pus præscribi: negat verò Matthæus Affl. Senator Neapolitanus, decisio 388. Nec solus ille: defendit enim hoc ipsum Rebufus, in præfatione, de materiis possessoriis, neminem scilicèt posse cogi in Molendino alicuius molere, quia, per longissimum tempus, eò semper ierit: titulúmque semper desiderari in præscriptione rerum incorporalium: quę & ipsa etiam Matthi Affl. ratio est. Ad componendum autem dissidium, distinguendę sunt locorum, ac prouinciarum leges variæ, quibus modò pręscriptio, citra titulum, admittitur, modóque reijcitur prorsus, nisi adiuuetur titulo, vt maximè apud Parisienses: de quo disserui ad l. 2. sup. hoc tit. *Seruandáque etiam in agris forma, quæ viuo testatore, obtinuit*, ait lex, 15. Damnas. §. 1. ff. de vsufr. leg. plura non dicam.

IIDEM AA.

L. 8.

Altius quidem ædificia tollere, si domus seruitutem non debeat, dominus eius minimè prohibetur. In pariete verò tuo, si fenestram Iulianus fecisse conuincatur: sumptibus suis opus tollere, & integrum parietem restituere compellitur.

Hinc interpretes, cuius est solum, eius & cœlum. componendáque lex, cuius ædificium. ff. de seruitut. vrban. præd. ad quam dixi. Vide etiam ad l. qui luminibus. eod. illo tit. de forma, & statu antiquo ædificiorum, qualis olim Romæ seruaretur, hodiéque in nostra Gallia ex edictis. obscurè satis Brissonius lib. 1. cap. 1. antiquitatum iuris, vbi de altitudine ædificiorum Romæ: cùm liquidò explicet, altitudinem eam fuisse Constantinopoli, vsque ad centum pedes. Quantum ad fenestram, de qua pariter in textu: nè quidem in pariete communi licere istud, si vicinus dissentiat, statuit procul dubio, consuetudo Paris. art. 199. Imò nec in proprio pariete, qui vicinum solum diuidit, nisi nouem pedes in altum extent à prima planitie, & septem à primo tabulato. in quo tamen etiam & cancellos ferreos, arctioréque contextu esse oportet ex eadem consuetudine, vitrúmque immotum, seu dormiens, vt vocant: sic enim artic. 200. ibid. consuetudo Bituric. pedes tantùm septem vbique desiderat, artic. 13. hoc ti. de seruitutibus. cùm tamē & olim, Romæ, atque Constantinopoli, ex Zenoniana constitutione, sex sufficerent, vt constat ex l. pen. quæ tota Græca est, Cod. de ædific. priu. Notant prætereà ex nostro hoc textu interpretes, prædia omnia præsumi libera, nisi probetur seruitus, de quo vt animum expleas, vide, si lubet, Molin. ad consuetud. Paris. § 46. & Boët. ad consuetud, Bituric. tit. de feudis.

IIDEM AA.

L. 11.

Per agrum alienum, qui seruitutem non debet, ire vel agere, vicino minimè licet.

Exceptiones vide ad l. si quis sepulchrum. de religios. & ad l. si locus. quemadm. seruit. amitt. ff.

IIDEM AA.

L. 12.

Non modus prædiorum, sed seruitus aquæ ducendæ terminum facit.

Dd iij

Id est, conuentio seruitutis sola spectanda est, & quibus conditionibus facta sit, vt intra primas metas coërceatur quod posteà, lapsúque temporum, excurrit. Multiplicatio enim prædiorum, ait hîc Baldus, non multiplicat seruitutem quæ ad irriganda certa olim prædia concessa fuerit. vt verò profertur legis huius argumentũ ad casus varios quibus auctior factus sit ager, aut populus: ita & videmus hodie formam, consuetudinémque vtendi in syluis coërcitam, præfinitámque hinc illinc aduersus vsuarios: vulgò vocant, *vn reglement d'vsagiers*. species alias tradit Will. Bened. ad cap. Raynutius. in verb. & soboles, &c. num. 54. 55. 56. parte 2. ex eodem Baldo, & aliis: putà, si rusticus certum quid testamento statuat, atque vt insuper excipiatur prandio vnusquisque soli sui natalis presbyter post sacra anniuersaria quibus interfuerit: nihil enim deberi decidunt interpretes, nisi intra presbyterorum numerum qui testamenti tempore fuerit. Idem & censent in pistore qui, pacta annua pensione, panem Titio, eiúsque familiæ excocturũ se obligauerit. Aucta enim familia non tenebitur, nisi augeatur pensio. Idem præterea de ponte, cuius perpetua vniuersitati instauratio promissa sit. Si enim excrescat fluuius, & proferatur multò longiùs ripa, ad augmentum pontis non tenebitur. hactenus Senator ille Tolosanus, iuris Rom. & Gallici peritiss. Sic verò etiam legitur in cap. suggestum. de decim. apud Gregor. ademptam esse Abbati, & religiosis Dolonens. decimarum immunitatem, quia, cùm paucissima tunc essent illius ordinis monasteria, illa tamen, successu temporum, excreuerant vbique in eum numerum, vt, nisi ad tempus cõcessionis redigeretur immunitas, inania ferè essent decimarum iura antiquis possessoribus. Textus ille propterea vulgatissimus in foro, vt auferantur, temperentúrve priuilegia, si in nimiam fruentium multitudinem abierit prima eorum paucitas quibus indulta fuerint. Istud maximè in vsuariis syluarum, vt suprà attigi. Verùm vt ad monastica redeam, cùm & colonis Cistercjensibus datum esset iampridem vt nec decimas etiam penderent, in quo & nitebantur rescriptis pontificum, censuit Senatus die mens. Martij, ann. 1618. soluendas deinceps decimas à Cistersiensibus nisi in iis quæ propriis manibus, ac sumptibus colerent, quæ vetus concessio in cap. ex parte. de decim. absumebantur enim aliàs in vastis ipsorum latifundiis, veteres, solitæque decimæ. Sic & in tributis, capitalibũque illationibus, seu taleis, vt loquimur, memini legisse me sæpius Senatusconsultum anni 1578 aduersus Eudonis maioris posteros, & quid ad causam de redigenda, imò & tandem abroganda eorum immunitate, olim dixerit dom. Brissonius, tunc patronus fisci, cuius pariter oratio nec semel à me lecta, obseruatáque est, cùm anno 1587. an. 88. aliisq; insequentibus, pro posteris illis, quorum ingens tunc numerus, & dicerem, & scriberem, diutissimè enim aduocationem ipsis præbui. Indultum à quingentis annis fuerat Eudoni maiori, (qui vulgò, de Chaslo S. Mars) posterisque illius, masculis non modò, sed & fœminis, vt nullam in vniuerso regno *consuetudinem* darent. Ita dicebantur quondam tributa, annuæque præstationes, dictióque illa vatijs in hunc diem prouincialibus legibus superest. nec nisi longis pòst temporibus tributa quotannis pro bonis, & personis pensitari cœpta sunt, nempe sub Carolo septimo. Tota Eudonis maioris illa gens ad octingentos, imò & mille, ac ampliùs, processisse visa est circa annum 1555. Ita vt rescripto Principis opus fuerit, postulante ita cognitore regio, quo immunitas ipsorũ coërcita est ad ea quæ in proprios vsus terra, vel aquis vecta fuissent: posteáque anno 1578. Senatus, postulante iterum eodem cognitore regio, ad subsidia quæ, consuetudinis, de qua dixi, nomine, pendi, nempe ante annos fermè quingentos, mos esset. tandem verò, per immensum maiorianæ istius gentis numerum, pérque fraudes à Stampensibus gentilium obseruatoribus fieri solitas, & imminutos nimiùm capitalium illationum reditus, non Stampis dumtaxat, vbi ager Chalotianus, primúmque auctoris domicilium, sed Aureliani etiam, Vindocini, Castroduni, Blæsis, Cæsaroduni Turonum, pérque pagos, & tuta vndequaque varia, antiquata est prorsus tota eiuscemodi immunitas anno 1601. per rationem scilicet d. capituli. Suggestum. de decimis, quod, nostræ huius constitutionis imitatione, promulgatum haud abs re quis dixerit. Enormiter enim (quod Plinianum verbum est) ab imo, & modico ad summum, ac immensum progressum fuerat licentiosum illud priuilegium, cui cùm ex priscæ concessionis tabulis meras primas posuisset ordo ampliss. aut, vt loquitur nostra lex, terminum fecisset, ann. 1578. acquiescere tamen in eo nec potuit amentia, donec fatalem, vltimámque à Principe censuram acciperet. plura, quæ prætereo, persequitur ad legis hu-

ius interpretationem, Cæpola, non vilis auctor, vt dicere soleo, in materia seruitutum, tractatu de seruitutibus, & Iason ad l. vlt. inf. de verb. significatio. notabisque in transcursu, modum prædiorum hic accipi pro mensura, vt apud Horatium Sat. lib. 2.

Hoc erat in votis modus agri non ita magnus, &c.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 13.

Sicut vsumfr. non vtendo, &c. In vsufructu, & cæteris seruitutibus, obtinendum esse censuimus, vt, non vtendo amittantur decennio inter præsentes, vel 20. annorum spatio contra absentes, &c.

Iunge l. corruptionem. sup. de vsufr. §. finitur. inst. de seruit. & l. vlt. de præscript. 30. vel 40. ann. optima autem Pauli Castr. distinctio inter seruitutes rusticas, & vrbanas. Rusticæ non vtendo intereunt, quantumuis Dominus prædij seruientis sciat seruitutem deberi, vt in l. sequitur. §. si viam. ff. de vsucapio. Secus in vrbanis, vt in quibus duo sint necessaria, bona fides scilicèt, & factum possidentis, nempe vt fiat aliquid contra debitam seruitutem, aduersario sciente, & patiente. Tunc enim non tollitur seruitus per non vsum, sed per præscriptionem libertatis. Si autem sit mala fides, tunc solo triennio libertas præscribitur. l. sicut. inf. de præscr. 30. vel 40. ann. distinguit. in eo Castrensis ius ciuile à canonico. Apud nos autem non ita. vix enim vlla prouincialis consuetudo quæ, inter laïcos, præscriptiones omnes, etiam in mala fide, triginta annis non finiat. Contra ecclesiam, quadraginta annis opus est, ex auth. quas actiones. de sacr. eccl. & cap. de quarta. de præscripr. apud Gregor. quod etiam seruamus. Contra Rom. Pontificem, & contra Principem, vbi de patrimonio fisci agitur, cētum anni sunt. Nou. vt eccles. Rom. centum ann. præscr. gaud. & Molin. ad consuet. Paris. §. 7. Quæsitum de laudando auctore in causa euictionis, aut, vt vulgus vocat. *de l'action de recours de garentie*, à quo tempore incipiat: vtrum ab eo dumtaxat, quo turbatus sit possessor. purauit Bacquetius tempus non currere nisi à die interpellatæ possessionis, cap. 21. num. 191. de iust. & iu. vbi & in hoc citat legem 1. de Annali exceptio. inf. ex qua dicitur, non valenti agere non currere præscriptionem. ac rursus cap. 29. num. 29. eod. tractatu, de iust. & iu. meritò autem scripsit Chopinus contrarium ad consuetudinem And. lib. 3. cap. 2. tit. 5. num. 3. si triginta anni excesserint. Omnium enim interest, vt nè tamdiu in incerto sit quies possessionum, actionúmque quarumlibet. argum. l. 3. de vsucap. imò vt sit aliquis finis litium, quod ait Tullius. video abire velut in adagij speciem apud plurimos quod dixit Cassiodorus, præscriptionem videlicet esse *patronam humani generis*.

Quid non longa valebit
Permutare dies?

apud Claudian. 2. Eutrop. pluta de his dixi ad Pandectas.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Quidam pactus erat cum vicino suo vt liceret ei vel per se, vel per suos homines, per agrum vicini transitum facere, itérque habere vno tantummodò die per quinquennium, quatenus ei licentia esset in suam syluam inde transire, & arbores excidere, vel facere quicquid necessarium ei visum fuisset: hac seruitus viginti annorum desidia amittitur.

Vocat in hoc ipsum desides, iurisque sui contemptores, lex 2. vt perfectiùs. inf. de Annali exceptio. fit autem regula ab interpretibus: seruitutem prædialem, quæ habet vsum discontinuum, amitti negligentia temporis duplicati: duplicatúmque tempus intelligit Glossa ad l. si sic constituta. quemadm. seruit. amitt. de vicennio, quæ opinio cõfirmatur ab omnibus his, maximè Baldo, & Saliceto. Iure autem nostro Gallico desideratur eo casu tricennium. ita enim apud Turon. Bituric. Borbon. Cœnom. Andes &c. verba articuli 454 consuet. And. hæc sunt: *seruitudes reales qui ont cause continue, comme de faire venir eau courante de quelque fontaine viue, s'acquierent par dix ans, mais les seruitudes qui ont cause discontinue, comme d'aigouits de maisons, d'aller, & venir par charrete, ou à pied, & à cheual par l'heritage d'autruy, s'acquierent par 30. ans seulement.* Ibi Molinæus: secus, inquit, *si par saisons, comm'en vandange seulement.* Tunc enim seruandum ius commune quod eo casu tempus immemoriale desiderat, aut certè tempus duplicatum: citátque hanc l. vlt. probandũ tamen est, vt subijcit, iure seruitutis, non autem pro simplici commoditate quæ tendorum fructuum, vel decimarum colligendarum, factum id fuisse. sunt meta eius verba, quæ mutare nolui, nè non satis haberetur verus rei intellectus. Dixi nominatim quem in vsum habeamus decisionem hanc, quæ vna ex quinquaginta, ad l. 5. via. ff. de seruitutib. ita ut superesse non videam quod adijci debeat.

§. *vlt. Cum autẽ apertissimi iuris est, fructus aridos, conculcatione, quæ in area fit, suam naturam, & vtilitatem ostendere: aliquis vicinũ suum vetabat ita ædificium suum extollere iuxta aream suam, vt ventus excluderetur, & palea ex huiusmodi obstaculo secerni à frugibus non possent, quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferre ex huiusmodi ædificatione, cùm secundum situm regionis, & auxilium venti aream accedit. Sancimus itaque nemini licere sic ædificare, vel alio modo versari vt idoneum ventum, & sufficientem ad præfatum opus infringat, inutilem domino aream, & fructuum inutilitatem faciat.*

Boërius quæst. 322. num. 12. refert ex interpretibus, fieri istud fauore vtilitatis publicæ: nè scilicèt inutilem aream domino, ad segetes vento perpurgandas, granáque excernenda, efficiat. sunt ibi plura. cauetur hoc præcipuè in componendis ruri ædibus. quod nec prætermisit Columela lib. 2. *Itaque,* inquit, *in area detrita frumenta sic aggerenda, vt omni flatu possint excerni.* sic ille. quæ verba textum nostrum valde adiuuant, statuentem videlicet vt, quod iterum apud Columelam, omni flatu, *paleæ leues volitent, atq; huc illuc iactentur inanes:* cùm aliàs, si esset reflexus, spiraréque per loca angusta, & quasi per angulum, minus idoneus, ac sufficiens videretur, (inquit, Imperator) ad ventilanda ex alris seu cribris, seu vannis singula. Venti reflexi, ac refracti, pérque angusta, obliquáque loca aspirantes, vehementiùs semper irrumpunt, vt docet fusius Alexander Aphrodis. problem. 1. & Aristot. cap. 3. de mundo. Cæterùm vnam esse hanc è quinquaginta decisionibus Iustiniani, vt qua componantur Iurisconsultorum antiqua, ad anniuersarias seruitutes, temporáque arearum, dissidia, liquidò constat ex sola lectione textus, maximéque in eis verbis: *nobis placuit ita causam dirimere, &c.*

TIT. XXXV. DE LEGE AQVILIA.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Damnum per iniuriam datum, immisso in syluam igne, vel ex-

cisa ea, si probare potes, actione legis Aquiliæ vtere. Iunge l. sequent.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Si quis domum tuam deposuerit, vel incendio concremauerit, lege Aquilia experiri potes vt id damnum sarciatur, &c.

Compone l. qui occîdit. l. si quis fumo. §. 1. ff. hoc tit. l. si vendita insula combusta sit. de peric. & commodo rei vend. l. 2. & 3. de offic. præf. vig. ad quas omnes dixi. Incendium autem aut est priuatum, aut publicum. In priuato agitur de damno dato, si tamen probari possit, ait meritò lex prima, hîc. cùm enim incendia fiant ferè semper culpa inhabitantium, vt in l. 3. d. tit. de off. præf. vig. imò nec vnquam aliàs fieri posse, velit d. lex, si vendita. quicquid in contrarium dicat d. lex pen. ff. de incend. tamen vix est vt auctor vnquã sciri possit. Quod si sciatur, venia indigere eũ, cuius culpa id cõtigerit, etiãsi culpa lata sit, docet. l. pe. ff. de incẽd. Sin autẽ dolo, ac scelere, exurendos esse statuunt lex 9. qui ædes, aceruúmve frumenti. de incend. lex, capitaliũ. §. incẽdiarij. l. aut facta. in fi. de pœn. ff. imò & interdũ bestiis obiiciẽdos quæ vetus pœna, cũ spectacula fierẽt, tradit lex vlt. de incend. hæc nẽpe de incendio priuato, vt dixi. De publico autẽ, varia quidẽ scriptores Græci, ac Latini: ferè autem solus nominatur à priscis qui ignem in Templum Ephesinum immiserit, eadémque, vt ferunt, nocte, qua Alexander natus est. *Roma orto igne*, ait Procopius lib. 2. *incertum ex aere, an è terra, templum fortunæ conflagrauit, &c.* Seneca epist. 91. de incenso Lugduno: *hoc tam inopinatum malum, non miror si sine metu fuit, cùm esset sine exemplo, &c. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare vrbes singulas possent, vna nox strauit.* sic ille factum verò id maximè, quòd tota esset lignea, vt tẽplum S. Sophiæ Constantinopolitanæ, legitur ter fuisse exustũ, quia instauratio semper ex lignis fieret. Itaut ex solido tandem lapide totum Iustinianus construxerit, nè repentinis, ignotísque ignibus præstaretur deinceps materia. Agunt de incendiis istis Sozomenus, & Cedrenus: fusissiméque Pet. Gyllius. lib. 2. de Topographia Constantinopoleos. Sic ante annos 37. Basilica Antuerpiensis, toto orbe celeberrima, ex sartagine plena Carbonibus ignitis, quæ relicta ab ignoto fuerat penitus exarsit. Sic Bononiense palatium, circa ann. 1550. causa incendij per totos 20. annos semper incognita, & donec auctor damnatus morti ex alio facinore, rem ipsam detexerit, cùm tamen suspecti toto illo vicennio pœnas indebitas luerint: prudentiáne istud, an imprudentia, temerarióque aduersus innocentiam iudicio, tu videris, iuncta ratione legis quintæ. ff. de pœn. Sic & nouissimè per similis etiam, vt ferunt sartaginis inopinum malum, neglectæ scilicet ab vno'è propolis in ima tabernæ tabula, ingens illa fori Parisiensis Basilica, splendidissima omnium, noctu, à prima ad quartam, tota concremata est, nec in hunc diem sciri vnquam potuit quis auctor, aut cuius culpa: quicquid accuratissimè exploratum, tentatum, inquisitúmque à Senatu fuerit. trado funestum diem ad l. vlt. tit. de feriis, sup. Spes tamen est fore, vt, quod de Lugduno scribit Seneca, déque mirabili illo S. Sophiæ templo, Cedrenus, in melius renouetur, altiúsque exurgat, & in maius. *Timagenes*, inquit Seneca, d. epist. 91. *fælicitati vrbis inimicus*, aiebat, *Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quòd sciret meliora resurrectura, quàm arsissent.* hoc & Plinius maior. desiitque in hoc Dom. Virduni, eruditissimi, ac ornatissimi, Senatus Principis, anniuersarius, à Paschalibus feriis, ad redintegrandum forum, Panegyricus. Notabo interim cum plurimis, pro miraculo esse, quòd, crepitantibus, dissilientibúsque huc illuc vel in medias vrbis regiones flammis, & quæ vndequaque insidebant contiguo, pretiosissimo, augustissimóque orbis totius auditorio, cuius quot interstitia tignorum, tot auri sursum micantis radiatæ, pendentia inter lacunaria, quasi fauillæ, ac scintillulæ, quódq; per annos tercentum, & amplius, suauissimis indies eloquentissimorum vniuersæ nostræ Galliæ vocibus, apud incanos, solertiáque, ac peritia, per singulas cuiúsque seculi ætates, eminentissimos iudices, personuit,

intactum tamen,nulláque sui parte vstulatum,ita auertente summo vindice, superfuit. Miramur,suspicimúsque nos omnes,saluum ita fuisse: meritóque equidem ingeniosissimus,cultissimúsque poëta Nic. Borbonius,regius,Græc.liter.professor,claudit euulgatum de tanto incendio poëmatium in hæc verba:

Quicquid id est,patrum sedes intacta furenti
Vulcano,regni tabula,Themidísque recessus,
Illud inauratum superans à clade lacunar
Arguit inuitas fecisse incendia flammas.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. pen.

De pecoribus tuis, quæ per iniuriam inclusa, fame necata sunt, vel interfecta, legis Aquiliæ actione in duplum agere potes.

Compone omninò legem 39. Quintus.ff.hoc tit.& quæ ad eam subieci. Inanis autem interpretum distinctio inter directas,vtilésque actiones ex lege Aquilia si damnum datum sit de corpore in corpus. Satis enim, si constet de fame necato animali, aut interfecto, siue per iniuriam inclusum sit.Quinimò si nec per iniuriam,sed iure liberandum enim, aut pascendum, superstite semper actione ad repetendum quicquid in pabula erogatum fuerit.Istud maximè in cauponibus qui equos, iumétáque eorum, quos hospitio exceperint,præcludere sæpius coguntur, vt impensas alimentarias recipiant. Baldus eò profert decisionem huius textus, vt dicat episcopos posse quidem continere carcere eos qui suæ iurisdictionis sint:irregularitatem autem ab ipsis contrahi,si carcere inclusi fame pereant. nescio an quorumdam suæ ætatis episcopalem apud Italos, morem contingere,quasi aliud agens,voluerit.

TIT. XXXVI. FAMILIAE HERCISCVNDAE.

IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Vxor tua si,mortuo patre tuo cui dotem numerauerat, cùm hæres ei extiteris,adhuc in matrimonio tuo fuerit:famil.hercisc.actionẽ, ad exequendam dotem, secundum iuris pridem placitum, aduersus cohæredes tuos nactus es: eámque retines, etiamsi posteà, dum tibi nupta est, decesserit.

Eadem prorsus decisio legis,si filia. (quæ Vlpiani est)§.2.hoc amplius. ff. hoc tit.cuius hæc verba,hoc amplius filiusf. hæres institutus dotem vxoris suæ præcipiet,nec immeritò:quia ipse onera matrimonij sustinet. Integram igitur dotem præcipiet:& cauebit defensum iri cohæredes qui ex stipulatu possunt conueniri. Idem si alius dotem dedit,& stipulatus est.nec solùm vxoris suæ dotem,sed etiam filij sui vxoris:quasi hoc quoque matrimonij onus ad ipsum spectet:quia filij onera, & nurus ipse agnoscere necesse habet,&c.sic Vlpianus.duo autem ex duobus his textibus præcipuè notanda sunt, alterũ, ad priscum iuris ciuilis morem quo filius manebat semper in sacris paternis, quascumque nuptias contraxisset,donec reipsa, pérque solennia emancipationis, liberatus patria potestate fuisset.quo in nexu patriæ potestatis quamdiu erat, quicquid quære-

ret, parti quæ rebatur neceſſariò, vulgariſſ. l. placet. de acq. hær. ff. Inde igitur numerata hîc dos patri quam filio, nondum ſcilicèt emancipato, vxor attulerat: alebâtúrque propterea filius, & vxor à patre, quo defuncto, cùm repeteret à cohæredibus dotem iſtam, in qua vxori, viuo adhuc patre, ſucceſſerat, negabant cohæredes repeti poſſe, vt quæ patri communi per eum, nondum emancipatum, quæſita fuiſſet. Temperant verò iſtud & Imperator Antoninus, & Vlpianus, qui tunc Imperatori à conſiliis, vt, per temporum rationem, veriſimile eſt, ex eo quòd onera matrimonij deinceps ſuſtinenda ſint: dotes autem in hoc comparatæ. quarum etiam quantus ſit fauor, dixi paſſim ad ti. de iure dot. ff. Altera que legis iſtius obſeruatio eſt, nempe ad cauſam numerandæ dotis marito: onera ſcilicèt alendæ vxoris, & liberorum, vt ſuprà attigi. verè enim Comicus, Adelph.

Duxi vxorem, quam ibi miſeriam vidi, nati filij,
Alia cura porrò autem dum ſtudeo illis, vt quamplurimum
Facerem; contriui in quærendo vitam, atque ætatem meam,
Nunc exactâ ætate, hoc fructi pro labore ab ijs fero,
Odium. meam autem mortem expectant.

IIDEM A.

L. 3.

Aduerſus cohæredes tuos, diuidendæ hæreditatis iudicio, ſecundum iuris formam experiri. Iudex datus, ſi quod à cohærede etiam tuæ portionis ex hæreditate ſublatū eſt, fuerit probatū: factis adiudicationibus, ſecundum iuris formam, eum tibi condemnabit. expilatæ enim hæreditatis crimen fruſtrà cohæredi intenditur, cùm iudicio familiæ herciſcundæ indemnitati eius proſpiciatur.

Faciliùs, ſi ita dixeris: poſt aditam hæreditatem rebus interuerſis à cohærede, debet agi famil. hercifc. non crimine expilatæ hæreditatis, quoniam cohæredis indemnitati, iudicio famil. hercifc. ſatis proſpiciatur. Sic ex gloſſ. & textu ipſo. ex cuius doctrina cęſuit Senatus ann. 1604. patrocinantibus Monſtrolio, & Paillerio, actionem expilatæ hęreditatis intendi oportere non criminaliter, ſed ciuiliter inter cohæredes, maximéque inter fratres, de quibus & in hoc, ſingularis textus in l. tres fratres. ff. de pact. ad quam dixi.

IMP. ALEXANDER.

L. 4.

Si filiusf. fuiſti & res mobiles, vel ſe mouentes, quæ Caſtrenſis peculij eſſe poſſunt, donata tibi à patre ſunt: eas quoque in cætero peculio Caſtrenſi non communes cum fratribus tuis habes. prædia autem, licèt eunti tibi in caſtra filio pater donauerit, peculij tamen Caſtrenſis non ſunt.

Iunge l. 23. fideicommiſſaria. ff. de fideicommiſſ. libert. §. 2. ſeruum. in fin. & l. 1. tit. 37. de pecul. Caſtr. militum. inf. lib. 12. tribus enim his textibus conſtat, filium, cui pater in militiam profecturo donauit quippiam, nihil eo nomine conferre oportere fratri qui in poteſtate manſerit. cùm peculium Caſtrenſe filius etiam inter legitimos hæredes præcipuum retineat. Ita compoſiti illi duo textus. Optimè autem Gloſſa hic *res mobiles* de

armis *& res se mouentes*, de equo intelligit. Paulus Castrensis idem iuris esse vult in parte donante filio doctori libros, & vestes doctorales (verbum eius est) ac similia, vt scilicet fiant ea statim Castrensis peculij, nec veniant in diuisionem. hoc & Baldus. trado rationem ad l. quæ pater. ff. famil. hercisc. quam vide. De solis verò studiorum impensis cùm ad illam iuris partem egerim, nec verò de libris quos etiam pater filio emerit, constante matrimonio, vt argumento huius Alexandrinæ constitutionis vtuntur interpretes, nè magis conferre teneatur studiosus filius, quàm legionarius quiuis miles, ita & longa dissertatione ostendit Chopinus, doctor fori Gallici eruditissimus, lib. 3. consuet. And. tit. 3. qui est de collatione bonorum, per duas priores paginas, libros venire adeò in accessionem nauatæ studiis literarum operæ, vt quia

—— *altera poscit opem res, & coniurat amicè*,

studiis quippe, & libris sese mutuò comitantibus, conferri nec debeat quicquid, vel ad instituendam bibliothecam, datum à patre fuerit: constante tamen parentum matrimonio, vt dixi. Soluto enim aliud, maximéque si filius materna, aliáve bona habeat quæ & studiorum, & librorum impensis sufficctura sint. quod nec etiam prætermittit diligentissimus ille suæ Andensis consuetudinis interpres, eodem loco, in quo tamen & adijciendum putarim textum singularem legis vlt. ff. de petit. hær. quem, calamo forsan currente, insuper habuit. fecerint autem hæc plurimùm ad interpretanda variarum tegni prouinciarum scita, quæ de impensis quidem studiorum statuunt, de libris autem non. Ita enim apud Turon. Andes, Cœnoman. Biturig. Borbon. & c. verè arma literatorum sunt, libri, air glo. ad l. nepos Proculo. de verb. sign. vide in hoc plura ad l. pen. ff. ad exhib. & ad l. Labeo scribit, si mihi bibliothecam. de contr. empt. ff. Quinimò ἰυφυῶς, ac ingenuè congerit Faber ad §. iniuriarum. inst. de iniur. libros apud studiosum esse vice vxoris. mitórque etiæ Tolosanæ iudicium, de quo Rebufus, tract. de priuileg. scholast. priuileg. 19. damnatos nempe ad furcas qui libros scholasticorum combusserant: addit se interfuisse supplicio publico. prætermittenda ista non putaui ad dignitatem tantæ supellectilis, vtque ostendatur quàm optimo iure decisionem nostræ huius legis eò protulerint interpretes, quæ tamen cùm & in sua hypothesi disceptationem fori sæpe meruerit, recensebo inter cætera factam semper eam militi in equo, & armis, quibus militari munere fungatur, prærogatiuam vt non modò in exercitu, & castris, sed &, cùm, honesta missione, ad suos redit, creditori interdicatur manū in equum, aut arma, injicere. Ita iampridem Senatus, ann. 1588. die 5. Decembr. Ann. Roberto, & P. Cornuto, dicentibus. Quid præclarius in hoc quàm verba ista Tullij secunda Tusculana? *Scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt: quæquidem ita geruntur aptè vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris, pugnare possint.* plura ille & præstantissima eodem loco. Sic vero & Silius Italicus: *pro membris arma ferunt.* Sic incomparabilis Homerus ἰλ. μ.

—— ἕλπορε χαλκόν.

innuens scilicet arma facere vt miles sit strenuus, ac fortis, periculorúmque contemptor generosissimus. Inde Liuius lib. 4. decad. 5. *militem hæc tria curare debere, corpus, vt quàm validissimum, & pernicissimum habeat, arma apta, & cibum paratum ad subita imperia. cætera scire de se, dijs immortalibus, & imperatori suo curæ esse.* desinam in hoc Euripidis, in Hercule fur.

Ἀνὴρ ὁπλίτης δοῦλός ἐστι τῶν ὅπλων.

Id est, vir armatus, (nempe miles) seruus est armorum. Miles enim siue atmis, quasi corpus exangue, & anima quæ corpore destituitur. meritóque ex his arma Castrensis peculij esse vult Imperator, adeóque propria militis, vt neque fratri, qui in potestate mansit, conferat.

IIDEM A.

L. 5.

In ipsius mariti tui fuit potestate, mutare quod in sermos suos iratus testa-

teſtamento cauerat, vt vnus quidem in perpetuis vinculis moraretur, alter verò exportandus vaenundaretur. Proinde ſi offenſam iſtam clementia flexit (quod licèt ſcriptura non probetur, aliis tamen rationibus doceri nihil impedit: præſertim cùm poſteriora eorum talia merita deprehenduntur, vt ira domini potuerit mitigari) nouiſſimam eius voluntatem arbiter familiæ hercifc. ſequatur.

Primùm de ergaſtulis, vinculiſque ſeruorum, & mala manſione, vide ad l.7. Si hominem. ff. depoſ. De ſeruorum etiam exportatione, pro ira dominorum, vide ad tit. de ſeruis export. ff. vt autem ſingularis hîc textus ad reconciliationes, & quatenus factas eſſe ex indiciis meritò quiuis dixerit, iunge vulgatiorem textum in l.11. non ſolum. §.1. ff. de iniur. quem citat Chopinus, vt admittatur, diſſimulatione aboleri iniuriam, remiſſamque ex pœnitentia repeti non poſſe: tamen, ait ille, ſi pater filium exheredem ſcripſerit ob contractas, ipſo inuito, nuptias, non ideo prioris eum voluntatis pœnituiſſe videtur, ex hæredationemque ſuſtuliſſe, quòd nurum poſteà beneuolè, blandéque domo exceperit, & menſa ipſam, ac filium dignatus ſit: ſenatuſconſultóque in id inititur, lato in ſecunda claſſe inquiſitionum, conſultiſque claſſibus, ann. 1597. 5. Iullij. vide plura ex eodem ad conſuet. Pariſ. tit. 4. de teſtamentis. num. 8. & Robert. cap. 9. lib. 2. rer. iudic. Sic & Molinæus putat, ad conſuet. Pariſ. § 30. num. 62. patronum feudalem, qui, poſt admiſſam à vaſſallo feloniam, manum in feudum iniicit, *tanquam apertum in qualitate ſimplicis domini feudalis*, (ſunt eius verba, quæ aliàs diximus, *pour vne ſimple ouuerture de fief*) non remittere ius caduci, ſeu commiſſi, (hoc etiam vernaculus ſermo *la commiſe de fief*) niſi ad alium actum ſcienter proceſſerit, eúmque ſpecificum approbationis perſonæ, alioquin ingratæ, putà receptionem, & compoſitionem iurium, vel dationem induciarum, (al. *ſouffrance*) aut ſimilia: Sic ille. pluráque in hoc ipſum eo loco. Tamen, quantum ad exhæredationem filij, de qua ſuprà, vidi ſemper aliud ſentire conſultiſſimos quàm ſcripſerit Chopinus, vt ſcilicet omnis reconciliatio, inter patrem & filium, quantulacúmque illa ſit, ſtylum omnem decretorium delinat. quinimò Aufrerius ad quæſt. 234. decis. cap. Toloſ. docet iniuriam cenſeri remiſſam ex ſalutatione, deoſculatione, & communibus epulis, duóſque ſolos caſus excipit, putà conuiuium publicum, in quo ex honeſtate, diſſimulandum eſt, quod & Faber longè ante eum dixerat, ad §. vlt. de iniur. in inſtitution. Deinde verò oſculum pacis in eccleſia: ſecus, quod ait hîc Baldus, ſi inimici tandem amicè inuicem conuerſentur. notatúrque ab eo hic textus, vt mutatio vltimæ voluntatis probari poſſit per indicia. præclarè Fabius, declamatio. 322. *Quoniam*, inquit, *pater erat, quoniam numquam hi affectus vincuntur odio, vt non ad naturam ſuam tandem reuertantur*. nec tam abſceſſerit Horatianum iſtud, tametſi in affectum alienum,

— Nunc ego mitibus
Mutare quæro triſtia, dum mihi fias recantatis amicus
Opprobriys, animúmque reddas.

Virgilius, 11. Æneid.

— nec veterum memini, lætórve malorum.

Seneca in Agamemnone, actu, 2.

Sera numquam eſt ad bonos mores via,
Quem pœnitet peccaſſe, pœna eſt innocens.

Lyſias ἐν τῷ κατ᾽ ἐρ τῶν Αἰσχροφαῦς χρημάτων· Φασὶ καὶ τοὺς ἀρίστους, καὶ σοφωτάτους μάλιστα ἐθέλειν μεταγινώσκειν. id eſt, aiunt optimos, & ſapientiſſimos velle pœnitere. Agitur deinde hîc de domini ira in infœlices duos ſeruos, quorum alterum filius perpetuis vinculis continere noluit, nec alterum etiam exportare, tametſi ita iuſſiſſet pater teſtamento, quia ſcilicet probari poſſet, flexiſſe eos variis poſterioribus meritis domini clementiam. quantò ergo magis vbi de filio agitur qui, cùm exhæredatus eſſet, iure optimo, à patre, comiter tamen poſteà ab eodem exceptus eſt. *præſumitur tunc ceſſare inimicitia*, ait Baldus, *vbi poſteriora comprobantur merita.*

Meriti fiducia tanta eſt.

Ouid.lib.8.Metamorph.inde Liuius lib.1.de Horatio Coclite,qui occîderat sororem: *Atrox visum id facinus patribus,plebique,sed recens meritum facto obstabat.* Patrem denique temperare vult D.Ambrosius à concepta ira,tametsi iustissima, in filium, si eum resipiscere,meliorémque ad frugem redire viderit.verba eius sunt epist.41. *A dispositione odiosa facile receditur per dispositionem fauorabilem: præsertim cùm posteriora eorum merita deprahenduntur.vt ira patris,vel matris potuerit mitigari, si offensam istam clementia flexerit.* Nemo nescit diuinum,ex imagine prodigi euangelici, cui sapuit tandem pectus, præceptum:in quo proinde meta hîc nostra vltima.

IMP. GORDIANVS.

L. 6.

Ea quæ in nominibus sunt,non recipiunt diuisionem:cùm,ipso iure,in portiones hæreditarias ex l.12.tabularum diuisa sint.

Quod hîc dicitur.*ipso iure*, hoc est, ipso intellectu. nam ipso facto diuiduntur,cùm pecunia ex iis refecta vnicuique cohæredum diuiditur pro sua portione. Aliter explicant Bartolus,& Baldus,vsitatissimóque apud nos more. Nomina enim non quidem diuiduntur,ait ille:sed assignantur. citátque in id apposité, legem 3.planè. ff. hoc tit.vt nimirùm ad officium iudicis nonnumquam pertineat debita, & credita singulis pro solido, alia aliis attribuere. quia sæpe & solutio, & exactio partium non minima habet incommoda. nec tamen, inquit ille textus,hæc attributio illud efficit, vt quis solus totum debeat,vel totum alicui soli debeatur:sed vt,seu agendum sit,partim suo,partim procuratorio nomine agat: seu cum eo agatur, partim suo, partim procuratorio nomine conueniatur. nam licèt libera potestas maneat creditoribus cum singulis experiundi, tamen & his libera potestas est suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio iudicis translata sunt. hactenus d. lex, planè. quæ hîc ideò tota à me exscripta est,quia &,iusti commentarij loco, ad hunc textum, & quotidiano in vsu apud nos,vbi de diuidendis hæreditariis creditis agitur. Imò, vt adijcit Baldus, voluntaria id assignatione potest fieri, per cessionem nimirùm interuenientem hinc inde. sic hoc nostris moribus,si boni,eatique cohæredes, præcisis inter se frustrariis impensarum iudicialiumnecessitatibus, diuidant hæreditatem quæ obtigerit, priuata scriptione, citráque ministerium iudicis. Ad iudicem enim eo casu,vel curiosum inquisitorem, seu commissarium,vt loqui mos est,numquam itur,nisi per tixosi,molesti,irati, læsi,vitilitigatorisve cohæredis fatum. Præclarus in hoc versus Homericus,id est.

Τρώκτης,ὃς δὴ πολλὰ κάκ᾽ ἀνθρώποισιν ἐώργει.

i. veterator, qui multa mala hominibus intulerat. agit de Phœnice quodam cuiusfortuito,fatalique occursu,& cùm media,penitioráq; ipsius negotia inuasisset trico,(quod ait alicubi Vlpianus de iis qui se ingerunt) ad nihilum redegerat vniuersam illius substantiam.vt sæpissimè ex huiusmodi pestibus,quæ,titulo hæredis,ad hæreditates,maximè aduentitias,occurrunt,corruit,intereidítque tandem, per lites varias, quas indies serunt,quicquid,pacata diuisione,possideri poterat.quotidianum istud.

IDEM A.

L. 9.

Non est ambiguum,cùm famil.herc.titulus inter bonæ fid. iudicia numeretur, portionem hæreditatis, si qua ad te pertinet, incremento fructuum augeri.

Dixi ad l.pen.ff. eod.iunge & l. cohæredibus. inf. hoc tit. notanda autem distinctio est Saliceti,& Pauli Castrens.vt scilicet qui scit se habere cohæredem, fructúsque in-

terim tam fuos, quàm cohæredis percipit, teneatur reftituere petenti cohæredi quicquid perceperit. mala enim tunc fides, i. fcientia rei alienæ, vt in vfucapionibus, ac præfcriptionibus dici de bonæ, malæque fidei poffefforibus folit eft. Scio & aliā rationem tradi à Baldo, Paulo Caft. & Saliceto, cùm in vniuerfali iudicio, cuiufmodi eft famil. hercifc. fructus in vniuerfum deberi fcribunt, vt in quo verfetur potiffimum bona fides, quæ non paritur vt cohæres locupletetur cum aliena iactura. fed, quifquis bene perpēderit, diuerfum nihil ab ipfis fentio. per fciētiam rei alienæ, malā ex eo fidem prorfus arguo, quòd nimirùm fructus, quos percipiebat, non fuos, fed alienos effe fciret vnicè. Tritum hoc aduerfus eum è cohæredibus qui (quod in l. puto. §. fed etfi dolo. ff. hoc ti. & l. tres fratres. de pact. ff.) hæreditarium quippiam, feu mobile, feu immobile clam cæteris, per aliquot annos, dolo, malifque artibus celauerit.

——κλῆρον ἐδασσάμεθα, ἀλλά τε πολλὰ

Ἁρπάζων ἐφόρεις.

id eft, diuifimus hæreditatem. fed multa rapiens auferebas. Ita de fratre fuo queritur, Hefiodus ἐν ἔργοις pag. 3. Vide etiam ad d. l. tres fratres.

IIDEM A.

L. 10.

Quoties inter omnes hæredes teftator fucceßionem fuam diuidit, ac fingulos certis poffeßionibus cum mancipys quæ in eifdem funt conftituta, iubet effe contentos: voluntati eius (falua legis Falcidiæ auctoritate) obtemperandum eft. Nec mutat quòd in fequentibus verbis mancipia fua vniuerfa, nulla facta eorum difcretione, commendanda putauerit hæredibus, cùm vtique eis ea videatur infinuaffe (glo. id eft, commendaffe) *quibus etiam teftamento relinquenda effe decreuit.*

Plurimi equidem facienda diuifio à patre facta inter filios. *fupremi patris iudicij decifionem*, vocant Vlpianus in l. 20. Si filia nupta. ff. hoc tit. ad quam fusè fatis dixi. Nique filius, aut filia iuffa parentum faciant, cùm eis fcripto, aut fola etiam voce manibúfque, vt dicitur, implicitis parituros fefe promiferint, falli in eo cecinit Horatius cineres opertos parentum, lib. 2. carm. od. 8. prudentieres certè ad hanc iuris partem Romanos fuiffe Græcis veteribus quibus teftari non licebat, fi haberent liberos, vt apud Ifæum, inter cæteros, ἐν τῷ περὶ τοῦ φιλοκτήμονος κλήρου, commonftrant clariffimè facri legis diuinæ Codices: ex quibus proinde paucula hæc illinam. Sic enim apud Genef. cap. 25. *Dedit Abraham cuncta quæ poffederat, filio Ifaac. filiis autem concubinarum largitus eft munera.* eóque fenfu accipitur à facris interpretibus quod apud Ecclef. cap. 33. in hæc verba: *in die confummationis dierum vitæ tuæ: & in tempore exitus tui diftribue hæreditatem tuam.* hactenus ex prifcis. Religiosè enim noftri iudices, vbi de diuifione agitur quam pater teftamento fecerit, fi modò æqualitati adeò studuerit, vt qui voluntati parentis nòn obtempèrat, comperiatur de modico conqueri, aut faltem habere quantū ferat eius legitima: fiq; nihil aliunde aduerfus mores prouinciales teftator fcripferit. Selegi de cæteris Galliæ noftræ legibus, quod, inter cætera, apud Borbonienfes obtinet, cùm nihil eo melius, bonóque patri famil. teftanti conuenientius: vernaculíque noftri fermonis maior, vt mihi videtur, quàm Romani, fœlicitas. Sic igitur cap. 19. artic. 216. *Le pere, & la femme auctorifée, ou la mere, apres le trefpas de fon mary, & vfant de fes droicts, peuuent, durant leur vie, iufques à quarante iours auant leur trefpas, partir & diuifer leurs biens meubles & immeubles entre leurs enfans: & tient, & vaut telle difpofition & partage. ne peuuent lefdits enfans aller au contraire, finon que par ledit partage leur fuft aduenu moins que de leur legitime, &c. & s'il eftoit moins delaiffé à l'vn des enfans que de fadite legitime, elle eft fupplée par les autres enfans pro rata, ledit partage demeurant au refidu en fa force, & vertu, &c.* plura in hoc reperies ad d. l. fi filia nupta. ex vfu, ac Senatufconfultis. Quanta verò prudentia, peri-

nos, citra fcriptum, inter præfentes, & viginti inter abfentes quifque cohæredum feorfum, re diuifa vfus fit, eámque, vt fuam, habuerit, & coluerit feu per fe, aut per colonos: fi ædes etiam ex ea caufa habitauerit, vel alij locauerit: Aut fi quafcumque alias fpecies, vel reditus per longum illud tempus, ex diuifione non fcripta quidem, fed feptis pofitis, per longum tempus, vt fupra dictum eft, poffederit. eò enim referũt legem vlt. Cod. de præfcript. longi temporis: doctrináque eft Italorum interpretum, eùm & fundos, & feruitutes, iuráque alia Imperator vulgata illa decifione inclufetit: vt fcilicet præfcribantur eum titulo, & bona fide per decem annos inter præfentes, aut viginti inter abfentes. Quis, inquiunt, fauorabilior titulus diuifione mutua quam infecuta fit tot annorum pacata inter omnes hæredes poffeffio? Si enim fiunt fcripturæ, vt quod actum eft per eas faciliùs probari poffit, noftro hoc textu, & l. 4. ff. de pignorib. res eo cafu per fe loquitur, nec ideò feparatas, diuifáfque fuiffe, per tot annorum feriem, paternas poffeffiones, vt fimplex, folúfque, & commodior foret vniufcuiúfque cohæredis vfus, pérque accommodationem, vt dicimus: fed vt finguli haberent pleno dominio quod fors, diuifionis fponte, citráque fcripturam, longè anteà tulerat. Egregium quod Homerus, ιδ. ξ. de liberis inter fe, fpretóque omni iudicis, tabellionifve, vt hodie, minifterio, diuidentibus hæreditatem paternam:

—Τοὶ δὲ ζωὴν ἐδάσαντο

Παῖδες ὑπέρθυμοι, καὶ ἐπὶ κλήρους ἐβάλοντο.

id eft, hi autem hæreditatem diuiferunt filij magnanimi, & fortes iecerunt. Sic Vlyffes, dum fingit fe Cretenfem, & Caftoris Hylacidæ, ex pellice filium. Ratum deinde quod perfeuerantia apparet iudicium animi fuiffe, ait Paulus, tit. de diuort. ff.

Quicquid voles, quale fit, fcire, tempori trade,

fcribit Seneca, lib. 3. de ira, cap. 12.

Μακρὸς χρόνος τ' ἄδηλα φαίνει.

Id eft, longum tempus manifefta facit quæ incerta funt. apud Sophocl. Quinimò & Pindarus, ode. 3. Ifthmior. in fi.

Αἰὼν δὲ, κυλινδομέναις ἁμέραις,

Ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξάλλαξεν, &c.

Id eft, tempus, voluentibus diebus, mutare folet rerum formam, ac faciem. Vidi propterea primæ famæ patronos qui, ad hanc fpeciem, locum non effe Blæfenfi conftitutioni, artic. 54. dicerent, cùm de quieta nimirùm, feorfimque per longos annos, ab hæredibus fingulis habita poffeffione agitur. Accedat quòd, nec alia ratione, dicitur hercifci hæreditas, nifi quia poft diuifionem, poffidere tunc, fruíque vnufquifque cohæres incipiat vallo facto fæpiffimè, atque inftructis vtrimque fepibus, vt dixi fuprà: petitúmque inde vocabulum ἐκ τοῦ ἕρκους, quod feptum eft. Sic apud Athenienfes ἑρκεῖος Ζεύς, feu, vt Latinis, Hercæus Iuppiter, id eft, vt explicat Etymologicus auctor, φύλαξ τοῦ οἴκου, id eft, cuftos domus, & cui altam ceu fepem aduerfus incurrentes ducat. Scio aliud dari à nonnullis, ἔτυμον, nempe ab antiquo, erceo, pro, arceo: fed vt fortuita illa deriuatio eft, ita & certiffima hæc eruditis. Ifta funt denique quibus defendi poffit fententia Gloffæ ad d. l. fi maior. aduerfus quam tamen aliud olim doctores Gallos fenfiffe, tradit eo loco Baldus: vt nimirùm opus fit titulo vfque ad 30. annos, l. hæreditatem. inf. in quib. cauf. ceffat longi temp. præfcript. quod & ita Senatus de more. vide cætera ad d. l. fi maior.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 14.

Si familiæ hercifcundæ iudicio, quo bona paterna inter te, & fratrem tuum æquo iure diuifa funt, nihil fuper euictione rerum fingulis adiudicatarum fpecialiter inter vos conuenit, id eft, vt vnufquifque euentum rei fufcipiat: rectè poffeffionis euictæ detrimentum fratrem & cohære-

dem tuum pro parte agnoscere, præses prouinciæ per actionem præscriptis verbis compellet.

Componenda l. si fratres. inf. commun. vtriúsque iudic. Ratio autem est, quia alioquin inæqualitas foret, quæ vitanda maximè inter cohæredes, l. illam. inf. de collatio. Sunt enim omnes in eo venditores, ac emptores inuicem, cùm diuisio prædiorum vicem emptionis obtineat, ait lex 1. inf. commu. vtriúsque iudic. in emptione enim semper debetur euictio, l. in vendendo. ff. de contr. empt. Tritum istud denique, soláque, ni fallor, consuetudo Armorica, de euictionibus istis inter cohæredes mutuis & reciprocis, artic. 149. ex vetere. & 142. ex noua. Tres ferè à generali hoc axiomate exceptiones reperio: vna est in hoc textu, & d. l. si fratres. cùm nimirùm recepit in se cohæres euictionis futuræ periculum. Secunda, si sit fundus emphyteuticus, qui, post certas generationes reuerti ad primarium dominum debeat. Tertium in specie legis, cùm pater. §. euictis de legat. 2. cùm scilicèt diuisio à patre facta est. sed vt optimè aduertit Argentræus ad d. art. 149. specialem id de iure Romano rationem habet in prælegato vni ex liberis, quod consuetudines Gallicæ non admittunt, vt nimirùm quis sit & hæres, & legatarius, in eadem consuetudine. Vide quotidianum fori, inter patronos, Senatusconsultum, in notis Molinæi ad consuetud. Montisfort.

IIDEM AA.

L. 16.

Filij patris testamentum rescindendi, si hoc inofficiosum probare non possunt, nullàm habent facultatem. Sed & si tam circa testamentum, quàm etiam codicillos iudicium eius deficiat, verùm quibuscumq; verbis voluntas eius declarata sit, licèt ab intestato ei fuerit successum, ex Senatusconsulto retentionis modo seruato, familiæ hercisc. iudicio aditum iudicem sequi voluntatem patris oportere iuris auctoritate significatur:

Adi omninò ad l. quoties. sup. hoc tit. cùm eadem sit decisio, nempe in testamentis quibus parentes bona sua inter liberos diuiserint. de voluntate etiam patris quam sequi debent iudices, vide in l. pen. ff. de curator. furioso prod. & alus extra minor. dand. in hæc verba quæ ferè repetuntur hoc textu: *per omnia iudicium testatoris sequendum est, &c.* pater apud Gregor. Naz anz. in carm. ad Nicobulum vocat filios, possessiones suas. Nec vnquam vilis parentum auctoritas apud liberos. dixit Liuius. Ista iterum subiügo ob finem legis quæ peroptimè parentum auctoritatem in filios ex iure ipso repetit. Cætera, vt dixi, de diuisionibus testamentariis quas patres, ad domesticam inter suos quietem, paterno affectu, pérque leges patrias, faciunt vide ad d. l. quoties. & ad l. si filia nupta. ff. fam. hercis.

IIDEM AA.

L. 18.

Filiæ cuius nomine pater res comparauit, si non posteà contrarium eius iudicium probetur, per arbitrium diuidundæ hæreditatis præcipuas adiudicari, sæpe rescriptum est. his itaque si patri successisti, quem nomine tuo quædam comparasse dicis aduersus sororem tuam, apud præsidem prouinciæ, si res integra est, vti potes. In communi autem hæreditate

quin ſumptus ab vno facti bona fide, familiæ hercisſc. iudicio, vel negotiorum geſtorum actione ſeruari poßint, non eſt ambiguum.

Non ſola hæc, ad primam legis iſtius partem, exceptio eſt, *ſi res ſit integra*, quod Gloſſa intelligit, ſi modò nec ſententia, nec tranſactio interuenerint. Diſtinguendæ enim apud nos variæ regni Gallici conſuetudines, quarum aliis, nec teſtamento, nec donatione vlla inter viuos, imo nec emptione, aut venditione, poteſt fieri huius, vel illius liberorum conditio melior. Sic enim apud Turones, Cænomanos, & Andes. vide ad l. Pomponius Philadelphus. ff. hoc tit. quid in hoc, non ita diu Senatus. Aliæ verò præcipua quidem illa donari inter viuos ſinunt, ſed ita tamen vt hæres eſſe non poſſit qui à patre quippiam, ſingulari eo titulo, acceperit. Sic apud Pariſ. & variis aliis regni prouinciis: cùm alioquin iure ciuili hæreditas, & prælegatum, ſeu præcipuum, τὸ ἐξαίρετον, vt in Baſilicis, admitti in vna, eadémque perſona ſoleant: vt, inter cætera, videre eſt ex l. filio paret. de leg. 1. & l. 4. §. ſi quis ex vncia. ff. de doli except. Sed æqualitatem interplebeiorum liberos ſpectat maximè ea pars noſtræ Galliæ quæ patriis moribus vtitur, licèt inter nobiles ſecus. quod autem de ſumptibus in commune, hæreditariúmque negotium factis adiicitur, compone quotidianos textus in l. his conſequenter §. ſumptuum. & l. ex parte. in pr. ff. hoc tit. l. 3. ſup. de negot. geſt. & l. liberto. §. vlt. ff. eod. illo tit. de negot. geſt. ad quam Senatuſconſulta recenſeo. Vide etiam Bacquetium, cap. 21. nu. 158. de iuſt. & iure. vbi & alia in hoc ipſum ampliſſimi ordinis iudicia exſcribit. adeſt verò & nunc locus ſingularis ex Baſilic. lib. 15. t1. de ſumptibus in aliena re factis. verba ipſa referam: τῶν γινομένων ἀναλωμάτων ἐπὶ διοικήσει πραγμάτων ἀλλοτρίων τόκους δέχεσθαι ἡ καλὴ πίστις συνεβούλευσεν· ᾧτινι νομίμῳ δύνασαι χρήσασθαι κατ' ἐκείνων, ὧν τῇ ἀνάγκῃ συνελάσθης τὰ πράγματα αὐτῶν διοικῆσαι, κινῶν κατ' αὐτῶν τὴν περὶ τῆς διοικήσεως ἀγωγὴν παρὰ τῷ ἄρχοντι τῆς ἐπαρχίας. Id eſt, ob negotium alienum geſtum, ſumptuum factorum vſuras præſtari, bona fides ſuaſit: quo iure vti potes aduerſus eos quorum neceſſitate negotia gerere compulſus es, ſi apud prouinciæ Præſidem cum eis actione negotiorum geſtorum experieris. Ita textus, ex quo cùm vſuras etiam eiuſcemodi ſumptuum deberi videamus, variè id iudicauit Senatus. modò enim gratiam vſurarum fecit, quippe in communi negotio. modò etiam adiecit, ſi nimia ſit cohæredum, in refundendis tam neceſſariis impenſis, contumacia. vide ad d. l. liberto.

IIDEM AA.

L. 21.

Si cogitatione futuræ ſucceßionis, officium arbitri diuidendæ hæreditatis præueniendo pater cõmunis iudicio ſuo, qualicúmque indicio ſuam declarauerit voluntatem: inter eos qui ei ſucceſſerunt, exemplo Falcidiæ rationis habita ratione, familiæ diuidendæ cauſa datus arbiter. pro virili præterea portione eorum quæ nulli generaliter vel ſpecialiter adſignauit facta diuiſione: in adiudicando patris ſequitur voluntatem.

Diſtinctionem conſtituit Gloſſa inter diuiſiones factas teſtamento à patre, & eas quę à iudice, vel per cohæredes: vt ſcilicèt in iis quæ à patre, non debeatur euictio, l. cum pater. §. euictis. de legat. 2. ſecus in cæteris. l. ſi familiæ. ſup hoc tit. quomodo autem intelligatur iſtud iure noſtro Gallico, vide ad d. l. ſi familæ. Cæterùm vt tradunt hic Imperatores præueniri officium arbitri à patre qui hæreditatem diuidit inter liberos, ita & optimè Plinius dixit præueniri officia hæredum à teſtatore qui exequitur ipſemet teſtamentum ſuum, præſtátque ſingulis quicquid teſtamento legauerit, de quo ſingularis textus in l. 22. Lucius. de legat. 2. Vide quæ fuſo ſatis ſcholio adieci de diuiſione hæreditatis facta teſtamento à patre, ad l. quoties. ſup. hoc tit.

IIDEM AA.

L. 24.

Filium, quem habentem fundum, portionem hereditatis fratribus, & quibusdam aliis, sub conditione verbis precarijs restituere sanxit testator, post eius conditionis euentum hereditaria parte, in quartæ ratione, retenta, compensato præterea quod à cohæredibus, vice mutua, percepit, &, si quid deest, in supplementum deducto, quod à cæteris in eo fundo soluitur, supra quartam habens, reddere compellitur.

Fama, & re difficilem iure scribunt Glossa, & interpretes. solúsque Cuiacius. veram accurauit hypothesim, quam à Doctore suo Ferrerio didicisse se, vt quid eximium, semper professus est, maximéque ad l. qui non militabat. de hæred. instit. ff. vide eumdem rursus ad l. 22. Nezennius. quæ Pauli est, ff. ad l. Falcid. & lib. 8. cap. 3. obseruatio. Mirum certè quanta peregrinarum quæstionum diuortia agitent Bartolus, Paul. Castrensis, Iason, Salicetus, Baldus verò maximè, cuius vt octo ingentes paginas, aut veriùs quindecim, molestissimæ circuitionis columnas, reperio, ita & decem & quatuor Iasonis perlegisse, doluit mihi tandem nec ferè seciùs quàm si inanibus quibusdam fabulis data esset opera. planè enim nemo ex his expressit veram constitutionis imperatoriæ mentem, & de quo rescripserint Imperatores. nouóque insuper opus esset quasi commentario, vt barbara, quæ decisionis loco, interferunt, intelligantur passim vocabula, cuiusmodi hæc dixerim inter cætera, *vniformiter & difformiter.* Imputatur in Trebellianicam, inquiunt Baldus & Iason, quicquid quocúmque iure hæreditario capitur: secus si partim iure hæreditario, partímque ex alia causa: vnifotmiter scilicet, & difformiter. Delibabo duntaxat quod de instructionibus mensis palatum excitet: plura suffecturus, si vidissem fore id vnquam controuersiarum forensium: sique prorsus ad propositam Imperatoribus speciem. Vt enim eatur obuiam subitaneis, quibus, pro iudicio, supercilium: perstringo ad Imperatorium hoc rescriptum, vt in cæteris, nec leui opera, quicquid ex operosissimis nostrorum commentariis, ad ratas deinceps, veréque pilatas fori sententias, videatur optimum. Species igitur nostræ huius legis reuocari ad forenses quæstiones possit in hunc modum: testator cùm plures filios haberet, eos hæredes, cum extraneis quibusdam instituit, prælegauit autem vni ex filiis fundum Seianum, rogauítque vt & fratribus, & quibusdam aliis, qui non scripti hæredes, hæreditatis portionem restitueret sub conditione. Quæ tamen illa conditio, eùm non aperiat textus, de casu quocumq; conditionali intelligenda est. facti enim ea quæstio: quod proinde includi verbis legis necesse est, nec augendum magis, vel syllaba vna, quàm si quis litem ex scripto apud iudices explicaret (quam litis interpretandæ rationem describit sagaciter Apuleius lib. 9. Metamorph.) Extitit ergo postea conditio, qualem testator præscripserat. Petunt fratres, & alij quibus etiam relicta erat hæreditatis, vt dixi, portio, vt restituatur fideicommissum. Varia tunc disceptandi ratio circa detractionem quartæ, circáque eius supplementum, & compensationem rei quam vicissim cohæredes præstare debebát: disceptatióque eò maior, quòd non omnibus, sed fratribus dumtaxat, ac quibusdam aliis non hæredibus, vt suprà dictum est, restituendum esset fideicommissum. Imperatores igitur rescribunt, filium istum habere oportere & fundum prælegatum, & quartam portionis hæreditaris quam restituere rogatus esset, deducendis tamen compensationibus necessariis. Accipere enim debet à semetipso, iuréque hæreditario partem fundi prælegati, in qua hæres scriptus est, textus in eo perelegás in l. 18. eū qui. ff. de his quæ vt indign.) imputarúrq; ea pars hereditaria in quartam ipsi, iure hereditario, debitam. Cæteræ partes quas à suis cohæredibus, iure legari accipit, quibus ipse portionem suam vicissim restituit, non imputantur quidem, sed compensantut cum eo quod, iure Falcidiæ, detrahere poterat. Habere autem supra (id est, præter) quartam, seu Falcidiam,

debet quod capit, in eo fundo, à cæteris cohæredibus quibus nihil reſtituit. Aut, ſi maius, vt res tantò fiat elatior, ſi quid deſit Falcidiæ, ſeu quartæ, deducet ex hæreditaria portione, quàm reſtituere rogatus eſt: habebit verò præter quartam, portionem fundi prælegati quam accipit ab extraneis cohæredibus quibus ipſe viciſſim nihil reſtituit. Audaculus forſan ego, qui Cuiacianam in omnibus hypotheſim ſequi nõ videar quam tanto ſtudio collegit ad d. l. qui non militabat, de hær. inſtit. ff. nec verò ex ſeipſo, ſed vt ab inſigni iuriſconſulto, præceptore ſuo, acceperat, quod ingennè loco illo, agnoſcit, vt dixi ſuprà; vtrâque de quæſtionibus legis nihil promouet, quaſi fœlici illo ſpeciei tropæo contentus quam, ante Ferrerium, nemo vnquam percepiſſet. Sed vt nè genuinum ab vllo patiar qui mihi in eo haud pepercerit: Cuiacianam quis non, vt diuinum aliquod ciuilis ſcientiæ argumentum, ſuſpiciat?

——— *veſtigia ſemper adoro:*

Neque proceſſiſſem longiùs, ſed in mero tanti interpretis guſtu acquieuiſſem, niſi famoſæ huius conſtitutionis hypotheſim admouere paulò propiùs quotidianis rerum experimentis in animo fuiſſet: & quod ſeptem hæredum perſonis includendum vult Cuiacius hoc in genere, ſeu in paucioribus, ſeu in pluribus, proponere. Certiſſima enim primùm ex hac lege regula: vbi de prælegato agitur, nihil vnquam imputari in quartam ei qui hæreditatẽ reſtituere rogatus eſt, niſi in eo quod capit iure hæreditario. l. in quartam. ff. ad l. Falcid. Item, præfiniri, aſſignari ve non poſſe à teſtatore minorẽ Falcidiam, ſeu Trebellianicam, quàm debeatur, ſpectato aſſe ex quo detrahenda ſit. Ita enim hîc omnes. Quantùm verò ad conditionem, de qua etiam textus, pugnat ſummoperè d. l. in quartam. ad l. Falcid. quæ negat imputari in quartam quod, conditionis implendæ cauſa, accipitur: putárque Cuiacius tollendum ex textu legis, in quartam. hunc verſiculum, *Sed & quod implendæ conditionis cauſa, &c.* Vt ſuppoſititiũ: in quo proinde duo aſteriſci notantur in libris emendatoribus. Contrarium tamen defendit diſciplina iuris eruditiſſimus, Maranus, doctor Tholoſanus, quòd coërceri verſiculus ille debeat ad fideicommiſſum: cui ſentẽtię cum & ſagaciſſimos, cultiſſimóſque iuris interpretes, quos inter Cl. Columbetius, vnus ex inſtauratoribus, repurgatoribúſque poſtumorum Cuiacij, accedere videam, occurret forſitan eiuſcemodi olim in ſupremis Galliæ noſtræ tribunalibus quæſtio, vnde componatur inter commiſſos anteceſſores lis iſta literaria. Quantum ad imputationes fructuum in legitimã, nihil etiã ſubijciendum inſuper arbitror, cùm de iis dixerim quod ſatis ad l. omnimodo. §. & generaliter. ſup. de inoffic. teſtam. Cætera denique publicis anteceſſorum pulpitis repono, quorum aſſidua in ſoluendis Romanorum legum nodis opera. Cæci hîc ſunt paſſim viarum flexus, ratúmq; vt mollis vllibi occurrat via: aut & meliùs, vt hoc dicam cum Conſtantino in tacticis: ὄρθιος τόπος, καὶ στενός, καὶ δύσχωλος χώρα, ὑπερπαρίδιον τε, δι᾽ οὗ διαβαίνειν πρὸς ὁδοιπορίας τὰ λοιπὰ, ἀναγκαῖον. Cæterum vidi non ſemel qui præclara ſcilicèt, & critica Priſciani neſcio qua fiducia, inuectum, imperitia librariorum, dicerent, vt legatur in legis iſtius principio, *filium quem.* pro *filius quem.* deridentes Accurſium, qui ἀπαίδευτον eſſe, ſubiecerit, caſum pro caſu: vt qui, & more ſuo, nec ſeruatam recti ſermonis rationem aduerterit. Sed Priſcianios iſtos onirocritas ad, omni exceptione maiorem, Cuiacium remitto, qui in poſtumis, ad d. l. 78. qui non militabat. quæ Papiniani eſt, ex lib. 6. reſponſorum. de hæred. inſtit. defendit adeò lectionem veterem, putà, accuſatiuum hunc, pro nominatiuo, vt doceat & hîc, & in l. eam quam. inf. de fideicommiſſ. variiſque aliis locis, etiam apud auctores claſſicos, ita ſæpe reperiri. Obſeruaui ipſe apud Ælianum in varia hiſtoria, enallagas eiuſcemodi caſuum, immò & numerorum frequenter à ſcriptore illo fieri, Romano equidem, ſed qui Græco ſermone, eóque Attico tam eleganter ſcripſit, vt de ipſo ſcribat Philoſtratus in eius vita, ne quidem Athenienſes, media in Attica, magis atticè loqui, & ſcribere. ἠττίκιζε δ᾽ ὥσπερ οἱ ἐν τῇ μεσογείᾳ Ἀθηναῖοι, ait Philoſtratus.

Iidem AA.

L. 25. seu,pen.

Ex causa donationis vel aliunde tibi quæsita, si aui successionem respueris,conferre fratribus compelli non potes.

Subijcit indistinctè Baldus,eum qui nititur titulo singulari, non cogi conferre, nisi velit vniuersaliter succedere. Sic & Salicetus:collatio,inquit, locum non habet in iure singulari,sed in vniuersali. Sed & hi, cæteríque veteres interpretes, hallucinati adeò sunt in distinctione quæ ex disciplina iuris facienda est, vt procul dubio debeatur vni Cuiacio verissima constitutionis istius sententia. Ille enim lib.13.cap.33. obseruati. docet ex Thalelæo,quem vocat Græcorum doctissimum, ϰ̀ τῆς νομικῆς ὀφθαλμόν, distinguendum hîc esse filium,vel nepotem emancipatum ab eo qui in sacris sit paternis, aut auitis. Si emancipatus repudiet hæreditatem aui, non cogitur eo casu conferre fratribus quæ donationis,vel quo alio titulo ex bonis aui ad eum peruenerunt, quia donatio quæ in emancipatum confertur,statim valet,nec confirmatione indiget, vel alieno adminiculo,l.2.sup.de inoff.don. Sed si fuerit in potestate aui,donatio eo casu non valet, nisi auus in ea voluntate vsque ad mortem perseuerauerit, atque etiam nisi arbiter diuidendæ hæreditatis donationem confirmauerit,quasíque præcipuam à nepote deduci permiserit,l.18.hoc tit.nam & hoc est inter emancipatum & suum,quòd facta donatio emancipato,si inofficiosa sit, reuocetur pro modo Falcidiæ per querelam inofficiosæ donationis:facto autem suo,per officium arbitri famil.hercisc.d.l.2.Secundum hęc, ait Cuiacius, si nepos qui est in potestate aui, abstineat se eius hæreditate, perdit ille, confértque fratribus quæ donata sibi ab auo fuerint, quia cessat iudicium famil. hercisc.ac proinde cessat remedium quo res donatas præcipere possit. Secus in emancipato,vt qui,spreta hæreditate patris possit donationem suam amplecti,quo & sensu accipiendam esse vult non modò legem 3. inf.de reuoc. his quæ in fr. cred. sed & hanc nostram pen.quia scilicèt dicat perspicuè textus, nepotem, de quo hîc agitur,sibi acquisisse ex causa donationis vel aliunde,quod repudiata aui hæreditate,conferre fratribus noluit. Apparet ex eo,inquit tantus interpres, nepotem sui iuris fuisse. Cui sententiæ vt accessuri sunt mecum facilè qui ratas iuris sententias nouerint, ita & somniculosos ferè superioris æui antecessores quis non meritò dixerit, cum & hîc & variis aliis locis iuris inordinatè,confusè,indistinctéque omnia ferè,quasi partus informes, proferant? Scio inutilem hodie,maximéque apud nostros Gallos, emancipationis, patriæq; potestatis distinctionem,cùm patriæ potestatis iura iamdudum exoleuerint,& verbum,moréinque emancipationis habeamus ceu inanem penè fabulam, cuius sola vmbra superstes,vt alibi doceo ad Pandectas. Sed à schola ad forum, vt in cæteris, transeundum putaui:gentíque nostræ blandior,quæ tanti viri ortu,nempe Cuiacij,beare se possit,immò & iactare,aduersus exteros iuris Romani interpretes. Ista igitur,ex meta, vmbratilique exercitatione:& enim per nostros mores,eáq; potissimum in parte Galliæ,quę seposita Romanæ prudentiæ necessitate, nisi in quantum ratio mouerit, leges patrias, in iure dicundo,anteponit. Sic enim noua consuetudo Paris. art. 307. tit. de succession. *Neantmoins si celuy, auquel on auroit dóné, se voudroit tenir à son don, faire le peut, en s'abstenant de l'heredité la legitime reseruée aux autres enfans.* Plus ait Moliuæus ad vet. consuet. Paris. §.17.distinguit enim,nisi donatio facta sit filio in anticipationem successionis, dicimus, *en auancement d'hoyrie.* quo casu decîdit filium cui pater ita donauerit, non posse donationem retinere,& hæreditati renuntiare.dixi plura ad l.si non mortis. de inoff.testam. & ad l. Pomponius Philadelphus.famil.hercisc.ff. vide etiam Chopin. lib.2.tit.1. num. 12.ad eandem,nouámque consuetud: Paris. hæc tamen intellige, vt vides, in liberis,id est,in linea directa.secus in hæredibus à latere, vt qui,extraneorum loco habeâtur,cum nec leguima illis debeatur nisi turpi persona instituta, in l. fratris. & l. fratres. sup. de inoff.testam.quod latè explico toto eo tit.de inoff.testam. Sic verò etiam intellige no-

tam Molinæi, ad Montisfortis conſuetudinem, artic. 93. cuius hæc verba: *Aucun ne peut eſtre heritier & legataire, tout enſemble.* Notat ibi Molinæus Senatuſconſultum Petri Buteau, vt ex eo inferat nepotes ex fratre, & duabus ſororibus ideò defuncto huic, ipſorum auunculo, ſucceſſiſſe tam in omnibus mobilibus, & quæſtibus Pariſienſibus, quam in immobilibus monfortianis, ob diuerſas nempe conſuetudines, in quibus eſſent ſita. Ita Molin. Sed poſterioribus areſtis iudicatum eſt, nec diuerſitatem illam locorum ſpectandam eſſe, cùm indiſtinctè in eadem conſuetudine ita obtineat inter collaterales. ſecus inter filios, vt dixi. Quæſitum eſt, ſi donatio ſit puta, & ſimplex, inter viuos, retentóque vſufru. itaut ſaiſitus ſit (vt loquimur) donatarius per donatoris obitum, vtrùm nihilominus teneatur ille ab hærede donatoris petere quod donatum eſt: cenſuit verò Senatus teneri, anno 1553. die 22. Septembr. Redegit Baro. Veſtus, in Senatu Patronus, non modò Senatuſconſultum, ſed & ipſum, à quo appellatum erat, propræfecti Pariſ. iudicium, litigatores vocabantur Ioan. Carpentio, & Io. ac Valentin. de Villiers.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 26. quæ vlt.

Inter omnes dumtaxat hæredes ſuos, quocumque modo ſcripturæ, & quibuſcumque verbis, vel indiciis, (gl. dum tamen teſtibus probetur) *diſpoſitio, vel diuiſio fiat, defuncti diſpoſitio cuſtodienda eſt, etiamſi ſolennitate legum fuerit deſtituta. Si verò alia ſit mixta perſona: certum eſt eam voluntatem, quantum ad illam dumtaxat perſonam mixtam, pro nulla haberi.* Iunge Auth. ſeq. *Si modò ſubijciatur huic ſcripturæ vel ipſius parentis, vel omnium inter quos ſit partitio, liberorum ſubſcriptio.*

Dixi quatenus ſatis de diuiſione bonorum facta teſtamento à patre inter liberos, ad l. quoties. ſupr. hoc titu *pactum paternum* id vocat Nouella Leonis. *Fraternum autem potius certamen* dixerimus cum Iuſtiniano, Nou. 18. de trien. & ſem. *odia maiora quàm vires*, vt apud Liu. libr. 21. *fortunam cauſarum*, vt apud Symnach. libr. 10. ep. 52. *omnium ſimulationum architecturas* vt apud Apulei. apol. 2. pro ſeipſo. *complicata, catenatáque negotia.* vt apud Ammian. libr. 14. *lentas fori arenas*, vt apud Iuuenal. Sat. vlt. *malè pertinacia incendi ſtudia*, vt apud Prudentium, libr. [illegible], aut etiam, quod apud Gr. Poëtam, [illegible], id eſt, malis gaudentes contentiones. maximam denique humanarum ærumnarum materiam, quæ veriſſima Senecæ Synedoche, lib. 4. de tranquillitate vitæ, ad immenſa familiarum tot vndequaq; excidia. Prudens certè & in hoc Athenienſis politia, qua vetuerat Solon nè quis, ſuperſtitibus, dum moretetur, liberis, teſtamentum de rebus ſuis conderet. Quicquid enim ſubſcriberent liberi, iſta tamen vis eſt, dextráque velut imminente patris illud præſtant: cùm conqueri eis non liceat per Romanam prudentiam, niſi minus habeant legitima, vt oſtendo fuſiùs ad d. l. quoties. Rationem reddit Molinæus ad conſuetud. Aruernam, cap. 12. art. 53. vbi dicitur ſubſtitutionem teſtamentariam, ſeu per modum legati, aut quauis alia ratione facta ſit, non valere: extortus enim videtur, ait ille, præſtitus in his ab hærede cõſenſus, vt qui magis imperio patris teſtantis morem geſſerit, quàm quòd aliàs ſeu ſubſtitutionem, ſeu legatum, conſenſu, chirographóque adiecto deſideria teſtatoris comprobarit: ſubijcitque magnus ille iuris Gallici interpres iudicatum ita pro liberis à Senatu, in claſſe, in qua tunc erat Michaël hoſpitalius qui poſteà Franciæ Cancellarius. Prætermitto ferè quod vulgatum ex eodem ad art. 99. conſuet. Victriac. dum agit de conſenſu præſtito fratri teſtatori, *non liberè*, ait, *ſed metu nè peius faceret.* Quàm egregiè Vlpianus, l. 1. §. quæ onerandæ. ff. quar. rer. actio nõ datur. vbi de liberto qui, nè patronum præcipientem offendat, ac veritus [illegible], (id eſt, imminens, impendénſque grauius aliquod malum) nimia

pattoni reuerentia, se subijcit stipulationi, quameumque, onerandæ eius libertatis causa, patronus voluerit. Quàm verè, etiam Auson. *blando vis latet imperio*. *Rescindantur*, inquit auctor controuers. 3. lib. 9 *quæ per vim, & necessitatem, gesta sunt, si vis, & necessitas à paciscente adhibita est*. perstringo nempe ex his quæ vberiùs, latiúsque tractaui ad titu. quod met. caus. sup. & aliis locis. Vide plura, si lubet, apud Cuiac. lib. 16. cap. 8. obseruatio. Quantum ad indicia, de quibus etiam in textu, dixi latissimè ad l. Dolum. de dolo. & ad l. indicia. de rei vendic. sup.

TIT. XXXVII. COMMVNI DIVIDVNDO.

IMP. ANTONINVS.

L. I.

Si prædium non possit commodè diuidi, aut vniuersum, si licitatione viceris, exoluta socio parte pretij, obtinebis: aut pretij portionem, si meliorem alius conditionem obtulerit, consequeris. Quòd si diuisio prædij, sine cuiusquam iniuria, commodè fieri potuerit, portionem suis finibus tibi adiudicatam possidebis: hoc videlicèt obseruando, vt, post litis contestationem, nec partem suam, cæteris eiusdem rei dominis non consentientibus alienare possit.

Distinguenda hîc prædia ab ædibus. Prædia enim vix est vt commodè diuidi non possint: textus in hoc singularis in l. 88. Caius §. 1. de legat. 2. Titius, ait ibi Vlp. fundum Seianum legauit, quem, quoad viuebat, vno quidem nomine vniuersum habuit, sed quò faciliùs conductorem inueniret, per duas partes locabat, itaut ex qualitate loci, superiorem partē, Seianum superiorē, inferiorem autē partem, Seianum inferiorē appellaret. Respondi vniuersum ex causa fideicommissi præstari oportere. sic ille. Secus verò penè semper est in ædibus, maximè vrbicis. cùm vnusquisque domesticatim latére expetat, caueátque imprimis nè domestica tam multis pateant. Inde optimè Ioan. Faber. ad l. certi iuris. inf. de loc. *inquirendum non est quæ arcana sint ædium, nec quid à priuatis singulis inferatur in ædes proprias*.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

ait Hom. in Odyss. erátque id perpetuò in ore Socrati, vt doceret solam naturalémque agendi quod velis, libertatem esse intra penates domesticos, vt refert Agellius.

Imperator eram domi in patria mea.

ita Plaut. in Pseud. sc. 7. act. 4. φρούριον, ex ea ratione, Gr. scholiastes dixit, domum, id est, tutissimum refugium. nec abs re equidem Etymologicus auctor Οἶκον deducit ἐκ τοῦ εἴκω, ὃ, ὑποχωρῶ, inquit, id est, à secedendo, quòd secessus ille esse soleat, ac debeat singulis arcanus, nemini obnoxius, sanctissimus, omniq; religione munitissimus, vt scribit Cic. pro domo sua. Inde rursus apud Homer. οδ. α.

Μέλλεν μὲν ποτε οἶκος ὅδ' ἀφνειὸς, καὶ ἀμύμων

Ἔμμεναι.

At verò & Xenoph. libr. 7. παιδ. sic optimè, instárque omnium, ad priuatam omnibus quietem, cùm sese suas in ædes receperint, in hæc verba: οὐδὲ ὁποῖόνπερ χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οὐδ' ἥδιον, οὐδ' οἰκειότερόν ἐστιν οὐδὲν ἰδίας. id est, nullum sanctius prædium inter homines, nullum suauius, nihilque quod magis dici debeat nobis esse proprium, ac domesticum. ratum igitur vt, qui suus esse velit, si ita facultates ferant, domum, cuius vnæ fores, vna area, vnaque scala, cum alio, domus eiusdem, pro parte, domino, incolat. pauperum

istud

istud maximè, aut eorum certè quibus nulla alioquin, per rerum suarum angustias, habitatio: eóque sensu accipienda lex 33. vxori. de leg. 3. & lex 4. ff. de vsu & habitatio. In prædiis autem, & agris secus, cùm vacua, apertáque sint loca omnibus, solique culturæ destinata, ac idonea rarissimúmque vt diuidi commodè non possint. Si tamen incommoda interdum diuisio sit, nec minus quàm in ædibus, necessaria eo casu licitatio de qua hæc lex, 1. 2. & 3 qualem sequi mos ad publicam ædium distractionem ex quotidianis rerum experimentis, iudiciisque curiæ. Primum enim, adhibitis peritis opus est, qui in rem præsentem veniant, exploréntque an fieri possit, néc ne, rei controuersæ diuisio, qui si renuntient, fieri non posse, tunc adeundus iudex qui licitandam domum, aut etiã prædium, quod rarò, pronuntiet, quo facto suspenduntur vela regia, (dicimus *pannonceaux*) publicantúrque in auditorio tres auctiones, pretiíve adiectiones, quæ adeò, vnà cum velis regiis, necessariæ, vt, si ea desint solennia, irrita sit prorsus licitatio. Ita enim Senatus, ann. 1599. die 29. Iullii, perorantibus Baussano, & Isac. Arnaldo. nec verò inspiciendum, pro qua parte sit dominus qui licitationem postulat. Nam si commodè diuidi res non possit, dominus partis vel minimæ ædium, potest compellere cæteros, vt licitationi consentiant: hoc iterum Senatus, ann. 1601. die 23. Ianuar. patrocinantibus, Phil. B. Choartio, & I. Montholonio. Imò & placuit, an. 1605. die 14. Martii, proprietarium tertiæ partis ædium, sitarum in via straminea, quæ nulli obligatæ erant, commodè autem diuidi non poterant, frustrà petere detractionem partis illius tertiæ, quominus cùm duabus aliis væniret, quas proprietarii alterius creditores publicauerant auctionique subiecerant. Animaduersum enim est, detracta illa parte tertia, vilissimum fore cæterarum pretium, dolóque agere eum qui detractionem petebat, in eo quòd partem illam emisset, vt exigua pecunia haberet reliquum. Sed, vt nè quid de quæstione ad similes decisiones abeat, nulla alia ratione fiscus solidum vendit, inuito socio, licèt vel minima rei portio ad eũ pertineat, nisi quia tunc faciliùs inueniatur emptor. Idémque propterea licere priuato, adiicit Cuiacius ad l. vn. de venditione rerum fiscalium cum priuatis communium, lib. 10. Cod. vbi & citat appositè locum Plauti, Pœnulo: *Impunissimè tibi quidem Hercle vendere hasce ædes licet. maiorem enim partem minore habitas mea.* quò & fecerit istud Mactobii, *Qui nauem diuidit, perdit.* præferendum autem eo casu socium extraneis, docet lex 3. inf. de comm. rer. alienatio. quam vide. perorabant Goujetius, & Fauerellus. altérque litigatorum vocabatur, Iuuernal. Sciendum verò est, quæcumque fiat licitatio, non propterea auferri hypothecas, cùm cætera decreti auctionalis solennia, qualia constituit edictum anni 1552. non interueniant, nec proinde creditores, qui sigillatim hypothecas suas expromant, aut euulgent potiùs apud iudicem. Licitatio enim fit, ad solam postulationem hæredum qui simul commodè vti re hæreditaria non possint, non autem vrgentibus creditoribus, quorum in eo nihil interest, cùm nihil ipsis decedat. Quinimò, vt propriè venditio non est, nulla etiam debentur laudemia si vni ex hæredibus addicatur quod licitationi subiicitur: licèt tamen aliud sit, si extraneo: de quo vide Molin. ad consuetud. Paris. §. 22. num. 73. atque in Loëtianis postumis, lit. l. nu. 9. dixique iam plura ad l. 25. hæredes §. an ea stipulatio. ff. famil. hercisc. nihil ergo opinor, in hac iuris parte desiderabitur quod ad fori trituram, in qua scio plus satis allegari de more, non l. primam, sed legem 3. Ad officium. inf. hoc tit. vt quæ disertiorem, pleniorémque licitationum nostrarum vsum habeat. sed vt ordinem Imperatorum secutus sum, atque adeò tituli, mutuum hinc illinc supplementum assumetur facilè, nempe ex d. l. 3. ad primam. ex nostra autem annotatione, quicquid ad vtrámque, ex moribus nostris, veráque iuris Romani praxi, obseruatur, cõsulitur, iudicatúrque indies, vbi quippiam incidit quòd eò referri debeat. Verba d. l. 3. quæ Imperatoris Alexandri est, hæc sunt.

Ad officium arbitri, qui inter te, & fratrem tuum, pro diuidendis bonis datus fuerit, ea sola pertinent quæ manent communia tibi, & illi. Nam ea, quorum partem vendidit, cum emptoribus tibi communia sunt: & aduersus singulos arbitrum petere debes, si ab illorum quoque societate discedi placeat. Cùm autem regionibus diuidi com-

inter homines consuetudinem, vt quando terrenorum aliquid partiendum est, (sunt eius verba) maior diuidat, minor eligat. Augustinianum hoc attingit hîc Baldus, sed vt canis è Nilo, quod dicitur, id est, leuissimè, quasiq; fugiens, nec nisi in genere, ac per parenthesim, cùm tamen sanctus ille scriptor bellissimè, & paucis diuisionem illam describat: anteáque D. Ambrosius lib. 1. cap. 3. de Abraham: in hæc verba: *Cuiusmodi esse debet diuisio, patriarcha edocet. firmior diuidat, infirmior eligat, nè habeat quod conqueratur. electionis enim sua partem non poterit calumniari. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi. nec diuisor grauatur. nam quò est prudentior, eò cautior. vt nec diuisione circumscribatur, nec in electione fraudetur.* sic ille. Verùm vt procedatur ad profanæ vetustatis auctores classicos, verba Xenoph. lib. 3. *ἀναβάσεως*, hæc sunt: *Νόμου κελεύοντος διαιρεῖν μὲν τὸν πρεσβύτερον, αἱρεῖσθαι δὲ τὸν νεώτερον*. i. lege iubente, seniorem diuidere quidem, iuniorem verò eligere. quod nec fugit Cuiacium, ingentem scilicet doctioris æui populatorem, ac raptorem, lib. 13. cap. 24. obseruatio. Sic verò & apud Romanos M. Seneca, lib. 6. controuers. 3. Lex, inquit, *Maior frater diuidat patrimonium, minor eligat.* plura eo loco. Apud nos variè istud. modò enim maior diuidit, minórque eligit: modóque sortibus in vrnam, quod & olim, seu in galerum, coniectis res conficitur. Itur autem sæpius ad sortes, nisi aliud statuatur à prouincialibus, vt apud Neustrinos, Andes, Cœnomanos, nostrósque etiam Turones, apud quos memini præscriptum à Senatu ann. 1601. die 23. Maij, inter Iac. Crauantium, nobilissimum, in illis finibus, dynastam, & plures secundogenitos, vt, in diuidundo Iac. Brillaci, Conchyliati equitis, ditionísque Argicæ domini, auito patrimonio, non per sortes agerent, sed maior natu diuideret, eligerent autem secundogeniti. Fraudes tamen in eo frequentissimæ, quarum propterea vt præcidatur occasio quælibet sagacioribus, nè dicam, nequioribus, vel apud iudicem, aut notarium, aut etiam, vt nostra in hac Lutetia, apud curiosorum inquisitorum aliquem, (commissariũ dicimus) conueniunt hæredes: afferunt domestica hæreditatis diuidendæ instrumenta, quæ præcipua sint: quisque iura sua exhibet: auditísque ad plenum singulis, quisquis in hoc aditus est, obseruat, plenissima cognitione, quid cuique, quáque æqualitate partiendum: partésque pro numero hæredum componit: quas & rursum offert omnibus, vt per se videant quid, in hoc vel illud, arbitrentur melius, & æquius: dicimus nos Galli, *faire plusieurs lots.* Posteáque tandem, vbi splendida singuli facere de æquatis hinc inde portionibus arbitria, agitur cõtinuò per sortes, aut, vt hoc adspergam ex patre omnis virtutis, Homero, *βάλλοντες ἐπὶ κλήρους.* chartulæ enim inscriptæ portionum singularum numero, putà primo, secundo, tertio, ac denique quot quot hæredes diuidant, conijciuntur in Galerum, aduocatúrque pauperculus quiuis è via, qui chartas singulas extrahat, prębeátque vnicuique prout inscripta sunt diuisim nomina. his peractis, peracta velut scæna est, neque conquerendi in posterum fit locus nisi de casu sortis quæ fortuitò obtigit. hoc seruamus, hoc sæpe vidimus, rebúsque in propriis præstitimus. Notat Tiraquellus quæst. 60. de iure primigenior. in fine, quod & hîc obseruandum putem: primogenitum nempe, inter nobiles, si aliter commodè diuidi res non possint, præferri in licitatione cæteris suis fratribus, ac sororibus: duósq; nostrates scriptores, moris Gallici peritis, laudat qui istud ante ipsum tradiderint. Verùm, vt nè controuertatur quicquam deinceps à vitilitigatoribus, cauerunt de eo nominatim pleræq; prouinciarum consuetudines, maximè in iis quæ domum gentilitiam, seu castrum, vt loqui mos est, attinent: ratóque accidit, vt, quod apud Quintilianum, declamatio. 336. *cum fratre maiore paciscatur minor, vt agrum communem paternum ille suscipiat, & omni æri alieno satisfaciat.* Cæterùm Cuiacio debetur quòd legatur in textu, *diremptam communionem*, non, *direptam*, vt reperies lib. 13. obs. cap. 35. notandum id putaui, cùm duæ illæ voces summopere inter se differant. Altera societatis solutæ tædium, aut causam aliam quamlibet: altera verò furtum, latrociniúmque arguit.

TIT. XXXVIII. COMMVNIA VTRIVSQVE IVDICII, TAM FAMILIÆ HERCISC. QVAM communi diuidundo.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Diuisionem prædiorum vicem emptionis obtinere placuit.

Iunge omninò l.77.cùm pater.§.hæreditatem.2.de legat. 2 vbi diuisio prædiorum & vocatur permutatio discernens communionem. Ratio autem breuissimæ huius cõstitutionis hæc fuerit,quòd,vt in emptione tacita semper euictionis obligatio inest aduersus venditorem,si emptori interpelletur sua possessio, sique frui ille non possit, l. in vendendo.de contrah. empt.ad quam dixi,ita & in diuisione, si litem damnuúmve, patiatur cohæres in parte,hæreditatis quæ ei sorte obtigit, præstare ipsum indemnem debent cohæredes in quantum ferat hęreditaria cuiúsque hæredis portio.vulgò dicimus, *vn partage garentit l'autre.* id verò ob æqualitatem,quæ inter cohæredes semper & laudatissima,& necessaria.l.vt liberis.de impub.& al.subst. ἴσα τῆς ἴσης. ait Euripides.singulares autem in hoc ipsum textus sunt in l.66.Si cùm venditor.§ vlt.ff.famil.hercisc.l.scimus. Cod.de inoff.testam.l.si fratres.inf. hoc tit.nisi tamen vnusquisque cohæres in se receperit portionis suæ periculum,l.si familiæ.sup.fam.hercisc.ad quam dixi. Optimè Baldus,cùm dissentientes à Glossa,quæ similem esse vult diuisionem permutationi, docet in contrarium distinguendum esse,vt nimirùm sit species permutationis, quando diuiduntur res hæreditariæ,sed non,quando licitationi subijciuntur, de qua suprà ad l.1.& 3. Ansam verò vt arripiunt alij interpretes differendi ad hunc textum, quem in casum accipi debeat ratio similium, dicam paucis, aduerti in eo maxime peccarum Glossæ quòd nullum simile sit idem, vt not ad l.quod nerua. ff. depos. hinc egregiè D. Augustinus in Soliloquiis, *quicquid ad similitudinem alicuius accommodatum est, nec id tamen est cuius simile apparet.* sic ille. ὁμοιούσια igitur longè aliud quàm ὁμοούσια, vt iudicatum iampridem ab vniuersis christianis aduersus sceleratissimum Arrium. Tamen quamuis claudicent de more similitudines,itaut doceat ex eo lex 2. Cod. de conditionib. insert. argumentum per simile, solui per non simile: admiserunt Iurisconsulti, Imperatores, ac Pontifices, vt de similibus simile feratur iudicium. Sic enim in vulg.l.non possunt. ff. de legib. l.leges.1.Cod.eod.illo tit.cap.4.de rescript. collatáque institutio in vnum casum, extenditur ad alium similem.nihil enim refert quid ex æquipollentibus fiat. l.3. inf. de institution.& substit.l.22.mulier § 1.Brasidas Lacedæmonius.ff.ad Trebellian. duæ sunt exceptiones: Prima,nisi aliud de mente vtcumque appareat:vt in l.vlt.d.tit.de institut. & substit.l.ex facto.§.ex facto.ad Trebell.ff.l.res vxoris.de donation.inter vir.& vx.quæ de morte naturali porrecta ad ciuilem.l. Starius Florus.de iu. fisci.quæ & in hoc ipsum. Excipiuntur verò etiam verba, dispositionésque statutorum, legúmque prouincialium: (consuetudines vulgò dicimus) in iis enim ferè numquam admittitur casus interpretans, neque fit extensio ad similia: vt ostendo latiùs ad l.3. §. hæc verba. ff. de negot.gest.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 3.

Maioribus etiam, per fraudem, vel dolum, vel perperam, sine iudi-

cio factis diuisionibus, solet subueniri: quia in bonæ fidei iudicijs, quod inæqualiter factum esse constiterit, in melius reformabitur.

Vulgatissima omnium hîc Glossa, in verb. *perperam.* vt nimirùm reformari semper possit hæreditatis diuisio, si vltra dimidiam alterutet diuidentium deceptus fuerit. Imò & hodie sufficit, si tantilla sit læsio, putà ad quartam, aut, vt loquimur, *du quart au tout.* sicque intelligenda lex, si filia nupta. §. familiæ. ff. famil. hereisc. Amplius aiunt Baldus, & Paulus Castrens. si nimirùm per sortes coniectas, in diuidenda hæreditate, actum sit, & casus infœlicitate, læsio intolerabilis, (verbum Baldi est) alicui cohæredum obtigerit, reformandum enim volunt quod tam inæqualiter successerit. secus, inquit Castrensis, si de modico queratur qui ita diuiserit. sic duo illi interpretes: quorum tantò magis amplectenda opinio, quantò impensiùs vitanda semper inter cohæredes inæqualitas. & sanè non ita diu, cùm de durissima eiusmodi sorte, litem cohæres ad emendandam diuisionem, instituisset, iudicauit hoc ipsum præfectus Parisiensis, nullàque ab eius iudicio appellatione interposita, ad nouæ diuisionis fortunam processum est. plura in hoc dixi, hoc eod. tit. ff.

IDEM AA.

L. 4.

Si patruus tuus ex communibus bonis res comparauit, sibi negotium gerens, non omnium bonorum socius constitutus: res empta ex pecunia communi, non fit propterea communis, & hoc postulare, contra formam iuris est: sed pecunia peti debet.

Agitaui latissimè quæstionem de re empta ex pecunia aliena, ad l. res quæ ex pecunia dotali. ff. de iu. dot. itaut quod subiungi denuò hic possit, ferè non videam. Vnum reperio apud Baldum, Paulum Castr. & Salicetum, in quo omnes illi consentiant: tutorem nempe qui emit fundum suo nomine, non pupilli: sibi ipsi, non autem pupillo emisse, etiamsi cùm emeret, pecunias pupillares penes se haberet: vtrúmque in id Salicetus argumento l. si defunctus. Cod. arbitr. tut. Sed necàn tutore duntaxat, sed in omnibus in vniuersum, qui pecunias alienas, quocumque titulo tractant, ac negotiantur, idem prorsus statuendum docet manifestissimè nostra hæc constitutio. seruarique ita semper vidimus.

IIDEM AA.

L. 5.

De instrumentis quæ communia fratrem vestrum tenere proponitis, rector prouinciæ aditus, apud quem hæc collocari debeant, existimabit.

Componendæ omninò lex, cæteræ. §. vlt. & lex, vlt. de fide instrum. quæ lex vlt. tota Græcè legitur in Basilicis, lib. 22. tit. 1. circa finem. dixi ad l. cætera. Fratrem verò hîc intellige de primogenito, ex vtriúsque legis interpretatione quam hîc subiicio. Seniorem enim iuniori præferendum, & qui amplioris sit honoris inferiori, quique maiore ex parte hæres sit, ambæ statuunt. vixque, per nostros mores, vt & maior pars hæreditatis, & amplior dignitatis prærogatiua non sit ferè semper penes primogenitum. Tamen quia nec vorum semper illud est, sæpéque accidit vt iuniores, seu secundogeniti, longè sint primogenitis præstantiores, recumbátque in eos tota domus dignitas, maximè inter

nobiles, prudentissimè hîc Imperator iudici arbitrandum relinquit, apud quem è fratribus instrumenta domus, vniuersæque adeò hæreditatis, deponenda sint. Si spectemus moratam Galliam, id est, eam regni partem quæ morum, seu, vt vocant, consuetudinum, necessario iure vritur, præfinita sunt quacumque prouinciali lege primigeniorum iura quibus derogari nihil quicquam possit à parentibus, vt ostendo ad l. si adrogator. ff. de adoptio. Si verò Romanam Galliam, id est, cæteram Galliam quæ iure scripto, pro moribus, vtitur, primigenia consequitur quisquis è fratribus gratior, idoneiórque patri videbitur, consignatúrque paterna illa voluntas vel testamento, vel dotalibus tabulis quibus fit liberrima, prout parenti libuerit, hæredis institutio, substitutionúmque, ac fideicommissorum inuidiosa vt plurimùm propagatio. Soli enim ducatus excepti, Marchionatus, Comitatus, Vicecomitatus, & Baroniæ. Imò & in eis ipsis *Maioratum* plurimi facit Hispania, de quo plura apud Ludouicum de Molina, & Didaeum Couarruuiam, ad cap. Raynaldus. de testament. libróque primo variarum resolutionum, cap. 15 De Maioratu illo consulti sunt aduocati Parisienses ab Hispanis, ann. 1615. Tanti denique fiebat quondam ab ethnicis ius illud primigenium, vt non modò instrumenta domestica, sed & sacra ipsa paterna, ἱερὰ τὰ ἴδια, vt apud Demosth. contra Bæotum, seruaret primogenitus. quod & hodie, vbi de ecclesiæ familiaris mobilibus agitur, cùm sit primogenitus verè γονάρχης, præsertim inter nobiles. vidi ita fieri in plurimis.

IIDEM AA.

L. 7.

Si fratres vestri pro indiuiso commune prædium, citra vestram voluntatem obligauerũt, & hoc ad vos secundum pactum diuisionis, nulla pignoris facta mentione, peruenit: euictis partibus quæ ante diuisionem sociorum fuerunt, in quibus obligatio tantùm constitit: ex stipulatu, si intercessit: alioqui, quanti interest, præscriptis verbis contra fratres agere potestis. Nam si fundi scientes obligationem, dominium suscepistis: tantùm euictionis promissionem solennitate verborum, vel pacto promissam seruantes, eos conueniendi facultatem habebitis.

Ad primam partem spectat decisio legis, si consensit ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. ad quam trado ex iure ciuili, & Gallico. Insidiosa autem interim dissimulatio cohæredum qui, insciis vno, aut pluribus, vt in textu, prædium commune obligant, diuisionémque posteà *doctis dolis*, quod ait Plautus, nullâque pignoris facta mentione, peragunt. Itaut nec immeritò teneri eos in id quod deceptorum hæredum interest, Imperatores subiiciant, si euincatur quod in diuisionis sortem cesserit. argum. l. ea quæ commendandi. §. dolus. de contr. empt. l. qui cum tutoribus. §. qui paciscitur. de transf. & l. & eleganter. ff. de dolo. mera enim fraus. ἢ λέχος ἀτίμαστος, dixit Græcus vates. Vide ad d. l. si consensit, cùm eadem vtrobique sit species, decisione tamen in contrarium seruata à nostris ex æquitate quoad hypothecam. Ad alteram verò partem quæ est de eo qui in se recepit rei diuisæ periculum, compone legem, si familiæ. sup. famil. hercisc. l. si sciens. inf. de euictionib. Nemo enim videtur fraudare eos qui sciunt, & consentiunt, apud Vlp. in regul. dolúsque numquam dicitur, nisi astutia, malisque artibus aliquid actum sit, quo sensu accipiendus versus Comicus, Pseud.

Doli non doli sunt, ni astu colas.

IIDEM AA.

L. 10.

Scriptura testamenti, qua specialiter omnia diuisa continentur, quominus res, quarum testator non fecit mentionem hæredes inquirere possint, nihil impedit.

Bellissimè huc fecerint Horatiani versus,
Exilis domus est, vbi non & multa superſunt,
Et dominum fallunt, & proſunt furibus.

Facta nimirùm etiam prudentissimos fallunt, inquit lex 2. ff. de iu. & fa. ignor. maximéque vbi diffusum per plures regiones, prouinciasque patrimonium, vt in l. ex facto. ff. de hær. instit. vel cùm negotiosus admodum fuit testator, variisque in locis exteris commercia habuit, vt qui olim, permissu Imperatorum, negotiabatur apud Nisibim, Callinicum, & Artaxatam, de quibus in l. 4. inf. de commerc. hodiéque nostri passim apud Italos, confinésque cæteros populos: quinimò in finibus Constantinopolitanis, coisque aliis partibus, per inita cum portento Asiæ fœdera. Ita denique in omnibus
Qui mutant merces ſurgente à ſole, ad eum, quò
Veſpertina tepet regio.
——— neque enim feruidu.
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Borea finitimum latus.
Durataque ſolo niues
Mercatorem abigunt.

Scribit Io. Faber ad finem tituli, de obligation. ex consensu, in institution. quod & in hunc diem audio de iis qui è remotioribus magnæ Britanniæ insulis merces Alethum, seu, vt vocari mos est, Maclouium, (quod oppidum in Armoricis) merces mari aduehunt. Mercatores, inquit Faber, afferebant à partibus Orientis piper quod ab illis emerant qui non intelligebantur, nec intelligebant, sed nutibus ipsis vendebant, vel permutabant, si non haberent interpretem. sic ille. Paucula autem hæc ex implicitis mercatorum rationibus. si quis enim vnquam errandi in explorãdis patrimonij viribus locus, contingit maximè, vbi de re commerciorum agitur. quanquam & in cæteris obliuisci possit quiuis testator hæreditatis suæ, quam diuidit, partem non mediocrem, maximéq; si diuisionem istam faciat paulò antequam moriatur. *Tunc enim humana fragilitas mortis præcipuè cogitatione perturbata, minus memoria potest res plures consequi*, inquit Iustinianus in l. 8 hac consultissima. §. At cùm humana fragilitas. Cod. qui testam. fac. poss. quæ verba perpendit Molinæus consil. 33. aduersus occasiones falsi fabricandi in testamentis. Accedat quod suprà adieci ad l. quoties. fam. hercisc. ex Platone lib. 11. de legib. de delirio quod incidit sæpissimè in cuiusuis vel prudentissimi animum, cùm sese in confinio horæ vltimæ, cogitat, nè dicam, vt apud Comicum, *in peculio proserpina*. Laudanda inde apprimè Borboniensis legis, prudentia, quæ quadraginta diebus anteire vult testamentum mortem testantis: laudandi & Neustrini qui & tres menses in hoc ipsum statuunt, si donatur aliquid testamento, vt fusius, ad d. l. quoties, in hoc ipsum disserui, cum & ibi agatur etiam de diuidente testatore hæreditatem suam inter liberos. Iure igitur Paulus Castrens. ad nostrum hunc textum, cùm ait verbis testatoris enuntiatiuis nec stari, nec credi, si appareat contrarium.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 11.

Possessionum diuisiones ita fieri oportet, vt integra apud successorem

vnumquemque seruorum vel colonorum adscriptitiæ conditionis, seu inquilinorum proximorum agnatio, vel affinitas permaneat. Quis enim ferat liberos à parentibus, à fratribus sorores, à viris coniuges segregari? &c.

Dubitandi ratio fuit, quòd cùm seruis, vt instrumentis rusticis, vterentur, ad agros colendos, Romani veteres, permutata esset seruorum pars fundo vni arando, poliendo, custodiendóque addicta, translatáque in alterum, ex quo & pars quædam vice versa, in agrum alterum, de quo suprà, relata fuerat, forsan quia hi seniores, & ad fundum excolendum infirmiores, illi verò robustiores: itaut, nè esset in instrumentis istis inæqualitas, permiscendi hinc inde, permutandique viderentur agricolæ, seu serui rustici: atque id qua prorsus ratione, & more, imponimus hodie equos, boues, pecoráque necessaria aratris, reíque rusticæ. Vt enim in diuisionibus compensationes fiunt, supplementáq; mutua, nè portio portioni prævaleat, segregatæ erant, disiunctæ, transformatæque, vt alicubi loquitur Vlpianus, seruorum familiæ. Constantinus igitur ad has seruiles, iustissimásque querelas, prætulit honestum vtili, id est, ius naturale cognationum vili lucro cohæredum, qui, despecta conditione humanæ sortis, infœlices istas animas, tanquam armenta, prout alij aliis essent debiliores, aut iuniores, ac lacertosiores diuiserant. Atque vt notant indistinctè, quasique obiter ex hoc textu interpretes, officium esse iudicis in diuisione, familias non separare, siq̃ue sint separatæ, vt primæ formę restituat, seu, vt barbatè loquuntur, reüniat: dixerim primo loco produci istud posse in argumentum, ad nostros hodie, tamersi liberæ nobiscum conditionis, colonos: nè scilicet permutentur veteres à famil. hercisc. arbitris, aut etiam à cohæredibus ipsis diuidentibus inter se fundos paternos. Plura autem longè & hic ad rerum quottidianarum argumẽta: Primum est de rusticanis familiis, in quibus multa simul connubia, multi mariti, vxores, partes, matres, liberi, ad faciliorem, pleniorem, fructuosiorémque agriculturam: de quibus locus singularis apud iurisconsultos, in l. quæsitum. §. sed an instrumenti. totáque l. quæ longissima est, de instructo. ff. Imò & frequentissimus ille mos variis in regionibus nostræ Galliæ, Aruern. Borboniens. Niuernens. Bituricens. Marchiens. Pict. vt constat, inter cętera, ex consuetud. Niuernensi, cap. de societatibus, artic. 5. ex consuet. Borbon. art. 268. atque ex cõsuet. Bituric. cap. de matrimoniis, & dotaliriis, & societatibus, artic. 22. Accurata satis annotatione morem explanàuimus, ad l. Irẽ & magistri societatum. d pact. ff & ad l. actione. §. vl. ff. pro soc. Vt autẽ se habet nũc res Gallica, obseruabitur etiã hic, in transcursu, duas esse ingentes causas cur apprimè protegi, defendique familiæ illæ debeant, atque vt nè euertantur, segregentúrve in varia hinc inde capita. Prima est, ob agriculturam, vt quæ fiat commodissimè, ac vbertimè à pluribus ex vno lare, ac foco prodeuntibus in dies, & horas, ad colendos agros, agricolis. Secunda est, ob ingentia tributa quæ pendunt in annos. Principi. noui ego vnam apud Bituriges, circa Issiodunum, quæ quingentas libras, & amplius, conferr tributo annuo. plures eiusmodi sunt apud Aruern. Borbonios, Lemou. Niuernenses, at verò Matisconenses: apud quos & vnam maximè reperio quæ qđadringentorum annorum est, pagúmque hodie constituit: quamdam enim velut imaginem paruarum rerumpubl. referunt: habent familiarem rectorem, veréque columelam, id est, rusticum domus columen, ac œconomum, magis quàm dominum, qui agriculturæ vniuersæ, patrimonióque agresti prospicit, vt singula per dies, menses, & annos, laudabili, vtilique dispensatione, cura, atque industria, commeent: negotiatur solus, fructúsque pro temporibus, & locis distrahit, dum cæteri aratris incumbunt, animalia, fœturásque domi, forisque procurant: dum lanas trahunt fœminæ: dum lac, caseos, butyráque conficiunt, & prolem *paruósque*, ferè dixerim, *Quirites*, vt Latinus vates de apum regno, instituunt. veniam peto, si videar in re tenui paulò longior. Aperiendum fuit exteris quantum & in ista agriculturæ laude antecellat nostra Gallia. De agricolis ergo hactenus. Obseruabitur deinde nostra constitutio, vt argumento illius reficiantur semper, quà fieri possit, auersorum coniugum amicitiæ, componantúrque diuortia. Deam in istis *viriplacam* eiúsque sacellum, memorant veteres, Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Arnobius, Plutarch. & alij.

Fælices ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimoniis
Suprema citiùs soluet amor die.

apud Horat. lib. 1. od. 13.

Τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον, ἁμαρτεῖν πιστῆς ἀλόχου;

Euripid. in Alceſtide, id eſt,

Quod viro malum maius, priuari fida vxore.

Idem rurſus in Andromacha, de vxore quæ ſegregatur à marito:

Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα δεύτερ' ἂν πάσχοι γυνή,
Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσα, ἁμαρτάνει βίου.

I. *Alia cætera pati poßit mulier.*
Priuata autem viro, priuatur vita.

Fecerit verò etiam maximè noſtra conſtitutio, ad conciliandos patris, matriſve, ac liberorum animos. Egregiè in hoc ipſum Gregor. Nazianzenus, tractatu poëtico ad vitalinum, filiorum ipſius nomine. Plautus, Captiu.

Nil pretio parsit, filio dum parceret,
Reconciliare vt poſſet facilius domum.

D. Auguſtinus, fragmento 2. in fragmentis, tomo 10. in fi. *Nihil tam caninum, quàm cùm illi qui genuerunt, non agnoſcunt. Meritò ergo & catuli canum cæci naſcuntur.*
Statius lib. 10. Thebaid.

—— Si pudor eſt, primùm miſerere tuorum,
Hæc pietas, hic verus honos.

Deſinam in Cicerone, cuius hæc etiam, lib. 6. ad Attic. vbi de ſorore filij Quinti Ciceronis reconciliata patri: *Cicero Q. Filius piè ſanè, me quidem certè multùm hortante, ſed currentem animum patris ſui ſorori ſuæ reconciliauit.* ſic ille. Præclara denique noſtri huius Conſtantiniani reſcripti admonitio, vt perpetua ſit, quacumque ratione, & modo, fratrum concordia. *Quis enim amicior quàm frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, ſi tuis hoſtis fueris?* ait Salluſt. in Iugurta. *Geryonem non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuiſſe ferunt, ſed tres fratres tanta concordia extitiſſe, vt vno animo omnes regi viderentur.* Ita Iuſtinus lib. vlt. Sapientiſſimus verò Principum, Prouerb. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Tanti fraternam amicitiam faciunt Fabius, declam. 321. & Ælianus lib. 2. de varia. hiſtor. vbi de duorum fratrum reconciliatione agitur, vt ſcribant, neſcire homines, quantum boni habeat fraternitas, quibus numquam diſſidére contigit. Pauca hæc ex immenſo. Vnum tandem ſuccurrit quod nec minus etiam ad mera hodie tranſlationum monaſticarum ludibria referendum putem: transferentibus nimirùm fiduciariis, vel, vt vocant, harpiis commendatariis, maláque ſuperiorum prçlatorum ope, vt ſcimus, & vidimus, ſenes monachos in alia quædam monaſteria ex eo in quo votum e niſerint, & conſenuerint, ſegregantibúſque ita patres verè ſacros à patribus, fratréſq; à fratribus in hoc vnum, vt ſcilicet tantò pinguior ſit culina prędonis iſtius Palliati, qui, cõmendatarij abbatis nomine, populatur, abliguritq; bona pauperum, i. vt redituus annuus eò fiat auctior, & maior, viuatúrq; lautiùs. hæ ſunt fracti depoſitiq; omninò ſeculi infames notæ, querelæq́ue inanes ad excocta vitia. Chartis verò vt vnus è multis, illino, mirórque intereà ſecuritatem Bartoli, Baldi, ac cæterorum, qui, ad pulcherrimi iſtius reſcripti illicium, nihil prorſus ferè præter indicem, ſeu ſummarium, vt vocant. Notandum, inquit, Baldus, ex hac l. non debere fieri ſeparationem coniunctorum. nihil ille amplius.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Jllud æquitatis fouere rationibus, bene nobis apparuit. Si quis etenim

pro filio suo ante nuptias donationem conscripserit, vel dederit, vel pro filia dotem: & hoc quod dedit, iterum ad eum reuertatur, vel stipulatione, vel lege hoc faciente: vel & si alio dotem, vel ante nuptias donationem dante, stipulationis paternæ tenor, vel fortè legis hoc induxerit: ille autem testamento condito vel filios suos, vel extraneos scripserit hæredes, & nil de huiusmodi rebus quæ ad eum reuersa sunt, vel peruenerunt, disposuerit, inueniantur autem alij liberi eius res à paterna substantia lucrati, vel per ante nuptias donationem, vel dotes, vel militiæ causa, quas (vt pote testamento existente) non coguntur conferre: tunc filius, vel filia easdem res, quæ ad patrem reuersa sunt, vel peruenerunt, habeant præcipuas, ad simile tamen lucrum computandas: vt in præsenti casu tantùm habeat ipse, vel ipsa, quintum eius fratres à patre sunt consecuti, secundum eos modos quos suprà diximus, & quos conferre propter testamentum non coarctantur, &c. Ea igitur quæ in paterna persona diximus, obtinere volumus etiam in auo, & proauo, paterno, vel materno, & in matre, & in auia, & proauia paterna, vel materna.

Tota hæc eò collimat, vt nè vlla sit inter liberos inæqualitas: docet etiam eam esse reuersionum naturam, vt quod ad patrem, aliúmve donatorẽ reuertitur, fingatur semper penes eum fuisse: deinde verò semper inspiciendum esse cuius contemplatione aliquid factum sit. Textus longissimus, implicitáque hypothesis, & implicitæ quæstiones. Sic autem clarissimè Salicetus præ omnibus: quando fratres sunt instituti, & lucra æqualia hinc inde, filia cui dos à patre data est, vel filius, cui donatio ante nuptias facta, dotem, vel donationem, quæ ad patrem ex stipulatu reuersa est, putà, soluto per diuortium matrimonio, retinere debent, in diuidenda hæreditate paterna, quicquid ex dote, vel donatione acceperint, cum in anticipationem successionis, datum videatur, & tantumdem vnusquisque liberorum habeat, nisi tamen pater testamento aliud cauerit: temperatúrque propterea in eo dumtaxat, non autem corrigitur lex hæc Authentica, quæ tertiæ portionis. inf. de collationibus. Secus verò est extranei sint cum liberis instituti. Tunc enim quod reuersum est, spectat, iure præcipui, vel ad filiam, si de dote agatur, vel ad filium, si de donatione propter nuptias. Ita nempe sententiam Saliceti meis verbis redigo, cùm necessarium id fuerit, ceu à limine, quasique ἐν προθυρίοις, vt habeatur paucis quod ex nouo hoc æquitatis iure Imperator statuit. Vt autem redeamus, pro instituti ratione, ad ius Gallicum, seruatur vsque adeò æqualitas, inter liberos, maximè si plebeij sint qui ad hæreditatem paternam, aut maternam cõueniunt, vt conferri necessariò debeat quicquid à patre, aut matre vnusquisque acceperit. Imò tam durus mos apud Turones, Andes, & Cœnomanos, vt etiamsi renuntiet filia successioni paternæ, ac maternæ, seséque dote contentam dicat, frustrà id tamen. conferre enim nihilominus cogenda est, vt ostendo latissimè ad l. Pomponius Philadelphus. ff. famil. hercisc. Taceo de Romana Gallia, vt quæ ius Romanũ in mores produxerit. Succedit verò breuiuscula reuersionum explicatio, quatenus frequentiores de his sint inter nos lites, & quotidiana ferè iudicia. Si enim soluitur matrimonium morte filiæ, sine liberis: tunc dos data à patre, ad ipsum reuertitur, antiquata, ex æquitatis ratione, vetere regula qua proprium numquam recurrere, *pronúmve vt riuum relabi*, dicitur: Idiotismus noster est *le propre ne remonte point*. specialíque in hoc ipsum capite opus fuit, dum emendata est consuetudo Parisiensis anno 1580. cum ex antiquissimo iure Galliæ ita haberetur rit. de successionibus, art. 312. *En succession en ligne directe, propre heritage ne remonte. & ny succedent les pere, mere, ayeul, ou ayeule*: adiectum est sequenti capite, 313. nouóque deinceps iure, in hæc verba. *Toutefois succedent és choses par eux données à leurs enfans, decedants sans en-*

fans, & descendans d'eux. Latissimè totum istud differui, ac explicui, ad l.6. Iure succursum.ff.de iu.dot.& quàm summo iure in eo actum olim fuisset cum illustr. Principe Senatus, Egid. Magistro, ad moram inter eum, & generum, litem acerrimam, vtrùm ad patrem reuerti deberet dos ab ipso data filiæ, defunctæ quidem, superstite infantulo, sed qui paulò pòst decesserat. Si deinde feudale quippiam, quod censuali, seu paganico iure tenetur, acquirat feudalis patronus: tunc proculdubio, iure reuersionis, feudo res illa restituitur, fitque postmodum feudale, nisi contraria fit in hoc ipsum patroni comparantis declaratio. artic. 53. eiusdem consuetud. Paris. Ratio fuerit ex l. si vnus. §. quod in specie. de pact. ff. dixique fusè satis ad d. §. Si denique reuertatur ad ecclesiam decima quæ olim illius fuerit: trado ad d. §. quod in specie, quæ fiat de more, forensi, distinctio, vtrùm censeri debeat ecclesiastica, vt prius, nec verò feudalis: vt nimirùm decimæ etiam concessæ in feudum, si reuersæ fuerint ad ecclesiam cum onere feudi, maneant in perpetuum feudales: itaut non iudicem ecclesiasticum, sed laicum cognoscere de iis oporteat, quicquid Chopinus scripferit lib. 3. tit. 23. de dominio: ex cap. prohibemus. de decim. Ita enim ordo amplissimus, probatáque magis, opinio Molinæi ad consuetud. Paris. §. 46. atque Argentræi ad consuet. armoric. art. 266. titu. *des appropriances*. plura, Deo dante, sique publico satisfieri in partem videro, persequar, ad l. 2. Constitutionis nouæ capitulum. inf. de bon. quæ liber. sedes enim ibi materiæ est. plurimásque eò, de reuersionum iure, quæstiones reieci.

TIT. XXXIX. FINIVM REGVNDORVM.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. I.

Regionem certam fundi proprij, finibus eius mutatis, dominus eius distrahere, aut residuum retinere non prohibetur. Nec amplius emptor quàm quod ratione, secundum venditionis fidem, ad se peruenit, vendicare potest, prætextu terminorum temporis antecedentis venditionem.

Docet Cuiacius lib. 13. cap. 35. obseru. legendum esse, *fundi proprij*, non *fundi proprijs finibus*. Item, *traditione*, non, *ratione*, vt passim in lib. vulg. quas etiam lectiones rectiores esse nemo non viderit. Nimia autem emptoris istius temeritas qui amplius optet, perátque quàm ferat inita inter eum & venditorem conuentio. eò spectat quod in hypothesi legis, Rutilia polla. de contr. empt. ff. constituti enim sunt fines adeò certi, & rati, vt, lectu instrumẽto venditionis, dubitare, si pudor. Tradit Baldus exemplum in concessione castri quæ à Rom. Pontifice facta sit, designatis hinc inde finibus, qui tamen sint maiores, aut minores antiquis. possunt enim, inquit, eo casu, mutari fines territoriorum, prout concedenti, cuius vniuersa iurisdictio est, lubuerit. Quæsitum est de finibus parœciarum, vtrùm mutari, arctari, ampliarive possint ab episcopo, aut etiam à Rom. Pontifice, & an admittatur in ipsis præscriptio: mutari autem non posse, aut præscribi si distincti olim semel fuerint, decidit glo. ad cap. quia indicante. de præscript. eóque sensu accipiẽdum vult illud capitulum, atque cap. super eo. de paroch. Imò & dixerim referri eò maximè quod habet sacra prudentiæ regiæ pagina in prouerb. Terminos nempe quos patres posuerint, transgrediendos, mouendósque non esse. Cæterùm notandum est in genere, capitulum, 13. Cùm causam. ext. de probation. ad fines diœcesean, vt qui probari consueuerint per libros antiquos, per testes, per famam, & quæcumque alia adminicula. longè plurima de his congessi ad eund. tit. ff.

epist. 26. ad Pammachium: *fœlices artes, si de illis soli artifices iudicarent, &c. manu facta, & oculis patentia magis probant*, sic Hieronymus. Vt autem in forum, ex anticipata illa peritorum fiducia, redeam. Regula est, vt si de iure prædiatorio agatur, acciri debeant prædiatores, seu agrimensores, vt fert hîc textus, totúsque tit. si mensor fals. mod. dix. ff. putà ad fines regendos, ponendósque agris limites, eò enim redigitur totus hîc titulus, finium regund. & cap. quia iudicante. de præscription. lib. 2. decretal. ostendo morem quotidianum ad l. ex hoc iure. de iust. & iu. At verò & ad agricolas ipsos remittitur aliquando negotium in rebus quarum sint periti, §. quod autem. Auth. de nō alien. aut permut. reb. eccles. Si deinde quæratur an partus, de cuius successione agitur, esset vitalis, cùm editus est, consuluntur, aduocantúrque medici, ac chirurgi, vulg. l. septimo mense. de statu hom. ff. ad quam dixi. vixque est vt recedant à peritorum sententia iudices. factum id, inter cætera, memini, ann. 1584. ad acerrimam litem, in qua defendebat Io. Reberterius, Lochiensis, superstitem fuisse partum matri, vxori suæ, quæ in puerperio obierat, suáque proinde esse mobilia, vt in quibus succederet filio. prolata fuerāt in lite & dicta testium, & medicorum simul, chirurgorúmque prouincialium iudicia: censuerunt tamen quintæ classis inquisitionum Senatores, in quem deuoluta erat lis, audiendos etiam Parisienses medicos, vt quorum maior longè peritia, & doctrina, latúmque est, ex vltimo eorum elogio, Senatusconsultum, interprete litis Dom. Varo, tunc Senatore laudatissimo, hodiéque annuli Gallici custode celeberrimo. scripseram pro Reberterio. Si ambigatur prætereà de grauiditate, aut virginitate, audiuntur obstetrices, cap. proposuisti. de probation. & l. 1. de vent. inspic. de his etiam dixi ad l. 8. Itē si obstetrix. ff. ad l. Aquil. Si quæratur an sit lethale vulnus, nécne, siqué obseruanda sit alia quæuis morbi species, creditur medicis, & chirurgis, cap. significasti. 2. de homicid. l. 6. semel, cum glo. de re milit. inf. lib. 12. Si facienda sit cōparatio literarum, committūtur inter se notarij, tabelliones, & scribæ, l. comparationes. inf. de fid. instr. Si interpretanda sit lingua exotica, itur ad interpretem, l. 1. §. vlt. in extremo fin. de verb. obl. Si inquirendum in doctrinam discipuli, testimoniales (literas licentiæ dicimus) fidem faciunt, l. nemini. sup. de aduoc. diuers. iudic. can. 1. & ibi glo. 12. q. 1. in quo res equidem antecessoribus licentiosior, & qui in plurimis ridicula eorum facit testimonia, vendentium scilicèt periuria non ignaris modò, quasique bubulcis, sed etiam, quod grauius, incognitis, ac numquam visis, & qui nec vnquam in academias profecti sint. dignū istud censura Senatus. Sed vt ad peritos vulgares, id est, artifices, opificésque redeam, de quibus maximè in hoc textu, iurant hi renuntiaturos sese quod ex præscriptis artis suæ regulis existimauerint optimum, ac verissimum; inuectúsque primùm ille mos ex cap. fraternitatis. in fin. & ibi glo. vlt. cap. tuis. cap. licet ex quadam. §. testes. de testib. cap. etsi Christus. in fi. de iureiur. Duos autem opifices sufficere, docet §. quod autem. auth. de non alienand. reb. eccl. Imò & vnum aliquando sufficere, admittíque posse, adijcit, si vnum dumtaxat habeat ciuitas, d. § quod autem. sed non seruatmus. Duobus enim, ad minus, semper opus est. Et cùm eligi soleant periti à litigatoribus, vel à iudice, primóq; ex remodicio, (defectum dicimus) si dissentiant litigatores, vt notaui suprà, doctrináque illa est Panormitani, & Decij ad d. cap. proposuisti: nulla tamen necessitas incumbit iudici, vt admittat electos, d. l. 1. §. notandum est. de vent. inspic. cap. fin. de frig. & malefic. l. 3. si duobus § idem Pomponius. si mensor fals. mod. dix. ff. & hac nostra l. 3. in quo etiā notandum istud, frustrariam videlicet fore renuntiationem, quæcumque illa sit, nisi admissa, probatáque fuerit à iudice: ita enim de more ordo amplissimus: aiunt practici, *si le rapport n'est enteriné.* Deinde verò quamuis sint non vt testes, sed vt iudices, & arbitri, inquiunt Bartolus ad l. 2. de rescind. vend. inf. & Molinæus ad l. 1. §. eadē. de verb. oblig. qui hoc resoluit contra Alciatum. potest nihilominus iudex ex causa iusta statuere, vt alij aduocentur qui noua, secundáque inspectione obseruent rem litigiosam, d. §. idem Pomponius. d. l. 3. si mens. fal. mod. dix. ff. vnde videtur acceptus artic. 184. consuet. Paris. vbi & adnotare succurrit, certissimum olim ideò fuisse apud Ægyptios quod de sua cuiúsque peritia referebant artifices, quia scilicet exercerent, continua serie, filij, ac nepotes artes paternas. Notat Isocrates laudatissimum hoc, in Busiride. Indéque vetabat Plato, lib. 8. de legibus, nè vnus, idémque opifex, putà lignarius, aut ærarius, duas simul artes profiteretur. misera enim ad vtrumque imperitia. Plura denique de peritis prætereo, quia minùs ad forum. Alio enim spectat quod scribit Aristoteles, lib. 1. cap. 1,

de natura animal.& cùm dixit Tullius, experientiam rerum magistram: ipséque Demosthenes in prœmiis: Νῦν δ' ἔχῃ ὀφείλετε ὁμοίως, ἢ μᾶλλον τούτων, Αἱ γὰρ ἐμπειρίαι, τὸ πολλ' ἑωρακέναι, τοῦτ' ἐμποιοῦσι. id est, *sapere debetis similiter, magisque quàm hi. experientiæ enim, & multa vidisse, hoc ingenerant*: idoneus tamen hîc locus, vt pauca quædam apud eos explicem qui sibi ita indulgent in eo quod nesciant, vt & capitale ingeniū, ad forenses controuersias, citràq; vllā iuris scientiā, sufficere prædicent audacter, supercilioso, fastidiosè: quin vidi prouincialē formulariū, sciolū, qui audaculè, quadámq; sui fiducia, istud diceret: cùm tamē experiētissimus ille Io. Faber, ad §. sed non. de legatis. in institutiō. loquatur in hæc verba: *quod appellamus praxim, ait, non est nuda, & circumforanea praxis, cuiusmodi est procuratorū forensium, sed est, iuris scientiam applicare negotijs.* Cic. lib. 2. de oratore: *Quod tandem os est illius patroni, qui ad causas, sine vlla iuris scientia, audet accedere?* Sic ille. persequitur fusiùs hoc ipsum Molinæus in extricatione labyrinthi, duobus locis, & ad consuetud. Parisf. § 1. glo. 3. num. 4. eóque sensu accipiendus versus Martialis,

Iure madens, varióque fori limatus in vsu.

quem sæpissimè à Iac. Choartio, patrono, senéque eruditissimo, inaudiui. Nunquid ad quæstiones iuris quæ occurrunt iudices, & de quibus respondendum sella posita, habent illi à natura, solísque fori tritutis, quod melius, sanius, prudentiúsve Papiniano, Aphricano, Paulo, Vlpiano, Scæuoláque respondeant, immò quod accedat ad eorum sagacitatem, peritiam, iudicium? Iuris denique peritia adeò rebus forensibus necessaria est, vt in hoc solum compositos à se Pandectas, & Codicem, dicat Iustinianus, l. 1. de vet. iu. enucl. nè videlicet vsu solo forensi, naturalique dumtaxat, quo nimirùm se beāt, κατ' ἰδίας, ἢ ἔθος, ignari, ac semidocti, iudicio, dirimerentur posteà lites à iudicibus, sed rationibus, decisionibus, atque regulis, quas de iure Romano traherent, & quotidiana, iugíque opera acciperent, atque ita, (quod dixit Vegetius, de annoso milite, lib. 3. in pr.) *remedia difficultatum experimentis discerent.* Et sanè maiestate ex illa populi Romani nihil permeauit ad nos elegantius, limatius, sagacius, æquius, diuinius, vt in præfatione lucubrationum istarum forensium, longiorique sermone, ad d. l. 2. ostendo. frustra autem tantæ prudentiæ vsum renouasset in oriente Imperator Lotharius circa annum millesimum centesimū, cùm barbaræ vbiq; leges regnarent per laceratum imperium, si solo naturali iudicio, soláque rerum quotidianarum peritia, didicisset, vidissétque Princeps ille solertissimus edoctus à præstantiss. inter cæteros, Irnerio, perpendi, dirimi, diiudicarique posse humana negotia. Atque vt explicem rursus quò feratur meus hîc labor: trado Romanam iurisprudentiam ex textu, & interpretibus: applicóque etiam, (nec vt vanus atestographus) placita præsertim eminentissimæ, omni commendationum titulo, nostræ curiæ: vt, seu iudices meminerim, seu patronos: sagacissimos illos, æquissimos, legúmque Romanarum scientissimos: hos verò vigilantissimos, egregiáque iuris, ac literarum laude celeberrimos, quæ vetus patronorum fori Parisiensis fama est) accipiat, amet, miretúrque orbis, quàm latè ista excurrant, longissimus.

IIDEM A.

L. 4.

Si constiterit. Qui irreptor agrorum fuerit in lite superatus, tantum agri modum, quantum adimere tentauit, amittat.

Eò & faciunt verba legis, 7. si quis in tantam furoris peruenerit audaciam. inf. vnde vi. *Sin verò*, aiunt ibi Imperatores, *alienarum rerum possessionem inuasit: non solùm eam possidentibus reddat, verumetiam æstimationem earumdem rerum reddere compellatur.* Vide Frontinum lib. de limitibus agrorum, vbi nostram hāc l. 4. exscribit, vt scilicet in peruasorem reddatur actio in duplum. Verba Molinæi ad Alexandrum, lib. 1. consil. 76. *Iustè*, inquit, *puniuntur in hoc regno, qui priuata auctoritate, etiam ad recuperandum ius suum, turbas & violentias faciunt.* Will. tamen Benedicti, Senator Tolosanus, ad cap. Raynutius. in verb. si absque liberis moreretur. 8. num. 148. tradit ex Speculatore, pœnam d. legis, si quis in

rantam. Huiúsque legis 4. at verò & legis, meminerint. inf. vnde vi. & legis, non est dubium. Cod. de legat. non esse in vsu in hoc regno, cum pœnæ, inquit, sint molliendę. Addit, se numquam obseruasse in ptaxi pœnam dictarum legum, quantum ad iuris priuationem: sed violentos inuasores mulctari pœna tantùm arbitraria, applicanda fisco, & partim pro modo excessus. Quæ consuetudo, ait, est foro conscientiæ consentanea. *In Francia autem multum viuitur secundum conscientiam, præsertim in curia Parlamenti, in qua, vt in consistorio Principis, iudicatur secundum conscientiam, & ex eo quod videtur æquius, ac melius*, sic Bened. hoc & ipsum Rebufus, quasi; verbis exscriptis, ad proœmium constitutionum. glo. 5. num. 76. Succurrit in hoc valdè opportunè quod scribunt Gregorius Nissenus, in sermone quo Christianos vitæ Christianæ admonet, & D. Dionysius, libro, de ecclesiastica Hierarchia, Christum, scilicet non vi, & potentia, vicisse Diabolum, sed iudicio & iustitia. Finem denique ad finales istas quæstiones, faciam ex verbis Iosephi, lib. 4. cap. vlt. Antiquit. Iudaic. Dum enim verat moueri terminos, subijcit, factam de ipsis conuentionem, ratam, fixámque in perpetuum manere oportere, quasi aliquod Dei iudicium.

IMPP. VALENT. THEOD. ET ARCADIVS.

L. 5.

Quinque pedum præscriptione summota, finalis iurgij, vel locorum libera peragatur intentio.

Reuera Triboniani agnoscenda hîc manus. Cùm enim Imperatoria hæc constitutio exscripta sit ex Codice Theodos. hoc eod. tit. l. 4. textus integer iste est: *Quinque pedum præscriptione summota, finalis iurgij, vel locorum libera peragatur intentio. sola sit igitur huiusmodi legibus vna præscriptio, quæ improbi petitoris refrænare possit inuidiam, si veteribus finem cum signis limes inclusus congruum erudita arte præstiterit. Nec verò prolixioris temporu in huiusmodi locum habebit vlla præscriptio, cùm diuturno otio alienum reus quisque afferat se diligentiùs coluisse, quando omne huiusmodi iurgium solo præcipimus iure discingi, quo artis huius peritis omnia commisimus sub fideli arbitratione iudicium.* Hactenus textus Theodosianus: ex quo ferè ausim dicere, non absurdam adeò veterum interpretum sententiam, vt putauit primùm Alciatus, posteáque plurimi. Tota enim hac l. inspecta, qualis apud Codicem Theod. legitur, prohibent perspicuè Imperatores, ne excipiatur deinceps, de modico, id est, vt ne quis obiiciat, tantùm agi de quinque pedum spatio, nec adhibendos proinde agrimensores, qui in rem præsentem veniant, apparatúque solenni, quinque pedum, in agro meriendo, quæstionem dirimant. præscriptionem enim hanc, id est, exceptionem, summouet ista constitutio, vt improbi petitoris refrænetur inuidia, ait textus Theodosianus: cùm antea, si de solo quinque pedum interstitio foret controuersia, denegaretur finium regundorum actio, seu intentio, vt lex loquitur. Quid autem, quæso, aliud Baldus, Paul. Castrens. Salicetus, & Io. Faber? (taceo Bartolum, vt qui nihil planè ad hanc legem) docent enim, etiam pro modica possessi›ne, & pro vili cæspite terræ, reddi finium regundorum iudicium. olim verò, inquit Faber, non agebatur, si esset duntaxat de quinque pedibus quæstio. Ita igitur veteres, qui proinde, vt dixi suprà, non tam aberrant à mente textus, qualem ex Codice Theodosiano ostendo, cum ex scripta sit à Triboniano particula. Superest iam vt aperiatur paucis, quam in partem admirartur ex vsu nouus Alciati intellectus, quem attulit ex Cicerone lib. 1. de legibus, vbi de legibus 12. tabul. & lege Mamilia. Cauebatur enim duodecim tabulis (quod & Frontinus norat libro, de limitibus agrorum) vt relinqueretur spatium quinque pedum inter vicinos agros, vt posser iri commodiùs: quod spatium nulla præscriptione auferri poterat, scribit eo loco Tullius. Nicol. Valla, Senator Parif. tractatu 8. de rebus dubiis, dum celebertimam hanc scholæ disputationem agitat, argumenta assumit primùm ex interdicto de arboribus cædendis, si arbor ex agro tuo in meum impendeat, vt scilicet quindecim pedes à terra altiùs coërceatur: vel si ædibus meis no-

ceat, radicibus eius crescentibus, &c. Tunc enim peragi debet finalis iurgij, ac locorum intentio, & executio: hoc est, limes constitui debet tam à iudice, quàm ab arbitto. quo facto apparebit statim, ait ille, si intra modũ arbor plantata, & posita fuerit. Fines enim locorum ex ipsis arboribus diiudicandi non sunt, vel præscribendi, id est, positio ipsa arborum nullum affert præiudicium finali quæstioni. Atque inde apparet (verbis Vallæ semper immotor) verus intellectus legis, quinque pedum. Præscriptione enim illa quinque pedum summota, quæstio finalis prius discutienda est & terminãda. Nec enim iudex, vel arbiter poterunt cognoscere quantum arbor distet ab extranea regione, nisi priùs & liquidò cognouerit de finibus locorum, déque ipso limite. Subijcit posteà iudicandum esse secundum legem hanc, quinque pedum & secundum legem vlt. hoc tit. Item & secundum legem, si eui. & legem, Mæniana. inf. de ædific. priuat. seu quæratur, vtrum construens murum iuxta alterius regionem, debeat relinquere pedem, si domũ, duos pedes, si foueam, quantum est profundum ipsius foueæ, si puteum, passum, si oliuam, aut ficum plantet, nouem pedes, si iuxta ædes publicas, ac regias ædificet, quindecim pedes: inter Mæniana priuatorum, pedes decem. Tandémque decidit, nullam esse posse præscriptionem illorum quinque pedum, sed si maioris spatij controuersia sit, tũc præscriptioni triginta annorum locus est, d. l. vlt. inf. hoc nostro tit. *Comme si deux voisins auoyent chascun dix arpens bornez entr'eux deux, & que l'vn d'eux eust entrepris, & outrepassé lesdites bornes, planté, labouré, & perceu les fruicts par dix, trente, quarante, & cinquante ans d'vn seillon, ou deux, non obstant ladite possession, chascun doit auoir ce qui luy appartient suiuant le reglement desdites bornes: & ne scauroit on mieux, ny plus proprement appeller en nostre vulgaire, cet espace, & distance de cinq pieds, sinon de dire que c'est le tour de la charrue, scauoir lors qu'en labourant le laboureur tourne sa charrue au bout du champ ou il est, pour retourner à l'autre bout.* Vernaculum istud agricolarum haud ita propriè Latinum fieri possit quin nostris esset semper paulò obscurius. Attingere & huius loci explicationem Chopinum reperio, lib. 3. cap. 1. parte 3. de priuilegiis rusticorum, sequíque eum sententiam Alciati, & Vallæ, nempe ex l. 12. tabul. quam suprà recensui, quibus etiam accedo. Cuiacius multa certè promouet lib. 10. cap. 2. obseruatio. ad controuersias agrorum quæ per mensores dirimuntur, legémq; hanc meminit, sed sustinere videtur quid sentiat. Notabo etiam, per occasionẽ, & quia iudicium hoc fin. regund. Imperatores vocant finale, positas in agrorum finibus arbores appellari à Iustiniano, finales, in fi. tit. de off. iudic. 4. Institut. Nuncupamus nos Galli *pieds corniers, & pieds de ventes*, quibus scilicet, tanquam euidentioribus finibus, syluæ cæsura distinguitur. Itaut si in finales istas arbores malè quippiam admissum fuerit; purà, si quis characteres impressos corruperit: aut si ipsas exciderit, damnari eum oporteat ex constitutione regia Francisci. I. & in id quod publicè interest, ac debita insuper, pro ratione admissi, multa. hoc seruamus.

IMPP. THEOD. ARCAD. ET HONOR.

L. 26. quæ vlt.

Cunctis molitionibus & machinationibus amputatis, decernimus, in finali quæstione, non longi temporis, sed triginta tantummodo annorum præscriptionem locum habere.

Idẽ prorsus in Basilicis lib. 58. ti. 9. in hęc verba: ἡ διάταξις βούλεται τῇ περὶ τῶν ὅρων ζητήσει, μήτε τὴν τῆς τριετίας, μήτε τὴν τῆς δεκαετίας παραγραφὴν ἀντικεῖσθαι· ἀλλὰ μόνην τὴν λ. ἐνιαυτῶν. id est, hæc constitutio vult, vt finali quæstioni nec triennij, nec decennij præscriptio, sed triginta dumtaxat annorum obstet: hactenus Basilica. Vide in cætero plenissimam legis istius vltimæ interpretationem ad legem superiorem: cùm tamen & tantò minor superesse apud nos videatur dubitatio, quantò vsitatius nihil per nostros mores præscri-

prione illa tricenaria, quæ iura omnia, actionésque perimit inter laïcos, ex l. omnes. inf. de præscr. 30. vel 40. ann. solis exceptis triburis, & censibus, iuribúsque dominicis, ex l. comperit. eod. illo tit. exceptáque hypothecaria, si nempe debitor, eiúsve hæredes, fundum obligatum possideant, l. cum notissimi. rursus eod. illo tit. exceptóq; deinde regio, ac principali patrimonio, seu domanio, vt in vernaculo est, in quo, vt in ecclesia Rom. centum anni sunt. Ita enim seruamus vsum tituli, nè rei dominicæ, vel templorum vēdicatio temporis præscriptione summoueatur, inf. libr. 7. Cod. vt lariùs reperies apud Molin. §. 7. num. 14. ad consuetud. Paris. Chopin. lib. 3. tit 9. de doman. Bacquet. cap. 7. *du droict de deserance*. In regalibus autem, seu regiis collationibus, ac cæteris quæ superioris dominij, seu superioritatis, sunt, vt loquimur, æterna est auctoritas, nulláque vnquam admittitur præscriptio, cùm sint iura coronæ, illíque annexa, ac inseparabilia: iura sacra: & quorum nullum sit quacumque ratione commercium, vt idem Molinæus persequitur fusius ad d. consuet. Paris. §. 1. num. 53.

TIT. XL. DE CONSORTIBVS EIVSDEM LITIS.

IMP. IVLIANVS.

L. I.

Explosis, atque reiectis præscriptionibus, quas litigatores, sub obtentu consortium, studio protrahendæ disceptationis, excogitare consueuerunt: siue vnius fori omnes sint, siue in diuersis prouinciis versentur: nec adiuncta præsentia consortis, vel consortium, agendi, vel respondendi iurgantibus licentia pro parte pandatur.

Optimè Cuiacius in paratitl. consortes hîc interpretatur, ex scholiaste Æschyli, συνδίκους, qui nempe sint participes eiusdem litis. Cum autem Constantinus iunior sanxisset consortium eiuscemodi neminem audiendum, admittendúmve ad agendum, aut excipiendum, nisi cæteri vnà, & simul agerent, vel exciperent, vt patet ex l. 1. Cod. Theod. de dominio rei quæ poscitur, vel consortibus ab eo cui postulatum fuerit, postulandis, lib. 2. qua ex lege 1. quæ etiam Iuliani est, Tribonianus partem rursus resecuit, vt in l. quinque pedum. de qua sup. titu. 1. pars enim defracta hæc est: *Et amputata constitutione Constantini, patrui mei, quæ super consortibus promulgata est, antiquum ius, quantum pertinet ad huiusmodi disceptationes cùm omni firmitate seruetur, vt interruptis artificiosis obstaculis, possidentium astutia comprimatur.* Hactenus amputata illa pars. Cur autem in mentem venerit Triboniano, vt ita faceret, putarim primùm, quia plenum satis rescriptum, ex iis quæ pro lege traderet, viderit: nihil enim ad mentem quod desideres: Deinde verò ad conuelandum forsan malum, infensúmque Iuliani animum in Constantini iunioris, patrui sui, memoriam, qui cùm aduersus Constantem, fratrem, Iuliani etiam patruum (Constantij enim erat filius, Iulianus) de imperio orientis bellum aliquamdiu gessisset, ægrè ferens Constantini magni diuisionem, qua ei imperium occidentis, nec verò orientis, decreuerat, quasíque impatiens consortis, pugna commissa, aut potiùs exercitu fraterno, qui fugam simulauerat, interceptus, sine liberis occidit. tradunt Cedrenus, & Zonaras. Iulianus igitur ex ea causa, vt verisimile est, atque in patrui illius odium, abrogauit, statim atque Imperium sortitus est, constitutionem qua infestabantur consortes, verbísque in id quasi vindicem calamum testantibus, quæ propterea reciderunt prudentissimè compositores Iustinianei. quamuis & dici etiam possit obiter, nec minùs egisse, scripsisséque Iulianum, cum, vt de Constantino auo suo loqueretur occasio inci-

dit. Quisquis enim libellum, cui titulus, Καίσαρες, legerit, competiet, quanto æstu ferretur miser ille Iulianus aduersus tantæ celebritatis Imperatorem, quòd & Christum dominum nostrum, verum Messiam, ac Deum, salutisque humanæ instauratorem, agnouisset, non modò, & coluisset, sed Christianum etiam vniuersum Imperium Romanum effecisset, aut potiùs *veneranda Christianorum fide muniuisset*, vt loquitur Imper. Zeno, in l. Diui. de naturalibus liberis. verba ipsa Iuliani ex libello quem dixi supra, nec molestum forsan studiosis fuerit pereutrere: τῷ Κωνσταντίνῳ, μετὰ τοῦτον, λέγειν ἐπέτρεπον. Ὁ δὲ πρότερον μὲν ἐθάρρει τὴν ἀγωνίαν. ὡς δ' ἀποβλέπων εἰς τὰ τῶν ἄλλων ἔργα, μικρὰ παντάπασιν εἶδε τὰ ἑαυτοῦ. id est, Constantinum, post hunc, vt diceret, admonuerunt, atque primùm quidem fidenti animo in certamen prodibat. Sed in aliorum opera intuens, parua omninò sua esse vidit. & paulò post: τά γε μὴν εἰς τοὺς βαρβάρους ἦν αὐτῷ γελοῖα. φόρους γὰρ ὥσπερ ἐπετελέκει, καὶ πρὸς τὴν τρυφὴν ἀφεώρα. πόρρω δ' εἱστήκει τῶν θεῶν, περὶ τὰ ἑαυτοῦ πρόθυρα τῆς σελήνης. ἐρωτικῶς τε οὖν εἶχεν αὐτῆς, καὶ ὅλως πρὸς ἐκείνην βλέπων, οὐδὲν ἔμελεν αὐτῷ περὶ νίκης. id est, deinde quæ in barbaros gesserat, ipsi erant ridicula. Tributa enim quodammodò perpenderat: & ad delicias, vitæque luxum spectarat. longè autem à diis dissitus, stabat circa sua ipsius vestibula lunæ. Amabat enim eam, totúsque in eam intuens, de victoria nihil ei curæ erat, &c. Parcant superciliosi. præteriri istud ad historiam non debuit. Ad forum autem sic habe. liberum enim, integrúmque cuilibet, vt agat solus, solúsve excipiat, litémque ita promoueat, rei cuiusuis nomine quę communis ei sit cum pluribus, dummodo libello actionis profiteatur se pro sua tantùm parte agere, eámque, restrictione illa adiecta, apud iudicem postulet. Quod si iure nitatur id de quo lis instituta est, numquam desit speratum iudicium. Actiones ad hoc datæ sunt vt per eas consequatur quisque quod sua interest, ait Imperator, id verò non inspecta consortium, vt sæpe fit, inuidia, culpa, aut etiam odio: quod ex naturali vitio cõtingere inquit, in hoc ipsum, lex 4. quando & quibus quarta pars, inf. lib. 10. Quinimò docet Molinæus ex ea ipsa ratione, ad consuet. Paris. §. 2. glo. 4. num. 25. vnumquemque hæredem posse fidem, seu homagium præstare seorsim pro ea parte, qua hæres sit, atque ex præstatione illa consequi vt, quoad se, patronus feudalis manum pro indiuiso de parte feudi tollat (dicimus, *bailler main leuée de la saysie feodale pour son chef*) de quo cùm lis in Senatu esset, ann. 1604. ita Senatus censuit. profero arestum ad l. 16. si vsusfructus. §. sed & si plures. ff. de vsufru. scripseram in lite. plura sunt similia. Dicam pro auctario, vltrâq; legis hypothesim: si plures sint cohæredes, aliive eiusmodi litis consortes, singulique vtantur procuratoribus singulis apud iudicem, petere potest Reus, seu defensor, vt loquimur, vt vnus tantummodò constituatur ab omnibus procurator, vernaculum fori est *qu'ils viendront tous par vn seul procureur*) nempe ob impendia, quæ longè maiora sunt si, ad quemque litis processum, adiri procuratores plures oporteat: deinde verò ob dolos forenses, (dicimus, *pour euiter les surprises.*) Cùm enim defuncti vnius personam referant hæredes, quibuscum posteà agitur, æquum est ne in plures aduersarios distringatur qui cum vno contraxerit, quæ sunt verba legis. ff. de exercitor. ad quam & in hoc paulò plura reperies. Ratio deinde illa est cur, si in pluribus tribunalibus agant consortes eiusdem litis, cogi possint, postulante Reo, (cui tamen impetrandum in id rescriptum à Principe) vt apud vnum, eundémq; iudicem, ex iis quorum nomina rescripto inseruerit, experiantur singuli. Indéque etiam, si, petente altero è consortibus, transferatur lis ad priuilegiarios quosdam iudices, aut si ex edicto, ob cognationes, affinitatésque id fiat, vt fit sæpissimè, euocata nimirùm lite è curia in alteram: vtróque hoc casu, per priuilegium maius, pérque euocationem quæ inciderit, tota lis, etiam contestata, ab vno tribunali in aliud transitura est. Connexa enim sunt: quæ sola Mathæi Affl. Senatoris Neapolitani, ratio est, decisio 227. cùm lege secunda huius tituli vtitur vt dicat, per causam connexitatis, ampliari, extendive ius insolitum, aut exorbitans, vt loquitur.

TIT. XLI. DE NOXALIBVS.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Si serui vestri, nescientibus vobis, vel etiam prohibentibus, furtim arbores ceciderunt, quibus etiam propria pœna, iuxta legem saltui datam, fuerat præstituta: frustrà veremini nè ex persona eorũ, vltra noxæ deditionem sitis obstricti: cùm ex delictis seruorum domini ignorantes, vel prohibentes, si ex noxali actione conueniantur, ita condemnari debeant, vt aut noxæ dedere, aut condemnationem sufferre habeant in sua potestate.

Pessimè equidem legis istius argumento glossa vtitur, vt doceat statuta, legésque, ac cõsuetudines prouinciales, interpretationem ex iure communi accipere, si idem quod & ipsum ius ciuile, statuant. De statutis enim nihil prorsus in textu, vt infrà ostendam. Deinde cùm & decisionem quoque porrigat ad coërcendas, restringendásque à contrario interpretationes in statutis nè damnum quis patiatur non sua, sed alterius culpa, aut maleficio: vide quæ notaui ad l.3.§.hæc verba.ff.de negot.gest. Vt autem quotquot intercurrunt dies sessionum, disceptationúmque forensium, totidem ferè habéntur, discontur, connotantúrque ab accuratioribus explicationes, aut applicationes etiã iuris nostri Gallici: (quod eximium ad responsa prudentum, Imperatorúmque rescripta) per occasionem somnij Glossæ, ac interpretum qui hîc, id est, loco prorsus alieno, de statutis nec pauca congerunt, subiungam obiter quod, editis meis prioribus ad Pandectas, & librum primum Codicis obseruationibus, Senatus, ad interpretationem consuetudinis Meldensis, censuit ann. 1617. die 25. Ianuar. inter Dom. Sæuinum, in secunda inquisitionum classe, Præsidem, & P. Grocourt, perorantibus Iac. Talæo, & I. le Blanc. Cum enim apud Meldenses iniecta manus fuisset à patrono feudali in feudum recens emptum, vt ex eo fructus suos faceret tantisper dum fidem præstitisset nouus vassallus, qui è contrà defendebat nihil ab se deberi dummodò iura feudalia persolueret intra diem ab emptione quadragesimum, ex ratione d. consuetudinis, artic. 128. imò & totius tituli, de iure deliberandi. ff. & Cod. quo dantur nouo successori induciæ, vt videat quid agat: hæredémq; propterea, & emptorem eodem iure censeri oportere, cùm ambo sint rei possessores, nouique successores: pronuntiatum est pro emptore, quicquid patronus feudalis contenderet, loqui consuetudinem non de emptore, sed de solo hærede: omissúmque in statutis, habendum esse pro omisso. Causa in edictali auditorio acta est: hoc plus satis. ἀστυχείρ. Singularis verò hîc textus, vt, argumento seruorum veterum, nihil aliud quicquam præstare teneantur domini, nisi vt seruos, qui deliquerint, sistant, exhibeant, dedántque, quà fieri possit, apud iudices, (dicimus, *qu'ils les representeront toutesfois & quantes qu'ils en seront requis par iustice*: hoc facto constituendum nihil quicquam durius in dominum, cuius aliàs inclarescat innocentia. Seruilis enim ferè semper ea nequitia est, vt insuperhabeantur sæpius dominica vetita: nec parùm proinde fœlix dominus, cuius fideles adeò famuli, vt iussis, mandatísque semper inhæreant, neque obnitantur ipsius desiderio domini. quo sensu legitur lib. 7. cap. 25. constitutionum Apostolicar. τιμὴ δεσποτῶν, οἰκετῶν φόβος. id est, metus famulorum, honor est domini. Secus in Duce militum, qui, (vt excrementa sunt putida vrbium eiuscemodi blitei, furialésque animæ) domos, villásue exusserint, puellas stuprarint, hospites interfecerint, pyra feralia, lethalia, horrendáque in os captiui, ad extorquendos nummos, ingesserint,

aut barbarum, tartareúmque aliud quiduis simile egerint. exhibendi enim sunt à Duce cui nomen dederint, aut luit ipsemet damnum quod datum est. vide ad hanc quæstionem quæ nuper edidi ad l.9. Si familia. ff. de iurisd. omn. iudic. Vnum superest quod vel sagaciores facilè fugerit: quid nempe sentiat Imperator ex his verbis, *iuxta legem saltui datam*. Cùm enim constet, procúlque dubio sit, *legem*, hic de conuentione intelligi quæ saltus, nemorúmque tutelam spectaret, in quam legem peccasse videbatur dominus per serui maleficium, qui furtim arbores deiecerat, ostendo iam, professúsque nec inani opera, quando me impellit idoneus locus, proferri posse particulam hanc non modò ad edicta Gallica, quæ de syluis curandis, tuendis, administrandísque lata sunt: sed superatam etiam in eo à nostris Romanam prudentiam, quòd nihil ferè sanxerint Romani veteres de curandis, administrandis, custodiendísque per magistratus publicos, syluis, nè cæderentur, deijcerentur, deterioréfque fierent à vicinis, intempestiua, promiscua, exitiosáque cæsura, arbores. Scio quid scribat Suetonius cap.19. in Cæsare: *Eandem ob causam*, inquit, *opera optimatibus data est, vt prouincia futuris consulibus minimi negotij, id est syluæ, callésque decernerentur*. Locus verò ille, qui fermè vnicus, nihil prorsus ad curandas, atcendásque ab iniuriis syluas, sed vt repurgarentur tantummodò latrociniis à consulibus, fierentque loca viatoribus tutiora: quod & ita interpretes. Cùm præterea legissem Rhodiginum, lib.24. cap.6. complurésque id genus aduersariorum conscriptores qui in vetus istud literariæ antiquitatis studium incubuerunt, verba quidem plura comperi, sed quod curam signaret seu consulum, seu minorum magistratuum, quali hodie seruamus nascentes, adultas, grandésque in syluis maximè regiis, ac publicis arbores, nihil huc vsque apud auctores occurrit vnde quicquam eiuscemodi augurer. Palares certè syluas, ex quibus nimirùm accipiuntur pali, & pedamenta ad vineas, meminete lex 9. Item si fundi. §. vlt. & l. 10 q. ff. de vsufru. meminete & saltus ex quibus fructus pastione perciperetur. (dicimus, *la passon*) ex si quis vnas ædes. ff. de vsufr. totóque tit. de fundis patrimonialibus, & saltuensibus, & emphyteuticariis, lib.11. cauetur deinde in hæc verba, in l. in lege ff. loc. *Syluam nè cædito, néve cingito*. id est, nè degrabato, corticémque, ac librum detrahito. Plura denique apud Columelam, ac cæteros qui de re rustica egerunt: sed priuatarum pactionum, legúmque domesticarum omnia. Demirórque vulgarem eorum affectionem, aut securitatem potiùs, qui Virgilianum hoc, ex eccl.4.

Si canimus syluas, syluæ sint consule digna,

ad consulare munus referunt, eùm solū hoc velit Virgilius, (explicante ita Seruio: ipséq; etiam testatur Turnebus, lib.30. cap.22. qui multorum instar) vt scilicet ab ipso Bucolici sui carminis ingressu, quasi excusét, depreceturque vilitatem muneris poëtici apud illustrissimum ductorem Germanici exercitus, Augusti amicissimum, Asinium nempe Pollionem, qui eo anno, quo consulatum adeptus fuisset, lauteámque, post captas Salonas, Dalmatiæ ciuitatem, meruisset, filium insuper ex coniuge suscepetat. *Si ergo canimus syluas*, ait, id est, tem agrestem, ac rusticam: placeat tamen syluestris hæc mea musa, dignáque sit tanto consule. Detortus verò etiam nec minore incuria à quodam è nostris locus hic Lampridij in Alexandro Seuero: *Syluas thermis publicis deputauit*. Quid enim ex eo vnde suspicetur quis, ἰδίᾳ κατ' ἐκεῖ, magistratus olim à Romanis, ad conseruandas syluas publicas, institutos? Quantò penitiùs intueor, tantò & res fit apud me clarior, & certior, neglectam fuisse à tanti populi moderatoribus istam politiam: aduertóque id primus forsan, ὡσανεὶ ... , καὶ ἐπὶ σμικρὸν ... τὰ γεγραφότα. Aliud Græcis, vt qui magistratus, syluarum præsides, custodésque habuerint. ὑλωροὶ, id est, syluarum inspectores, vocantur ab Aristotele, lib.6. cap. vlt. politic. Aliud deinde Persis, ac Hebræis, vt constat ex lib.2. Esdræ, cap.2. vers.8. in hæc verba: *Et epistolam ad Asaph, custodem saltus Regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas templi, turres, domos, & muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero & dedit mihi Rex iuxta manum Dei mei bonam mecum*. Sic Hebr. aut quemadmodum apud septuaginta: *vt manus Dei bona super me*. Agit de Artaxerxe, Rege Persarum, cui tunc parebat Iudæa: saltum autem hunc de sylua montis Libani intelligunt. Apud nos fuere etiam ab antiquo custodes syluarum regalium tam ad arbores, quam ad syluarum venationem, vt videre est apud Gregor. Turonens. lib.10. cap.10. libellúmque de his scripsit historicus Belforestius: qui custodes vernaculo nostro dicebantur, *Forestiers, & Gardebois*. Tandem verò deiectis syluarum frequentiorum partibus, proscissísque agris ob increscentem latè populum Gallicum, instituit *Philippus*

Longus varia ſyluarum cuſtodiendarum munera, maioréſque, ac minores iudices, quorum in obſeruandis, adminiſtrandiſque ſyluis, perpetua eſſet cura, ac opera: cùm olim Romæ curarent in hoc ſolum quæſtores ſyluas, ſaltúſque publicos, vt pecora in eis paſcerentur, ære aliquo conſtituto, d. lib. 3. cap. 22. & cap. 9. poſt eúmque Lipſius ad Tacitum, lib. 4. annalium, ibi, *cui prouincia, vetere ex more, Calles euenerat*. Laborioſiſſimè quicquid ad eam iuris Gallici partem faciat redegit in tres libros Sanctyonius, nuper aquarum, ſyluarúmque, ad menſas Baſilicæ forenſis marmoreas præfectus: longéque antea Car. Malleuillæus, in eadem præfectura aduocatus regius, commentario circa annum 1561. in regias de aquis, & ſyluis conſtitutiones, edito: ſed nihil planè ambo ad Romana, quæ hodie conquiro, munera. Vt autem aperiam paucis quæ ad forum, moréſque patrios, ſic de ſyluarum vſuariis (quæ maxima omnium in publico illo patrimonio pernicies) Senatuſconſulta vetera, quorum ad mentem præſtabit ſubiicere ſermonem patrium, quippe Romano in id dilucidiorem: *Pour obuier à la confuſion qui pourroit aduenir, ſi les coupes ſe faiſoient par chaſcun des habitans, ſeront iceux habitans tenus en nom general, & collectif, par chaſcun an, au iour S. Rhemy, de s'aſſembler, & conuenir de certaines perſonnes pour faire les coupes deſdits taillis, & diſtribution dudit bois coupé.* Arguunt iſta, quæ ex latis in hoc iudiciis, vt dixi, quantū ſemper ſtuduerit noſtra Gallia vt nè, per auarā vſuariorū audaciā, diriperētur ſyluæ ſeu priuatæ, ſeu regiæ, ac publicę. In quo notabo obiter, cùm Lutetiana lixiuia immenſam abſumant cinerū, vndequáq; ex locis etiā lōginquis aduectorum, copiā: cauiſſe iampridē Senatū, ann. 1569. edictúmq; Caroli noni, quod ex ann. eſt 1567. ea prudētia tēperaſſe, vt, vrere tantūmodò liceat dēſa arbuſta, dumetáque in ſyluis, quę decem leucis ab omni flumine nauigabili remotæ ſint: abſtineant verò maximè lignatores grandibus arboribus, ſyluiſque cæduis: quod fuſiùs ad titu. de vſu & habitatio. interpretor. Atque vt perſequar quæ ad ſyluarum tutelam publicam: vetuit pariter Henricus II. edicto ann. 1558. nè arbor vlla donetur ex ſyluis iunioribus: (dicimus, *és foreſts qui ſeront trop foibles.*) Quinimò & reperio ex edicto veteri anni 1318. prohibuiſſe olim Philippum Longum nè ingrederentur ſyluas cæduas vlla animalia, donec tueri ſe per ætatem poſſint. Delibo nimirùm quę quaſi ex indice oſtendant quanta ſemper Gallis noſtris ea cura, præſertim ab illo Principe, cui debetur prima tot eiuſcemodi de adminiſtrandis, ſeruandiſque ſyluis, officiorum inſtitutio. Adijciamque & illud iterum de ſummis illis terrarum dominis, Quiritibus: relegiſſe me ex profeſſo notitiam imperij, (vbi κῆ ἑνόμα, Romana quæcúmque munera publica) numerauiſque decem & ſeptem procuratores Cynegiorum, putà Cynegij Baſſienſis, Pannoniæ ſecundæ, Aquileienſis, Mediolanenſis, Carthaginienſis, Imò & Arelatenſis, Lugdunenſis, Rhemenſis, Tornacenſis, Auguſtodunenſis, &c. Nihil verò hæc vt procurarentur ab eiſdem officiis ſyluæ, ſed venario dumtaxat, qua ſcilicet caperentur feræ ad Principis comitatum, & menſam tranſmittendæ, aut etiam ad ſpectacula. Obſeruaui etiam ſtudioſè celeberrimum, vtiliſſimúmque priſcarum Gruteri inſcriptionū volumen, quo varia literatæ antiquitatis monumēta ſuppleri fatendū eſt quæ omiſſa à Romanis, Græciſq; ſcriptoribus fuerāt. inanis autē fuit & hæc mea opera. Vna dumtaxat inſcriptio, quæ ad ſaltuū curā faciat, occurrit apud Carinthiam, & Pet. Appianū: ſic habet: *Theoprepon, Aug. lib. proc. D. N. M. Aur. Seueri Alexādri, Pij, Fœl. Aug.* Prouinc. *Achaia, & Epiri, & Theſſaliæ, Rat. purpurar. procur. ab Ephemeride, proc. à mandatis. proc. & ad pradia Gallicana. proc. ſaltus Domitiani.* i. Theoprepon, Auguſti libertus, procurator deuotus, Nomini maieſtatis Aurelij Seueri Alexandri pii, fœlicis Auguſti, prouinciæ Achaiæ, & Epiri, & Theſſaliæ, rationalis purpurarum, procurator ab Ephemeride, procurator à mādatis, procurator & ad prædia Gallicana, Procurator ſaltus Domitiani. Finem de[illegible] in hoc fecerim, quòd vt eruditi[illegible]ribus plurimis non ita aberrare à vero videor, plurimùm verò ſolertiſſimus fiſci patronus, Dom. Bretius, animaduerſionem probarit non modò priuatim, ſed & in publicis etiam cauſarum actionibus, ad incidentem cauſæ, in qua de ſyluarum officiis agebatur, quæſtionem, confirmarit ſua ſententia, certiſſimámque eſſe dixerit. Cæterùm Doctores Itali cùm paſſim in lege hac ſecunda legerent, *ſaltem*, pro *ſaltui*, perducti eò ſunt, per veri nominis ignorantiam, vt grandes & hîc de ſtatutis paginas conſarcinarent,

Sambucam citiùs caloni aptaueris alto:

veréque ἀλογία ἐξ ὕθλων, vt ita loquar cum Polybio, lib. 1. ſed condonandum id vitio illiterati ſeculi.

AD EXHIBENDVM.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Si dominium ancillæ, de qua agis, ad matrem tuam pertinuit, nec iure à patre tuo vanundata est, (gl. nec patri successeris,) *eiúsque proprietatem vendicare paratus es, præses prouinciæ exhiberi eam iubebit, vt apud iudicem de rei veritate quæratur.*

Hinc fit vulgata iuris regula: actio ad exhibendum est præparatoria ad rei vendicationem. Dixerimus Galli, *l'action, pour representer ce qu'on demande, doit estre preallablement intentée pour former son aduen.* Sed inane hodie istud nostris moribus, atque ex formulis fori Gallici. Cùm enim vitandus sit maximè ad actiones instituendas circuitus, & breuissima facti narratio, cum causæ adiectione, sufficiat in citationibus, (vulgò dicimus, *exploicts libellez*) ex edicto anni 1539. artic. 19. qui factus videtur ex cap. 1. de pact. in antiq. clem. Auditor. de rescr. l. 5. videamus. ff. si cui plusquàm per l. Falcid. lic. l. dominus. 53. de condict. indeb. ff. cùm doctrina innocentij ad cap. præterea. de dilation. præcîduntur prolusiones istæ iuris Romani, rectáque libellus concipitur, vt damnetur Reus reddendæ, restituendæ rei quam ab eo petimus, diésque ei dicitur ad iudicem. Inde lis, ad cætera procedit prout fatetur, aut diffitetur Reus. neque enim hodie actionis ad exhibendum formula necessaria est: imò ridiculus foret qui ea in iudiciis vteretur, vt à iure præscripta est, licet vim eius in vsu quotidiano esse dicat Vlpianus in l. 1. ff. hoc tit. Vis illius quidem est, vt sit in rem scripta, & possessorem comitetur, quod ait lex. 3. §. vlt. ff. hoc tit. sed, ad vitandos circuitus, vt dixi, alius nunc proponendæ ipsius mos, aliáque ad repetendas res suas mobiles formula. Tamen si aliquis, vt interdum accidit, plures seruos habeat, quorum vnus flagitium aliquod admiserit, ignotus nomine, sed qui agnosci possit ex vultu, si exhibeatur, introiri possunt ædes domini, permittente iudice, cúmque persona publica, & curioso inquisitore, seu commissario, adhibito, vt exhibeantur omnes serui, & possit dignosci quis ille sit: seruamúsque in eo, legem, 3. §. 2. de publican. ff. cuius verba: *Si dicatur, exhibe omnes seruos vt possim dignoscere, quis sit, audiendus est.*

IDEM A.

L. 4.

Non ignorabit iudex, si instrumenta tui iuris, quæ penes diuersam partem fuisse probaueris, ab eisdem non exhibeantur, iurisiurandi in litem facultatem deferri tibi oportere.

Paucis interpretes: contra non exhibentem instrumenta iuratur in litem. Quanti autem istud intersit sæpissimè, quótque per varias, seu ad bona, seu ad existimationem, species, ostendam ex variis iuris locis, & quid seruari in ea disquisitione soleat, ex iure Gallico. Primùm enim qui tabulas, vel cautiones amouet, tenetur furti, nec tantùm pretij ipsarum, verùm & quod interfuit. videnda in id tota lex, qui tabulas. cum quinq; sequentibus, ff. de furt. esse enim solent instrumenta, seu documenta domestica, tot munimenta domorum, ac familiarum, ἐρείσματα, καὶ ἀκίνητοι ἀφορμαὶ, vt de optimatum li-

[illegible] arcis, circa Lutetiam, datum ei esset, inter cætera, ad causam quæ de donationis ipsius iure peroranda erat, nec exhibere potuisset, quippe amissum omninò, malísque aduersarij artibus surreptum, vt constans fama, vitare non potuit, quia sibi creditum & hoc, cum alijs causæ agendæ instrumentis, agnouisset, quin in omnia litis detrimenta, quæ ex illo aduersarij furto tractaturus esset cliens, tandem, post indultas, ad perquirendum dilationes varias, condemnatus vltimo amplissimi ordinis iudicio fuerit. Cui sarciendæ vnquam iacturæ impar, nè quidem, si duas ætates in foro, negotiorum plenus, causísq;, ac litibus perpetuò agẽdisq;, excutiẽdisq; implicitus, exegisset, (donata enim plusquàm centum aureorum millia, facto arcis, ac fundorum pretio, fuerant) contabuit, mœroréque inuito confectus decessit. parco nomini. Deterrima autem in eo aduocatorum, procuratorúmque conditio, vt qui de more lites scriptas, datis semper, ac necessariò proprijs chirographis, accipiant. Attigi ad l. 49 ignorantis. de procuratorib. ff. nec esse cœpit vlla aduersus clientes, eorúmque hæredes præscriptio, nisi anno 1597. die 11. Decembr. quo Henricus Magnus ad importunas togatorum omnium flagitationes, & querelas, edixit, liberos fore in posterum aduocatos, ac procuratores, post quinquennium, à lite decisa, & post decennium, tametsi latum non sit iudicium. Addidit verò Senatus, dum confirmaret edictum, ann. 1603. die 14. Martij, liberas etiam fore viduas, ac hæredes, exacto, post procuratoris, aduocatíve decessum vel solo quinquennio, etiã in non iudicatis litibus. Rursúsque hoc ipsum iudicatum est, anno 1604. die 3. Iull. aduersus Carolum de Chemery, Baronem de S. Michel. Et cùm noua ex minoribus annis superesset dubitatio, vicit tamen, in ea etiam quæstione, Willelmus Syreian, procurator in Senatu, contra Io. Sauuage, & Io. le Roy, ann. 1614. die 14. Octob. quamuis illi sese minores dicerent, & ita constaret in lite. Ipse, qui isthæc in gratiam togatorum forensium scribo, lite appetitus sum non ita diu, grauissima ab hæredibus mercatoris cuiusdam Calisiani in morinis, quorum in numero caput extulit ineptulus præfecturę Parisiensis rabula, ob deperdita quatuor, aut quinque grandium summarum instrumenta, forsan, ante annos aliquot, ab amanuensi meo prodita, & diuendita: itaut nisi, fortunata forte, procurator fori optimus, ac vigilantissimus, chartæ suæ forensi inscripsisset nomen apparitoris Basilicani, qui instrumenta illa, ante annos 14. auctore Senatu, exscripserat, qui apparitor etiam tunc cùm vexari cœpi, superstes erat, periclitabar innocens ex culpa, aut perfidia aliena. Quiescere tabula ille nunquam voluit nisi lato aduersus eum Senatusconsulto, mens. Septembr. 1617. in quo equidem haud parua erga me iudicum benignitas, quam neque hic subticere debui. Cætera autem vt de exhibendis instrumentis persequar, notandus textus in l. 6. instrumenta. ios. hoc tit. vt inuasor instrumentorum criminaliter non modò, sed & ciuiliter plecti debeat. Iunge & quod præclarè Vlp. in l. isti quidem. & l. metum. §. sed quod prætor. ff. quod met. caus. in eos qui vel pecuniam accipiunt, vt instrumenta interuertant, vel, metu illato, extorquent cautiones, chirographa, obligationes, & similia. eò spectat lex 38. Si quis aliquid. §. si quis instrumentum. de pœn. ff. in procuratorem qui arcanum aliquod instrumentum aduersario prodiderit. Reperio in l. 47. Titium. §. 2. ff. de admin. tutor. posse agere cum qui in aliquo officio, seu administratione constitutus est, vt omnia administrationis illius instrumenta habeat. seruamus etiã ex arestis, archetypa instrumenta esse oportere penes proprietarium, non autem fructuarium, vide in 7. parte styli Parlam. aresto 96. in Arestis Parlam. Paris. Prætereà cauet lex, instrumenta. inf. de fideic. vt instrumẽta rei legatæ remaneant penes hæredes, præstita de illis exhibendis cautione, cùm necesse fuerit. Sic ex l. pen. ff. hoc tit. etsi soluta sit pecunia debita, chirographúmq; inane factum, ac pignora liberata: creditor nihilominus agere potest, vt instrumenta ad eum contractum pertinentia, ab alio quàm à debitore exhibeantur. interesse enim creditoris ait glossa, habere instrumenta, etiam postquam ipsi solutio à debitore facta sit, vt nimirùm illa ipsa debitori, si posteà id petierit, restituat. Quid, si contigerit vt ex incendio, ruina, naufragio, aut fortuita prædonum direptione, hostilive in vrbem, oppidum, pagúmve impetu, amissa instrumenta fuerint? Distinctiones in eo sunt variæ. Si enim

Actuarij tabularium,tabellioni ſve,qui inſtrumentum conſcripſerit,ſtatio, ædéſve arſerint,aut corruerint, ſola incendij, ruinæve probatio exhibitione inſtrumenti liberat, cùm præſumatur,præſumptione iuris,& de iure, (vt ita cum interpretibus loquar) cōcrematum,obrrutumve quod petitur,in armariis,locíſque publicis,in quibus fortunam cunctorum eſſe ſcripſit veriſſimè Caſſiodorus lib.12.epiſt.21. Imò & eo caſu agi poſſe ex inuentario,in quo exſcripta ſit amiſſi inſtrumenti ſubſtantia, conſtat ex vulg.l. Chirographis.de adm.tut.ff.atque ex vſu. Idem verò etiam iudicauit ordo ampliſſimus in direptionibus vrbium,quæ, per motus ciuiles, factæ ſint: itaut & teſtibus probari poſſit vel poſſeſſio vel quod conceptum, ſcriptúmque inſtrumento deperdito fuerat: quò & ſpectat non modò edictum Melodunenſe ann. 1580. ſed & l. cum citra. de iu.dot.l.1.de fid.inſtr.l,ſicut inſtrumenta.de lib.cauſ.l,longi temporis.de præſcr.longi tempor.Cod. Aut denique ſi exemplum ſuperſit penes creditorem, (vulgò vocant,*la groſſe du contract*) ſubſcriptione tamen notarij,qui protocolum exceperit,adiecta. Ita ſæpius in edictali auditorio,notabóque peropportunè quod tanti conſeſſus prudentiam commendabit poſteris. Cùm enim,dominantibus noctu flammis,quarum hucúſque neſcitur auctor, tota palatij noſtri forenſis baſilica verſa in fumum, ac cineres fuiſſet, cúmq; abſumptus eſſet chartarum litigioſarum ingens numerus, vnde veteratores , qui nihil eiuſmodi quicquam amiſiſſent, anſam proculdubio calumniandi acciperent, componendíque prodigioſa de incenſis inſtrumentis mendacia, miráſque etiam fabulas, iuſſi ſunt iudicio celeri procuratores enuntiare,profiteri,atque vt loquimur, declarare apud acta, intra octiduum,quid ſaccorum, tabularúmque forenſium quiſque ex incendio amiſiſſet: aliàs enim, temporéque illo elapſo, admiſſum iri nullam poſteà deperditorum inſtrumentorum allegationem. Ita Senatus.dixi fuſiſſimè de nocturno iſto incendio ad l. vlt. de fer.& ad l.2.de l. Aquil.ſup. Sinautem in via publica,per prædonum incurſus, inſultúſque inopinos, direptio facta ſit,tunc nec ereptionis tantùm iſtius prædoniæ teſtimoniis opus eſt,iuridicíque vicini auctoritate ad audiendos teſtes celerrima , vt trado latius ad l.12.ſi mea cauſa.& l.20. Argentum.ff.commod.ſed neceſſe eſt inſuper,vt inquiſitione altera teſtes alij afferant ſe vidiſſe , ac legiſſe inſtrumentum quod, caſu illo fortuito,perierit,ſeruamus enim in eo capitulum,cum olim,de priuileg.apud Gregor. Vnū ſubijciam quod præiudicij deinceps haud minimi futurum arbitror,vbi viri alicuius inculpati domum,aut muſæum , chartophylaciúmve rogus inopinus abſumpſerit. Cum enim Egid. Durantij, laudati in Senatu patroni, conclaue, in quo conditi erant ſacci pretioſarum litium plurimi,arſiſſet, liberauit eum curia acerrimis clientum,quorum intererat,expoſtulationibus,per ſolum, quem verum eſſe apud iudices affirmauit, inſtrumentorum combuſtorum indicem, quem, compreſſo igne , à curioſo inquiſitore , ſeu commiſſario, fieri confeſtim curauerat, lectíſque etiam honeſtiſſimorum teſtimoniis qui incendiū viderant. Quod & ipſum cùm ad caſum ſimilē,præſtitiſſet paulò poſt procurator in Senatu,P. Gommerius, ſimili etiam aduerſus clientes, iudicio protectus eſt.

IMP. GORDIANVS.

L. 5.

Ad exhibendum actione non tantùm eum qui poßidet, ſed etiam eum teneri,qui dolo fecit quominùs exhiberet, meritò tibi à non contemnendæ auctoritatis Iuriſconſulto Modeſtino reſponſum eſt.

Hinc apud nos,vbi eiurat quis quod exhibendum petitur, quotidiana inoleuit iuriſiurandi iſta formula: *ſe purger par ſerment qu'il ne poſſede & n'a par dol ny fraude delaiſſé de poſſeder,&c.* quo facto dimittitur ab obſeruatione iudicij , illæſaque eſt exiſtimationis qui ita iurauit,cùm iuſiur.ſit iudiciale , exactum ſcilicet à iudice per inopiam probationum,vt plura in hoc dicam,deo beneiuuante,ad l.1.inf.de reb.cred.& iuretur. Ibi enim ſedes materiæ:ſcripſique iam fuſiſſimè ad eumdem illum tit.ff. Cæterùm vt textus hic, aliique

... *aliena terris fama*: laudatus hic à Gordiano Modestinus, discipulus fuit Vlpiani, cuius proinde verba hęc sunt, tit. de furt. l. si quis vxori. *quod herennio Modestino, studioso meo, de Dalmatia consulenti, rescripsi.* sic ille. fuit deinde eruditionis tam variæ, vt cùm reliquorum penè omnium responsa Latina essent, solus ferè hic Gręca sua ediderit, cuiusmodi etiam concisa sunt tredecim capita à compositoribus Iustinianeis, tit. de excusationib. tut. ff. amauit prætereà, coluítque vsque adeò Virgilianum miraculum, vt (testante inter cæteros, Æmaro Riualio, lib. 5. histor. iuris ciuilis, qui & in hoc laudat Benedictum Philologum) arguméta poëtica ad singulos Æneidis libros exarauerit. At verò & doctore non alio, ad iurisprudentiæ studium, vsus est Imperator Maximinus iunior: ita Iulius Capitolinus. nec mirandum ex his cur, adiecta commendatione nominis, recenseatur nunc ipsius sententia, vicémque subeat constitutionis Imperatoriæ: quod de Papiniano alibi tam magnificè, vt illustrior esse haud possit, ad iurisconsulti gloriam, titulus. memorabo hîc per loci occasionem, rescriptique tam laudabilis, quod beet semper clarissimum aduocationis Parisiensis ordinem, & quanti, de more, qui supremum primæ inter patronos famæ fastigiũ attigerint. Iacobus enim Canayus, senex ipso vultu, iurísque Romani, & Gallici scientia venerandus, consedit circa annum 1583. cum clarissimis primæ inquisitionum decuriæ Senatoribus, qui enim aeciuerant ad arduam, implicitámque substitutionis reciprocæ quæstionem, in qua cùm parum sibi constarent, fortissima erant hinc illinc opinionum dissidia: probatáque fuit omnibus dignissima tanto sene, ex apicibus iuris, conciliatio. Sic & non ita diu in tertia inquisitionum, cùm ad successionem. V.C. Nic. Fabri, pientiss. Regis nostri præceptoris, controuersia de materno quodam illius reditu incidisset, quem à matre cessum ex permutatione redemerat denuntiatus ipse à compermutâre, latóq; in id iudicio: vtrùm scilicèt inter bona eius materna, an verò inter quæstus censeri deberet: (hoc enim agitabant hæredes à latere) diuiserant sese impensissimè iudices: quieuit verò dissidium statim atque doctissimi, experientissimíque Ren. Chopini sententia comperta est, qui consultus maternum esse reditum responderat, ex ratione legis, voluntate. §. vlt. quib. mod. pignus, vel hyp. solu. Itaut non acquisitio, sed liberatio esset: maternúmque esse reditum, pronuntiatum est, die 10. Martij. 1618. pro Michaëlia Hubert, Caroli Bourlon, vidua. Sic verò & passim Molinæus ipse meminit, rogatam suam sententiam sæpissimè à tanti ordinis proceribus: quinimò & vocari se solitum à Basilicanis recuperatoribus antequàm excreuisset ex edictis iudicum numerus, si quando anceps, seriúmque haberent aliquid vnde ferri oporteret ex penitiore Romani, Gallicíque iuris recessu iudicium. Trado quod de tantis viris legi non modò, ac audiui, sed vidi in partem: vt maxima semper, ab ineunte erudito superiore seculo, aduocationis Parisiensis dignitas, quæ & in hunc diem haud exigua.

IMP. PHILIPPVS.

L. 6.

Instrumenta ad ius tuum pertinentia partem diuersam inuasisse asseuerans, si quidem crimen intendis, solennibus accusationibus impletis, fidem asseuerationi tuæ facito. Sin verò ad exhibendum intendis, iudiciorum more experire.

Prima obseruatio erit ex Cuiacio, lib. 13. obs. cap. 35. vbi monet legendum esse, *solennibus accusationis impletis*, nõ, *accusationibus*. docétque ibidem, solennia esse, inscriptiones, ac satisdationes de peragendo Reo. Ad sententiam verò legis, populariter ita interpretes: inuasor instrumentorum criminaliter potest accusari: potest etiam ciuiliter. Ratio fuerit ex l. 6. de pact. Cod. Theodos. *nè impudentia vindicet quod concedere leges, & iura non possunt.* Minima autem differentia est inter eum qui clam facit, & eum qui rapit: cùm

ille celet fuum delictum, hîc publieet. Ita lex 2.§.fi in re.ff.vi bon. rapt. egregiéque propterea Ammianus lib.15. in fin. de quodam Prospero: *Arte despecta furtorum, rapiens propalam.* Ϲωλυτὰς, id est, officiales quosdam, qui vim prohiberent, memorat in hoc ipsum Nou.8.& 145. Immò, quemadmodum & notaui iam sup.ad l.4.fin. regund. inuasores, iure Romano, non tantùm puniuntur priuatione iuris sui, sed condemnantur præterea in duplum.l.si quis in tantam.& l.meminerint. Cod. vnde vi, quæ tamen pœna hodie vsque adeò arbitraria est, vt multa Regi, & parti applicetur maior interdum vel quadruplo: quod nec omisit Rebufus, in procemio constitutionum regiar. Atque vt nè quis, sibi forsan plus æquo blandiatur in re quàm nemo nesciat vis est proculdubio, *quoties quis id quod sibi deberi putat, non per iudicem reposcit*: duobus locis istud ab eodem iurisc. repetitur, & tit. quod met. caus. & ti. de vi priu. *cur enim eligant quærere violenta, qui præsentia probantur habere iudicia:* ait Cassiodor. lib.6. var. cap. 6. eò spectat omninò locus Deuteron. cap.24. vbi vetat Dominus nè quis ingrediatur domum alterius, vt per vim auferat pignus tametsi vt suum. meminique & in hoc, quod apud Tullium, pro Cecin. *Eandem vim habet*, inquit, *æquitatis ratio ad eum restituendum qui deiectus est.* Finiam denique in versu Comici, Eun.

Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet.

Cætera vide ad d.l.4.fin.reg.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 7.

Exhibitionis necessitate tenetur, qui facultatem habens, culpam, vel dolum, in explendo præcepto, committit: Itaut si rem deteriorem exhibuit, æquitas exhibitionis perficiat, vt quam uis ad exhibendum agi non possit, in factum tamen actio contra eum detur.

Glossa præceptum hic intelligit cùm iudex præcepit, iussitq; aliquid exhiberi. Intelligit etiam actionem in factum: quòd subsidiaria ea sit legis Aquiliæ. Interpretes verò ita concludunt: Qui rem sua culpa deteriorem factam exhibet, cuius tamen mutata forma non fit liberatur quidem ab actione ad exhibendum, sed tenetur nihilominus in factum. Quærit Bartolus vtrùm sibi præiudicet qui rem deteriorem factam, nulla protestatione adiecta, accipit. Et distinguit, an vitium sit latens, itaut aduertere tunc illud non potuerit: quo casu integra sunt omnia, nihilque obest fraudulenta illa exhibitio, ac imprudens liberatio. Sin autem sciuerit, sibi imputet, in ea maximè æstimatione quæ officio iudicis facienda est. Improbare enim debuit, continuóque testationem contrariæ voluntatis interponere, vt sic loquar cum Paulo in l.si filiusf.ff.ad Macedon. quo loco, materiam Protestationum tractaui. Præclarum autem exemplum rei, quæ deterior facta exhibetur, seu redditur, est in l. qui tabulas. ff.de furt. de eo qui tabulas interleuit. tenetur, ait ille textus, & furti, & legis Aquiliæ. Notandum istud præcipuè ad instrumenta, litium, quæ, de more iudiciorum, communicantur vicissim, ac mutuò à litigatoribus, vt nè quid scilicèt interlinatur, induceatur, aut atramento, (vt vidi aliquando in veteratore quodam canonico, cuius parco nomini) ad loca insttumenti capitalia, obduceatur. Dixi ad l.Iulianus.ff.hoc tit.de forma rei mutata, cùm res exhibetur, atque vt mutatio illa formæ totam rei substantiam perimit. Vide etiam, si lubet, de commutata agri cultura in aliam speciem, an fieri illud possit inuito feudali patrono, ad l. 13. certo generi.ff.de seruitutib.rustic.præd.

IIDEM AA.

L. vlt.

Si quocumque contractu, apud Præsidem prouinciæ, iure debitum, cui oportuerat, te reddidisse probaueris: chirographa tua, ex quibus iam nihil peti potest, & instrumenta ad eum contractum pertinentia, tibi naturaliter liberationem consecuto, exhiberi, ac reddi iubebit.

Fœneratitias esse huiuscemodi chirographorum, persoluto ære alieno, retentiones quis neget? cùm enim fœneratorum inauditam crudelitatem, atque impotentiam dixerit Liuius lib.8.decad.1. itaut quiescant illi numquam donec infœlicis debitoris reliquias, quæcumque illæ sint, sibi tandem auferant, qua ex causa inuehitur tantò acriùs in ipsos Plato, lib.8. de legib. quotidianus eis ferè semper ille mos, vt syngraphas, seu chirographa, obligationésve reddant rarò, quasíque inuiti, quacumque ratione pendatur, ad quadrantem vsque, debitum. scribunt apocham: cancellaturos sese chirographum dictitant: securus abit ea arte imprudens debitor: formidat ille semper fœneratoris supercilium, vt à quo forsan pecunias iterùm accepturus sit: implicantur negotia: exoleta fit præteritorum memoria:

—viuescit vlcus, & inueterascit alendo:

tandem, longóque pòst temporis interuallo, aut etiam, quod frequentius, vbi in fata concessit *fatis natus iniquis*, *debitor*, repetit tunc fœnerator quasi è monumentis sepultã syngrapham, fictáq; primùm comitate experitur an superstes sit vetus apocha. Quod si desiderari eam inter debitoris chartulas audiat, Larua mox posita vultus verè fœneratorios exerit,

Vectatur tunc velut humeris incuruis eques,

nec desinit, donec & ista iterum duplex eripiatur præda. Vide quid de Mediolanensi fœneratore subiungam ex Augustino ad l. si chirographum. ff. de probatio. nisi enim antestaretur historiam auctor sanctissimus, putaretur faeilè cuiuis fabula. Vide longè plura ex vsu, & necessariis, ad cõpescendas illas pestes, Senatusconsultis, longissimúmque scholium ad tit. de vsur. ff. Deuouentur ditis, impura vt anathemata, à faciente missam, singulis quibúsque diebus dominicis, curione parœco: mos autem ille vt ex Narbonensi Concilio, quod sub D. Ludoico, ita & arguit eò magis quinta, in omnibus, tanti Principis sanctitas.

TIT. XLIII. DE RELIGIOSIS, ET SVMPTIBVS FVNERVM, ET ALEÆ LVSV, ET ALEATORIBVS.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Si vi fluminis reliquiæ filij tui continguntur, vel alia iusta, & necessaria causa interuenit: existimatione rectoris prouinciæ transferre eas in alium locum poteris.

Iunge l. nè corpora. & duas seq. ff. hoc tit. ad quas paganùm de corporum translatione morem attigi. Nunc autem ita in factis, profanísque persequor. Primùm enim constat ex cap.13. Exodi, Mosem, cùm de Ægypto exiret, tulisse inde secum ossa Io-

seph, sicut præceperat, cap. 47. Genes. Iosephque ipsemet longè antea hoc ipsum præstitisse in ossibus Iacob, vulgatum. nec minus ex cap. 49. & 47. eiusdē Genes. Translata etiam sunt corpora eorum qui in pugna contra Gorgiam cecidissent, vt cum parentibus sepelirentur, lib. 12. cap. 12. Machabæor. perpetuus denique ille mos, nō tantùm populo Dei, vt passim alibi de Abrahamo, & aliis, lib. Iof. & Esdr. sed & omnibus, in genere, qui, quacumque in gente, honestiores, eàque semper religione, vt non modò eùm transferrentur corpora, sacrificarent, stāte paganismo, Græci veteres pro mortuis: sed & χοὰς, id est, anniuersaria in id sacrificia facerent: ita Plutarch. in Antonio: quod nec prætermisit Gothofredus, schol. accuratissimus. seruatúmque semper Christianis, vt si depositum corpus loco aliquo fuerit, eruantur numquam ossa, transferantúrve aliò nisi pontifex, plena cognitione, indulserit: abrogauítque contrarium in eo morem maximè in partibus occiduis concilium Moguntinum, 1. can. 51 quod sub Carolo magno habitum est, in hæc verba: *Deinceps corpora sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine consilio Principis, vel episcoporum, vel sanctæ synodi licentia.* quò & spectat omninò lex vlt. inf. hoc tit. Narrat Socrates lib. 2. historiæ ecclesiasticæ, cap. 37. ex Græco exemplari, aut 30. ex vers. Lat. increpatum summopere Macedonium, tametsi episcopum Constantinopolitanū, ab Imperatore Constantio, quòd Constantini Magni, Cōstantij patris, absque ipsius consilio, ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης, ait textus μετακινῆσαι, i. transmouere, seu transferre, in Acacij martyris ecclesiam ausus fuisset. plura eo loco de cædibus qui ea ex causa patratæ sunt. Scio quotidianas hodie eiuscemodi translationes, & quàm inscio, nec auctore episcopo, aut parœco curione, fieri consueuerint, sed istud ideò, quia ferè statim atque expirauit defunctus, fiant, vel, si paulò pòst, collocatur dumtaxat in interiore quodam templi sacello feretrum, donec, paucis pòst diebus, deportetur in sepulchri auiti cryptas, aut in aliud quoduis cōditorium quod electum à defuncto fuerit. quæ distinctio est etiam ex Romanis legibus, in l. 3. §. non perpetuæ. ff. de sepulch. viol. Dicam pro auctario, ex Ieremiæ cap. 8. iræ diuinæ aduersus peccatores accensæ signum esse, si sepultorum ossa ex sepulchris eiici, & ad solem expandi contigerit. plura aliunde ex sacris paginis exempla quæ, nè sim nimius, prætereo. nouissima autem vulgi Paris. an. 1617. sileo, cùm in omnes orbis plagas abierit scriptis publicis.

IMP. ALEXANDER.

L. 3.

Legatum à defuncto tibi relictum, & quod in funus, vel morbum eius erogasse te, boni viri arbitratu, probaueris, præses prouinciæ solui tibi iubebit.

Componenda omninò lex 3. in restituenda. sup. de petit. hæred. ad quam dixi quantum satis.

IDEM A.

L. 4.

Si sepulchrum monumenti appellatione significas, scire debes iure dominij id nullum vendicare posse. sed si familiare fuit: ius eius ad hæredes omnes pertinere, nec diuisione ad vnum hæredem redigi potuisse. profana tamen loca, quæ circa id sunt, si semper ædificiis vicinis, vsui hominum destinatis, cesserint: eius sunt cui illa, quorum partes esse visæ sunt, ex diuisione obtigerunt.

Vide longissimum de hoc ipso scholium ad l. fundus. ff. famil. hercisc. Addo autem & nunc quæ ex quotidianis iterum curiæ iudiciis, ipsóque vsu nesciri non debeāt. Duas tātùm proponam species: in ecclesia S. Mederici, sepulcrale est oratorium quod nobili

olim fœminæ, cui nomen, de Vaudetard, ab æditituis concessum est pro ipsa, & suis, suáque familia. reliquit illa. plures intet liberos, filiam, quæ Dom. Ricoartio, Senatori, domum in parœcia ecclesiæ illius, distrahens, cumulat etiam cum tebus cæteris ius sacelli, seu Capellæ, vt loquimur, de quo suprà. obstant verò possessioni familiates, seu gentiles, tam ex hac l. quàm ex aliis quæ familiaria sepulchra constituunt. Senatus Dom. Ricoartium iure sepulchrali, ac familiari summonit, ann. 1602. die 18. Ianuar. Philb. Gilloto, & Io. Nanattoto, dicentibus. Altera, similísque quæstio disceptata etiam est in hanc hypothesim: Car. Mytonius, propræfectus Paris. emerat ab hætedibus Cancellarij, *Oliuarij*, domum in parœcia S. Germani Antissiodorens. apud Lutetiam, pariter cum sacelli iure, quale, in eadem ecclesia, ipsius hæredibus competeret, de quo iure emptor, quem dixi suprà, cum æditituis pepigerat. Posteà, rebúsque ita compositis, intercedit vna ex Cancellarij neptibus, quæ contendit ius illud sacelli vendi non potuisse ab hæredibus nisi de consensu gentilium, qui genus scilicet ab illustri Cancellarij, quem dixi, capite traherêt: cuiusmodi erat ipsa. Sepulchrorũ enim alia semper fuerunt familiaria, alia publica. Vincit tamẽ Mytonius interdicto retinendę possessionis prohibitorio. Appellat petitrix. perorant Annæus, Robertus, Laur. Bochellus, & Ph. Giratdus. Senatus, to familiariũ sepulchrorũ iure, in quo omnes de familia ex æquo admittendi sunt, specta sacelli vsum, infirmara sentẽtia, petitrici, Cancellarij Oliuarij, nepti addixit, 1602. 8. Matt. Vnum attingam, quo inter Gallos nobiles, nihil hodie, ad patronatus ecclesiastici typhum, primásque in ecclesiis rusticanis sedes, ac titulos ambitiosius, & litigiosius, maximéque vbi de re funerea agitur. Dici enim vix est, quantum sese efferat sepulchralis, in patronis istis ecclesiarum mortuis, superbia. Ambiuntur tunc ecclesiæ picto latè extrinsecus, sublatísque in altum gentis dominicæ insignibus atro vinculo, nec nisi inauratæ, ac deargentatæ intermicant, cristísque hinc illinc assurgunt cassides: pendentibus aliorsum, partéque templi intima, vexillis, atque clypeis. Taceo quid in istas κενοδοξίας, τὰς ἐν νεκροῖς κεραστεύσεις, D. Chrysostomus, Hom. 17. cap. 10. ad epist. ad Rom. funebre hoc vinculum, lituram dixere nonnulli ex nostris. Sed à lista deducendam potius, quod in vetere glossario, γραμμὴ, redditur: lineam aliàs vocamus. Verè enim ducitur vndequáque, per summum ecclesiæ parietem lugubris linea: vittámque proptereà funeream nuncupauit Nicotius in verbo, *liste*, nec tamen, vnde habeamus voces istas, *litre, ou, liste*, aperit. acceptas verò esse à Græcis, constat ex his quæ nunc profero. Grammaticum, sed necessarium. Quantum ad iura listæ, vide Bacquetium, tit. de iust. & iuro, cap. 20. imò & Turonensem cunsuetudinem, attic. 60. ac Iulliodunensem, cap. 5. attic. 2. quæ solæ omnium de his statuunt, cùm tamen vsitari istud soleat in vniuersa Gallia, eáque protius distinctione, quæ duobus suprà citatis articulis traditur: vt scilicèt Castellanus, ac is denique cuius suprema sit iurisdictio, possit extra, intráque ecclesiam, vinculum listæ ducere: patronus verò intrà dumtaxat. quod & ita nuper Senatus secundum clariss. præsidem Violium, ann. 1614. die 13. Aug. Exotica quædam in id recenseo ad l. 2. ff. hoc tit.

IDEM A.

L. 5.

Militis voluntatem quam circa sibi faciendum testamentum expreßit, & pater, & mater eius hæredes negligere non debent: nam etsi delatio hoc nomine præteritis constitutionibus amota est: inuidiam tamen & conscientiam, circa omissum eiusmodi supremum officium, & contemptum iudicium defuncti euitare non poßunt.

Singularis admodum textus in hæredes qui, spreto testatoris testamento qui fieri aliquid iussit, bona hæreditaria possident. Verè onerantur & inuidia, & conscientia: ait Imperator. Sic optimè, ac religiosissimè Imperator alter pientissimus, Antoninus, in l.

2.inf.de fideicomm. *Etsi inutiliter*, inquit, *fideicommissum relictum sit tamen si heredes, comperta voluntate defuncti, prædia, ex causa fideicommissi, auo tuo præstiterunt: frustra ab hredibus eius de ea re tibi mouetur quæstio: cùm non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Hactenus Antoninus. Quinimò & huc præclarè fecerint verba Diocletiani, & Maximiani, in l.pen. §. pen. infr. de necessar. seru. *Illo videlicet obseruando, vt si legatum, vel fideicommissum seruis, sine libertate relinquatur, maneant in seruitute: non tamen ita impij hæredes existant, vt liberalitatem testatoris, & seruiles labores debita remuneratione defraudare conentur, & non derelictum licet seruis adhuc constitutis donent.* sic d.l.pen. vbi rectissimè glo. *si enim non dederint legatum, opinionem suam aggrauant.* Christianè autem magis Panormitanus ad cap. plærique. de immunit. ecclesi. in fi. decidit enim indistinctè, teneri hæredem in foro animæ, si ei innotescat defuncti voluntas. additionémque de eo reperies ad l.23. si veritas. d.tit. de fideicommiss. inf. quę & eadem canonistarum resolutio est ad cap. vlt. de sepultur. si defunctus hæredem rogauerit vt, *ad liberandam ipsius religionem*, conscientiámve, vt loqui mos est, aliquid efficiat, quamuis aliàs summo iure peti ab eo non posset, cui, vt soluatur, mandatum est. *Bonis denique hæredibus satis est nosse voluntatem defuncti, quamuis iure destituatur*: dixit Plinius. vide plura ad cap. Raynutius. in verb. si absque liberis moreretur. 8. num. 178. vbi decidit, hæredem teneri soluere omnia legata, quæcumque illa sint, si modò testamentum expressa voluntate comprobauerit. secus si tacita: veluti, si legata quædam scienter, ex inutili testamento soluerit, nisi tamen agatur de alimentis triennio præstitis, vt in l.1. Cod. de fideicom. In cæteris eogi non potest, ex eo quod legata quædam ex inutili testamento præstiterit, nè quidem, si agatur de legato pio, quod nimitùm ecclesiæ relictum sit. Ita enim Senatus ann. 1606. die 20. Februar. me causam agente aduersus Dom. Dolæum, qui posteà Consistorianus Comes, in hanc speciem: Iacquelina Dulis, vidua Ioannis Henrion, in præfectura Parisi. procuratoris, oriundique nouo Castello apud Lotharingios, soluendis ecclesiæ Franciscanorum loci illius centum aureis damnata à præfecto Parisi. summáque, vt videbatur, ratione, fuerat. Constabat enim præstitisse illam cætera ferè quæ defunctus legasset: & quamuis ille testamenti sui effectum voluntati vxoris permisisset, blanda tamen verba aiebant perinde operari in testamentis, ac si iussisset, maximè in re pia: ita siquidem apud Iurisconsultos in l. 37. Pamphilo. in princ. l.25. si quis mihi bona. §. patet. de acq. hær. l. 11. fideicommissa. §. hæc verba. de leg. 3. l. etiam. l. & eo modo. de legat. 1. disertus autem in vxore textus legis, Vnum ex familia. §. vlt. de leg. 2. *hæc verba*, ait lex, *non dubito quæcumque vxor mea, hæres instituta, ceperit, liberis meis reddituram, pro fideicommisso accipienda sunt.* Sic & in l. Titia. §. t. de an. legat. *Domina sanctissima, scio te de amicis meis curaturam, nè quid eis desit.* &c. vocamus nos Galli, *paroles de respect*, de quibus præterea vide Molin. ad conf. Parisi. §. 1. gl. 3. num. 2. & 3. Contrà verò, & paucis, excipiebat illa de donationis suæ mutuæ effectu, cui præiudicium quacumque ratione inferri, vetat consuetudo Parisi. Quòd si quid ex testamento soluisset, liberalitati istud, ac munificentiæ adscribendum esse, non necessitati. Senatus infirmauit iudicium, propter auctoritatem legis Parisiensis, art. 286. quæ in genere superstitem donatarium legatis omnibus liberat. horam integram dixi: totâque sessio matutina perorando hinc inde absumpta est ob celebritatem quæstionis. vrgebat enim maximè legati modici pietas. sed vicit consuetudo.

IDEM A.

L. 6.

Monumentorum inscriptiones neque sepulchrorum iura, neque dominium loci puri ad libertos transferunt.

Vidus Papius, q. 582. num. 4. censet huiusmodi inscriptiones plenam quidem fidem non facere, efficere tamen vt res sit notoria. laudátq; Baldum ad hanc l. qui te vera eius sententiæ est. Imò & fidem ex iis fieri respondet consil. 310. lib. 5. quod & ipsum glossa

ad cap.cùm causam de probation. Sic prætereà Decius consil.135 num.1.probari scribi ius patronatus ecclesiastici inscripto ecclesiæ tumulo, seu marmore, vetustissimo, vt loquitur. Ita etiam in genere, implicitóque satis sermone, Bartolus, ad hunc textum: atque, ante eum, Speculator, titu. de probationibus.§.videndum. Certi autem iuris est, sepulchralia hæc probationem quidem afficere, sed non conficere: nec tam abs re vsurpat Gloss. altera Horatianum carmen, ad cap. quanto. in verb. patris. de iureiur.

—pictoribus, atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Pingi enim, sculpi, inscribique quiduis nihil impedit, prout animo pictoris, sculptoris, magistri ve operis insidet. ferèque dixerim quod apud nos in adagio, *le papier souffre tout.* sine contradictore enim istud. Inde maximus rei forensis interpres, Molinæus, inscriptiones, inquit, in columna, vel lapide probationem inducunt in iis quæ inferant præiudicium nemini: aliàs enim adminiculantur tantummodo: sic ille ad d. cap. cum causam. in verb. *columna, vel lapide.* de probation. Argumenta hæc duci sæpissimè vidimus ex vitris ecclesiarum: imò & ex Nolis, seu campanis, quatenus antiqua in illis superesset inscriptio, vnde nobilitatis, tituli ve alterius indicium, notáque auxiliaris accederet ad iudicialem controuersiam. Qui autem animum explere voluerit, legat Aymoinum Crauetam, non ita vilem scriptorem, libro, de antiquitate temporum, parte prima. Excipio tamen, nisi à persona publica, locóque in publico, aliquid, ad æternam rei memoriam, inscriptum fuerit. fides enim eo casu haud leuis. vt ostendi suprà ad tit. Vt nemo priuatus titulos &c. prædiis suis, vel alienis imponat. ex disticho quod tantæ olim litis materiam Græcis omnibus præbuit aduersus Lacedæmonios, quia duxeorum, Pausanias, ambitiosa temeritate, inscripsisset illud Tripodi Delphico, donato Apollini ab vniuersa Græcia, post fugatos Persas. Causa illa, vt ibi cōnoto, acta est apud Amphyctionas, penes quos summa iudiciorum quæ ad statum Græciæ. Damnarunt verò Lacedæmonios totum istud de tripode exscalpere, ac incidere nomina vniuersarum vrbium quæ stupēdam, ferèque inenarrabilem, aut potius ἀνείλατον, vt apud Herodotum videre est, hostium vim fregissent, planéque euertissent. Plura de hoc dissidio Demosthenes ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας, si tamen oratio illa sit Demosthenis, atque apud Æmilium Probum in vita Pausaniæ, in princip. Celeberrimum hoc equidem priscis iudiciis: meritóque damnata Spartiatarum ambitio, arrogātium nempe sibi gloriam cuius tota erat Græcia particeps. Adulterina enim isthæc Pausaniæ inscriptio adulterasset procul dubio, ex doni, locíque celebritate, qua tunc nulla in orbe maior, rei tantæ famā gestæ historiam. Distinguendas denique personas mediocres puto ab optimatibus, Ducibus, Principibus, in mediocribus, afficitur tantùm, ex eiuscemodi titulis, inscriptionibúsque publicis, probatio: eóque sensu accipienda Molinæi sententia. In maioribus autem, siq; à personis publicis inscriptio facta sit, summa illa probatio: atque ita intelligendus locus Lactantij lib.1.diuinar.instit.cap.11.vbi de Euhemerio quodam loquens, ciuitatis Messanæ ciue, quem scribit res gestas Iouis, & cæterorum qui dij putabantur, ex titulis, ac inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, collegisse. plura eo loco, qui sanè singularis.

IMP. PHILIPPVS.

L. 8.

Ius familiarium sepulchrorum ad affines, seu proximos cognatos, non heredes institutos, minimè pertinet.

Iunge l.13.ius sepulchri. hoc cod. titu. & quam propterea neque explicabo longiùs, cùm idem statuat. Rectè glossa, in verb. *affines*, excipit generum, & nurum, cùm familiæ appellatione contineantur: vt ostendo variis locis ad Pandectas, maximè ad l. cùm pater. ff. de pact. dotalib. vide autem ad l.4. si sepulchrum. sup. hoc tit.

nus ominis esse adijeit, quàm illum Arabiæ scopelismum, damnatum à Iurisc. in l. sunt quædam. ff. de extraordin. crimini. *Si quis defixisset crucem in campo Martio, tam ominosus postea fiebat locus, ut nec illac transire liceret, donec expiatus fuisset.* scripsit Tullius. Denique, infirmata Præsidalium sententia, censuit ordo amplissimus referendum esse à tortore probrosum illud patibuli cadauer, figendúmque denuò circa meridiem in eodem ipso loco vnde exportatum fuerat, concomitantibus, nudáque capita componentibus, accusatore, & apparitore. infamiæ tamen gratiam fecit.

IIDEM AA.

L. 12.

Mortuorum reliquias, nè sanctum municipiorum ius polluatur, intra ciuitatem condi, iampridem vetitum est.

Abundè dixi ad l. 2. ff. hoc tit. & ad l. 2. sup. de sacros. eccles. plurima etiam Chopinus lib. 1. tit. 2. monastic. prætérite autem hîc non possum quod ann. 1588. mens. Iulio, iudicauit Senatus, me causam agente in deaurato auditorio, aduersus Deschampium: posse videlicèt eorum corpora qui contagione interierint, sepeliri, & in hortis, & in cæteris quibuscumque locis profanis, prout impellit mali grassantis necessitas. Infirmatum enim iudicium est presbyteri, & sex Lugdunensium vnà ciuium, qui cùm, vastante illa lue pestifera, solandis, curandis, iuuandísque ægris, pietate Christiana, præfecti ab vniuersis fuissent, eò iurisdictionis eruperát, vt misellum, Verderium, nomine, pro quo verba faciebam, octingentis aureis mulctarent ann. 1586. die 24. Maij, ob sepulta ab eo in horto domestico tria, aut quatuor familiæ suæ corpora. mirúmque Senatui visum est, inscriptum esse iudicium presbyteri nomine, ac cæterorum quos nominaui suprà: id enim, quasi essent iudices qui in omnes in vrbe commorantes statuendi ius, auctoritatémque haberent de re omni quæ ad eiusmodi stragem pertineret: cùm tamen instituti duntaxat in hoc fuissent, vt ægros curarent, nec verò vt iudicarent. Lectum iudicium est indignante Senatui à Dom. Guesslæo, procuratore Catholico, qui tunc in causa dicebat, vt in aliis plurimis, in quibus, à tumultu Maij Lutetiano, ad finem vsque sessionis Senatus, nempe ad septimum Septembr. suffecit optimè, ac eruditissimè, patronorum fisci præsentiam, qui ex eo tempore vrbem verè popularem, & sacro suo capite, id est, Principe, orbatam reliquerant. Deliria illa vulgi, dissensionúmque ciuilium particulam de poëmate epico, quod in nouem libros, quando aliud ferè nihil liceret, ann. 1589. & 90. produxit vnus è nostris, discet forsan,

—— ἐμεῦ οὐκέτι ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, studiosa posteritas.

IMPP. VALENT. THEOD. ET ARCAD.

L. 14.

Nemo humanum corpus ad alium locum, sine Augusti affatibus, transferat.

Glossa refert ad Rom. Pontificem quod de Augusto, seu Principe hîc dicitur. Sed notabitur ex vsu, permittentibus solis loci cuiusque episcopis istud fieri. putabam & parœcis quoque presbyteris, per suas ecclesias, licere. comperi autem ex Nauarro, aliísque Theol. Casuitis, vt vocant, contrarium. Adiui quinetiam episcopi Paris. Vicarium, qui confirmauit mihi hoc ipsum de episcopali iure quod publicè nunc edo seruatum deinde id nuper in transferendis tecisæ S. Srephani Montani, ad ampliandum templi, verè dædali, vestibulum, compitúmque, ossuariæ. nec alius denique mos vbique Christiana-

rum gentium. plura vide ad l. 1. sup. hoc titu. Vide etiam ad l. ossa. ff. eod. quatenus cognoscant laici iudices de edictalibus Non-catholicorum cæmeteriis. In quo & addam mandasse amplissimum ordinem, ann. 1600. die 26. Aug. soli iudici laïco Carnutum, atque procuratori regio assignandi Agelli prouinciam ad sepeliendos eorum mortuos. Quatuor in summa textus in iure reperio, qui principalem, Pontificalémque auctoritatem in hoc memorent, vt seu de testamentis, seu de sepulturis ordinandis, simul cognoscant vtriúsque imperij iudices: Primus est in l. hæredias. §. si defuncto. de perit. hær. Secundus in l. ossa. de religios. Tertius in l. vlt. de mort. infer. ff. Quartus hic noster est. ad quos etiā spectare multùm videtur locus Zosimi, ex aduocato fisci, lib. 4. historiæ nouæ, vbi longo satis sermone tradit vtriusq; potestatis mixturā in Romanis Regibus, posteáq; in Imperatoribus. Istud enim vt à Numa ad Octauianū, seu Augustū, deducit, ita & subiungit cōtinuò, inaugurationes Regū, Imperatorúmve nunquā fieri solitas sine amictu sacerdotali, qui tūc à Pontificibus offerebatur, cùm summū quisq; imperiū accipiebat, adiūgebatúrq; eodem munére pontificis maximi titulus. Cùm Pontifices, inquit, de more Pontificalem Gratiano amictum attulissent, auersatus est, ratus fas non esse eo, vti Christianū Principem. Notat verò subinde Gratiani imperitiam, quòd inaugurationis imperialis partem illa obtinerent: vt nec vllus vnquam Imperator Romanus, quantumuis Christianus, qui eo habitu, cùm inaugurāretur, non fuerit. Sic Israëlitici olim Principes, vt ex sacris paginis liquet: Sic & Reges Gallorum: qui dum inunguntur, tunicam subdiaconi, ritu antiquo. primùm induunt, posteà Dalmaticum Diaconi pallium, ac deinde pallium regium, quod sacræ pōderis instar est, vulgò dictæ à nostris, *vne Chasuble.* Arguunt ista, nouum videri non posse, si in quibusdam sortiatur Rex Galliæ, impleatque vices episcopi: vt, inter cætera, in collationibus regiis, (vocant nostri, *collations en regales*) quæ hodie per vniuersum orbem Gallicum: imò & in cæteris quæ per plures ecclesias, cuiusmodi est Veromanduana, Quintinianáve in secūdo Belgio, seu Picardia, vt loquimur: at verò & sacella Luteriæ, Vincennarum, Auarici Biturigum, Diuionis, Borbonij antiqui, apud Boios, aliáque regia: collationes tamē pro iucundo aduentu excipio, vt quas reprobauerit Senatus: quod alibi, ad pandectas, ostendo fusiùs: quamuis sciam iudicari contrarium à magni consilij iudicibus. Curita, viderint. persequor enim maximè quæ moris sunt Gallici, quē antiquari pariter omnium quam ordo amplissimus. Sio autem progredi liceat: ferè nemo nescit, primatem adeò canonicorum esse Regem nostrum in pluribus regni ecclesiis, vt, seu adeat Martinianam, apud Cæsarodunum Turonum, seu Hilarianam, apud Pictones, Anianam, apud Aurelianos, Andeosem, Cœnomanam, Quintinianam, & alias complures, Amictus Pelliceus, subpelliciúmque offerantur ingredienti ab vniuersis canonicis, quæ & reipsa accipit. Pontificalique insuper, penè dixerim, manu, ac benedictione scrophulas, seu strumas sanat diuinitus per statos dies. Nulli vnquam Principum medica illa è cœlo virtus obrigit. Obseruabo tamen in cæteris quod notum penè nisi iis qui diu, per longáque rerum experimenta, in foro nostro versati sint: committere videlicet Regem Gallorum non posse, nè quidem Augusto suo, seu Delphino, vt loquimur, quæ ipsi, vt Regi, Pontificia iura competunt: incessibiliáque proinde esse, quaecumque occasione, aut velamento, iura collationis regiæ. Quod si fecerit, nihil agit, vt sæpe & nostra ætate, & olim sub Ioanne Principe, visum est. habet enim ista quæ connumero, vt iure singulari, & cuius par, eadémque, ac regni, sceptríque ipsius, origo est: ita nec in personas quascumq; delegatas transeunt: sed vt fungatur ipsemet, ἐ αὐτίκως, necesse est: cùm tamen essent olim nonnulla apud Imperatores Constantinopolitanos, in quibus possent illi sufficere ὑπαλληλίοις, id est, delectos quosdam summæ dignitaris viros, qui Imperatoris partes in ecclesiastico iure obirent. Ita enim apud eruditissimum, sagacissimúmque scriptorem, reperio.

L. vlt.

Alearum vsus, antiqua res est, & extra operas pugnatorias concessa verùm pro tempore abiit in lachrymas, multa millia extranearum nationum suscipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum scientes, sed numeratione tantùm substantias proprias perdiderunt, die, noctúque ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro: consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare deum conantur, & instrumenta conficiunt. Commodis igitur subiectorum prospicientes, hac generali lege decernimus, vt nulli liceat in publicis, vel priuatis domibus, vel locis ludere, neque inspicere. & si contrà factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his qui dederunt, aut eorum hæredibus: aut, his negligentibus, ab eorum procuratoribus, vel patribus, seu defensoribus, repetit fiscus, non obstante nisi quinquaginta annorum præscriptione: episcopis verò locorum hoc prouidentibus, & Præsidum auxilio vtentibus. Deinde verò ordinent quinque ludos, μονόβολον, (id est, *singularem saltum*) κοντομονόβολον. (id est, *saltum conto suffultum*) κύνταρον κοντάκι χωρὶς τῆς πόρπης. (id est, *iaculationem hastæ, pili, vel conti, sine cuspide*) πάλη, (id est, *colluctationem*) *&* ἱππική, (id est, *Troiam siue Pyrricham, curriculum equorum.) Sed nec permittitur etiam in his ludere vltra vnum solidum, etiamsi multum diues sit: vt si quẽ vinci contigerit, casum grauiorem non sustineat. Non enim bella solummodò benè ordinamus, sed & res ludicras, &c. prohibemus etiam nè sint equi lignei, & si quis ex hac occasione vincatur, hoc ipse recuperet: domibus eorum publicatis, vbi hæc reperiuntur.*

Primùm solidus hîc de aureo Romano intelligendus est, vt liquet ex l. quotiescumque. de susceptor. & arcariis. lib. 10. Aureúmque Romanum duo è nostris constituunt, docente non solùm Budæo, libris de asse, sed vsu quotidiano aurificum æstimantium libram auri 144. aureis Gallicis, cum 72. aurei Romani libram conficerent, d. l. quotiescúmque. merebatur istud notam. Interieci autem explicationes ludorum, de quibus in textu, quales tradit Cuiacius in paratitl. retentísque ludi cuiúsque nominibus quæ ipse in locum barbarismi veteris subiecit. Barbara enim irrepserant quæ nullius prorsus significati. Prætermittam τὸ μονόβολον, κοντομονόβολον. villaticæ enim exercitationes, ac rusticæ. Quantum ad colluctationem, & equorum curriculum, dixi ad l. qua actione. ad l. Aquil. & ad l. apud Labeonem. de præscrib. verb. ff. Quantum ad Quotanam, passim ferè illa quotannis, maximéque Lutetiæ, & Rothomagi, mens. Iull. renouari solita est in hunc morem: duo lintres sursum alter, altérque deorsum remis ocyssimè adactis impelluntur ex aduerso. prostant vtrimque lintrarij singuli in summa lintris puppi, nudi adúsque interulam, thoracati, paratique obtusum contum dirigere in thoracas mutuos, (vocamus nos Galli, *plastrons*.) Ambóque ita irruunt, vibrant sudes, ac thoracibus inter se oppositis excipiunt. Robustior inferiorem in Sequanam deiicit. Cachinni tolluntur. enatat deiectus ad lintrem proximum: palmariúmque deturbanti addicitur. paucis habes quod diem integrum inter mille otiosos spectatores eximit.

rent ad munitissimum Syriæ castellum, captum à Francis, cui nomen, *hazard*, tantáque frequentia, vt ludus *hazardi* diceretur, de more, inter milites ludus aleatorius. Ita vidi semper conijcere, ac sentire, eruditiores ad eam Tyrij obseruationem, quemadmodum & ludos Tertullianus ait, libro, de spectaculis, dictos esse à Lydis, Hetruriæ populis, vnde vsus Romam primùm inuectus est.

Probibemus etiam nè sint equi lignei.

De equis ligneis, quos etiam textus meminit, quid subijciatur, planè, quasique ad inciras impulsus, non video. Breuiuscula apud Nicetam, in Alexio Commeno, lib. 3. descriptio est fabricæ cuiusdam ligneæ, quam vulgus vocabat, ξυλάλογον, seu, vt vertunt eruditi, equum ligneum. sed vt equũ illum ineuntem Theatrum auctor adijcit, ita nec vlteriùs quicquam, ex vsu tunc recepto, aperit. Cuiacius transcurrit in paratit. nec explicat. Ant. Contius, in prætermissis, lib. 1. Cod. tradit ex Balsamone, diuersísque eorum sententijs qui de aleatorij huius ludi specie, apud Imperatorem, disseruerant, quod rem tantò magis in occulto, vmbrísque volut Cimmeriis, collocet. Sunt qui ad equum ligneum referant, quem, discendæ equitationis studio, pede adeò agili inscendunt adolescentes equites, vt quasi prætervolitent: aiunt vernaculo nostro, *Voltiger*. Imò & sponsiones eo nomine faciunt, quis nempe agiliùs, leuiùs, altiúsque summum Ephippij lignei orbem circumegerit. In quo tamen, nisi peritè, solerter, industriéque agatur, attrita fit sæpius virilitas. Sed cùm exercitationes illæ sint equitum, quas & alibi meminimus, putà ad l. apud Labeonem. ff. de præscript. verb. nihil, vt videtur, ad equos de quibus in textu: nec propterea quicquam, quòd ad nostros mores faciat. Sonum denique vocis habemus, rem non habemus. Sperabam comperturum me quippiam apud Hieronym. Magium, libro, de equuleo. obiter enim, & per occasionem, attingi aliquid poterat inter iudiciales illos equulei cruciatus quos describit studiosissimè, sed nihil planè occurrit quod ad equi lignei historiam. permittatur ergo intactum istud fœlicioribus:

—— ὡ ζῆς ἀνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Domibus eorum publicatis.

Confirmatum istud à Senatu, tradit Chopinus ad consuetud. Paris. lib. 3. titu. 9. nu. 15. ann. 1547. 6. Calend. April. id est, die 27. Martij, post Rebufum, ad constitutiones regias. Placuit enim domum proprietarij qui collusores istos, de more, exceperat, fisco committi. plura ille eo loco. & cùm anno 1618. die 13. Augusti, de Picardi, tesserariorũ principis, creditoribus actum in tertia inquisitionum classe fuisset, quis inter eos foret potior. tam præclaro, memorabilique exemplo pronuntiarunt præstantissimi classis illius iudices aduersus vnum ex creditoribus, qui dicebatur, *Cotart*, vt, quia aulæi, seu tapeti octo pereximias species Picardo, inque Picardi ipsius ædibus, ac, medios inter collusores, vendiderat quindecim librarum millibus, quarum, in menses singulos, quingentæ soluendæ essent, donec totum rei venditæ pretium exolutum fuisset: pretium non publico dumtaxat, sed pauperibus implacabiliter addixerint. Cuius Senatusconsulti vt me monuit Dom. Durantius, decuriæ illius Senator laudatissimus, ita & euulgo hodie fideli opera, ad coërcendam, quà fieri possit, ex seueritate non quasi vnius iudicij, sed plurium, quæ alibi, ad Pandectas, colligo, tam exitiosæ Macedonianorum fœneratorum turbæ rapacem, infamémque in nepotantes aleatores, iuuenes nempe familiarum honestiorum perditissimos, esuriem. eò accedit locus D. Augustini. ep. 541. ad Macedonium, vbi addicenda pauperibus lucra aleatoria, statuit. vide & Ascon. 2. diuinatio. vbi damnantur eiusmodi lusores in quadruplum, scripserat in lite Io. Tronconius, accuratus patronus. Pauca supersunt ad aleatoriarum domorum prisca, trecentiáque nomina Dicta equidem loca ista à Græcis, κυβευτεῖα, reperio: à Romanis nullo nomine: Berlana, imò & Academias scilicet, Galli nostri vocitant; demitor autem quo improbo

more Athenienſes, (quos eruditus nemo neſcit *ſapiendi acutiſſimos* : ſic Tertullianus lib. de anima.cap.20.) aleatores ludere in templo Mineruæ, (quæ prudentiæ dea) tolerauerint. Ita enim Euſtatius, ὀδ. α. Ἐσπουδάζετο ἡ κυβεία οὐ μόνον παρὰ Σικελοῖς, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναίοις, οἳ καὶ ἐν ἱεροῖς ἀθροιζόμενοι ἐκύβευον: καὶ μάλιστα ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, τῷ ἐπὶ Σκίρῳ, ἀφ' οὗ ἤ καὶ τὰ ἄλλα κυβευτήρια, Σκιράφια ὠνομάζετο. ἐξ ὧν καὶ πάντα τὰ πανουργήματα, διὰ τὴν ἐν σκιραφείοις ῥᾳδιουργίαν, σκίραφοι ἐκαλοῦντο. id eſt, exercebatur res aleatoria nō ſolùm apud Siculos, ſed etiam Athenienſes, qui & in templis coaceruati alea ludebant:& maximè in Mineruæ Seironiæ templo, à quo & cætera aleatoria loca denominata ſunt: ex quibus & verſutiæ omnes ob falſitatum, in Seiraphiis, frequentiam, vocabantur Seiraphi. Sic Euſtatius ad verſ.

Πεσσοῖσι προπάροιθε θυράων θυμὸν ἔτερπον,

id eſt, talis ante fores animum oblectabant. longè plurima de aleatum luſu, illo loco.

FINIS.



T

N

M

ES



LIBER QVARTVS COD.

TIT. DE REBVS CREDITIS, ET IVREIVR.

PRÆFATIO.



PEROPTIME equidem totus hic liber quartus inscribitur, *de rebus creditis*. nullus enim ab initio ad finem vsque, seu titulus, seu textus, in quo non agatur de actione quæ, quacumque ex causa, competit aduersus eum cui in creditum abierimus, & cuius fidem secuti fuerimus, iuxta definitiones generales tam legis 1. ff. de reb. cred quàm legis, creditores. & legis, creditorum. de verb. signif. Inde appellatur vulgò, *liber contractuum*, quorum vt vsus vbique longè maximus, ita & commendatissimæ, frequentissimæq; in foro leges quas complectitur. Sique exploranda eruditio seu Senatoris, seu iuridici prouincialis, qui cooptari, admittíque à Senatu aueant, fit illa sæpius, ac de more, ex aliquo libri huius (qui verè ad eam partem, διαμαστικῶς) textu ad quem redigatur futura in paucos dies disputatio. Aggredior igitur & nunc libri verè forensis interpretationem, si tamen & præfati nõnulla vlterùs apud te liceat Illustrissime Segueri, cùm adornata sint à me non pauca ad hunc sublimem, asperúmque negotiorum forensium verticem, quæ sæpius, domesticáque inter diuerbia, à te didici. Tibi equidem, Vir ornatissime, debetur iuréque singulari non modò ea gratia, sed quia insuper à 30. annis, atq; ex quo tempore Regii oratoris personam sustinere in Senatu, eminenti famæ fastigio, cæpisti, perpetuo me interioris amicitiæ tuæ beneficio, familiaribúsque domi alloquiis in quibus multum semper profeci,, dignatus es. Plaudóque mihi persæpe, quòd gratum aliquando tibi veniat, meminisse exiguitatis meæ veteres, quotidianósque olim in auditoriis publicis labores, quos vt ab anno. 1581. graues tanquam sarcinas, per plena horridis scopulis loca, in annum 1612. produxi, ita & hodie, quietiora inter fori negotia, emitto quæ à censoribus cuiusquemodi, notis, ignotisque, gratiam ineant, si modò & tibi placitura sint, tibi in quem oculorum, ingeniique aciem perpetuò conieci, sed ex ea hora maximè qua, anno. 1584. in mediam auditorij deaurati lucẽ, propræfectus Parisiensis cúm esses, venisti, & publicè, passisque imperantis eloquentiæ velis, in patronum, qui de te obliquum aliquid perorando, per occasionem pronuntiati à te iudicii, contigerat, egisti. Miratus verò sum posteà, quamdiu laboriosum regiæ tuæ causidicinæ decennium stetit, infractas animi vires, quibus dignitatem ingeniosi, eruditi, operosissimique muneris defendisti: præsertímque Cæsaroduni Turonum, vbi, quanta esset ingenii, iudiciique tui sublimitas aduersus obluctantes quasi maris vndequaque æstuantis ventos, agnouere tandem quibus semper immotus, alterque vt Cato, *in hoc, illudque latus mundi*, (quod apud Lyricum) visus es. Adauxit autem tantò altiùs famam nominis tua apud Venetos legatio an. 1598. quantò sagaciorem te te, solertiorem, viuaciorémque apud potentissimum Henricum Magnum, in tacitis, opertisque Aulicorum illius ætatis consiliis, præstitisti. Vt enim legationi honoratissimæ quæsitus ab illis color est, ita &

Te benigno numine Iupiter *Defendit, & curæ sagaces.*

Rediisti enim victor, quasi laureatus, primásq. (quod nõ sperabatur) seruatæ sẽper tuæ dignitatis infulas in foro, vt publicè iterũ, in quotidianis afflictarũ litiũ, Iurisq' dicũdi, adiumentis, consuletes, recepisti. Quisquis cælibem olim tuam vitam audiat, Platonicum vesperum, prudentiam, & annos Nestoris, exercitam muneribus, negotiisque,



LIBER QVARTVS COD.

TIT. DE REBVS CREDITIS, ET IVREIVR.

PRÆFATIO.



EROPTIME equidem totus hîc liber quartus inscribi-
tur, *de rebus creditis* nullus enim ab initio ad finem vsque,
seu titulus, seu textus, in quo non agatur de actione quæ,
quacumque ex causa, competit aduersus eum coi in cre-
ditum abierimus, & cuius fidem securi fuerimus, iuxta de-
finitiones generales tam legis 1. ff. de reb. cred quàm legis,
creditores. & legis, creditorum. de verb. signif. Inde ap-
pellatur vulgò, *liber contractuum*, quorum vt vsus vbique
longè maximus, ita & commendatissimæ, frequentissi-
mæq; in foro leges quas complectitur. Sique exploranda
eruditio seu Senatoris, seu iuridici prouincialis, qui coo-
ptari, admittique à Senatu aueant, fit illa sæpius, ac de more, ex aliquo libri huius (qui
verè ad eam partem, *διαμαντικῶς*) textu ad quem redigatur futura in paucos dies disputa-
tio. Aggredior igitur & nunc libri verè forensis interpretationem, si tamen & præ-
fari nōnulla vlterùs apud te liceat Illustrissime Segueri, eùm adornata sint à me non
pauca ad hunc sublimem, asperúmque negotiorum forensium verticem, quæ
sæpius, domesticáque inter diuerbia, à te didici. Tibi equidem, Vir ornatissime,
debetur iuréque singulari non modò ea gratia, sed quia insuper à 30. annis, atq; ex
quo tempore Regii oratoris personam sustinere in Senatu, eminenti famæ fastigio,
cæpisti, perpetuo me interioris amicitiæ tuæ beneficio, familiaribúsque domi alloquiis
in quibus multum semper profeci,, dignatus es. Plaudóque mihi persæpe, quòd gra-
tum aliquando tibi veniat, meminisse exiguitatis meæ veteres, quotidianósque olim
in auditoriis publicis labores, quos vt ab anno. 1581. graues tanquam sarcinas, per plena
horridis scopulis loca, in annum 1612. produxi, ita & hodie, quietiora inter fori nego-
tia, emitto quæ à censoribus cuiusquemodi, notis, ignotisque, gratiam ineant, si modò
& tibi placitura sint, tibi in quem oculorum, ingeniique aciem perpetuò conieci, sed
ex ea hora maximè qua, anno. 1584. in mediam auditorii deaurati lucē, propræfectus
Parisiensis eúm esses, venisti, & publicé, passisque imperantis eloquentiæ velis, in pa-
tronum, qui de te obliquum aliquid perorando, per occasionem pronuntiati à te iudi-
cii, contigerat, egisti. Miratus verò sum posteà, quamdiu laboriosum regiæ tuæ cau-
sidicinæ decennium stetit, infractas animi vires, quibus dignitatem ingeniosi, eruditi,
operosissimique muneris defendisti: præsertímque Cæsaroduni Turonum, vbi, quanta
esset ingenii, iudiciique tui sublimitas aduersus obluctantes quasi maris vndequaque
æstuantis ventos, agnouere tandem quibus semper immotus, alterque vt Cato, *in hoc,*
illudque latus mundi, (quod apud Lyricum) visus es. Adauxit autem tantò altiùs fa-
mam nominis tua apud Venetos legatio an. 1598. quantò sagaciorem te te, solertio-
rem, viuaciorémque apud potentissimum Herricum Magnum, in tacitis, opertísque
Aulicorum illius ætatis consiliis, præstitisti. Vt enim legationi honoratissimæ quæsi-
tus ab illis color est, ita &

Te benigno numine Iupiter *Defendit, & curæ sagaces.*

Rediisti enim victor, quasi laureatus, primásq. (quod nō sperabatur) seruatæ sēper tuæ
dignitatis infulas in foro, vt publicè iterū, in quotidianis afflictarū litiū, Iutísq. dicūdi,
adiumentis, consuletes, recepisti. Quisquis cælibem olim tuam vitam audiat, Plato-
nicum vesperum, prudentiam, & annos Nestoris, exercitam muneribus, negotiisque,

publicis vitam, numerosam eminentium ex fratribus, sororibúsque nepotum seriem, qui re omnes, vt patrem obseruant, sanctam opulentiam, commodam, medio in senio valetudinem, perpetuum literarum studium, inimicam conspiciliis oculorum perspicaciam, senium purpuratorum honoratissimum, amænissimam denique totius vrbis interamnē domum; Vlláne vnquam, ille dixerit, humana optabilior beatitas? Faxit DeusOpt. Max. Vir ornatissimè, vt si quę in cęterovota tua sint, addatur iis perpetuitas.

IMP. ANTONINVS. L. I.

Causa iureiurando ex consensu vtriúsque partis, vel ab aduersario inferente, delato, & præstito, vel remisso, decisa: nec periurij prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur.

Componenda maximè lex, 21. Quod si deferente. ff. de dolo. Glossa hîc vulgatis in schola, & foro, vt tres sint iurisiurandi species: voluntariũ, iudiciale, ac necessarium. De iudiciali, & voluntario agit noster textus, qui proinde sic facilè conciliabitur cum l. Admonendi. ff. de iureiur. vt quæ loquatur de necessario. nec pugnabit etiam lex vlt. inf. hoc eod. tit. cùm ibi fauor vltimarum voluntatum vnicè præualeat. Distingunt alii iusiur. obligatorium à litis decisorio: vt sit nempe obligatorium, cùm quis iurato promittit: cuiusmodi est iuratoria cautio in §. sed hodie instit. de satisd. exempla sunt passim, hoc eod. tit. lib. 2. decretal. Litis decisorum est multiplex, vnum voluntarium, & conuentionale: cùm scilicèt extra iudicium, ac sine iudice, defertur de consensu, atque ex conuentione partium. de hoc nostra hæc lex 1. Aliud vocatur ideò iudiciale, quia à parte parti in iudicio: licet tamen nulla incumbat iurandi necessitas ei cui delatum est, datur enim electio vel subeundi iurisiur. vel referendi cap. vlt. ext. eod. hoc tit. Necessarium est, cum iubet iudex iurare ob inopiam probationum, tunc enim iurandum est necessariò, vt docent variis locis glossæ, & interpretes, putà ad hanc l. t. ad §. Item si quis postulante instit. de actionib. & ad d. cap. vlt. ext. hoc tit. Cum autem vtrúmque, & voluntarium, & necessarium dici possit iudiciale, quia præstetur in iudicio, tametsi diuersis ex causis, seu, vt loquuntur, respectibus, vix vt celeberrimus noster Cuiacius, & Germanus, Vesembecius, reiicere, damnaréque tam facilé debuerint veterum doctrinam, græca quædam scholia amplexi. Clarum quippe ex breui hac nota, quàm bene, apposiréque in eo veteres. Iurisiurandi etiam decisorii speciem constituunt interpretes in eo quod dicitur iuramentum purgationis, Auth. nouo iure. de pœna iud. qui malè iudicauit. & tit. 34. de purgatione canonica. lib. 5. decretal. Sed planè ab vsu recessit, ob nimiam ex inanibus aquæ frigidæ, aut calidæ, ferríque igniti, ad veritatis indicia, experimentis, fallaciam, vt trado fusiùs ad l. 5. §. 1. ff. hoc tit. Cæterùm occurrere persæpe vidimus in publicis causarum actionibus, vt, si ex quodam causæ momento facere ad rem putent iudices si audiatur alteruter litigantium, siq; de dubio quodam capite affirmet, deferant palam, ac publicè iusiurandum, quatenus exposcit causæ necessitas, suppletúrque ex eo interdum, religionéque ex illa iudicãtium quod aliàs non ita clarum, perspicuúmque videant. Raró tamen actor iusiurandum ab aduersario exigit, aut econtrà, quo decîdatur lis, terminetúrque negotium, nè dolear exegisse: *ob non virginalem scilicet affirmantis conscientiam*, vt loquitur D. Cyprianus: & quia *perfidum ille sacramentum dixerit.* Accedat verò pium, ad incidentia hæc, D. Augustini consilium, sermone, de periuriis: *Qui exigit iurationem*, ait ille, *multum interest si nescit illum iuraturum falsum, an scit. Si enim nescit & ideò dicit, iura mihi, vt fides ei sit: non est peccatum: tamen humana tentatio est. Si autem scit & cogit eum iurare, homicida est, Ille enim se suo periurio interimit. Sed iste manum interficientis, & impressit & pressit.* Egregiè Iuuenalis, Sat. 13. ——*nescis,*

Quem tua simplicitas risum vulgò moueat, cùm
Exigis à quoquam nè peieret, & putet vllis
Esse aliquod numen templis, araque rubenti? Et pòst,
Tam facilè, & pronum est, superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat, aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constan tia vultus:

Per solis radios, Tarpeiáque fulmina iurat,
Et martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis, pharetrámque puellæ.

Plura sunt eo loco, in quo vt de discinctis hinc illinc suæ ætatis moribus queritur, sic & dissimulari haud possit quantis hodie operiatur veritas periuriorum, scelerúmque omnium infamibus maculis, maximéque apud nostrum immane hoc seculum. Meritò sanè quis dixerit cum Petronio, *Nemo cælum putat, nemo iusiur. seruat: nemo Iouem pluris facit: sed omnes opertis oculis bona sua computant.* Vide plura, si lubet, ad hunc eumdem ti. ff. Verissimè denique Rebufus, in procemio constitutionum regiarum, pag. 23. cùm notat, non seruari legem, admonendi. ff. legem, in bonæ fidei. inf. hoc tit. imò nec legem, si quando. inf. vnde vi. vix enim defertur iusiurandum in supplementum probationum, etiamsi semiplenè probatum sit: & quidem id rectissimè, ob peieraturi aduersarij periculum, hísque potissimùm æui occidentis colliquiis. Tamen si agatur de modico, sique petitor sit vitæ honestioris, nec suspectæ fidei, censet eo casu Vidus Papius, q 614. standum esse iotamento petentis. dat ille exemplum de sacerdote curione, vel Franciscanorum rectore, quibus legata sit ad faciendas missas pro defuncto, pecunia. Illis enim creditur, si modò sese eas celebrasse affirmauerint. quò & spectat decisio legis, Theopompus. ff. de do. præleg. Non seruamus etiam Nouellam Friderici, sup. si aduersus venditio. ad quam fusissimè in hoc dixi. Præclara autem æquitatis ratione mouetur Papinianus in l. cum patet. §. filius. de leg. 2. vbi respondet fideicommissa etiam ex testamento nullo præstanda à matre, quæ iurauit morienti, testantrique filio, sese post mortem illius, præstituram. *filius*, inquit, *matrem heredem scripserat & fideicommissa tabulis data cum iurisiurandi religione, præstari rogauerat, cùm testamentum nullo iure factum esset. nihilominus matrem legitimam hæredem cogendam præstare fideicommissa respondi. nam enixa voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrecta videbantur.* Sic Papin. vide in causa capitali, ad l. manifestæ turpitudinis. ff. hoc ti. de Reo qui iuramento accusatoris innocentiam suam subijcit: admittendum enim hoe, ex doctrina Boërij, q. 86. atque ex Senatusc. ostendo.

Nisi specialiter hoc lege excipiatur.

Id est, nisi in casibus à lege expressis. Casus autem ille est, inter cæteros, si iuramẽto præstito, sententiáque in id lata, repcriatur de nouo instrumentum quod periurium manifestissimè commonstret. tunc enim retractandum iudicium. vt in l. admonẽdi. ff. atque in l. vlt. inf. hoc tit. quod & Baldus hîc. atque post eum, & glossam, Cuiacius lib. 18. cap. 35. obseruatio. frequens istud. vide quæ in hoc ipsum glossa ad hanc l. 1.

IMP. ALEXANDER.

L. 2.

Iurisiurandi contempti religio satis deum vltorem habet. periculum autem corporis, vel maiestatis crimen, secundum constituta diuorum parentum meorum, & si per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet.

Verè digna vox tãto Imperatore, qui adeò ferè Christianus, vt & Christum, & Abrahamum in Larario habuerit, teste Lampridio, in eius vita. De iuramento autem per venerationem, geniúmque Principis, & quando ille mos desierit apud Christianos, dixi quantum satis ad l. si duo patroni. §. vlt. ff. hoc tit. De periuriis autem per Deum, ita Zacharias Proph. 5. *Maledictio morabitur in domo iurantis in nomine meo mendaciter.* apud veteres Ægyptios pœna ideò capitis infligebatur periuriis, quia & pietatem in deos violarent, & fidem inter homines tollerent, vt scribit Diodorus lib. 2. cap. 3. Sanctissimum erat apud Dolos, Templum, ait Pausanias in Corinthiacis, intra cuius septum erat Portumni ædes, in eáque æde cella, seu penetrale, aditus verò subterraneus, vbi latẽte Por-

tumnum ferunt. Quòd si vel ciuis, vel hospes eo in loco peierasset, nulla parte effugiendi erat locus quin statim pœnas daret. Phocylid.

Μήτ' ἐπιορκήσῃς μήτ' ἀγνῶς, μήτε ἑκοντί.

Ψεύδορκον στυγέει θεὸς ἄμβροτος, ὅστις ὀμόσσῃ.

Id est, neque peieraueris neque inscienter, neque sponte. Periurum odit Deus immortalis quisquis iurauerit. Trado hæc velut in transcursu, cùm longè plurima in id ad totum hunc tit. congesserim ex Græcis, Romanis, Gallicisque legibus. Sciendum verò est ex doctrina & scholæ, & fori, eam esse rescripti huius Alexandrini sententiam, vt dicamus, plectenda non semper Deo relinqui periuria, sed tunc tantummodò cùm nemini infertur ex eis iniuria. Aliàs enim vindicantur legibus pro causis, & personis. hoc glo. & interpretes hic: nupérque Didacus Couarruuias ad cap. quamuis. §. 7. num. 2. de pact. vbi fusissimus de periuriorum, falsorúmque testimoniorum pœnis commentarius: nihilque frequentius capitalibus in periuros testes iudiciis. Quantum ad blasphemos congessit ad nauseam Boërius, q. 301. quæ hic facilè prætermitto.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 3.

In bonæ fidei contractibus, & in cæteris causis, inopia probationum, per iudicem iureiurando causa cognita res decidi oportet.

Necessarium iusiurandum intellige, de quo dixi suprà ad l. 1. Locus verò Halicarnassei, lib. 2. in fi. valde in hoc ipsum singularis. scribit enim magistratus, iudicésque Romanos plærúmque in dubiis causis ex alterius partis fide, ac sacramento, iudicasse. In quo distinguit optimè Molineus ad consuet. Paris. §. 30. num. 35. grauiora negotia à leuioribus. In grauioribus enim, atque arduis negotiis, & vbicúmque lex, vel statutum requirit liquidissimas, indubitatásque probationes, numquam defertur iuramentum in supplementum, ait ille, tamen post Io. Fabrum, hic, Baldum, & Salic. Rebuffus ad proœmium constitutionum, num. 58. vix seruari ait apud nos, vt quocumque casu suppleatur semiplena probatio iureiurando alterutrius litigatorum. nec sanè vnquam id factum audiui, aut vidi. quamuis tamen in leuioribus admittendum putarim quod censet Molinæus, si modò & is cui defertur iusiurandum, sit existimationis integræ, alter autem non ita. plus satis ergo hæc ad Rescripti huius sententiam. Glossa excutit et semiplenas probationes quarum tradit modos quatuor. Primus est per scripturã domesticam. Secundus per comparationem literarum. Tertius, per fugam Rei. Quartus, per vnum testem. Duos & prætereà adiicit Speculator tit. de probationibus. § 3. videndum. num. 28. Vnus est cùm quis, ait compulsum fuisse se in vrbe vt quid faceret. Id enim quia non verisimile, & semiplena aduersus eum manet probatio, necesse est vt vim probet apertissimè per testes, l. non est verisimile. ff. quod met. causa. Alter semiplenæ probationis modus est, per famam. plura eo loco.

IIDEM AA.

L. 7.

Nec filius, nec quisquam alius, nec litigando, nec paciscendo, sed neque iusiurandum citra voluntatem dominæ rei deferendo, præiudicium ei facere potest. Vnde si citra mandatum tuum aliquid erga rem tuam filius tuus gessit, nec hoc ratum habuisti, nihil tamen oberit.

Ad plura iuris capita referendum est quod hic de iureiurando litis decisorio delato

à procuratore, vel alio quouis, citra domini mandatum, rescribunt Imperatores. Primùm enim si fuit procurator, liquet plus satis ex l. diligenter. ff. mand. in culpa eum fuisse, vt cui de deferendo iuramento mandatum nihil esset. tractaui de hoc fusissimè ad d.l. diligenter. sic verò & in l. non abstulit. inf. de nouation. nihil egisse eum sancit Imper. Gordianus, qui, parte soluta debiti, de cætero liberationẽ habuit à procuratore, cui sola pecuniæ exactio mãdata fuerat. sic docet Bartol. ad l. postquàm lite. sup. de pact. perempta semel instantia, non posse procuratorem auferre ius quæsitum domino, quacumque ratione patiatur posteà litem semel mortuam instaurari ab aduersario. Imò nec ille cui libera administratio data est, transigere de re vlla potest inscio, nec ita mandante domino. quod & in ipso procuratore Cæsaris decidit lex 1. ff. de offic. procur. Cæs. plura id genus similia. De ratihabitione diximus ad l. vlt. ad Maced. ff.

IIDEM IMPER.

L. 8.

Actori, delato, vel relato iureiur. si iurauerit, vel remissum sit sacramentum, ad similitudinem iudicati in factum actio competit.

De iureiurando merè voluntario hîc agitur, ex quo proinde, postquàm iuratum est, nascitur actio in factum, ad instar iudicati. vt nimirùm eumdem prorsus effectum accipiat, ac si non iusiurandum, sed iudicium plena cognitione interuenisset. Arguítque tacitè hîc textus præcipitem animum deferentis, eiúsque incogitantiam, vt qui, facta ocyùs delatione, compererit de actore quod nunquam sperasset, vt videmus in l. quæ sub conditione. de condition. institution. ff. quosdam ita faciles ad iurandum, vt, contemptu diuini numinis, nihil non iurent. plura in hoc vide ad l. 1. sup.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 11.

Si quis iusiurandum intulerit, & necdum eo præstito, posteà, (vt pote sibi allegationibus abundantibus) hoc reuocauerit: sancimus nemini licere penitus iterum ad sacramentum recurrere. (satis enim absurdum est, redire ad hoc cui renuntiandum putauit: & cùm desperauit aliam probationem, tunc denuò ad aliam conuolare) & iudices nullo modo eos audire ad tales iniquitates venientes. Si quis autem sacramentum intulerit, & hoc reuocare maluerit, licere quidem ei hoc facere, & alias probationes, si voluerit, præstare: ita tamen vt huiusmodi licẽtia vsque ad litis tantummodò terminum, ei præstetur. Post difinitiuam autem sententiam quæ prouocatione suspensa non sit, vel quæ, postquàm fuit appellatum, corroborata fuerit, nullo modo reuocare iuramentum, & iterum ad probationem venire, cuiquam concedimus: nè, repetita lite, finis alterius causæ fiat exordium.

Tria potissimùm complectitur. Primum est, vt pœnitentiæ locus non sit in iureiurando à parte semel delato. Secundum est aduersus variationes. Tertium ad auctoritatem rerum iudicatarum spectat. Quantum ad primum, componenda maximè lex, Actori. suprà. & lex 11. ff. hoc tit. ad quam dixi ferè quod satis. Quantum ad variationes

reijciendas, dixi etiam ad l. in causæ. de procurator. ad l. sed etsi. §. item si plures. de institor. & ad l. 4. §. eleganter. de lege commissor. ff. de iudiciis, & quantopere immota, inconcussáque esse debeant, dixi ad l. iustitia. ff. de iust. & iu. ad l. minor autem magistratus. ff. de minorib. & variis aliis locis ad Pandectas. succurrit verò appositè quod apud Demosthenem, κατὰ τιμοκράτους, in hæc verba: ἃ δοκεῖ συνέχειν τὴν πολιτείαν τὰ δικαστήρια, ταῦτα ἄκυρα ποιεῖ. id est, auctoritatem hisce tribunalibus detrahit quibus continetur respublica.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 21. quæ penult.

Generaliter de omnibus iuramentis quæ in litibus offeruntur, vel à iudice, vel à partibus definiendum est. Cùm enim iam increbuit, iudices, in plenissima definitione sacramentum imponere: euenit, vt, prouocatione lite suspensa, hi quidem qui iusiurandum præstare iussi sunt, ab hac fortè luce subtrahantur, probationes autem rerum cadant: cùm multùm discrepet sacramentum hæreditarium (glo. id est, hæredis) *à principali sacramento* (gloss. scilicèt defuncti, vt quia nesciat hæres veritatem: nec de alieno facto compellendus sit iurare: item fortè defunctus bonæ famæ, & legalis homo fuit: sed hæres nequam) *necessitate itaque rerum coacti, & probationibus pinguiùs subuenientes, ad huiusmodi venimus sanctionem. Omne igitur iuramentum siue à iudicibus, siue à partibus illatum vel in principio litis, vel in medio, vel ipsa difinitiua sententia, sub ipso iudice* (gl. id est, coram iudice) *detur, non expectata vel vltima definitione, vel prouocationis formidine.*

Vult in summa differendam nunquam esse à iudice exactionem iuramenti, vbi occasio incidit qua præstari ab aliquo ex litigatoribus debeat. De hærede autem vel tutore, aut alio quolibet, qui de facto defuncti iurare iussi sunt, & quid in eo iudices agere oporteat, dixi ad l. 4. videamus. §. 1. ff. de in lit. iur. Cæterum docet apertissimè hic textus quãtò maiori religione, veneratione, at verò etiam trepidatione, iuretur apud ipsos iudices, quàm apud inquisitores, seu commissarios, vt loquimur, qui probationes conscribunt, notariósve, seu tabelliones, qui inuentaria conficiunt. Imò & viatores, interdum, cùm videlicet elogia, notoriásque (informationes dicimus) in scriptis redigunt. viles etenim eiuscemodi personæ, in quibus toleratur id ex moribus Gallicis, edictisq; ac Senatusconsultis, cùm qui apud eos iurant quasi aliud agentes id faciant, nulla veneratione ipsius qui defert, nullóque metu diuini numinis commoti.

§. 2. *Sed iuramento illato, cùm hoc à partibus factum fuerit, & à iudice approbatum, vel ex auctoritate iudicis, cuicumque parti illatum, si quidem is cui imponitur Sacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatus: hoc præstetur, vel referatur: necessitate ei imponenda cui iure refertur, relationis Sacramentum subire: vel si hoc recusauerit, quasi illato Sacramento præstito, causa vel capitulum decidatur, nullo loco prouocationi relinquendo. quis enim ferendus ad appellationis veniens auxilium in ijs quæ ipse facienda procurauit? &c.*

Supplet rectissimè Glossa hunc finem. procurauit enim, ait, vt lis iureiurando decideretur. sic Glo. sic verò & in l. generaliter. inf. de non numer. pecun. *Nimis indignum esse iudicamus, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.* Dicit hoc ipsum Vlpianus de optione legata, in eum qui, optione rei vnius facta, ad alteram vult posteà regredi, *videndum est an consumpserit optionem.* Variare denique non licet in iudiciis, vt notaui suprà ad l. 11. si quis iusiurandum. hoc tit. egregiè Persius Sat. 6.

——Depinge vbi sistas,
Inuentus, Chrysippe, tui finitor acerui.

ad quem versum appositè literatiss. Grammaticus, *ecquis finis multiplicationis?* addiderint nostri interpretes ex hoc Iustinianeo rescripto, *ecquis finis variationis*, de qua meritò fuerit Propertianum hoc:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes.

De variationibus igitur vitandis hactenus *Capitulum* verò de quo etiam in textu. vulgò dicimus, *vn chef de la cause*. Multúmque hæc notanda ex §. seq. *lis aqua lance trutinabitur:* ad festinandas nunquam cognitiones in ferendis iudiciis. vulgò nos Galli, *Balancer vne cause*.

§. His de præsentibus personis statutis, nec absentes nos fugiunt, sed etiam eos huic legi subiugamus, &c. expensis propter huiusmodi causam præstandis officio iudicis trutinandis, an ab vtraque parte, an ab altera oporteat eas dependi, nullo tamen ex hoc litibus impedimento generando. sed donec ea procedunt, aliis vel capitulis, vel litis membris à iudice examinandis, &c.

Totum hunc paragraphum intellige ex vsu de sumptibus litium quas delegati iudices inspiciunt, vt scilicet pendantur ex æquis à litigatoribus, aut vt idiotismus patrius: *des frais de procez de commissaires, qui se payent par les parties en commun.* hoc Baldus ad l. 3. in fin. Cod. de adulter. & Rebufus, tit. de sentent. executoriis, art. 5. glo. 4. de delegatis istis iudicibus, qui separatim, intráque certum numerum, alibi quàm in foro, nempe in suis ędibus, lites inspiciunt diebus festis, nisi dominicis, aut aliis anni celeberrimis, notaui priscum morem Romæ qui eò valdè faciat apud Sueton. in Vespas. cap. 10. atque apud Xiphilinum, in Seuero. in fi. dixi etiam ad l. Diuus. ff. de fer.

§. vlt. In omnibus casibus in quibus sacramenta præstantur, obseruationem iudicialem permanere censemus secundum personarum qualitatem: siue sub ipso iudice præstari oportet iuramentum siue in domibus, siue sacris scripturis tactis, siue in sacrosanctis oratorijs. (glo. id est, super altari.)

Vide omninò quæ fusè satis adieci ex vsu, ad l. Ad personas egregias. ff. de iureiur. obseruabitur autem hîc, vanam esse distinctionem capituli vlt. de iuramento calumniæ, lib. 2. decretal. vbi legitur, clericos dicere testimonium tactis euangeliis: proponi autem tantummodò, id est, ob oculos poni euangelia, vt explicat Cuiacius, si de re sua apud iudicem iurauerint. Seruamus enim vt reducant vtróque casu manum ad pectus, nihilque vltrà. dixi etiam in hoc ad Authen. sed iudex. supr. de episc. & cler. Pernecessaria ad d. l. ad personas. distinctio mea est personarum illustrium ad quas proficisci debeat iudex, vt in ipsorum ædibus & iusiurandum deferat, & testimonia eorum audiat: Sciri enim & istud maximè necesse est: forsanq; vel belliores, vt sic loquar cum Nonio, impingerent. Et cùm ex prisco Romanorum procerum more, loquatur Paulus in d. l. ad personas. haud abs re fuerit, si hîc subiiciam quod apud Tacitum lib. 2. Annal. in hæc verba: *Cæterùm Virgulaniæ potentia*, inquit, *adeò nimia ciuitati erat, vt te-*

ſtit in cauſa quadam, quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur, miſſus eſt prætor qui domi interrogaret: cùm virgines veſtales in foro, & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuerit. Notabis præterea de Principe τιμὴ ἐπιστάσεως, & quod non ſit detriuio. Semel enim in vita, nec amplius, iurat: cùm nempe ſolenni, neque vnquam iterato poſteà ſacramento, ſpondet ad aram inaugurationis, inter ſceptrum, & tiaras, atque in manibus *Parium Franciæ*, daturum ſe iura ſubiectis populis. Itaut ſi (quod nonnumquam incidit) teſtari eum oportere, ad ingens, arduúmque aliquod negotium, res ferat, ſimplex, & ab iniurato dicatur teſtimonium. Quantum verò ad eos qui valetudine impediuntur, connumeratam reperio mulierem quæ à pluribus mẽſibus grauida ſit. Ita enim apud Aufrerium, in deciſ. Capel. Toloſ. deciſ. 3. vel vſque ad 40. dies, poſtquàm decubuit: quod tradit Gloſſa in l. prægnantis. ff. de pœn. Secus ſi paucorum dierum grauiditas fuerit, vel ſi ſit ruſtica, vt docet Iaſon ad l. 2. §. ſi quis. nu. 6. ff. ſi quis caution. Tandem in cæteris, monet peroptimè Rebufus, tractatu, de reſponſionibus, per credit. art. 1, nihil intereſſe in Gallia, ſiue iuretur, vt præſcribit hîc. §. ſiue ſuper imagine crucifixi, vel prout ſtatuit conſuetudo.

Exfine. *Non enim vt aliquid derogetur antiquioribus legibus, hæc prolata ſunt, ſed vt ſi quid deeſſe eis videatur, hoc repleatur.*

Hinc colligit Baldus, legem nouam in dubio non præſumi corrigere veterem, cuius propterea vetus durat auctoritas, niſi ſpecialiter abrogetur. componenda in hoc, lex, præcipimus. in fi. inf. de appellation. Sic & in ſtatutis prouincialibus, vt quæ ſemper vim ſuam obtineant, niſi ſpeciali ſeu edicto, ſeu Senatuſconſulto derogatum ipſis, ad caput aliquod, fuerit. clariſſimè iſtud explicui ad l. 7. leges, & conſtitutiones. & ad l. vlt. ſup. de legib.

Rurſus ex ſubſcriptione. *Recitata ſepties in nouo conſiſtorio palatij.*

Eruditè, vt omnia, emendat hunc finem Cuiacius, monétque legendum, *Recitata Septimo.* Palatium enim erat in ſuburbio Conſtantinopoleos, in quo Iuſtinianus nouum conſiſtorium exſtruxerat ad ſeptimum ab vrbe milliarium. occurrit illa ſubſcriptio in aliis pluribus Iuſtinianeis conſtitutionibus, quas ſigillatim enumerat Cuiacius lib. 20. cap. 3. Obſeruation. mirúmque eſt per tot annos conſenſiſſe mendum hoc vſque ad diuinum illum interpretem, quem memini (cùm primùm veni in forum) ea laudis parte celebratum in publicis cauſarum actionibus, à magno Briſſonio, tunc oratore regio, vt diceret natum eum ad reparandum ius ciuile. Paucis iſta, déque Conſtantinopoli, cuius in confinio radiarunt ingentes duo Imperialis domus apices, nempe hoc *Septimum*, & *Trullum* aliud, in quo latum concilium eo nomine: vt hodie circa Lutetiam, altera ex parte, decimo milliario ad Sequanam prominet, deliciáſque cryptis in imis facit, domus Germanica: altera autem ſpecioſiſſima, ſpatioſiſſimáque, mediis in ſyluis, fontéſque inter vndequáque Lympidiſſimos, ad octauum, ſupra vicesimum, milliarium, *Callirhoe*, aut, vt voeant, *Fombellaqua.* Ambobus in his regiis pauſilypis lata plurus nec minùs edicta, quàm apud Iuſtinianeum iſtud *Septimum.* Quamdiu autem ſedes Imperij Romæ conſtitit, habuerunt Imperatores villas tantùm circa vrbem, vt videre eſt ex Suetonio, Tacito Lampridio, & aliis: Imperiales verò amœnitatis domos, translato tandem Imperio Conſtantinopolim.

IDEM A.

L. 13. quæ vlt.

Cùm quis legatum, vel fideicommiſſum, vtpotè ſibi relictum exigit, & teſta-

&, testamento fortè non apparente, pro eo sacramentum ei ab hærede defertur. Si affirmat legatum, &c. sibi relictum esse, & consequitur id quod petit, posteà autem manifestum sit, nihil ei penitus fuisse relictum, repetetur ab eo legatum, vel fideicommissum, nullùmque ex huiusmodi periurio lucrum accedit.

Concîdi textum ad necessaria, atque itaut desiderari nihil possit ad decisionem, & sententiam, quam paucis complectuntur in hæc verba interpretes: Iuramentum super vltima voluntate præstitum, retractatur, si contrarium posteà pareat, tamen per scripturam, non per testes, ait hic Bartolus. Quæstionem fuso commentario agitat Tiraquellus, ad § 4 tota glo. 1. consuetud. Pict. rursúsque §. 2. in fin. de retractu gentilitio, nullámque, quod solitum ei est, in partem definit. reperies autem apud Loët. lit. S. aresto, 4. iusiurandum delatum, & præstitum retractari nō posse prætextu periurij per testium probationem, obstante edicto Molinensi. secus si ex scripto, qui duo modi probationis cùm tradantur à glossa, alter nimirùm ex scripto, alter per testes, primùm sequamus, & sic doctrinam Bartoli, alterum non.

TIT. II. SI CERTVM PETATVR.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Neque æquam, neque vsitatam rem desideras, vt æs alienum patris tui non pro portionibus hæreditariis exoluatis, tu & frater cohæres tuus, sed pro æstimatione rerum prælegatarum. Cùm sit explorati iuris, hæreditaria onera ad scriptos hæredes pro portionibus hæreditariis, non pro modo emolumenti pertinere.

Hoc obtinet, vt explicat consuetudo Paris. art. 334. quantum ad primogenitos in linea directa. Vide Robert. lib. 4. cap. 13. rerum iudicat. qui hoc ipsum ex Senatusconsultis docet. Componenda autem lex, 35. ex facto. 2. de hæred. Instit. & l. vlt. de vsufru. leg seruatur enim tam ex illis, quàm ex hac L. 1. eum cui aliquid debetur vel ex lege, & statuto, vel ex prælegato, non ideò magis onerari hæreditariis debitis. longè plura apud Loët. lit. D. num. 16. Io. Tronconium ad cons. Paris. d. art. 334. & Labbæum, ad cons. Bituricens. tit de success. ab intest, art. 32. Quærit Molinæus ad eamd. consuetud. Paris. §. 11. num. 11. si pater emerit eminens aliquod feudum, & posteà soluto nondum pretio, decesserit, vtrùm primogenito, qui ius primigenium in eo præcipit, incumbat soluendi maioris pretij necessitas, putat ille nihil deberi à primogenito præter quotam hæreditariam: debitum enim, ait, est hæreditarium, quod vniuersum patrimonium respicit, nec verò certas species, l. si fideicommissum. §. Tractatum. ff. de iudic. Sique pater soluisset, procul dubio tantumdem de bonis mobilibus, quorum æqualem partem secundogeniti, in diuidenda hæreditate habuerunt, exemisset. sic ille, à cuius sententia, nec posterioribus in hunc diem Senatusconsultis, recessum est, quicquid nonnulli scripserint, vt ab illustriss. D. Ant. Seguerio, Infulato Præside, didici cū aliquando controuersam, inter patronos, nihil motante tanti interpretis stylo, quæstionem eam dicerem. Idem verò si paternum feudum pro debitis hæreditariis væneat, tunc enim & ex nummis residuis, postquàm creditoribus satisfactum fuerit, & ex bonis reliquis reficietur, atque supplebitur ius primigenium, vt in quo debeatur à primogenito sola portio æris

alieni hæreditaria, vetus, ad eam quæstionē, amplissimi ordinis iudicium repeties apud præf. magistr. cap. 7. de feudis. quod & ipse ait scitu dignum, nullúmque, vt in cæteris, commentatium adijcit. Intelligendum tamen id in ære alieno personali, secus in reali, putà si constituendum sit doralitium viduæ. Tunc enim pro modo emolumenti obligatur primogenitus. quod semper ab antiquioribus ad hanc ipsam l. didici. In cæteris quicquid consentiat, irritum semper est, immò etsi in diuidenda hæreditate, consensus ille interuenerit, atque ita ex æquis diuiserit. Ita Senatus, ann. 1607. die 31. Iullij secundum P. Sequeuille, causam agebant, du Port & de la Barde. Iudicatum verò & iamdudum fuerat ann. 1573. secundum I. Cordelc, curiæ viatorem.

IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Quamuis pecuniam tuam Asclepiades suo nomine crediderit, stipulando tamen sibi ius obligationis quæsiuit, quam pecuniam vt possis petere, mandatis tibi ab eo actionibus, consequeris.

Supplet glo. *vtili negot. gest. actione, vt sup. de rei vendic. l. mater.* Addit Baldus, per ratificationem in subsidium, si pecunia sit consumpta, licèt nostro nomine gestum non sit quod gestum est, cùm aliàs, & regulariter actio illa neg. gest. non competat, l. si pupilli. §. sed si ego. ff. de negot. gest. Sic verò hodie in tutore videmus, si prædia quædam comparauerit suo nomine, siq; emptitios reditus in rem suam constituerit, tametsi pupillari pecunia, suum est nihilominus quicquid ita quæsierit: neque in aliud minori suo obligatur nisi vt rationes reddat, in quibus si reliquatus competiatur, satisfiet tunc minori ex rerum emptarum, cæterorúmque bonorum hypotheceis. Ita semper iudicatum vidimus, meminique inter cæteros ita obtinuisse quemdam Capteensem pro quo scripseram, interprete litis Dom. Bouchetio, in secunda classe Inquisitionum.

IMP. GORDIANVS.

L. 3.

Eos qui officia administrant, neque per se, neque per suppositas personas, tempore officij sui, in prouincia fœnus agitare posse, sæpe rescriptum est.

Idem in quolibet contractu, l. vn. sup. de contr. iudic. ad quam fusissimè dixi. l. Principalibus. ff. hoc tit. l. non licet. l. qui officij. ff. de contr. empt. ad quas singulas etiam dixi. Sed hoc nisi sint perpetui. l. præsidis. ff. eod. hoc tit. & nisi agant cum non subditis, l. pen. quisquis. inf. hoc tit. Scribit Conchylius. ad consuetud. Niuernens. tit. de iure coniugum. §. 24. in fin. vetitum esse quæstoribus ærariis nè commercium exerceant, quasi munus illud sit, *ἐπωμιμχον*, instárque perpetui obicis, quominùs negotiari possint, ac debeāt, ob pecuniā scilicet publicā quā, quicquid personis interpositis, simulēt, ac mentiātur ex ærario publico, id est, ex triburis, ac vectigalibus hauriunt. Sed fallitur, quem, admodum & ij qui ex malè intellecta l. setiniariis. inf. de numerariis, & actuar. & c. lib. 12 putant vsum mutuæ pecuniæ interdici setiniariis, & numerariis præfectorum prætorio: quos refellit ad hanc l. Cuiacius. quoniam aliò supra dictæ legis sententia referenda sit. Deinde verò quid potentius, sagacius, atque exuberantius foricibus istis qui, per mille artes, exedunt patrimonium populi, & quorum inexpleræ hinc illinc emptionum pretiosissimarum, qualiacúmque ad rerum, domorum, ditionúmque dominia, cupidines? in hoc desino, cùm longè plurima ad d. l. vn. de contract. iud. collegerim quæ ad hoc Gordianum responsum vnicè.

IMP. PHILIPPVS.

L. 4.

Si absentis pecuniam, nomine eius fœnori dedisti, ac reprobato nomine, (glo. id est, contractu ab eo cuius fuit pecunia) *mandatis actionibus experiris, Præses prouinciæ iurisdictionem suam præbebit. Idem si cessare mandatum* (gl. id est cessionem) *animaduerterit, vtilem tibi aduersus debitorem actionem eo nomine competere non negabit,* (glo. quasi tuo nomine dedisses.)

Subtilem legem vocat Bartolus. claré autem sic Baldus: qui nomine domini mutuat, si dominus nomen debitoris ratum non habet, agit actione mandati, vel vtili absq; cessione. Vidi autem meram rescripti huius praxim in tutore qui nummos pupillares, nomine minorum suorum, fœnori ex edictis dederat. Cùm enim maiores facti constitutum eiuscemodi reditum reijcerent, ob suspectas opes debitoris, accepit ille, & cùm nec cedere actiones suas vellent quibus ageret, quia nimirum non de suo, sed de solo ipsius facto lis esset, coëgit nihilominus vt vtiles cederent citra tamen euictionis vllius vinculũ. Inde igitur liquidò constat quàm miserè, & in cassum torquent sese aliquando, ac sæpius Academici legum interpretes in quæstionibus quarum vbi in foro occurrit nodus, ille continuò summa ratione, ac æquitate per quotidiana rerum experimenta resoluitur. Vitiligator equidem fuit quisquis in hac l. cedere actionem noluit qua aduersus debitorem ageret qui absentis ipsius pecuniam fœnori occupauerat: sed rixosum eiuscemodi ingenium coërceri potius eo modo quem trado, debuit, quàm vt quis sine obligatione, sinèque vlla actione ageret, quod tamen subijcit hîc textus, & in eo etiam subtilem dixit meritò Bartolus.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 5.

Si non singuli in solidum accepta mutua quantitate, vel stipulanti creditori sponte vos obligastis, licèt vni numerata sit pecunia, vel intercessionis nomine hanc pro Reo suscepistis obligationem: frustrà vereminì nè eius pecuniæ nomine vos conuenire poßit quam alij mutuò dedit, si intra præstitutum tempus rei gestæ quæstionem detulistis. Ac multò magis inanem timorem geritis, si pecunia numerata oleum susceptum instrumento sit collatum: cùm si reddendi stipulatio nulla subiecta est, & huius rei est habita solemnis contestatio, in suo statu remanente eo quod verè factum interceßit, ex olei accepti scriptura nihil deberi manifestum est.

Componenda lex, Reos. §. cum tabulis. ff. de duob. Reis. Nihil plané apud Bartol. Bald. Salicer. Ioan. Fabrum, & Cuiacium quod ad quæstiones fori. Egregiè autem sic Molinæus tractatu, de vsuris. num. 288. Si vir, inquit, & vxor simul vendunt, & constituunt reditum cum vulgata clausula *simul, & in solidum*, primò videtur mulier teneri pro dimidia, nec vltrà, ipso iure. quia præsumitur ad vtrúmque æqualiter peruenisse: pro reliqua autem dimidia videtur fideiussisse, pro viro, & sic, ipso iure, non tenetur. Tamèn præsumitur totum peruenisse ad virum. nec obligabitur mulier nisi in

quantum probabitur ad eam peruenisse. verum istud, ait in terminis iuris. sed in terminis nostrarum consuetudinum, quibus coniuges sunt communes, videtur procedere prima opinio, vt scilicet teneatur tantùm pro dimidia. Mera tanti fori doctoris verba recenseo. similemque decisionem reperies apud Bacq. cap. 21. de Iust. & iure. Chopinus ad consuet. And. lib. 2. cap. 1. parte 3. tit. 1. vtitur argumento §. cum tabulis. d. l. Reos. in id, *que si le fief est acquis par deux conioinctement, il n'y a point d'ouuerture de pied de fief iusques à ce qu'il soit partagé.* In quo tamen vt, semper redeatur ad eum fine quo manca foret iurisprudentia Gallica, quam & nunc vt pet optimam amplectuntur plures populi, id est, ad Car. Molinæum: ostendit ille ad consuet. Paris. §. 2. glo. 4. num. 44. 45. & seq spectari oportere formam concessionis feudi, factam duobus ad certum onus seruitij, (nihil de textu eius immuto (vt sciatur an vnus pro sua parte, an κοινωνῶς, seu in solidum teneatur. Hæc autem lex, si non singuli. ac d. §. cum tabulis. raro nunc in vsu per quotidianum tabellionum stylum, qui ferè numquam prætermittunt clausulam qua obligentur insolidum omnes qui se debendi Reos constituunt. stylus ille est, *solidairement vn seul pour le tout.*

IIDEM AA.

L. 6.

Si ex pretio debitæ quantitatis facta nouatione, per stipulationem vsuras licitas ab eo contra quem supplicas stipulatus es: falsa mutuò datæ quantitatis demonstratio præmissa, cum obligationis substantia non defecerit, quominus vsque ad modum placitum vsuræ possint exigi, nihil nocet. Si verò contra vinculum stipulationis, tantùm mutuam pecuniam datam conscriptum est, & eius præstari fœnus conuenit: simulatis pro infectis habitis, huiusmodi placitum nihil de præcedenti mutauit obligatione.

Infert Bart. tã ex hac l. quàm ex l. 8. ꝟ pro mutua. hoc tit. debitũ ex vna causa posse cõuerti in aliam per stipulationem, non autem pacto nudo ex interuallo apposito: secùsq; esse si incontinenti fiat. Contrarium videtur ex l. singularia. ff. hoc tit. & l. qui negotia. ff. mand. facilis autem conciliatio fuerit, si dixerimus, pecuniam quæ debebatur ex vna causa, fuisse ideò in illis textibus conuersam ex sola conuentione in causam mutui, quia solutioni parata esset, quod non ita in hoc textu. Sic & fuit chirographum solenne interuentu stipulationis, nec sola conuentio, in l. Aduersus, inf. de non numer. pecun. eo loco, ait Cuiacius, in chirographum, id est, in stipulationem, non incredìtum. Species denique huius legis vt de nouatione facta inter creditorem, & debitorem intelligenda est, sic &, sepositis istis iuris Romani subtilitatibus, redigetur facilè ad frequentissimas, de emptitiis reditibus, conuentiones, si modò quod debetur ex causa optima, veràque obligatione, quam tabelliones aliquot anteà mensibus, vel annis exceperint, debitor tandem, nouatione facta, conuerti patiatur causam illam primam mutui in contractum emptitii reditus. Quamuis enim, pet regulas fori, constitutio reditus iudicari soleat vsuraria, nisi enuntietur contractu numeratam fuisse pecuniam, & constitutus sit reditus, tamen quia ex obligatione illa poterat cogi à creditore debitor, vt solueret, numeraréque pecuniam debitam, ex qua seu apud ipsum, seu apud quemuis alterũ, poterat creari ille reditus, tolerauit, probauitque hucúsque Senatus enuntiationem obligationis pro numerata reipsa pecunia: eámque propterea obligationem, vt deinceps nullam, ac irritam, redditam fuisse debitori à creditore. Species deinde alia nouationis nocet nihil quicquam creditori quominùs potior sit semper in hypotheca, etiamsi nouata illa sit, vt fusiùs explicat Præses magister, tractatu, de bonorum publicationibus cap. 48. nec prætermissi ad l. 3. creditor. ff. qui potiores. satis enim est nouatam non fuisse primam obliga-

tionem,sed hypothecam illius dumtaxat,nec deinde substantiam obligationis defecisse, vt ait hic textus.

IIDEM AA.

L. 7.

Non vnde originem pecunia,quæ mutuò datur,habeat: sed qui contraxit si vt propriam numerauit, in huiusmodi obligationibus requiritur.

Paucis istud:sola spectatur persona numerantis pecuniam vt suam. tritissimus in foro textus vbicúmque de causis, ac origine alicuius contractus quæritur. Intuemur enim dumtaxat eo casu causam propinquam, non remotam. Faber autem hîc perpendit verba. *si vt propriam numerauit*, infértque ex his probandum esse, pecuniam esse numerantis:quod pauci aduocati aduertunt,inquit,citátque in id legem 2.quamuis.sup.hoc tit. In quo distinguit Bartolus:vt nimirùm probatio illa incumbat ei qui agit condictione,ex mutuo,si consumpta nondum sit pecunia:secus verò, si consumpta sit, quoniam ex consumptione reconciliatum sit mutuum. Addit Baldus quod & tantò magis aperiet sententiam rescripti.necesse nō est,ait,probare originem dominij,& vnde qui mutuum repetit,acceperit,habuerítque pecuniam quæ ab eo mutuata est,itaut nec opponi debeat exceptio turpis quæstus. producit Salicetus decisionem ad cæteros omnes contractus: vt scilicet sufficiat ei qui agit, probare se dominum rei quam petit,progrediendúmque vlteriùs non esse ad causas,& origines,ex quibus quæsitum sit dominium. Præsens enim cuiúsq; rei status spectatur,atq.l.vxorem.de leg.3. τὸ παρὸν, quod dixit Pindarus. factúmque id in legis huius quæstione summa prudentia, quod nimirùm aliàs deessent numquam artes, ac effugia quælibet perfidis, rixosísque debitoribus, quibus eluderentur perpetuò creditorum actiones. Quin proferri & possit hæc decisio ad vindicias,seu,prouisiones,vt loquimur,in quibus satis sit videre contractum,seu testamentum,ex quo agitur,eiusmodi esse vt,quantum ad præsens,reijci fides scripturæ non possit,vulg.l.optimam.de contr.& comm.stip.& l.vlt.de edicto d.hadr.toll.

IIDEM AA.

L. 8.

Si pro mutua pecunia quam à creditore poscebas, argentum, vel iumenta,vel alias species,vtriúsque consensu æstimatas,accepisti,dato auro pignori:licet vltra vsuram centesimam vsuras stipulanti spopondisti: suos tamen,quæ æstimatione,placito partium,definita est,peti poterit,& vsuræ legitimæ, ac licitæ, licèt illicitæ in stipulationem deductæ sint. nec quicquam prodesse potest quod pignus minoris sit pretij, quominus solutioni parere debeas.

Tria possunt elici: Primum est, vtile per inutile non vitiari quod nominatim in vsuris decidit lex, pecuniæ fænebris. de vsur. ff. Secundum est, mutari posse contractum in alium, maximéque in causam mutui, vel nudo ex pacto, si modò incontinenti appositum fuerit: secus si ex interuallo, vt in l. si ex precio. sup. hoc titu. nihilque interesse quid ex æquipollentibus fiat. Tertium est, pignus quod datur creditori, posse esse minoris pretii, quàm sit res ipsa, in cuius causam datum est. Si tamen datum sit, posse agere creditorem vt pretiosius detur. in quo notat glossa insolitum Venetorum morem, quo scilicet pignus acceptum à creditore, cedit

in vicem solutionis totius debiti.

Licet vltra vsuram centesimam vsuras stipulanti spondisti.

Referendum huc quod scribit Bartolus ad l. si ex cautione. num. 7. de non num. pecun. tantam nimirum esse fragilitatem debitoris quærentis pecuniam, vt nihil non consentiat immanitati creditoris. hoc ipsum Boërius, consil. 12. vide etiam Robert. lib. 2. cap. 6. rerum iudicatarum. vide præterea longissimum nostrum commentarium ad rubr. de vsur. ff. ad l. 1. sup. de ed. & ad l. rogasti. ff. hoc tit. Qui interpolant, fucúmq. faciunt ad conuelanda vsurarum maleficia, solent fæneratitiis cautionibus inserere mansurum pignus penes creditorem donec fideiussoribus debitor caueat. manet enim debiti principalis obligatio, licet, pignus non sit idoneum: nulláq. ex eo æris alieni imminutio est, aut etiam renuntiatio, ait ad hanc l. Cynus, præceptor Bartoli, qui contrarium tamen seruari. Venetiis adiicit, citátque in id prouerbium Venetum: vt, ad faciliorem intellectum, variis locis Gallicismos soleo.

IIDEM AA.

L. 11.

Incendium ære alieno non exuit debitorem.

Ratio, quia scilicèt genus perire non possit, l. in ratione §. incertæ. ff. ad l. falcid. & vt genus promissum traditur in specie, quæ species videtur ab initio fuisse in obligatione, l. 13. cùm incertus. de leg. 1. vtque in l. 66. Mæuius §. non idem. de leg. 2. hominis legatum, orationis compendio, singulos homines continet. πλάσταία γάρ ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις, inquit Aristoteles: ita & ex Bartolo ad d. l. cùm incertus. cùm obligatur genus, interim nihil est in obligatione, sed id tãtũmodò est quod posteà soluitur. Proindéque debitorem generis, re oblata & perempta, liberari, respondet Iulianus, in l. 84. huiusmodi. & §. 2. de leg. 2. Secus autem in debitore speciei, l. quod te. ff. hoc tit. l. si ex legati causa. l. si fetuum. de verb. oblig. aut etiam cùm quantitas debetur ratione speciei, l. electio. l. si is. de noxalib. ff. Idémque in pecunia nautica docet Baldus hîc ex causa pactionis initæ, per l. periculi. de naut. fæn. Addit Salicetus, cùm quantitas, quam obtulit debitor, pòst perit: tunc enim tuebitur se peroptimè ope exceptionis l. qui decem. ff. de solutionib. scripsit ille fusissimè omnium ad hanc verè iuris generalem regulam. sed ferè omnia ad casus varios moræ. quam proinde regulam nec pluribus, quæ & ex schola, & ex foro, in quo nihil ea vulgatius, illustrandam putaui. paucissima hîc Cuiacius. Vnum ex forensi nostro Theseo superest quòd nec prætermitti debeat. Si quis, inquit, in genere generalissimo, teneatur, periculum semper ad eum spectat, vt in hac l. Si verò teneatur de genere subalterno, putà de certo aceruo posito in tali arca, secus, vt in l. in naue Saufeij. ff. loc. sic ille ad l. contractus. de reg. iur.

IIDEM AA.

L. 13.

Eum qui mutuam sumpsit pecuniam, licèt in res alienas: creditore non contemplatione domini rerum eam fœnori dante, principaliter obligatum, obnoxium remanere oportet.

Iunge l. non aduersus. inf. hoc tit. & l. eum cui mutuam. inf. de actionib. inspicitur nimirùm, inquit Bartolus, cuius contemplatione quis mutuat, non cuius contemplatione quis pecuniam accipiat: vide glo. ad l. si pupilli. §. 1. ff. de negot. gest. Sic hodie dis-

pensarores potentiorum, (argentarios vocant) luunt ipsi pecunia sua, ac suo nomine quicquid, vel apposito nomine officij, in negotia, résque annonarias eorum quibus ministeria præstant, acceperint, mutuatíque sint, distinctione tamen facta quam adijcio ad l. 7. Ei qui. § 1. inf. quod cum eo. nec enim satis explicueram ad l. vlt. ff. de institor. act.

IIDEM AA.

L. 14.

Mutua pecunia, quam aliis dedit creditor, citra solennitatem verborum subscribentem instrumento te non habet obligatum.

Rectè Salic. Subscribens se vt testis, non obligatur. qualiter autem axioma istud iuris accipi debeat ex vsu fori, ac arestis, ostendo ad l. sicut. §. non videtur. ff. quib. mod. pign. solu. & ad l. Caius. ff. de pign. act. itaut nihil mihi iam fiat reliqui quod ad longissima illa scholia adiiciam.

IMPP HONOR. ET THEODOS.

L. 16.

Quisquis iudici fœnebrem pecuniam mutuauerit, si in prouincia fuerit versatus, quasi emptor legum, atque prouinciæ: vel si quis collectarius honoris pretium dederit ambienti, exilij pœna, vnà cum ipso iudice plectetur.

Iunge l. 3. eos. sup. hoc tit. ad quam dixi. Collectarium autem, de quo in textu, nemo literaturæ Romanæ sciens non dixerit exaudiendum esse de argentario, vt qui nimirùm in hac hypothesi pecunias ad consequendam aliquam iuridicinam dedisset. Apud Argentarios enim nomina fiebant, pecuniásque illi, ad occurrentia passim negotia, factis tutò nominibus, numerabant, vnde gratiosi apud omnes ordines qui argentariam facerent, ait Cicero lib. 3. off. campsores hodie dicimus, de quibus verbum attigi ad l. 1. in fi. sup. de ed. eáq; & optima Alciati, Brissonij, ac cæterorum, qui ab ætate Alciati fuerunt, interpretatio. Quin & in hoc ipsum, ad pecuniarum scilicèt, quibus confestim opus est, præsens, festinúmque subsidium, vti solemus, maximè in hac nostra Lutetia, tabellionum, seu notariorum redempta opera. Cæterùm quamuis allucinetur glossa, inquiēs collectarium esse, qui competitori secum eiusdem dignitatis, impertit quippiam vt abscedat, nec impedimento longiori sit: vel qui, inquit, emit honorem, vt inde duplum colligat: (mera ipsius verba recenseo) imperitum quamuis, ex vera acceptione vocis, illud sit, notat tamen obiter ambientium dignitates pecuniariū morem qui non ætate tantùm Accursij, ac veterum, sed nostra etiam frequentissimus. Itaut nec desint hodie qui fingant, in eo ambitu, animosum, acréque vincendi, ac depellendi competitoris desiderium, vt emungant ea arte, próq; aduersarij ingenio, honorarium aliquod abscedendi pretium.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 17. quæ vlt.

Super chirographariis instrumentis hæc pro communi vtilitate facienda duximus, vt si quis pecunias credere supra quinquaginta libras

auri voluerit, vel super reddito debito securitatē accipere: cùm amplius sit memorata quantitate: sciat non aliter debere chirographum à debitore, vel creditore percipere, quàm si testimonium tuum testium probatæ opinionis, per eorum subscriptiones idem chirographum capiat. Nam si contra huiusmodi obseruationem, chirographum super pecuniis memoratam auri quantitatem excedentibus proferatur: minimè hoc admitti à iudicantibus oportet. quod & in futuris creditis, vel debitorum solutionibus locum habere oportet.

AVTH.

Sed nouo iure quinque testes adhibendi sunt, inter quos connumeratur tabellio, si fiat ab imperito literarum contractus in scriptis, & in ciuitate, & excedat libram auri, &c. In agris autem quæ hactenus valuerunt apud eos, & nunc sine firma.

Paucis ista: Chirographo non creditur, seu ad debitum, seu ad solutionem, si sit vltra 50. libras auri, sique peritus negotiorum scripserit, nisi tres famæ integræ testes subscripserint: Sin autem ab imperito, eóque qui nesciat scribere, sique sit supra libram auri, quinque testes, tabellione connumerato, adhibendi sunt in vrbe. in Agris iura vetera seruantur, ob simplicitatem contrahentiū. Nihil amplius vtráq; hæc Iustinianea cōstitutio, cuius rationem sufficient varia ex monumentis veterū. Cùm enim vsitata semper fuerit chirographorū, seu syngrapharū fides, maximè circa dandas, accipiendásq pecunias mutuò, circa promissiones remuneratorias, κὰι κατ' ἀντίδωρα, & similia: quod liquet ex Cicerone, de Aruspicuresponsis, in hæc verba: *Si habuerit vnde tibi soluat quod ei pera singraphā credidisti*. & in Philippicis: *syngrapha sestertij centies per legatos facta est in gynæcéo*. Symmachus lib. 4. ep. 64. *Fides amicitia syngraphā non requirit*: Inde & *nomina facere*: &, *annulis potiùs quàm animis credere*, apud Senecam: contingebat sæpe ac sæpius vt falsitatum ansa exitiosissima arriperetur vel à nefariis debitoribus, qui, imitatione chirographi, aut annuli creditoris, liberationem debiti sibi, audacissimo ingenio adstruebant: aut etiam ab aliis quibúsque perditæ mentis hominibus, qui debitas sibi ingentes pecunias egregio scilicet stylo, ac manu, confingebāt: de quibus in l. vn. Cod. Theod. si cert. petatur, de chirographis. Deinde verò infidum nihil magis, ac fragile creditoribus: ita enim Iurisc. in l. qui ita. §. t. ad Trebellian. glossáque proinde consulit ad §. pen. instit. de susp. tutor. nè quis se facilè committat fragilitati cautionis, ac syngraphæ, præsertimq; id, vt habet hîc textus, si de re non minimi momenti agatur, putà de summa quæ supra 50. libras auri excurrat, aut libram: sique debitor, aut creditor nesciat literas, id est, vt loquimur, si legere & scribere non didicerit. Tunc, vt nè decipiatur falso, fallaci, insidiosóque chirographo vel creditor, vel debitor, testes insuper acciri vult qui scriptum præsentia sua muniant, quemadmodum in cæteris inter viuos, vltimísque voluntatibus, quibus, tametsi apud personas publicas perscriptis, necessarium testium numerum designant leges. Præterea imperiti literarum, ait Cynus hîc, facilè pernegant ea quæ scripta sunt, eorúmque denegatio, penè est inconuincibilis: verbum istud Cyni est, probantis in eo Martini, Glossematographi veteris, sententiam, quam & firmat textu Nouellæ, de tabellion. circa fin. Prisca erga fuerit ea iurisprudentia. Chirographum enim hodie quisquis sola sua manu, citráque testes subscriptos, signauerit, valet nihilominus concepta eo solo seu obligatio, seu liberatio: dicuntúrque ex ea cautione, seu syngrapha, vindiciæ, (prouisionem vocant) postquàm vel agnita est, vel habita aduersus contumacem pro agnita. Duo sola aduerto quæ modò irritam faciant, modóque suspectam: Alterum est si indiscreta sit, id est, si causam adiectam non habeat, vulgò dicimus nos Galli, *si elle n'est point causée*: seruamus quippe in eo legem, cùm de indebito. §. vlt. de

probario. & l. 2. §. circa. de doli except. ff. Alterum, si vilis forsan schedæ fidei, aut syngraphæ commissa sit ingens quædam summa: vt non ita pridem vidimus acerrimam inter optimates litem quorum vnus petebat viginti aureorum millia ex breuis chartulæ chirographo, quod in aliam causam emissum, albæq; chartæ in imo subiectum contendebat debitor: (vocitant nostri, *vn blanc signé*) itaut & falsi argueretur eiuscemodi syngrapha. Cæterùm fecerint apprimè ambæ hæ Iustiniani constitutiones ad Leoninam aliam quę habetur in l. scripturas. inf. qui potiores. exigit námque illa nec minùs vt sint, ἐν πεισιδιοχείροις, vt loquitur, id est in chirographis, trium testium, vel ampliùs, subscriptiones. quo casu & hypothecę locus est, aliàs non. vide etiam legem, 4. contrahitur. ff. de pignorib. ad quam dixi. Ex his, ni fallor, clarissima fuerit seu ex Romano iure, seu ex Gallico, ad forẽses cõtrouersias, vltimi huius rescripti interpretatio. Percucurri quid apud Bartolum, Baldum, Salicetum, Alexandrum, Sichardum, Donellum, Ioan. Fabrum, atque ipsum Cu[illegible]cium. sed oneri equidem illa disquisitio, citráque vllum laboris solatiũ: paginas implẽt, maximè Itali, sed ad fastidiũ, sæpe vtiles, sæpe inutiles. Tantúmq; abest vt explicent illi vetera iura de quibus in fine huius Authenticæ, (nè scilicèt tantus testium numerus desideretur in agris, quantus in vrbe ad chirographa) vt prætererint omninò, quasi rem nihili. numerum verò illum vt quinque etiam testium reperio ad testamenta rustica, in l. vlt. inf. de testament. & l. vlt. inf. de codicill. ita nec designatum alium, certúmque seu in Codice, seu in Pandectis ad transfigenda in agris negotia memini: cùm tamen haud vnquam summo iure in actis rusticis agendum varia iuris loca commonstrent, purà in l. cum de indebito. de probat. l. vlt. ff. de exception. l. penult. inf. qui admitti ad bon. poss. l. 3. §. ersi sciens. ff. ad syllan. l. in bonorum. & ibi Barr. ff. de bon. possess. Actus denique rusticus excusatur in genere, nisi in casibus à iure expressis, vt docet Iason ad l. 7. si quis id quod. ff. de iurisdict. Eiusmodi proinde est quod hîc de quinque testium numero statuitur. Seu enim in chirographis, aliis'ue instrumentis, seu in contractibus, ac testamentis versemur, rusticitas numquam spectatur apud nos, vt actus ex ea sola ratione conualescat, si seruata non sint solennia edictorum, legúmve prouincialium. vide cætera ad l. testium facilitatem. inf. de testib.

TIT. III. DE SVFFRAGIO.

IMPP. THEODOS. ARCAD. ET HONOR. AAA. RVFINO.

L. vn.

Si quis desideria sua explicare cupientes ferri sibi à quoquam suffragium postulauerint, & ob referendam vicem, se sponsione constrinxerint: promissa restituant, (glo. id est soluant) *cùm ea quæ optauerint, consequantur* (glo. scilicet præstito eis suffragio.) *Si artibus moras nectant, ad solutionem debiti coartandi sunt. Traditio autem sufficit in re mobili. In immobili, si scriptura emissa fuerit* (gloss. quod necesse est) *& rem fuisse completam gesta testentur, agi potest vt sequatur traditio corporalis. Excludi tamen à petitione e[illegible]n oportet qui non dubitauit inuadere quod petere debuisset.*

Glossa, Bartolus, Baldus, Salicetus, Io. Faber, veteresq; alij interpretes, nondum edulcato melioribus literis seculo, detorserunt totius huius rescripti decisionem ad aduocatos, quem errorem perspicuè ostendit Cuiacius in paratitl. & in postumis ad hanc

partem Codicis: notátque constitutionem Iuliani Imperatoris qua nec fit soluti repetitio, nec petitio non soluti, id est, pecuniæ, vel aliàs cuiuscúmque rei quam suffragatori aulico promiserit qui desiderabat quippiam à Principe. cuiusmodi exempla varia apud auctores. Notum de Vespasiano apud Sueton. cap. 23. cuius hæc verba: *quemdam è charis ministris dispensationem cuidam quasi fratri petentem quam distulisset, ipsum candidatum ad se vocauit, ex actáque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit.* & pòst. *mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desilijsse, vt adeunti litigatori spatium, morámque praberet, interrogauit quanti calceasset, pactúsque lucri partem.* Ammianus libr. 22. de Iuliano, cuius constitutionem suprà memini: *Velut aquitate ipsa dictante*, inquit, *lex est promulgata qua cauetur, nullum interpellari suffragatorem super ijs qua cum rectè constiterit accepisse.* Cic. act. 7. in Verrem: *Quid asperius lictore Verris, vt adeas tantum dabis?* Vide etiam, si lubet, Quintil. lib. 11. cap. 1. pag. 623 Plin. lib. 3. epist. 20. Spartianum in Pescennio. plena enim istis erudita antiquitas. Aduertendum verò est suffragatores dictos tandem, in occasu Imperij, admissionales, nempe qui Principem adoraturos admittebant, vt explicat Brissonius eam vocem quæ legitur in fine legis vlt. de diuers. offic. lib. 12. Ac ne diutiùs peregrinari videat, constitutio Iuliani quæ est in Cod. Theod. tit. Si certum pet. de suffragiis, confirmata est à Senatu, ann. 1601. die 23. Martij, aduersus quemdam, nomine, Tiboteau, rejecta scilicet illius actione quam ex causa promissæ ob suffragium pecuniæ intenderat. causam agebat Dom. Regius, hodie Senator. Verbum de constitutione illa Iuliani subijciam, apertè scilicet non dici, vetitam esse actionem. de repetitione enim soluti tota est: sed prohibet tamen plus satis nè qua admittatur actio, cùm ait inhonestè solutum quod posteà repetebatur ab iis qui, ex pacto suffragio, obtinuerant. atque ita etiam intellexit Cuiacius. hanc denique Theodosij, Arcadij, & Honorij constitutionem mores Gallici respuunt, vt ostendo ex Senatusconsultis, quicquid abrogare videatur Iustinianeus hic repetitæ lectionis Codex quod ad hanc partem Iulianus sanxerat, vt dixi suprà. sancta nempè constitutio profani non modò Principis, sed calli di etiam, nomini que Christiano infensissimi. fœlix si sub pietate Christiana imperasset, nec vnquam defecisset. Scio remissum fuisse ad consilium, ann. 1618. die 10. Nouembr. quod eò spectabat. sed admixta erant de quibus clarum haud satis. nec proinde agitata fuit quæstio. patroni, le Feron, & Pinette. Vnum de emunctoribus istis aulicis subiungam quod fieri nec debeat. Iudicauit enim Senatus in classe quarta inquisitionum, nullam esse delatoribus actionem ad consequendum quod ipsis, ex causa delatoriæ curiositatis, promissum est: vulgò dicimus, *pour le droict d'aduis*: Imò & pauperibus, vinctísque Palatini carceris addictum: simúlque pars lucri quod ex delatione illa suffragator apud Principem fecerat. Delator vocabatur Pet. Fiot. suffragator, florens Dargouges, Augustæ quæstor ærarius: latúmque generosissimum illud Senatusconsultum ann. 1610. die 2. Ianuar. litis interprete Dom. de la Vau.

TIT. IV. DE PROHIBITA SEQVESTRATIONE PECVNIAE.

IMPP. HONORIVS ET THEODOS. AA.

L. vn.

Quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat. Oportet enim debitorẽ primò conuinci, & sic deinde ad solutionem pulsari, quam rem non tantùm iuris ratio, sed & ipsa aquitas persuadet, vt probationes secum afferat, debitorémque conuincat pecuniam petiturus.

Pecuniæ verbum hîc non tantùm de nummis intelligendum est, sed de re omni seu mobili, seu immobili, de qua controuertitur, vt, post glossam, Baldus, & Salicetus adnotant. Cùm autem verba textus : *Oportet debitorem primò conuinci* : perspicuè indicent ex mente legis, numquam esse à facto incipiendum, re quippe apptimè odiosa passim apud Iurisconsultos & Imperatores, vt liquet ex variis locis, l. extat. quod met. caus. l. extat. de vi priu. l. 1. de peric. & commod. rei vend. ff. l. negantes. de action. l. 3. de pignor. inf. excipit hîc Baldus, si petatur vt in re litigiosa inuentarium fiat. fieri enim potest, ait ille, sed non sequestratio. & sanè ita seruamus. Excipit etiam & iure optimo Molinæus ad consuetud. Paris. num. 30. nu. 42. & 43. feuda monentia immediatè à Principe, vt in quibus à præhēsione, vel executione vt incipiatur, mos est. Casus autē plures aliunde teperio quibus fallit ea regula, & quibus ante condemnationem fit sequestratio. Primus est cùm iustus intercurrit metus nè decoquantur, absumantúrque fructus ab aduersario. Tunc enim de more illud conceditur, vbi cognitum fuerit, plena disquisitione, factisque probationibus de vi, ac metu, de dilapidationibus fructuum, de que iure peritoris, l. cum proponas. inf. de bon. auct. iud. possid. l. si is à quo. ff. vt in poss. legat. l. Imperatores. §. vlt. de appell. ff. cap. 2. & ibi glo. cum cap. vlt. de sequestr. poss. & fruct. cap. per vestras. de donatio. inter vir. & vx. Sic præcipuè iuter nobiles. Sic verò etiam in beneficiis ecclesiasticis, dum tamen petatur ante titulorum productionem, & ante litis contestationem: in quo seruamus doctrinam Masuerij, tit. de possess. §. item per stylum Parlamenti. Secundus casus, nè vis vtrimque fiat, vulgò dicimus, nè partes veniant ad arma, ex l. 16. sed si vsusfructus. §. sed si inter. ff. de vsufr. frequētissimum etiam hoc inter nobiles. Tunc potest iudex proprio motu, officióque, vt aiunt, nobili, iubere vt elocetur res penes fiduciarium bonorum curatorem, quem aliàs & ex iure, & ex vsu sequestrem dicimus. Vetus Aurelian. consuetudo ait, *entiercer*, art. 379. ad quem & Molinæus addit commune vernaculum, *mettre en main tierce*. Maximè verò si nesciatur, vter sit possessor. Secus si alteruter possideat, præsertim pacifica annali possessione, vt docet Rebufus titu. de sequestris, ex doctrina Baldi ad cap. 1. de sequestratio. possessionis & fructuū. Tunc enim arcendus à loco cōtentioso aduersarius, d. cap. 1. de sequestratio. possess. & fruct. & l. vlt. de off. proc. Cæs. ff. exceptio vna est, si nimirùm possessor non sit soluendo, vide Panormit. ad cap. 3. de caus. poss. & fruct. Salicet. & Curtium hîc. In quo & notabitur ex Io. Fabro, hîc, posse satisfieri conquerenti ex satisdatione oblata, datáq; ab eo de quo sibi timet qui queritur: nisi tamen duret causa mali, nec euitetur per satisdationem, quod ita Panormitanus ad d. cap. 2. de sequestr. possess. & fr. obseruandique sunt in hoc ipsum textus capituli, ex transmissa. & cap. literas. in fin. de restitut. spoliat. cum cap. cum locum. de sponsal. satisdatio enim propositum maleuolum nō mutat, sed diutius grassandi facultatem præstat, inquit lex, quin satisdatio. de susp. tut. Sequestratio etiam fit, cùm appellatur ab executore mero, de quo. & pluribus aliis eiuscemodi casibus, vide glo. vl. ad cap. dilectus. d. tit. de seq. possess. & fruct. hæc κατὰ σύνοψιν de causis sequestrationū, & exceptionibus. Iā trado quot sint species. Vel enim voluntaria est sequestratio, vel necessaria, quę nimirùm fit iussu iudicis, vel mixta, quę & auctore iudice, & de consensu partiū, vt sæpe id apud nos: notátq; Rebufus tit. de sequestris. pag. 1. & 2. De voluntaria agunt cap. per vestras. de donat. inter vir. & vxor. l. interesse puto. de acq. poss. & cap. ex animata. de iudic. possidet verò volūtarius sequester vtriusq; partiū, d. l. interesse. est enim μεσεγγυητὴς, seu sposor medius, ac mediator: *seruabo quasi sequestro detis*: apud Plautū; quæ duo interijcit Cuiacius tā hîc, quā ad Nou. 90. Quinimò & percipit fructus, ita & penes eum collatio, præsentatióq; beneficiorū, si qua sint, vt docet glossæ duæ singulares, altera ad Clemen. vn. de sequestr. possess. & fruct. altera ad tit. de collat. in pragmatica sanct. §. itē voluit. in verb. vicario. docet etiam Innocentius, & Hostiensis ad d. cap. ex aminata. dummodò tamen sit sequester ille clericus: ita enim ex doctrina Ancharani, & Io. Andreæ, ad d. Clem. vn. atque Corrasij, in paraphrasi benefic. par. te 2. cap. 6. vbi in id plura. Eo autem iure vtimur, vt vbi ista incidunt, vterque litigantium, si possit, conferat, vel præsentet, cùm reuera non possideat sequester, sed custodiat tantùm, d. l. interesse. Multò ergo id magis in necessaria, seu iudiciali, cùm neminem illa spoliet, ait Boerius, q. 172. quam & posse impediri adijcit, si qui impedit, doceat statim de iure suo. Latè de his eo loco, atque apud Fabrum hîc, apud Rebufum, d. tractatu, de sequestris, quæ ad quotidiana negotia plurimùm faciant. Quantum ad sequestrationes fœminarum, textus frequentiores sunt in l. 1. in pr. de vent. inspic. cap

cum locum.de sponsalib.cap.ex transmissa. & cap.literas in fin. de restitut. spoliat.agit etiam de sequestratione puellæ Alexander lib.5.consil.161. Vide cætera de sequestratione, ex moribus etiam Gallicis ad d.l.16.si vsusfructus §.sed si inter. de vsufr.atque ad l.6.is penes quem.inf.depos.

TIT. V. DE CONDICTIONE INDEBITI.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Pecuniæ indebitæ per errorem, non ex causa iudicati, solutæ, esse repetitionem, iure condictionis, non ambigitur. Si quid igitur probare potueris, patrem tuum, cui hæres extitisti, amplius debito creditori suo persoluisse repetere potes: vsuras autem eius summæ præstari tibi frustrà desideras. Actione enim condictionis ea sola quantitas repetitur quæ soluta est.

Tota dubitandi ratio fuit in vsuris, an scilicet repeti possent, nécne. negat autem Imperator repeti eas posse, sed solam quantitatem, quia nimirùm sint accessiones ciuiles, fructúsque accidentales, ait glossa, quæ ex eo infert, aliíque post eam interpretes, fructus, ideò condici, ac repeti, quia sint naturales. quanta verò ea sit iuris subtilitas, planè miror, cùm in summa τὸ ἡγεμονικὸν, seu quod principale est, pertrahat secum quicquid inde sequitur, vt liquet plus satis ex l.cùm principalis. de regul.iur. ad quam & ita omnes interpretes. Deinde verò quid magis contrarium, quàm merus hîc textus legis 18. inf.de vsuris. *indebitas vsuras*, ait ibi Imper. Philippus, *exclusa veteris iuris varietate, repeti posse, perpensa ratione firmatum est.* Itaut, cùm longis pòst annis successerit Antonino, constare procul dubio oporteat emendatum hîc esse ius vetus, perpensáque id multùm ratione, quemadmodum & ille interijcit. Exscribam in hoc vt pernecessarium quod iamdiu notaui ex Tiraquello ad finem tituli, de retractu conuentionali, nu.152. etiamsi, inquit, scienter vsuras soluerit debitor, atque etiamsi iurauerit se eas non repetiturum, condicet tamen posteà si velit. non potest enim renuntiare beneficio iuris, &c. hinc hodie imputantur sorti, eámque, quatenus solutæ sint, minuunt, ex quotidianis arestis, si conqueratur debitor. Per causam enim mutui soluit: quo casu nihil officit vsurarum à longis annis facta solutio, trado Senatusconsulta ad rubricam de vsur. & ad l.pecuniæ fœnebris.eod.illo tit. Idem planè dixerim cum ex causa iudicati solutæ sunt, si modò infirmatum sit iudicium, tùc enim & indebitas esse constat, & sine causa depensas: itaut condictioni non modò indebiti sit locus, sed etiam condictioni sine causa, de qua infrà tit.9. militátque proinde non minus causa ciuilis, quàm naturalis, quicquid distingant interpretes ex subtilitate iuris, vt dixi, sub qua plærumq; perniciosè errari, dicebat olim Celsus adolescens, in vulg.l.si seruum.§.sequitur.de verb.oblig. amplectuntur ex eo superiores imperij nostri Gallici curiæ quod æquius, ac melius, neque tam sese addicunt vmbratilibus scholarũ vinculis, strictiq; iuris, ac bonæ fid. distinctionibus, quas tandẽ ex vsu, aduersari æquitati compertũ est: quod nec prætermisit laudatissimus Senatus Tolosani princeps, Per. Faber, Sanjoranus ad l.omnis.de reg.iur. Idem proculdubio in causa trãsactionis, si, vt de sentẽtia dixi, ad nõ causam redierit, & resoluta illa sit, quod admittũt leges Franciçe, cùm personalis intercessit dolus. Sola deniq; causa pietatis iure optimo excludit apud nos condictionem indebiti. summa enim illa ratio quæ facit pro religione, inquit lex, sunt quædam personæ. de religios.ff. singularis verò in hac ipsa condictionum materia textus, in l.eum is qui.ff.hoc titu. vbi ita ex professo deciditur. dixi ad eam ex luce fori quod sit satis. Taceo festiuum quod interijcit magnus interpres, Alexander,

Alexander, consil. 83. lib. 1. recessisse nempe ab aula hunc titulum, cùm, inquit, & verè debita vix soluant.

IMP. IVSTINIANVS.

L. pen.

Si quis seruum certi nominis, aut quandam solidorum quantitatem, vel aliam rem promiserit, & cùm licentia ei fuerat, vnum ex his soluendo, liberari, vtrumque per ignorantiam dependerit, dubitabatur cuius rei daretur ei à legibus repetitio, vtrúmne serui, an pecuniæ? & vtrùm stipulator habeat huius rei facultatem. Et Vlpianus quidem electionem ei præstat qui vtrúmque accepit, vt hoc reddat quod sibi placuerit: & tam Marcellum quàm Celsum sibi consonãtes refert. Papinianus autem ipsi qui vtrúmque persoluit, electionem donat: qui & antequàm dependat ipsam, habet electionem quod velit præstare: & huius sententiæ sublimissimum testem adducit Saluium Iulianum, summæ auctoritatis hominem, & prætorij edicti perpetui ordinatorem. Nobis hæc decidentibus, Iuliani & Papiniani sententia placet, vt ipse habeat electionem recipiendi, qui & dandi habuit.

Verè hæc vna est ex 50. decisionibus Iustiniani. Aperte enim & quæstionem, & iurisconsultorum dissidia dirimit. Tanti autem fecit Tribonianus Papiniani iudicium, vt nec in hanc partem setuauerit constitutionis Theodosianæ præscriptum, in l. vn. de responsis prudentum. Cod. Theod. cuius hæc verba: *vbi diuersæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat auctorũ. Vel si numerus æqualis sit, eius partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenij vir Papinianus emineat, qui vt singulos vincit, ita cedit duobus.* sic illa constitutio. At verò in quæstione hac alternatiuarum, vtrùm stipulatori, an promissori repetenti, detetur electio, cùm vtrúmque, quorum alterutrum debebat, soluisset promissor, tres, nempe Vlpianus, Marcellus, & Celsus, idẽ prorsus sentiebãt aduersus duos tantùm, Papinianũ videlicet, & Saluium Iulianum. Sed Imperator ipsemet cõponit in hac l. dissidiũ: quod tamen non ita permittendum iudicibus, vt quibus in iudicando metas ponat, finésque in dissensionibus illis iurisconsultorum præscribat quos sequantur. egregius textus legis vltimæ. Cod. de legib. qua dicitur Principis solius esse leges explicare, vt solus ille est qui possit, ac debeat leges condere. De Saluio Iuliano, & qua ratione frænos iniecerit ambitioni, auaritiæque, ac libidini prætorum veterum, composito, ordinatóque edicto perpetuo quod deinceps sequerentur, cùm quotannis ad libitum edicerent, quicquid lubetet, sæpiúsque contra iura, & leges, attigi ad l. si quis id quod. ff. de iurisd. omn. iudic. Cæterum ad Vlpiani sententiam, notat meritò equidem Bartolus legem, si non fortem. §. si decem. ff. hoc tit. repetiésque opinionem Celsi in l. 19. si cui. de legat. 2. atque vt præfert Imperator quod Papinianus censuit, ita & argumento huius decisionis iudicauit Senatus ann. 1596. secũdum mercatorem quendam Tricassinum, qui cùm patrui sui, cuius cõscriptus hæres erat, testamento prædium, vel domum cuidam etiam testatoris ex sorore nepoti dare damnatus esset, temerè, neque obseruatis accuratè verbis testamenti, vtrúmque præstiterat. posteà igitur, errore agnito, condicit domum, vt quam elegisset, si ab initio alterutrum legatum esse aduertisset. legatarius è contrà illud ipsum sibi habere voluit quod hæres, id est domum, cùm iam penes eum esset electio. Choartius pro hærede dixit, Duretus pro legatario. vicit hæres. Fœlix certè, fœtúmque egregiis & iudicibus, & patronis ad quæstiones variarum semper hypotheseωn nobilissimas, forum Lutetianum, in quo hodie quadraginta perpetuæ motæ, iugísque & librorum, & controuersiarum forensium studij, annos numero.

IDEM A.

L. vlt.

Pro dubietate eorum qui mente titubante indebitam soluerint pecuniam, certamen legumlatoribus incidit, idne quod ancipiti animo persoluerint, possint repetere, an non. quod nos decidentes, sancimus, omnibus qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam speciem persoluerint, repetitionem non denegari, & præsumptionem transactionis non contra eos induci: nisi hoc specialiter ab altera parte adprobetur.

Nihil hîc Cuiacius, strictim verò Bartolus, Baldus, Salicetus: nihilque ferè Io. Faber, pro more. interpretationem tamē meretur, & ostendam paucis quàm faciat ad forum, vbi, ὡς ἐν παρόδῳ, selectiora quædam attigero. Vult in summa vt ex causa dubitationis oriatur condictio indebiti, non minùs quàm si per errorem soluta esset res indebita. Rationem affert Baldus, quia, inquit, dubitans non donat, sicut nec errans, citátque in id textum clarissimum in l. nec ignorans. inf. de donation. lex hæc notabilis, ait Bartolus: dubitans enim & ignorans, quantum ad repetitionem indebiti, æquiparantur. Præstrauerat autem viam glossa, cùm dicat nominatim dubitantem pro ignorante haberi: nec esse differentiam inter errorem, titubationem, & *nescientiam*: scio verbum esse planè barbarum, sed, quia efficax, præterire non potui, vt tantò magis exhibeam eum qui de re aliqua ambigit, perinde esse, ac si erret, nesciátque quò feratur animus, & an progredi, vel regredi debeat. Inde apud Vlpianum, *de statu suo dubitantes, vel errantes testamentum facere non possunt*. ti. de testam. ff. Cic. 1. off. *benè præcipiunt qui vetant quicquam agere de quo dubites*. rem verò oculis Virgilius subiicit,

Hac memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

Nec tam abs re laudari & hîc possit vetus illa Archesiléa ἐποχή, seu perpetua, apud Academicos, errandi metu, dubitatio. Tanti enim est, ad res, & negotia, pendére animi interdum, & tēpore, ac loco hærere, diffidere, καὶ σωφρόνως ἀπιστεῖν, vt si, putà in deliberanda cretione, aditionéque hæreditatis ignorentur onera hæreditaria, id est, si suspicemur quale emersurum sit æs alienum, quidve in bonis, abstineamus tunc vel nolentes, ac inuiti, aut adeamus, saltem adhibito inuentarij beneficio. *Iustis rationibus*, inquiunt Papinianus, & Vlp. in l. filio. de leg. 1. & l. 4. §. 11. de dol. except. *noluit negotiis, molestiisque hæreditariis implicari*. Si quid etiam soluendum, & dubitetur cui fieri debeat solutio vt ex ea sequatur plenissima liberatio, pedem refert continuò perspicax debitor, veritus nè impingat, & non semel, sed bis exoluat quod debet. Vera illa est legis istius hypothesis. Soluerat enim debitor, & quia dubitaret an is à quo apocham, seu liberationem acceperat, falsus forsan esset creditoris sui procurator, aut quia simile quippiam de eo inaudierat: anxiè confestim rediit, repetiitque solutum. Forsan verò & quia, cùm quasi hæredi soluisset, didicerat posteà non esse hæredem, aut certè incertum hæredem. Sic & de emptore qui præceps forsan à dubio venditore emerit, & pretium soluerit. in hunc enim & illum casum, ac sexcentos similes, longè tutius innuit Imperator vt agatur continuò condictione indebiti, ad redhibendum quod dubitanter solutum sit. Nulláque alia aduersus huiuscemodi condictionem exceptio, depulsióque fuerit, nisi vt detur soluenti idonea reddendæ pecuniæ solutę cautio, si qua postmodùm moueatur ex eo controuersia. quod Molinæi consilium notaui ad Pandectas, tit. de procurat. vulgatáque in id lex, habitationum. de petit. & commod. rei vend. cum l. si fideiussor. §. vlt. ff. qui satisd. cog. & §. vlt. de replic. in instit.

TIT. VI. DE CONDICTIONE OB CAVSAM DATORVM.

IMP. ALEXANDER.

L. 2.

Si, vt proponis, pater tuus ea lege sorori tuæ prædia, cæteráque quorum meministi, donauit, vt creditoribus ipsa satisfaceret, ac si placita obseruata non essent, donatio resolueretur, eáque contra fidem negotij gesti versata est, non est iniquum, actionem condictionis ad repetitionem rerum donatarum, sibi, qui patri successisti, decerni.

Componenda lex, in traditionibus. de pact. l. lex vectigali fundo. de pignor. ff. & l. 3. inf. hoc ti. rectissimè autem Bartolus ad hoc rescriptum, cùm ait donationem simplicem & olim & nunc fuisse semper contractum nominatum: donationem verò ob causam, non esse propriè donationem, sed magis ob causam dationem, dicíque propterea meritò contractum innominatum. Veritas est, ait Baldus, fuisse donationem semper contractum nominatum, sed olim multò fluxiorem, ac fragiliorem, cùm maneret in finibus nudi pacti: deerat enim causa obligatoria: hodie autem ipsa liberalitas pro causa est, legis scilicet auxilio, nec verò ex natura nudi pacti, vt notatur in l. legitima. ff. de pact. ideóque vocatur condictio ex lege, agitúrque, vt in contractibus cæteris innominatis, ad resoluendum, quia is cui donatum est & modo, & conditionibus in donatione appositis non pareat. hæc igitur spectant maximè ad titul. de reuoc. donat. inf. & ad ea quæ iam notaui ad l. eum hîc status § 2. ff. de don. inter vir. & vx. Inter varia quæ à Senatu, ad huiusce legis speciem, decisionémq; decreta sunt, subnotabo per occasionem quod instar omnium fuerit, & breuissimum. cùm enim Mich. Haretius domum, & sua omnia mobilia, quæ cum domo ipsa decem circiter millium erant, xenodochio Andensi donasset, ea conditione, & pactione, vt ille vniuersum quotannis xenodochij reditum susciperet, atque administraret, omníque præponeretur calendario: accepra ea donatio est ab administratoribus, insinuatáque: itaur & bona iam donatoris possidere inciperent: perceptionem autem sacri illius reditus permittendam eius arbitrio negabant, nisi datis fideiussoribus, cùm esset illa viginti quinq; millium, & suspectam deinde ex ludo, atque ganeis quibus indulgebat de more, administrationem, faceret. contrà excipiebat ille de pactione adiecta donationi: quæ pactio proinde aut seruanda erat, aut redigenda ad irritum donatio. dicta enim erat ea lex, neq; vnquam aliàs de donando cogitasset. Causa disertè acta est in maiore auditorio à Cl. Guerinio, & Bignonio, filio, censuítque ordo amplissimus æquum esse vt vel staretur pactis, vel irrita in totum maneret donatio: ann. 1617. die 26. Maij. Rursus agitata quæstio est in eodem maiore auditorio, ann. 1618. die 11. Nouemb. vtrùm vilctiùs quidam, cui Thesaurarius ecclesiæ Laudunensis (vocabatur hic Iac. de Routy) resignauerat suum illud beneficiũ, cuius bis mille libræ francicæ in reditu, (Thesautariam etiam nuncupant) recepta tamen seu reseruata, vt loquimur, dignitate, cum iure sedendi in choro, vt consueuerat, simúlque annua quadragintarum librarum pensione: cogere posset resignatorem cedere beneficio, cuius resignationem admiserat pontifex, expuncta tamen exceptione dignitatis, ac sessionis honorariæ, quam dixi suprà, soláque pensione tolerata. episcopus enim executionem admissionis pontificiæ (vocant visa) nisi facta illa expunctione perficere noluit: vetante ita scilicet Rom. Pontifice: aiebátque proinde resignatarius se non teneri de illicitis, contrà autem resignatorem replicabat se his tantùm cõditionibus ciurasse suum beneficium, ad quod propterea petebat regredi. Senatus damnauit Villetium resigna-

re beneficium in fauorem Iacobi illius de Routy, intra triduum, pœna adiecta ceteris, si secus faxit, mulctauitq; expensis. Dicebant Brodæus, & Pignerius. plura non adijciam cùm & istud alibi variis locis ad Pandectas, & Codicem agitauerim. Vide ad l. si quis in conscribendo. sup. de pact. an renuntiare possit donator iuri reuocandæ donationis ex causa ingratitudinis.

IMPP. VALERIANVS, ET GALLIENVS.

L. 3.

Ea lege in vos collata donatio, vt neutri alienandæ suæ portionis facultas vlla competeret, id efficit nè alteruter vestrum dominium prorsus alienet: vel vt donatori, vel eius hæredi condictio, si non fuerit conditio seruata, quæratur.

Quam frequenti in vsu sit legis huius glossa, ob distinctionem quam subiicit, dixi accurato iam scholio ad l. 24. in quorum finibus. ff. de pignorib. cùm enim pugnare videatur lex, si ita quis promiserit. §. ea lege. de verb. oblig. quæ, nihil morante eiusmodi prohibitione, alienationes illas nihilominus admittit, damnato duntaxat venditore in id quod interfit alterius in cuius gratiam prohibitio facta sit, distinguit optimè legis istius glossa contractus à testamentis, & quoties à lege, vel à testatore alienatio prohibita est. primo casu valet, vt dixi, alienatio: secundò non: paucísque ita Barto. & Ioan. Faber. Tria deinde in hoc decreta Tolosani Senatus reperies apud Maynardum Senatorem libr. 4. cap. 10. & 11. Tradit Molinæus consil. 26. ex l. 74. Qui filium ff. ad Trebell. rationem egregiam, quam tamen à Cyno didicit, vt infra ostendam fusiùs, prohibitio alienãdi, ait, quæ, in gratiam alicuius re stamento facta est, inducit fideicommissum, cui proinde fraus fieri non potest, qui n res tandem, defunctoque primo possessore testamentario, transeat planè ad eum qui ex fideicommisso designatus sit. Amplius scribit Vidus Papius, q. 569. Impediri enim alienationem docet, si qui alienat, reseruerit sibi, seu, vt loquimur, reseruarit, ius aliquod reale in re ipsa quæ alienatur: vel si (& hoc ad nostram hanc. l. spectat) adiiciatur pactum, quo donatarius, vel alius eiusmodi conueniat, vt re quomodo alienata, redeat illa ad donantem. Cauendum tamen est apprimè, nè auctionalis intercedat venditio. Tunc enim & quamuis distractioni causam æs alienũ donatarii dederit, nisi intercedat qui ius habet in casum alienationis, perpetuò ille excluditur, vt pronuntiauit, inter cætera, ordo amplissimus, an. 1601. die 1. Februarii, secundũ Dom. Hẽnequinium, in curia rationaliũ (al. Camera computorum) præsidem, qui eiusmodi domum auctione publica emerat. Causam agebant Lud. Dolæus, & Isacius Arnaldus, qui posteà Consistoriani Comites. Tanti sunt auctionalia decreta, vt à Ren. Chopino semper didici, vt iura omnia intercidant, acpereant, quin & ipsæ substitutiones periclitẽtur, nisi intercedãt quorum interest: sola siquidem excipiuntur iura dominica: eóque facit doctrina Io. Fabri. ad l. si eo tẽpore. infra. de remiss. pign. & Præsidis magistri, tractatu, de bonorum publicationibus. Cæterùm decidit hîc Baldus, prohibitione facta nè res alienetur in potentiorem, alienari eam non posse ecclesiæ. Quòd si, inquit, dum fundus venditur, cauerit nominatim venditor, nè turris in eo exstruatur: distinguendum putat, vt scilicèt exstrui turris illa non possit, seu ab emptore, seu ab extraneo, qui rursus emerit, si officiat castro, iurisdictioni, luminibúsue venditoris, aut si denique seruitutem aliquã inijciat. Si non officiat, censet frustrariam fore prohibitionem. Salicetus plurimas, longissimoque commentario, quæstiones hîc aperit, quarum tamen ferè nulla quæ magis non sit vmbratilis scolarum pulpiti quàm experimenti forensis. eiusmodique est quod delibat hîc Cuiacius. Longè ante eos Cynus, præceptor Bartoli, & cuius verba in partem recenset, loco suprà citato, Molinæus, accuratissimè omnium distinxit casus varios qui multùm ad forensia iudicia faciant. Si prohibitio, inquit, fiat à lege, sola tunc necessaria alienatio admittitur. l. Alienationes. ff. famil. hereisc. l. 1. inf. de præd. minor. l. 1. l. 3. §. Item quæri. de fund. dot. ff. l. 2. inf.

de litig. hoc seruamus, dummodò tamen adhibita fuerint hastarum publicarum, ex edictis regiis, solennia. Si prohibeat etiam testator, causa adiecta, purà quia fundus maiorū suorum sit, irrita est, quæcunque fiat, alienatio. l.peto.§.vlt.l.cum pater,§.libertis.de leg.2. Valet deinde ea prohibitio si clatum sit ex verbis testatoris in cuius gratiam ita statuerit testator, purà si dixerit, veto nè fundus extra familiam alienetur. Tunc enim familia est causa prohibitionis. Idem verò & iuris est, si nominetur persona ad quam, in casum alienationis, debeat vel fundus, vel domus peruenire. d.§.liberis, sicque intelligenda lex, filiusf. §.diuus.de leg.2. hæc in testamentis. In contractibus autem subiicit quod indubitato etiam iure admittimus: valere quidem scilicèt alienationem rei alienari prohibitæ, si prohibēris intersit, sed competere posteà condictionē ob causam. hac nostra l.1. Ita Cynus. nihil autem ex Iasone, & Paulo Castr. profero, quia Castrensis totū hoc vsque ad tit. de probationibus prætcrierit. Iason nihil prorsus nisi ad tit.de iur.emphyt.vide tursus ad legem vlt. inf. de rebus alien.non alienand,

---

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 7.

Si repetendi quod donabat vxori eius quem ad proficiscendum tecum, huiusmodi liberalitate, prouocare proposueras, nullam addidisti conditionem, remanet integra donatio: cùm leuitati perfectam donationem reuocare cupientium iure occuratur.

Vide omninò quæ ex Iure Ro.& Gallico,auctoribúsq; classicis,adieci ad l.3.§.si quis, de condictio. causa data, causa non secuta. ff.duo autem, ex hoc textu discimus: alterum, stari semper actui legitimo, qualis publicè eminet, nisi contrarium probetur, l. 18. cùm precibus, inf. de probation. vbi de eo etiam agitur qui se non donasse dixerat quod nihilhominus ex instrumento constabat donatum. vulgare axioma interpretum ad hanc l. est: propositum in mente retentum nihil operatur. *probare te oportet* (ait.d.l. cùm precibus) *contra voluntatem tuam fundum, quem à te donatum non esse dicis, instrumento aduersarium tuum sibi adscribi laborasse &c. verba reperta sunt*, ait Cic. pro Cecin. *quæ indicarent voluntatem.* Baldus, & Salicetus verbum addunt de protestatione in id necessaria, si aliàs per metum & vim eius qui vrget, obstare non possit quisquis non ex animi sui sententia agit quod agit, vt in l.honore.§ vlt.de decur.l.pen de annal.exepr. inf.l.1.§.quæ oneràdæ.ff.quar.rer.act. nō dat l.2.quæ & vi.eod.de his quæ per met.Iud. non appel.cap.1.de his quæ vi.& cap.vlt.de appellat. Protestatio autem illa,seu contestatio contrariæ voluntatis, moribus nostris, vsúqne optimo, & ante & post negotium peragenda est. Quod si absit & vis, & metus, frustrà quis protestabitur si nihilominus exequatur contrarium, cap. solicitudinem. de appellatio. cap. cùm Martinus Ferrariensis. de constitution. plura Molin. ad Consuet. Paris. §. 7. in pt. haud abs te Ouidianum hoc ex epist. Cydippes ad Acontium.

Sed si nil dedimus præter, sine pectore, vocem,
Verba suis frustrà viribus orba tenes.

Speciosa verbis, re inania: apud Tacit. De hoc plus satis. Arguit verò altera pars textus leuitatem taciti istius donatoris, qui facta temerè inani, atque, vt verisimile est, haud modica donatione, voluit posteà non factam, cùm scilicet agnouit derisum se forsitan ab eo ipso apud quem tam inutiliter quicquid insumpsisset, perdiderat, quemadmodum Vlpianus dixit in l.7. de donat. donare nihil aliud esse quàm perdere, quod & ipsum Prosper Aquitan. lib. 2. de vitæ contemp. preserrim verò, ait ille, cùm donatur diuitibus. Damnat propreteà donationes Aristoteles lib. 5. politic. cap. 8. testaturqne Seruius ad lib.6.Æneid.animi impotes, fatuosque habitos à Romanis qui donationes facerent. Res optimæ inquit ille ipse ad eclog.2.Virgil.& difficilè donantur à vicinis,& acceptæ facilè merētur inuidiā. Ostenditur denique ex his quàm leuiculus,quasiq; in-

ſanus donator iſte, immenſúmque adeò donaſſe, vt & Imperatores adierit nulla alia ratione ſubnixus niſi quòd diceret, ſeſe in animo ſemper habuiſſe vt eas repeteret, niſi ſecum proficiſceretur maritus ille cuius vxori, ad ſuadendum iter, donauerat. Paſſus igitur & meritò repulſam ab Imperatoribus reſcribentibus ferè hoc ipſum quod in l. 2. inf. de furt. vt caueret nempe negotiari cautiùs donationem ſi quam poſteà faciat. Similis alter textus, atque ex eiſdē Imperatoribus eſt in l. ſi maiores. ſup. de tranſact. Magnus ille hoſpitalius, Cancellarius non ita pridem noſtræ Galliæ, occurrere voluit iſtiuſmodi leuiculorum fortuitis donationibus. Si enim rerum immobilium fuerint, auctor ille extitit Carolo nono, an. 1566 vt cuiuſquemodi eſſent, etiam remuneratoriæ, vel ex cauſa matrimonii, irritæ tamen manerent niſi ſubſecuta intra ſex menſes donatione & apud acta loci rei donatæ, & apud acta etiā loci domicilii donatoris. Plures propterea, magnique momēti intercidiſſe ex ea cauſa vidimus. Implicitæ autem diſtinctiones gloſſæ, ac Baldi ad hanc l. de cauſa finali ſubintellecta ex vtraque parte, vel ab altera tantùm: Item ſi cauſa ſit de natura actus, aut ſi materialis, vel impulſiua. Quis cedò, inanes omnes iſtas ſcholę otioſæ offucias non videt? Tota enim legis huius hypotheſis in eo eſt: Geruntius, cui reſcribitur, donauerat magni quippiam vxori eius quē habere cupiebat longæ alicuius viæ comitem, cauſam tamen, ſeu conditionem donādo, non expreſſit: ſed purè, ac ſimpliciter donauit. Maritus ingredi iter nō vult. Cōdicit ergò, ac repetit donator quod donauerat, vt cauſa non ſecuta. Depellit maritus inquiens puram, perfectámque eſſe donationem, quę proinde conditiones poſteà non capit: ita enim in l. 4. inf. de donation. quæ ſub modo. Sic hypotheſis; in qua ſubintelligi nihil magis volunt Imperatores, quàm in d. l. ſi maiores ſup. de tranſact. vbi cùm & eadē ſit deciſio, ſimiliſque ferè ſpecies, putarim ſuperuacaneas fore Baldi diſtinctiones quas ſuprà recenſeo, ſi agitaretur vnquam in ſenatu ea quæſtio. Docet enim forum eumdum ſemper eſſe in medias res, ſtandúmque ratis, receptiſque iuris regulis quibus dirimantur ambigua cauſarum ex propoſita quàque facti ſpecie nuda, ac ſimplici, quemadmodum & nuda per ſe veritas, cuius propterea imaginem ex Sapphiro lapide olim, apud Ægyptios, primarij iudicis collo appenſam fuiſſe ſcribit Ælianus lib. 14. cap. 34. de varia hiſtor.

IIDEM AA.

L. 9.

Si arbiter conſtitutus, vt filia tua manumittantur, aliquid dediſti: cauſa non ſecuta, de hoc tibi reſtituendo condictio competit. Nam ſi quid ſeruus de peculio domino dederit, contra eum quidem nullam actionem habere poteſt, ſed dominum, qui ſemel pecuniam accipere pro libertate paſſus eſt, aditus prouinciæ rector hortabitur, ſalua reuerentia, fauore ſcilicèt libertatis, placito ſuo ſtare.

Addit optimè Gloſſa ad verb. *hortabitur*. Id eſt, *non compellet*. Hortandus enim, non artandus, inquit Baldus, aut, vt meliùs apud D. Auguſtinum, epiſt. 6. ad Aurel. epiſc. *non modo imperioſe: ſed magis docendo quàm iubendo, magis monendo, quàm minando.* putà ſi patet pactis non ſtet initis inter ſe & filiū: ſi abbas malè habeat, diuexétque inofficiosè ſuum monachum: ſi denique potentior aliquis cuidam à ſuis, in re æquiſſimè promiſſa, fidem fregerit: vel ſi, vt fit ſæpiùs, ditionis ſuæ finibus eijciat, in quibus forſan natus ſit, maior creuerit, & ſedem fortunarum conſtituerit, itaut litem cogatur inſtituere aduerſus dominum, querela hac adiecta apud iudices, quæ apud tragicum Senecam, in Agamemnone, actu 2.

Quid honeſta prodeſt vita flagitio carens,
Vbi Dominus odit?

Aut vt in Troade: act. 2.

Minimum decet liberè cui multum licet.
Sic etiam in marito, & vxore, quibus intercedunt asperrima interdum, mortaliáque dissidia. longè plures eiusce modi de his omnibus controuersias in Senatu vidimus: plures admissos in interiorem consessum, vt, de componendis, sedandisque animis Senatoria ab illustriss. infulato Præside, qui tunc consessui præesset, hortamenta magis, quàm iudicia audirent: maximéque id sæpius inter patrem & filium, æstuantésque inuicem dictis, ac factis coniuges.

IIDEM AA.

L. 11. quæ & vlt.

Aduocationis causa datam pecuniam, si per eos qui acceperant, quominus susceptam fidem impleant, stetisse probetur, restituendam esse conuenit.

Dixi fusissimè ad l. qui operas loc. & ad l. Aduersus. de inoff. testam. ff. quid de honorariis aduocatorum, & olim, & nunc.

TIT. VII. DE CONDICTIONE OB TVRPEM CAVSAM.

.IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Cùm te propter turpem causam, contra disciplinam meorum temporum, domum aduersariæ dedisse profitearis, frustrà eam tibi restitui desideras, cùm in pari causa possessoris conditio melior habeatur.

Tractaui ex professo quæstionem ad l. 4. §. Sed & quod meretrici. ff. hoc tit. tam ex iure Romano, quàm Gallico. Secundáque commentarij nostri, in primum Pandectarum volumen, editio, si quæ vnquam futura est, complectetur alterum aduersus fructuariam, quam ibi memoro, Senatusconsultum, anni 1617. die 15. Iun. de quo hucúsq; diffindi magis diem oportere arbitror.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN. DIONI, AL. DIZONTI, MILITI.

L. 3.

Quod euitandi tyrocinij causa, dedisse te indubia probationis luce constiterit, instantia competentis iudicis recipies: qui memor censuræ publicæ, post restitutionem pecuniæ, etiam concussionis crimen inultum esse non patietur.

Desiderari vt possit in interpretibus Italis elegantior, instructiórque ad leges, quibus explicandis vacarunt lex necessario humaniorum literarum viatico, supellex, fa-

teri tamen necesse est contigisse illos ἐν ὁμάδι, factóque legis cuiúsque totius agmine, veram in non paucis textibus seu Iurisconsulti, seu Imperatoris sententiam. *Officialis*, inquiunt, *qui prætextu officij aliquid per concussionem accepit, acceptum restituit, & criminaliter punitur.* Hoc illi ad hanc l.3. nihilque præterea de veterum militum tirocinio. ostendam autem, quocúmque vertatur interpretatio, & hoc ipsum sensisse Imperatores seu aduersus exactores indictionis, tributique tirocinij, seu etiam aduersus duces, centuriones, præfectósque agminum qui milites redempto annali tirocinio, admittebant (verè enim hoc ipsum est quod in idiotismo nostro, *racheter le temps de son apprentissage.*) Triplex proinde interpretatio, bona studiosorum gratia, fuerit. Prima Ioannis Costæ, antecessoris Tolosani, viri cultissimi, in suis verisimilibus, aduersus Cuiacium ad hunc tit. in postumis, licet ad l.4. de dignitatib. lib.12. tyrociniorum tributa, eáque realia, quibus Costa mouetur, abundè explanet, nulláque legis istius tertiæ mentione facta: quod miror. Tirocinium igitur, vt verissimè ambo obseruant, fuit onus præstandi tyronis à singulis agrorum possessoribus, vt Aurelianensium ciuitati durat in hunc diem lancearioru m quinque tributum: itaut, quia tandem loco, tyronis, pẽdi vectigal, tributúmq; auri cœptum est, vocarum etiam sit aurum tyronicum, de quo tantopere queritur Vegetius lib. 1.cap.7. in hæc verba: *hinc tot vbique ab hostibus illata clades dum longa pax militem incuriosius legit, dum possessoribus indicti tirones per gratiam, aut dissimulationem probantur.* facit eò optimè quod scribit de Valente Imperatore Socrates, libr.3 hist. eccle. τοὺς δὲ συντελουμένους ἐκ τῶν ἐπαρχιῶν κατὰ κώμας στρατιώτας ἐξηργύρωσεν ὀγδοήκοντα χρυσοῦς ὑπὲρ ἑκάστου στρατιώτου τοὺς συντελέας ἀπαιτεῖσθαι κελεύσας, οὐ πρότερον τῆς συντελείας κουφίσας αὐτούς. Id est, numerato pretio vendidit militẽ qui ex prouinciis per vicos à possessoribus præstabatur, cùm iussisset vt pro quoque milite aurei octoginta exigerentur à tributariis, nec priùs eos vectigalium onere leuauit, quàm id præstitissent, &c. Taxarionem tyronis dixit Symmachus lib 10. epist. 9. cuius taxationis immunis nullus possessor, nisi qui esset miles: dabatur enim istud militari cingulo, vt videre est ex l.3. & l.18. de tironibus, Cod. Theod. Iustáque ex eo Dionis istius, seu Dizontis, apud Imperatores, in hac l. 3. querela, quòd nihilominus exactũ ab eo fuisset, ex causa agri sui militaris, tyrocinium. Quereretur hodie iure optimo hoc ipsum miles, nobilisque feudi possessor: Imò & ciuis Parisiensis, Turonensis, Pictauensis, Ambianensis, variatúmque alij Galliæ nostræ ciuitatum, si, vbi bannum, ac heribannum publicatum est, quicquam ab eis exegisset coactor regius, vt fusè differit Bacquetius, de iure immunitatum feudalium, al. (*du dr. ict de fracs fiefs*) cap.10. totóq; illo cõmenrario. hactenus de prima hac interpretatione, in qua hoc vnum desiderem, ad mẽtem texrus, quòd, dare aliquid, *euitandi tyrocinij causa*, perinde non sit ac si dixissent Imperatores: *liberandi* tyrocinij: obstat enim recti sermonis latina ratio. Secunda igitur fuerit ex corruptis iampridẽ disciplinæ militaris, apud Quirites ipsos, ínque ipso tirociniorum instituto, moribus. Cùm enim plurimi, necdum exoleta, sub Diocleriano, & Max. (qui huius legis auctores) illa seueritate, ac molestia, referri in numeros militum haud possent, nisi peracto annali tyrocinio, cuius onera, quippe grauissima, feréque intolerabilia vt vitarent, agebant quacumque arte, pecuniáque etiam adiecta, apud centuriones: paucis asperum illud ordientis militiæ experimentum commonstro. Incipiente enim pubertate, id est, anno decimo septimo, deligi tironem mos erat: testantur id potissimùm Liuius lib. 2. dec. 3. Seruius ex fragmento Ciceronis ad lib.5. Æneid. & Turnebus, cap.22. lib. 16. Tunc adolescens operi Mattio deputandus, obseruabatur an vigilantibus esset oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, vẽtre modicus, exilior cruribus, suris, & pedibus, non superflua carne distentis, sed neruorum duritia collectis: ita enim Vegetius, libr. primo cap. quinto de re militari. qui & hoc rursus cap. sequent. numquam exercitus profecit tempore, cuius in probandis tironibus claudicarit electio, &c. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi conuenit iuniores. Hactenus Vegetius. Vbi autem cooptatus erat, ecce studia & labores: narandi enim vsum æstiuis mensibus omnis æqualiter debebat tiro condiscere. deinde scuta de vimine, in modum cratium, corrotundata texebant: itaut duplum pondus cratis haberet quàm scutum publicum habere consueuit. Itémque clauas ligneas, duplicis æquè ponderis, pro gladiis tironibus dabant: eóque modo non tantùm manè, sed etiam post

meridiem exercebantur ad palos. A singulis autem tironibus pali defigebantur in terram, itaut nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra aduersarium, tiro cum crate illa, & claua, velut cum gladio se exercebat, & scuto: vt nunc quasi caput, aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, interdum contenderet poplites, & crura succîderet, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem aduersarium, sic palam omni impetu, omni bellandi arte tentaret. Imò & hastilia quoque pōderis grauioris aduersus illum palum, tanquam aduersus hominem, iactare compellebatur. Item ad lapides vel manibus, vel fundis iaciendos, plumbatarúmque vsum, exerceri necesse erat. Equi etiam lignei hyeme, sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos primò inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Sed, quod molestius, baiulare pondus, vsque ad 60. libras, & iter facere gradu militari, frequentissimè cogendi erant, quibus in arduis expeditionibus necessitas imminebat annonam pariter, & arma portandi. Omnia hæc ex eodem Vegetio, d. libr. 1. cap. 4. 10. 11. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. Ex nostro autem iure, titu. de tironibus, libr. duodecimo l. prima *nullus tiro vagus* & l. vltim. *Tirones in scholis*, (id est, militaribus) *loco semper posteriore ponantur*. Vlpianus præterea, titu. de testam. milit. l. quadragesimatertia *ex eo tempore quis, iure militari, testari incipit, ex quo in numeros relatus est, ante non: proinde qui nondum in numeris sunt, licèt etiam lecti tirones sint, & publicis expensis iter faciant, nondum milites sunt*. sic ergo ostendunt Veget. & Vlpian. manifestissimè quàm multis, feréque dixerim, iustis de causis, expeterent multi, & olim, primóque à limine, referri in numeros, ac militare, euitato laboriosissimo illo tirocinij agendi anno, quo nec etiam interim testari iure militari liceret. Ast & inde etiam, cùm scilicet virtutis præmia occupare cœpisset ambitio, & per gratiam promouerētur milites qui promoueri consuerāt per laborē, ignauis, aut ineptis locus, per auri copiā, factus est, quod iterū Vegetius, milléq; prædandi artes suffectæ. Itaut verisimile sit & Dionē nostrum, cui rescribunt Imperatores, non alia ratione, tirocinij militaris tempus euitasse, pecuniámque dedisse, quam etiam posteà, vbi miles factus est, aut forsan, quia, ob anteuersum tirocinij tempus, militia eiectus, non erubuit condicere aduersus centurionem, aut alium qui eam accepisset. Nouus non est hic legis nostræ intellectus. Attigerant enim, sed leuissimè, iamdudum Sichardus, & Donellus: vtq; ex optimo literaræ antiquitatis penu promitur, ita & ad varia quoque meritò & nunc sagaciores facilè produxerint. Eadem nanq; ratione condicere possit miles pecuniam quam, vt exercitu abiret, dederit, si aliàs honestam, causariámve missionem haberet, de quibus in l. 13. de re milit. ff. turpiter námque percipitur, soliúsque accipientis turpitudo est. plura sunt similia. cùm autem de tirociniis alij hodie sint, mores, (rectà siquidem vbique gentium cinguntur, meréntque milites nullo antegresso tirocinio, præter quàm apud Turcicum Gennizeriorum exercitum, vbi quinquennale, vilissimum, grauissimum, feréque [illegible], ac intolerabile illud est, testante ita Viginerio in Chalcocondylam: monuitque me notæ haud adeò plurimis Cōstantinopolitanæ istius militiæ, illustr. D. Ant. Seguerius, infulatus Præses. imò nec reuera alibi militaris exercitationis ingens nunc studium nisi apud Hispanos, primíque Belgij milites, apud nos etiam in solis arcibus limitaneis, atque in statiuis custodiarum Principis) seruant tamen in re ecclesiastica antistites nostri vt nemo clericus per saltum, vt vocant, id est, omisso diaconatu, transeat à subdiaconatu ad sacerdotium, cùm ordines gradatim accipi debeant: eóque sensu accipiendus titulus 29. de clerico per saltum promoto, lib. 5. decretal. seruant quoque monasticæ cuiusuis regulæ religiosi, vt explico latiùs ad l. verum. sup. de episc. & cler. sed vtinam in cæteris, maximéque in maioribus, minoribúsque beneficiis, ac dignitatibus vniuersis, par esset lædendæ maiestatis diuinæ metus. Taceo de edictali tirocinij, in auditoriis, publicísque causarum actionibus, quadriennio, indicto quippe, ac præscripto ex constitutione Blæsensi, artic. 105. antequàm patére debeat Senatoria dignitas. Sacrilegij enim instar est, aiunt Imperatores, inquirere in iudicia Principum qui gratiam ætatis, tirociniíque forensis, quanta ipsis videatur, faciunt. Delibare autem liceat, summóque velut digito contingere quod ad custodiæ regiæ immunes faciat, (dicimus, *exempts des gardes*) cùm enim ex ipsis protectorum turmis, delectúque præstantiorum facto, assumi solerent, anteuertunt hodie tot annorum, in excubiis regalibus, molestias, nummis au-

ſpicibus, tirociniíque cuiuſuis bellici vicariis. Itaut de more, per bis mille aureorum ſubſidium, immunem illam, capitalémque militiam ſortiatur qui numquam antea militauerit. Gratia autem tirocinij legalis, quod quinque annorum eſſe vult Iuſtinianus, fit ſæpe ac ſæpius ab antecesſoribus Academicis eo pudore, vt teſtimonialibus ſuis renuntient frequentisſimè exploraſſe ſe peritiam, vel illius quem numquam viderint, vel qui nè per ſex quidem menſes iuri operam dederit. Imò & hoc ipſum præſtant in ſuis mechanici opifices. Adeò fractum ſeculum. Tertia explicatio eſt Cuiacij ad hanc ipſam l.3. in poſtumis, vbi condictionem illam datæ pecuniæ non refert ad centurionem, præfectúmve alium belli quemlibet, ſed ad eum qui haberet delectum militum, vt qui extorſiſſet pecuniam, nè eum deligeret, & ciraret. qui enim citatus ad delectum, militiæ detrectandæ cauſa, non reſponderat, in ſeruitutem redigebatur, vt proditor libertatis, l. qui cum vno. de re milit. ff. latiùs perſequitur, nullóque prorſus de tirociniis militaribus, verbo adiecto, cùm tamen & illa explicet, vt dixi, ad l. 4. de dignit. cur ita, planè non video. longa enim differentia inter delectum, & tyrocinium. textus autem non dicit, *euitandi delectus causa*, ſed *tyrocinij*. Multum apud me tanti interpretis auctoritas: videtur tamen, præualere media, quam intereſo, ſententia, licet vtróq; caſu damnetur auaritia illius qui, vt gratiā ſeu delectus militaris, ſeu tirocinij faceret, pecuniam acceperit. Imò cenſuræ illud, ac vindictæ publicæ Imperatores deputant, nec tantummodò vt reſtituatur quod ita peſſimè aduerſus bonos mores conuentum, præſtitúmq; eſt, vt quod prætextu officij, ac per exitioſam concuſſionis maculam, vel acceptum, vel extortum fuerit. Imperioſo illo crimine cùm & hodie nihil ſit frequentius, verbum, per loci neceſſitatem, ſubiungam, quod priorum iam mearum ad Pandectas, & primum librum Codicis, animaduerſionum particulam ſubeat. Concuſſionis enim iudicium vt regulariter publicum non ſit, ait lex 2. ff. de concuſſion. ſecus tamen vbi læditur diſciplina, imo & ſalus publica, cuiuſmodi eſt quicquid ad res bellicas ſpectat, per quas in tuto aduerſus hoſtem omnia: quæ proinde reſcripti noſtri potiſſima ratio eſt comminantis cenſuram publicam. Notandæ autem & in hoc querelæ prouincialium aduerſus deprædationes officiorum Principis in l. 2. & l. 9. vniuerſi. ſupr. vbi cauſæ fiſcales. Notanda & lex 1. in f. de pœna iudicis qui malè iudic. in vulturios iudices, vt vocat Soſipater lib. 1. Grammatic. Reijcitque adeò tranſactiones cum eis initas Tullius, actio. 4. in Verr. vt ſi quaſi monſtra, prodigiáve timuiſſent qui contraxerint. De his plus ſatis. multa enim alibi. Dotaſſe ſufficiat legem, ferè per nullas, aut certè alienas interpretum ſententias, indotatam, veræque nunc, quà fieri poſſit, ſuæ menti reſtitutam. Optimè equidem, erudiſſiméque, vt omnia, magnus Cuiacius, in eos qui, vbi pro aris, & focis, aut alia ex cauſa publica, pugnandum eſt, ceſſim eunt, patriæque defenſioni, aut honori, quæcúmque citationes fiant, deſunt. vendebantur eorum bona, ædéſque interdum diruebantur ob contumaciam, eóque prorſus ſpectant heribanna Gallica de quibus Gregor. Turon. lib. 5. cap. 26. attigique iam ſuprà: & cùm plures nouiſſimè, per funeſtum diſſenſionum ciuilium quinquennium, ſub Henricis, 3. & 4. hoc agerent, ſeueriſſimum tandem in ſubſidiorum curia, decretum latum eſt ann. 1593. 28. April. apud Cæſarodunum Turonum, quo ad ærarios, vilémque plebeiorū ſortem redacti ſunt, omnibúſque nobilitatis inſignibus deſtituti, niſi, arcibus, in quibus delitеſcebant, relictis, ad regios exercitus feſtinarent, natiuiſque pro Principibus aduerſus rebelles, ac immanem exterorum hoſtium nubem, bellum vnà cùm reliquis Francis committerent, de quo elegantiſſimam actionem edidit Dom. Bretius, tunc in ea curia, fiſci patronus: Sed, vt conſtat maniféſtiſſimè ex noſtræ huius legis tertiæ cōtextu, non hic agūt Imperatores de delectu illo, ſeu edicto, aut heribanno, quod vſitatum in hunc diem apud nos, vulgò enim dicimus, *Ban, & Arriereban*: ſed agitur de priſco illo, annaliq; militum tirocinio, quod vt laborioſiſſimum, grauiſſimúmque, ac moleſtiſſimum, redimebant pecunia plurimi à centurionibus, ac cæteris eiuſcemodi belli præfectis.

IIDEM AA.

IMP. PHILIPPVS.

Mercalem te habuisse vxorem proponis, vnde intelligis & cōfessionem lenocinij preces tuas continere, & cauta quātitatis, ob turpem causam, locum non esse. Quamuis enim vtriusque turpitudo versatur, ac soluta quantitatis esset repetitio: tamen ex huiusmodi stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones, iuris auctoritate demonstratur.

Dixi ad l. & Ancillarum.ff. de peritio. hæt. Temeraria autem, si qua vnquam apud veteres, hæc actio. Plena equidem sit literaria Græcæ, Romanæque gentis vetustas maritalibus lenociniis. Itaut & ipse Phoclydes inter Græcos apud quos frequentius hoc videbat, præceptum istud poësi suæ verè morali, ac ethicæ inseruerit:

Μὴ προαγωγεύσῃς ἄλοχον, σὸ τέκνα μιαίνων.

Id est, nè prostituas vxorem, liberos tuos inquinans. Quod nec minùs toleratum Romæ, teste Horat. lib. 3. od. 6.

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu nauis hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Martial. lib. 5. epigr. 73.

Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

Præstantissimè verò omnium Tertul. in apologet. Omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores, in illo loco consortium soluimus, in quo solo cæteri homines consortiom exercent. Qui non amicorum solummodò matrimonia vsurpāt, sed & sua amicis patientissimè subministrant, ex illa, credo, maiorum, & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis commuoicauerunt quas in matrimonium duxerāt liberorum causa, & alibi creandorum, nescio an inuitas. Quid de castitate curarent quam mariti tam facilè donaueraot? ô sapientiæ Atticæ, ô Romanæ grauitatis exemplum. leoo est philosophus, & censor: sic ille. Colluuies nempe eiusmodi lenociniorum maritalium, mercaliumque vxorum, vt loquuntur hic Imperatores, passim, ac vbique coofluxerat. Sed vt vllus vnquam ausus fuerit actionem de turpitudinis illius captando tam infami luero instituere, solus ausim dicere hic locus. Imò enim in simplicibus lenociniis, quæ scilicet mariti non exerceāt, vulgata est Nouella 14. de lenonibus, apud Iustinianū, vbi vult eos expelli Cōstantinopoli, & lex vn. §. similique modo. de latina libert. toll. verba etiam hæc sunt legis pen. de Spectaculis lib. 11. lenones patres, & domini, quæ suis filiabus, vel ancillis peccandi necessitatem imponant, patriā potestatē amittunt, & dominiū. Longè plura eo loco. Apud nos verba hæc sunt constitutionis S. Ludoici, an. 1254: Qui domum publicæ meretrici scieoter locauerit, volumus quòd ipsa domus incidat io commissum. Vnum subiungam ex d. Augustino lib. 1. de sermone domini in monte, cap. 16. to. 4. quia mirum certè: neque si alius scriberet, memorarem. Agit enim de lenone marito, & prostituente vxorem ad vnam noctem duntaxat, vt magnam satis auri summam ab adultero accipiat, qua dissoluat vrgentissimum æs alienum. Ferè hoc probat, tamen valde anxius: Per te videris, si lubet, longiore enim sermone historiam exarat. Miror igitur tam clementer egisse Imperatores cum marito isto lenone, cui dooata sola actio est, cùm tamen dicatur in l. mariti. §. qui quæstum. ff. de adult. maritum plecti qui quæstum ex adulterio vxoris suæ fecerit, nec enim mediocriter delinquere qui lenociniū in vxore exercuit: Verba sunt Vlpiani, in quibus & desinā. Cū enim lex hæc, & lex, cùm proficearis. inf. de reuocand. donat. nominari in scholis, & in foro soleant, vt audiendus non sit qui turpitudinem suam allegat, primùm immensa generalis huius regulæ exempla.

Deinde verò in l. cùm profiteatis, longè alia species quam lenocinii: *cùm profitearis*, ait ibi textus, *in fraudem te alterius donasse, professionem inhonestam continere intelligis*. Glossa subinde regulam hanc de turpitudine adnotat. sed hoc non procedit, inquit Tiraquellus ad l. si vnquam. in verb. reuertatur. nu. 420. cùm eiusmodi est turpitudo vt per eam concludatur, ius actori ipso iure non competere. quæ proinde interpretatio vulgatissimi axiomatis, patúmque ab omnibus intellecti, prætermittenda hîc non fuit. miror autem quid Imperatores auerterit quominus seuera etiam lenociniorum lege aduersus istum vxoris propriæ lenonem egerint quemadmodũ & egisse eos comimus in l. quod euitandi. supr. hoc tit. aduersus eum qui pecunia corruptus gratiam tyrocinij militaris fecerat.

TIT. VIII. DE CONDICTIONE FVRTIVA.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. I.

Præses prouinciæ sciens furti quidem actione singulos quósque in solidum teneri, condictionis verò nummorum furtim subtractorum electionem esse, ac tum demum si ab vno satisfactum fuerit, cæteros liberari, iure proferre sententiam curabit.

Docet insuper glossa, furtiuam condictionem non tolli per actionem furti, electionémque esse domino, vt conueniat insolidum quem velit. Plus adiicit Cuiacius ad hũc ipsum titulum, in postumis, & notandum: alias nempe condictiones dati etiam non dominis, hanc autem dari soli domino cui furtum factum sit, citátque l. 1. ff. hoc tit. Quantum ad actionem, persecutionémque furti, de qua tenentur fures omnes insolidum, vt scilicèt vno soluente alij non liberentur: fieri hoc in odium furti omnes consentiunt. quod odium proinde sic explico. Primùm enim dupli, vel quadrupli pœna est, id verò præter rei furto ablatæ restitutionem, & recuperationem, ad quam condictio hæc furtiua, vendicatióque competunt, l. si pignore. §. 3. ff. de furt. Imò nec repetitur quod actione furti solutum est, l. si debitor. cod. illo tit. de furt. Præterea qui quinque solidos, aut amplius furtipuerit, laqueo eum suspendi vult. §. si quis quinque solidos. de pace tenenda, lib. 2. feud. *Seuerissimus iudex contra fures*, scribit Lamprid. de Alexand. Seuero. *Nullum scelus apud eos furto grauius*: Iustin. lib. 2. de Gallis. Quin & Draco, legislator Atheniensis, furta omnia, quæcúmque essent, vel minima, vltimo supplicio puniri sanxerat, quæ tamen asperitas sopita est posteà à Solone, vt scribit Plutarch. in eius vita. hodiéq; seuera illa condemnatio non obtinet nisi in furtis domesticis. in cæteris, nisi sint publica, & facta in viis publicis, & nisi de re magni pretij, vel verberatio est, vel ad triremes condemnatio. At verò & cùm viliora sunt, publicè vendicanda non esse, docet lex, perspiciendum. ff. de pœn. notatur etiam lex, vulgaris. ff. de furt. in hoc, vt fur non teneatur restituere nisi quod subreptum ab eo constat. quod maximè hodie seruatur in viduis quæ, mortuis maritis, conuasant omnia, auertúntque, & hæreditati auferunt. Si dolium vini aperuit, ait ille textus, & inde parum vini abstulit, verum est in tantum eum furti actione teneri, quantum abstulit. De furtis etiam viduarum, vt restituere tantùm debeant quod probabitur eas auertisse, textus quotidianus, præter Senatusconsulta quæ alibi recenseo, est in l. rescriptum. ff. de his quæ vt indign. ex qua regula est, pœnam non debere egredi delictum. Hactenus igitur cur teneantur fures insolidum. Dixi de condemnatione illa quæ fit aduersus plures qui percusserũt in rixa, & occiderunt, itaut nec appareat cuius ictu mors contigerit, ad l. item Mela. §. item si plures. ff. ad l. Aquil. componendúsque in id canon vltim. 23. q. 8. & cap. significasti. §. quod si discerni non possit. ext. de homicid.

IIDEM

IIDEM AA.

L. 2.

Ante oblationem interempta rei furtiuæ, damnum ad furem pertinere, certissimi iuris est.

Fur enim est in mora, (ait glo.) quæ non purgatur nisi res restituatur. Verùm vt persequar, fur & morator æquiparantur, in l. inter stipulantem § pen. iuncta ibi gl. de verb. oblig. l. in re furtiua. ff. hoc titu. Itaque res furtiua numquam vsucapitur. §. furtiuæ. Instit. de vsucap. atque propterea lex, in rem. §. vlt. ff. de rei vendic. cæmenta furtiua iuncta ædibus vendicari posse à domino, si dirutæ sint ædes, licet post vsucapiendi tempora. Quod tamen intellige, quamdiu fur, aut eius hæredes rem furtiuam possident: secus si tertius intercedat possessor, quamuis vel à fure emerit, aut ex alia causa acceperit, vt notaui ad Pandectas. rei furtiuæ interitus pertinet indistinctè ad furem, d. l. in re furtiua. l. 1. §. rectissimè. & §. meritò. ff. de vi & vi arm. l. subtracto. Cod. de furt. quod ipsum cùm nostra hæc lex sanciat, intelligendum tamen est, distinctione facta quam & statim præfert ab initio in hæc verba *ante oblationem*: id est, nisi fur offerendo moram purgauerit, quod & ita in d. l. quod in re furtiua. & d. l. subtracto. Aut etiam nisi nouauerit, l. parui interest. ff. hoc tit. Seruamus tamē, liberum semper esse procuratori regio, agere, cùm Iubuerit, quatenus reip. interesse arbitrabitur: vtetúrq; argumento transactionis de eo initæ ad conuincendū citra exceptionem eum qui transegerit, l. furti. ff. de his qui not. inf. dixi etiam fusissimè ad l. Transigere. sup. de transact. Tertiò in furem agitur tam ciuiliter, quàm criminaliter, dum tamen is qui agit, in crimen subscribat, l. vlt. de furt. ff. quod nec prætermisit Cuiacius, ad l. interdum. 56. §. 1. eod. illo tit. de furt. lib. 22. digestorum Iuliani. hoc pariter seruamus, vt suprà, accito scilicet procuratoris regij officio, ad vindictam publicam. Quartò is qui furanti sinum præbuit, perinde habetur atque si manifesti furti condemnatus esset, famosúsque efficitur. l. 6. Sacrilegiis. §. vltim. repetund. Sic & receptatores, quorum & pessimum genus vocat lex 1. de receptator. ff. Sine iis enim latère diu fures non possent, vt eadem l. dicitur. optiméque propterea Phocylides:

Ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.

Id est, ambo fures, & qui recipit, & qui furatus est. Quintò directarij, qui in cœnacula se dirigunt, furandi animo, plusquàm fures puniendi sunt, l. saccularij. ff. de extraordin. crimin. Subijcio tandem ex Vid. Papio q. 515. quod & huc faciat. Testator, inquit legauit vxori aliquid dummodò illa reuelaret eius hæredibus aurum, argentum, vasa, & cætera mobilia ipsius testatoris quæ penes se haberet. Posteà codicellis eam releuauit onere illo reuelationis, eiq; ipsi legauit quicquid auertisset, & alienasset de bonis mobilibus. Defuncto testatore agunt nihilominus hæredes ex testamento vt enuntiet, aperiátque, ac detegat res amotas. depellit illa, séque tuetur codicellis posterioribus quibus testator vetuit. Tamen decidit Vid. Papius cogēdam esse vt detegat: voluntatem enim illam testatoris esse cōtra legem, & bonos mores, ac inuitare ad delinquendum, in quo citat legem, conditiones. & l. filius. ff. de conditio. institut. l. nemo. de legat. 1. Ista igitur vt commonstrem, furtorum odia, quæcumque illa sint, furésque censeri esse in mora perpetua restituendi quod subtraxerint, ac meritò proinde Imperatores rescribere casum, interitúmque rei furtiuæ pertinere semper ad furem.

TIT. IX. DE CONDICTIONE EX LEGE, ET SINE CAVSA, VEL INIVSTA CAVSA.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 1.

Licet ante tempus debita exigi non poßint: tamen si te ex primipilo debitorem constitutum fisci, ac patrimonium tuum exhaustum præses prouinciæ compererit, vt ad solutionis securitatem solum fœnebris pecuniæ subsidium superesse videatur: commonebit debitorem tuum, si saltem ipse sit soluendo, vt ante definitum tempus debita repræsentet: vt fisco, cuius ob neceßitates publicas, causam potiorem esse oportet, debita pecunia exoluatur.

Iunge l. 3. si debitum. cum sequentib. infr. quando fisc. vel priuatus debitor. sui debit, exig. poss. vel deb. Ne autem abscedamus ab hypothesi: volunt paucis Imperatores debitorem debitoris ex causa primipili cogi posse ante tempus vt soluat, si suspectæ illius facultates fuerint, vt iã euersum fortunis omnibus centurionẽ primipili, de quo hîc, liquebat plus satis, soláq; necessitatũ publicarũ ratione constitutio hæc nititur. trado & similẽ prorsus rationẽ ad l. cũ quidã. §. fiscus. ff. de vsur. vbi dicitur fiscũ nũquã soluere vsuras ex suis contractibus, quãuis in Gallia sit secus, vt ibidẽ fusius explico. Interpretandum posteà quid sit in hoc textu, primipilus. Dicebatur enim eo nomine centurio, seu princeps legionis, (πριμίπαρχος, Græcis) qui habebat ex iure vetere administrationem pecuniæ publicæ, ac militaris, seu annonæ, quam erogabat suis militibus. Reperio propterea debitorẽ ex primipilo valdè propriè vocari à Græcis interpretibus, τὸν διὰ τροφὰς στρατιωτικὰς τοῦ δημοσίου χρεωστοῦντα. id est, qui debet publico ex alimentis militaribus. Eò referri possit qui vulgò apud nos dicitur, *Thresorier extraordinaire des guerres.* Cùm ergo ex his duo fisci priuilegia exegerim, primum ex hoc textu, in conueniendo nimirùm debitore debitoris sui ante tempus. Secundum ex d. l. cum quidam. §. fiscus. in non soluendis à fisco vsuris: quod intellige, nisi in bonis vocantibus, necdum fisco nuntiatis, l. quamuis. ff. de vsucap. Cætera sic ordine persequor. Tertium priuilegium est, si fiscus, & priuatus cum eodem contraxerint eodem die, itaut ambigatur quis prior: præfertur enim eo casu fiscus, argum. cap. si à sede. de rescript. in 6. notant etiam ad l. 1. ff. sol. matr. Quartùm est rursus in eadem causa primipili: præfertur enim & in dote ipsa vxori, l. vtiliras inf. de primipilo. lib. 12. Tamen id non seruamus nisi in iis quæ post contractum cum fisco initum, quæsita sunt, iuxta legem, si is qui. ff. de iu. fisci. Quintum, liberi, in eadem illa ipsa causa primipili, tenentur pro patre, licet non sint hæredes, l. fi. inf. de primip. contra regulam tituli, nè filius pro patre. inf. hoc eod. lib. 4. hoc etiam non seruamus. possunt enim liberi renuntiare purè ac simpliciter hæreditati paternæ, & eo casu liberantur. Tantùm non possunt esse hæredes beneficiarij, & sanè id optima ratione. Arriperetur enim ex eo ansa liberrima diripiendæ pecuniæ publicæ. In qua direptione, immane quantum sit lamiarum istarum ingenium. Quintò potest reuocare pecuniam alij creditori solutam sine vsuris, l. 5. de priuil. fisci. inf. quod etiam non seruamus, nulla enim in persequendis mobilibus hypotheca, vbi semel manus debitoris fugerint, aut vt vsurpem in eo vernaculum Gallicum, *meubles n'ont point de suitte par hypotheque quand ils sont hors de la possession du detteur.* quod nec præteriit Nic. Valla, tractatu, de rebus dubiis, sub si. Sextò præfertur filiæ à patre dotatæ, itaut possit & iure pignoris reuocare possessionem datam d. filiæ in dotem, l. 6. cùm patrem. eod. de priuil. fisci. In quo sequimur distinctionem legis, si is qui. de iu. fisci. ff. de qua suprà. Septimò

si quis soluat fisco, pro debitore fiscali, cessásque habeat actiones fiscales à fisco, præfertur ille cæteris creditoribus eodem prorsus priuilegio quo fiscus, in cuius locum sufficitur, l. vlt. eod. illo tit. de priuil. fisci. hoc seruamus. Octauò habet pignus legale ex contractu, vt in publicano, l. 1. & toto iterum illo tit. de priuil. fisci, iuncta & l. pen. de priuil. credit. in qua verbum, *Respublica*, accipitur pro fisco, nec verò de ciuitatibus intelligitur, vt quæ non habeant illud priuilegium, l. simile. ad municip. ff. l. 2. de iu. reip. lib. 11. ciuitas enim non habet tacitam hypothecam, sed eatenus tantùm si sibi cauerit, l. antepen. Antiochensium. ff. de priuil. cred. fiscus verò præfertur anterioribus creditoribus, ex tacito pignore, saltem in posteà quæsitis, vt dixi suprà, ex l. si is qui. de iur. fisci. Nonò, fiscus, hæreditate vendita, non tenetur creditoribus hæreditariis, sed emptor solus, l. 1. inf. de hæred. vel act. vend. quod vt speciale in fisco, ait ibi glossa, ita & æquum est dari aduersus eum actionem si emptor non sit soluendo, vt eadem glossa subijcit, quam Cynus sequitur. Baldus verò negat teneri fiscum in plus quàm ad ipsum peruenerit. Decimò, potest ratione communionis totam rem vendere, etiam inuito socio, l. 2. inf. de commun. rer. alienat. vbi ratio hæc est ex gloss. quod scilicet cariùs ita res venditur: indemnísque abit socius accepta parte pretij rei vendit. iunge etiam l. vn. de venditione rerum fiscalium cum priuatis communium, lib. 10. Vndecimò, si iudicatur contra fiscum, absente fisci patrono, nullius momenti iudicium est, neque vllo vnquam tempore conualescit, glo. ad l. vn. de sent. aduersus fiscum latis retractandis, inf. lib. 10. Duodecimò, solus fiscus potest titulos, vel vela regia prædiis alienis imponere, iis scilicet quę ei delata sunt, vel quorum adiectione prædia imperialibus sunt consecranda substantiis, l. 3. de bonis vacantib. lib. 10. cuius verba hîc in partem adscribo. vide autem Cuiac. ad d. l. latissimè enim de publicis his titulis.

IIDEM AA.

L. 2.

Dissolutæ quantitatis retentum instrumentum, inefficax penes creditorem remanere, & ideò per condictionem (glo. sine causa) *reddi oportere, non est ambigui iuris.*

Agi solitum est eo casu vt restituatur instrumentum, vel chirographum, vt solutum & liberatum. vernaculum nostrum est, *que le creancier soit condamné rendre au demandeur vne telle obligation, ou scedule, comme solute, & acquittée.* dixit Rebuffus agendum esse ad cancellationem, vel restitutionem, tract. de chirograph. recognition. ad art. 93. constitutionis anni 1539. sed fallitur. condictio enim est non ad cancellationem dumtaxat, sed ad restitutionem maximè: nè videlicet, si chirographum tametsi cancellatū maneat semper penes creditorem, consurgat ex eo nouæ forsan litis materia: contestante creditore vel eius hæredibus, cancellationem contigisse per fraudem cuiusdam forte domestici redempti in hoc à debitore, vel ipsius etiam hæredibus, vt sæpe contestatio illa visa est, locúsque singularis in §. ille autem. l. vn. de latin. libert. toll. trado ad Pandectas litem, atque Senatusconsultum quod in hanc ipsam quęstionem latum est. quotidianus textus, qui cancellationem illam arguit inducere quidem præsumptionem soluti debiti, sed non plenam liberationem, est in l. si chirographum. de probation. ff. alius qui ex restitutione chirographi, liberationem, est in cap. 4. in fi. ext. vt lite pendente. In quo & cautio illa tutissima, vt scilicet non solùm restituatur obligatio, vel chirographum, sed & cancelletur, ac laceretur. Aliàs enim dubitandi semper superesset locus si reperiatur vnquam penes debitorem, aut eius hæredes, nisi inscriptum sit in opisthographo manu creditoris qui liberauerit. ita enim lex, pecuniæ solutæ cum glo. inf. de solution. dixi ad l. 3. ff. de pact. ostendóque ad d. l. si chirographum. quanti periculi sit, relinquere obligationem, vel scedam, aut chirographum penes creditorem, sibiq; satisfactum putare ex sola creditoris ipsius apocha qua agnoscat se accepisse à debitore pecuniam debitam. amitti enim poterit successu temporis, incuriáve debitoris, apocha. qui casus vbi incidir, nulla

prorsus idonea depulsio est vel aduersus agentem, peierantémque creditorem, aut fœneratorem maximè. fænebris enim ille mos, aut aduersus ignaros rei gestæ hæredes, de quorum propterea fide, & periurio queri haud vnquam possit ignauus, securúsque terum suarum debitor.

IIDEM AA.

L. 3.

Mala fide poßidens de proprietate victus, de extantibus fructibus rei vendicatione, de consumptis verò condictione (gl. sine causa, vel iniusta causa) *conuentus, eorum restitutioni parére compellitur.*

Rationem addit Baldus: percipiendo enim, inquit, furtum non facit, sed consumendo, secus. ideò teoetur furti. Vide autem ad l. certum est. sup. de rei vendic. ad quam latissimè de quæstionibus huius legis.

IIDEM AA.

L. 4. quæ vlt.

Si non est numeratum quod velut accepturum te sumpsisse mutuo scripsisti, intra biennium postulare potes præsidali notione reddi tibi cautionem.

Compone l. si cum exiguam. sup. de condict. ob caus. dat. & l. in contractibus. inf. de non numer. pec. ad quam dicam plura ex vsu Gallico: & quatenus exceptio hæc non numeratæ pecuniæ quam vno verbo vocat Iustinianus, Nou. 100. τὴν ἀναργυρίαν. (latinè reddi non potest nisi dicamus, inargentationem) admittatur nostris moribus, quos apprimè in hoc exhibet consuetudo Bituricens. art. 31. cap. 2. de iudiciibus, iudiciis, rescisionibus, &c. exscribam ad d. tit. verba ipsa ram peritæ consuetudinis, vt omninò necessaria: tradam ex doctrina Molinæi, Rebufi, Connani, ac cæterorum nostræ Galliæ, quæ præteriri non debeant. locus enim ille idoneus, sedésque est materiæ.

TIT. X. DE OBLIGATIONIBVS ET ACTIONIBVS.

Obseruandum necessariò, recessisse adeò Gallos nostros à veteribus iuris Romani formulis quas & ipsemet Iustinianus sustulit, quoad impetrationes necessarias anteà ei qui in maiori, minoriue iudicio ageret, l. vlt. supr. de formulis. vt nulla admittatur moribus nostris stricti, subtilísque iuris actio, præter eam quæ de redhibitionibus gentilitiis, seu, vt vocant, de retractu, proponitur. Cæteræ enim, quæcúmque illæ sint, bonæ ideò fidei actiones vocantur, quia vbi instituuntur, iudicióque tandem terminantur à iudicibus, inquiri, vestigaríque hoc primum soleat, quæ sit institueťis bona, an mala fides: nec verò quæ rectè, aut perperam seruata in petendo formula. proinde nostræ omnes actiones dicuntur in factum, vt iam monui ad l. 1. de condict. tritic. ff. vulgatúsque io id textus in cap. dilecti. de iudic. Narrari enim vult dumtaxat constitutio anni 1539. art. 16. breuissimam libello, qui de in ius vocatione est, petitionis causam. Quibus verbis fiat, quo more, & ritu, parum curant iudices, nisi, vt dixi, in redhibitione gentilitia, ob ipsius odium turbantis nempe humana commercia: aut nisi etiam, vbi apud Senatum, atque in ipso maiore deauratæ decuriæ auditorio, actio prima de more, ad regiæ cuiusdã col-

lationis ius (*regalias* vocant) proponitur. Tunc enim reuera *status* vocabulo, pro vindiciis consequendis, seu, vt loquimur, ad prouisionem, vti solitum est, in hunc modum: vt beneficium, quod Mæuio, vacante episcopatu, à Rege collatum est, declaretur vacasse iure regio, addicatúrque dicto Mæuio, mero iure, iustáque possessione: aut *status*, si quis intercesserit. clariùs istud vernaculo nostro, *& en cas d'opposition, l'estat.* Redactæ ex his ad paucissima, actionum instituendarũ formulæ, Romanis in cætero exclusis: quemadmodum & duas tantummodò actionum species admittimus, vt aliæ nimirùm sint mobiles, aliæ immobiles, reiecta etiam tertia specie, quæ de nominibus, seu obligationibus erat iure ciuili, quo nomina, seu debita, separata adeò erant à bonis mobilibus, & immobilibus, vt legato mobilium non includerentur debita, quod clarè ostendit Vid. Pap. q. 499.

IMP. GORDIANVS.

L. I.

Data certa pecunia quantitate ei cuius meministi, in vicem debiti actionem tibi aduersus debitorem, pro quo soluisti, esse mandatam: & antequàm eo nomine litem contestareris, sine harede creditorem fati munus impleße proponis. qua si ita sunt, vtilis actio tibi competit.

Vult in summa directas actiones mandatas procuratori in rem suam, conuerti in vtiles, artificio iuris, mandatore mortuo absque hærede. notanda verò glossa est quæ concludit nullam esse differentiam inter cessas actiones, & mandatas, quoad cedentem, & mandantem, quia videlicet remaneant semper penes cedentem directæ. In quibus directis subtilitas ea iuris est vt quacumque ratione numquam cedantur. Imò, ait Accursius, ita ossibus inhærent eius cui semel quæsitæ sunt, vt separari ab eo nõ magis possint quàm anima à corpore: tribus locis istud, nempe ad l. 3. pro soc. ad l. quis ergo. de pecul. ff. & ad l. 1. inf. per quas personas. monendum etiam est directam actionem vocari & ordinariam, in l. 5. cum res. infr. si aliena res pign. data sit. & principalem, ortam scilicèt ex eo quod principaliter in contractu actum est, vt in §. vlt. inst. quod cum eo. iuncta l. vlt. in pr. & §. 1. de legat 3. vbi verbum, *directò*, explicatur, *principaliter*. Quantum ad vtiles, Cuiacius ad l. 28. ff. ad Trebell. tractatu 6. ad Africanum, sic eas quoque ex iure distinguit, vt aliæ sint vtiles, comparatæ ad exemplum directarum, aliæ comparatæ ad exemplum vtilium: aliam enim esse actionem publicianam quæ vtilis vendicatio est: aliam vtilem publicianam, & aliam vtilem hypothecariam, quæ vtilis Seruiana est. De his ergo hactenus vt impulit locus: néve, dum forensia tractamus, peregrinari nos forsan in iure Romano quis dixerit. aliàs enim facilè prætermissa fuissent, cùm ex nostro iudiciorũ more vilescat prorsus vana illa subtilitas. cessa enim actione purè, ac simpliciter, itaut cedẽs nihil penes se recipiat, seu reseruet, vt loquimur, quorsum nihilominus imaginariæ actiones quædam directæ penes cedentem? vtilitas, inquiunt, actionis trãsit, sed ipsa magistra, ordinaria, directa, principalisque actio, non. Egregium certè quasi somnium, at verò apud nos maximè, qui inextricabilia nisi paucissima quædam iura, in hoc regno, agnoscimus, putà ius illud regium, quod aliàs regaliam in beneficiis collationis regiæ, episcopatu vacante, dicimus. Item ius redhibitionis gentilitiæ. In feudali enim ab opinione Molinæi, ad consuet. Paris. §. 1. recessum est. quædam alia prætereo. Cauendum tamen est in cedendis actionibus, vt, si æs aliquod alienum cessum sit, denuntiet quamociùs cessionarius debitori, nè alij deinceps quã sibi soluat, liberabitur enim omni iure debitor si, ante denuntiationem, creditori primo soluerit, l. 3. inf. de nouatio, vide & in simili legem, si cùm fundũ. ff. de pact. in quo & obseruandũ rursus est explosam fuisse à Senatu subtilitatem iuris qua vsitatum semper fuerat vt qui soluebat creditori pecuniam debitam ab alio quam à soluente debitam, nihil consequeretur proptereà aduersus cæteros debitoris illius, pro quo soluebat, creditores, ex causa hypothecæ ipsius in cuius locum succedebat per subrogationem, nisi eodẽ contractu subrogationis adiectum esset cessas esse actiones à creditore qui accipiebat pecuniam sibi debi-

tam *pretium enim cessarum actionum est*, ait lex, Modestinus. de solutio. idémque decidunt lex, cum possessor. de censib. l. 17. fideiussoribus. de fideiussorib. ff. lex vlt. infr. quando fiscus vel priuatus. at verò & nostri Fabri doctrina ea est ad l. mandati. in f. de fideiuss. Iniquum hoc, tandem visum est, vt dixi: atque vt nemo amplius de nimia illa subtilitate iuris Romani ambigeret, latum, promulgatúmque edictum ann. 1609. quo subrogationẽ eo casu locũ cuiuscuis cessionis actionũ, obtinere sancitum est. hæc plus satis: mare immensum, si quæ huc referunt Bartolus, Baldus, & Salicetus, qui soli ex Italis ad hanc libri partem scripserunt, colligere, ac recensere otiosus aliquis, id est, rerũ forensium expers, voluerit. nouem columnas implet Salicetus, octo aut nouem alij: sed tot ferè dixerim φλυαρίας, quæstionésque rebus agendis planè inutiles.

IMPP. VALERIANVS, ET GALLIENVS.

L. 2.

Nominibus in dotem datis, quamuis nec delegatio præcesserit, nec litis contestatio subsecuta sit: vtilem tamen marito actionem, ad similitudinem eius qui nomen emerit, dari oportere, sæpe rescriptum est.

Nulla huius legis alia ratio est apud Bart. & Bald. nisi quòd ipso iure cessa marito censeatur vtilis actio nominis in causa dotis, quemadmodum & in emptione nominis. Solus Salicetus rationem velut in transcursu arrigit, inquiens fieri hoc ob fauorem dotis, in quo & citat vulg. l. in ambiguis. de iu. dot. ff. in ambiguis, ait textus, pro dotibus respondere, melius est. fauor autem ille eus indulgeatur, non aperit. petenda igitur vera, vnicáque ratio est ex l. 8. eas obligationes. ff. de cap. minut. quòd scilicèt dotis causa naturalem præstationem habere intelligatur, cui proinde officere non possit ciuilis vlla tatio. affértque in exemplum actionem de dote, vt quæ in bonum, & æquum concepta sit. & sanè ille textus, qui Modestini est, ad eiusmodi quæstiones familiam ducit, vixque vnquam à patronis prætermittitur, vt ad eam partem dixi. Quòd si quæratur quæ sit naturalis illa ratio: primùm quis nescit dotem cedere filiæ in causam legitimæ? eo solo niritur lex 3. §. sed vtrum. ff. de minorib. quoniam, inquit, dos ipsius filiæ parrimonium est. Notaui eo loco ferè quod sit satis. vide & l. 56. cum quo. in fin. ff. ad l. Falcid. Inde & dos æquiparatur alimentis, vt latè differit Vid. Papius, q. 96. datur enim mariro ad ferenda onera matrimonij, l. si pater. ff. de iu. dot. renerúrq; propterea parer ad vsuras dotis tardiùs solutæ, nisi interea filiam, ipsiúsq; maritũ aluerit, l. vlt. ff. de doli exceptio. & cap. Salubriter. de vsur. Addat & hoc vltimũ cõsuetudo Peronẽs. art. 266. & art. 269. vt nẽpe in causa dotis, pactionúmq; coniugaliũ, necesse nõ sit nãcisci possessionẽ, ad quærendum ius proprietaris, ac hypothecæ, quamuis in cæteris exigatur istud non modò ex illa ipsa consuetudine, sed ex aliis totius secundi Belgij, (Picardiam vocant) quæ ptoinde solennia in hoc præscribunt sine quibus nulla vnquam creditori hypotheca quæritur, quantumuis sit anterior. Nantissamenta, saisinas, atque dessaisinas vernaculo suo nuncupant.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Bonam fidem in contractibus considerari, æquum est.

Bona fides hîc dolo opponitur, vt in l. Bona fides. ff. depos. *Si quis cùm aliter eum conuenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit subtilitate iuris obstrictus, sed doli exceptione vti potest.* verba sunt legis. 36. de verb. oblig. facit eò optimè istud Symmachi, lib. 2. ep. 86. *Vox iuris, ac legum est, bonæ fidei contractum non posse rescindi.* Docet verò Demosthenes in ea, contra Timocratem, quàm æquum sit interpretari semper contractus ex

bona fide, humanáque semper interpretatione. hinc & vocatæ actiones bonæ fidei: de quibus proinde sic Io. Faber ad §. Actionum. inst. de act. malè, inquit, opponuntur actiones stricti iuris actionibus bonæ fidei: cùm econtrà dicendum esset potius, actiones bonæ fidei, & Actiones malæ fidei, omnis enim diuisio fieri debet per species oppositas, & contrarias: vt aliud albũ, aliud nigrum. facta autẽ hęc distinctio est non ex vocabulis, sed ex effectu. Actiones enim bonæ fidei vocantur ab Imperatore in quibus bona fides magis exuberat, suppletúrque in eis de more ad verba contractus, prout verisimilius videtur ex æquitate, ac mente contrahentiũ, hactenus Faber, qui in exemplum profert contractum emptionis, venditionis, locati, conducti, & cæterorum, de quibus totus ille. §. actionum. eóque spectat vetus formula, *Inter bonos bene agier*. In stricti autem iuris actionibus non habent adeò liberam, expassámque interpretationem iudices. aguntur enim omnia summo iure, ex verbis conuentionis, & nulla facta interpretatione: eóq; abeũt vt plurimùm nostra hodie passim iudicia: vt in quibus seruari soleat maximè lex contractuum, seu conuentionum, qualescumque illæ sint, nisi internoscatur dolus: & sanè politica ratione, qualem tradunt Iurisconsulti ipsi, ac Imperatores. In conuentionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant. Stipulationésque proinde commodissimum est ita componere, vt quæcumque specialiter compræhendi possunt, contineantur: Verba sunt legis 52. & 53. de verb. oblig. dixi de his latè ad l. quæro. ff. locati, & aliis locis ad Pandectas. supráque ad vulg. l. si de certa. de transaction. eò & faciunt lex, fideiussores in magistratuũ. in eis verbis sub finem: *lecta subscriptione fideiussionis*, &c. & l. quia tantumdem. de neg. gest. ff. ita vt reuera stricto iure, id est, summo, ac subtili, & accurato iure, ἐκ τῆς ἀκριβείας, vt habet Theophilus, citráque temperamentum, aut laxiorem explicandi modum, iudicia in longè plurimis reddi soleant. Feréque semper, vbi de interpretando quocumque contractu agitur, hoc vnum litigatoribus, ac iudicibus in ore, *ita conuentum*. recenseo supradictis locis quid in eo Matth. Affl. Senator Neapolitanus, Vid. Papius, præses Gratianopolitanus, Will. Benedictus, Senator Tolosanus, maximè autem ille ingens fori Gallici doctor, Molinæus. Rarum denique vt recedatur magis à verbis contractuum, quam prisci illi recuperatores à præscripta à prætore, qui eos dabat, formula. de quibus recuperatoribus, præscriptísque eorum formulis, Duarenus ad tit. de in lit. iur. post eúmq; Othomanus in formulis, Corrasius in Miscellaneis, Brisson. in commentar. de verb. signif.

IIDEM AA.

L. 5.

Sicut initio libera potestas vnicuique habendi vel non habendi contractus: ita renuntiare semel constitutæ obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntariæ obligationi semel vos nexos, ab hac, non consentiente altera parte, cuius precibus fecistis mentionem, minimè posse discedere.

Componenda lex, ab emptione. de pact. & lex, in commodato. §. sicut. commod. ff. Quòd autem resolui non possit contractus nisi de consensu contrahentium, politiæ istud humanę est. Alioqui enim parérent omnia licẽtiosissim perfidio cuiúsque, ac nequioris periurio, nisi obstringeretur fides vinculo publico, quod propterea latini, *obligationem*, dixerunt, quasi δέσμιον εὔοχον, ἠδ' ἅμμα ποικίλον, ἀχαλίνου τ' ἀναιδείας, vt dixit Oppianus, id est, vinculũ facilè cõstringens, ac retinaculum versipellium, impudentiæq; effrænis. Adeò istud in animum venit Oldendorpio, vt nec veritus sit, in suis classibus, eò detorquere vulgatum ex diuino Psalmista, *in chamo, & fræno maxillas eorum constringes*. Contractus inde appellantur, à contracta scilicet, aut constricta potiùs voluntate eorum qui paciscendo in vnam conuenere sententiam, vt describit Vlpianus, l. 1. de pact. quod tamen, ætate Diocletiani, & Maximiani, auctorum huius legis, paruæ

vsque adeò curæ videtur fuisse Romanis, contrahentibus nimirum per seruos, appositóque seruili nomine, l.5. de auct. tut. & l. si ita stipulatus. §. Chrysogonus. de verb. oblig. sed, quod magis est, apud Tabellionem seruum, (liberi enim non fuerunt tabelliones, nisi sub Arcadio & Theodos. quemadmodum videre est ex l. generali. de tabellion. lib. 10.) vt morem in eo aperiat plus satis hæc constitutio. ad quam proinde apprimè fecerint quæ egregiè equidem Demosthenes, contra Dionysodorum, βλάβης, seu de damno dato, inquiens sustineri hominũ commercia ex fide initarum pactionum, siq; infringendis illis præcidatur, ac præcludatur via. Tã religiosi fuere Galli veteres, imò accurati vt quicquid pepigissent, effectũ acciperet, vt nec vernaculo suo pacta, obligationésq; suas cõscriberent, sed, ad auctoramenti, necessitatisq; tantò maioris, & arctioris argumentũ, Græcè illa, non Gallicè exararent. Sic enim Strabo, lib. 4. per occasionem Massiliæ: ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. id est, vrbs (sup. Massilia) paulò antè barbaris loco ludi literarij patefacta erat, & Gallos studiosos Græcorum effecit, itaut & contractus Græcè scriberent. sic ille. numquam autem non pactiones, & contractus, quicumque illi sint ita manibus, personísque publicis muniti sunt, quin ferè semper vt rescindantur, aut elidantur, lis inter nostros orta sit. modò enim si sit venditio, læsio vltram dimidiam iusti pretij proponitur: modò etiam ad partem aliquam, si diuisa ex scripto bona fuerint. Si credita dicatur pecunia, sæpissimè debitoribus vsurarium nomen est. Si de contractu matrimonij, tabulísque dotalibus agitur plærúmque quot lineæ, aut clausulæ, tot inde lites. At verò & vis, ac metus velamenta audaces vt plurimùm peperere litigiosis animis dictandarum actionum materias, si cum potentiore aliquo contractum sit. In arbitriis appellationes quotannis innumeræ. In transactionibus, opus fuit edicto, an. 1560, quod tamen sit irritum indies ad longè plurima ex doli personalis commẽto. Eluditur denique adeò constitutio hæc Imperatoria, cæteræque similes, nostráque, tametsi religiosissima, edicta Gallica, quæ nec dedignantur admittere vicini Reges, vt perpetuò nihilominus succrescant, in orbemque semper redeant nouæ ex temeratis contractibus lites. Reperio admixtam hîc ab interpretibus quæstionem, vtrùm resilire à contractu innominato liceat. Sed vanum id, quasique nodum in scirpo quærere, cùm rata sit, pilatáque hæc in fori experimentis regula, spectari semper in contractibus innominatis, de quibus maximè lex, naturalis. de præscr. verb. vtrùm alteruter contrahentium ex se impleuerit quod promissum est. Qui enim impleuit, agere potest ex implemento aduersus alterum, l.3. ex placito. Cod. de rer. permutat. aoreà autem non: potéstque rebus integris discedi à pactione, si dies intra quam vltrò citróque facturos sese quippiam spopondérint, effluxerit.

IIDEM AA.

L. 6.

Si in solutum nomen debitoris sui debitor tibi dedit tuus, ac te in rem tuam procuratorem fecit: pignora quæ specialiter, vel generaliter habes obligata persequere quòd si ab his quibus fuerant obligata, cùm potiores erant, distracta probentur: ab emptoribus euocari non posse perspicis.

Paucis: cui creditur actio personalis, cessa etiam intelligitur hypothecaria ad persequendum quod cessum est. Ita Bartolus, & cæteri. In quo autem sit dubitandi ratio, non video: præsertim cùm hypotheca, vt quid accessorium, sequi debeat quod principale, primariũ nque est, τὸ πρωτότυπον, vt vocant Græci interpretes, cuiusmodi esse nomen debitoris cessum, de quo hîc, negari non potest. latè istud Pet. Faber ad l.29. nihil dolo. de reg. iur. Sic & procul dubio fuerit quod habet lex. 9. inf. de rescind. vend. cùm ait, pretij causa, non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti da-

tis, conttactum non constitui irritum. Textus verò quotidianus, & forensis est in l. vlt. ff. quibus ex caus. in possess. eatur. ex eo enim fit generalis hæc regula, datio in solutum est instar solutionis: debetique ex eo laudemia notant Matth. Afflict. Senator Neapolitanus, decis. 369. & Pet. Ratius, ad consuetud. Picton. art. 27. à quibus in hoc ipsum citatur lex illa vltim. penitiùs tamen perpendit Molinæus quæstionem hanc laudemiorum, duobus locis, ad consuet. Paris. nempe §. 13. glo. 5. num. 46. vsque in fi. deinde & §. 22. nu. 28. atque §. 23. num. 91. Censet enim non deberi laudemia, iuráve dominicalia, ex contractu quo vassallus donauit, & tradidit feudum suum Titio creditori suo, qui in gratiā donationis remisit ei debitum putà mille aureorum, nisi incontinenti donatio, & remissio factæ sint, vel nisi in solutum iusta ex causa datū fuisse etiam ex interuallo appareat, aut, inquit, nisi res detur in solutum pro certo debito pecuniario: eáque ratione decidit distinguendum esse quando, & quatenus tcttactui feudali sit locus. Quantum ad diuisiones bonorum attinet seu inter nobiles, seu inter paganos, ærarios, aut vt loquimur, roturarios, decidit pariter Argentræus q. 40. *en l'aduis sur les partages des meubles*, nulla eo casu deberi laudemia, licèt primogenitus nobilis, fortè vt nè quid de integritate domus nobilis decedat, quotam bonorum postgenitis ex statuto debitam, pretio emptionis eis dederit. plura in id eo loco. Ista igitur de probo debitore, & qui non det pro ære lupinos creditori in solutum. festiuè autē iocatur Martialis lib. 8. epigr. 37. in Polycarmum quemdā qui cùm nihil vnquam speraret de misertimo quodā debitore, reddidit ei chirographum, donationis causa, & quasi ipsi soluisset pecuniam debitam. Non hoc est, ait martialis, liberalem esse, nunquam enim debitor ille erat soluturus. sed crede iterum debitori tuo millia, & serua tibi illius chirographum. eo planè sensu accipiendi sunt quatuor hi versos:

Quod Caietano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum non tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis, tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Caietano millia crede tuo.

IIDEM AA.

L. 9.

Negantes debitores non oportet armata vi terreri. sed petitore quidem non implente suam intentionem, vel exceptione submoto, absolui: conuictos autem condemnari, ac iuris remedijs ad solutionem vrgeri conuenit.

Componendæ omninò duæ leges quæ iisdem planè verbis, eodémque contextu redactæ sunt, lex, extat. quod met. caus. & lex vlt. de vi, priu. ff. dixi ad l. extat. & ad l. 1. §. licet. de petit. & comm. rei vend. ff. obseruabitur tamen vsitatam non esse apud nos pœnam legis, si quis in tantam. & legis, meminerint. inf. vnde vi quæ sanciunt, inter cætera, inuasorem, atque omnem denique, quisquis vi, etiam in re sua, & ad consequendum quod suum est, vtatur, mulctandum esse amissione dominij rei in qua vim fecerit. ita Wil. Bened. ad cap. Raynutius. in verbis, si absque liberis moreretur. 8. num. 148. qui & in hoc laudat Speculatorem, Gallum alterum interpretem. Ita & Rebufus in proœmio constitutionum regiarum Glo. 5. num. 76. pœnæ autem pecuniariæ erga & fiscum, & aduersarium, non leues eo casu esse consueuerunt: quod nec etiam prætermisit Molinæus ad Alexand. libro primo consil. 76. præter locum D. Augustini, quem memini ad d. l. extat. succurrit & nunc quod in eandem tanti doctrinæ Christianæ antecessoris sententiam, scribunt Gregorius Nyssenus, sermone quo Christianos instituit, & Dionysius, libro, de ecclesiastica Hierarchia, Diabolum scilicet victum esse à Deo non vi, & potentia, sed iudicio, & iustitia. Desino tandem in vobis Cassiodori lib. 4. epist. 10. *fœdum est inter iura publica, priuatis odijs licentiam dare: nec ad arbitrium proprium iudicandus est inconsultus feruor animorum. Iniquum quippe nimis est quod delectat iratum. furentes iusta non*

sentiunt: quia dum commoti animo in vindictam saeuiunt, rerum temperantiam nō requirunt. Hinc est quod legum reperta est sacra reuerentia: ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim à bellica confusione pax tranquilla distabit si per vim litigia terminentur? &c. Nihil planè apud interpretes vnde adiuuentur forenses operæ: sed velut inhospita, quemadmodum & pluribus aliis in locis, tesqua.

IIDEM AA.

Ob æs alienum seruire liberos creditoribus, iura compelli non patiuntur.

AVTEN. EX NOV. 134.

Imò à debito creditor cadat, tantūdem dando retento, (sup. debitori) *vel eius parentibus: ipso quoque creditore corporalibus pœnis subdendo.*

Veterem hanc creditorum crudelitatem referunt plurimi ad legem 12. tabularum, vt qua licuerit secare debitorum non soluentium corpora in partes: Agellius libr. 20. cap. primo & Tertullianus. in Apologet. capite tertio. sed, vt ipsemet Tertullianus adiicit, consēsu publico crudelitas illa erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conuersa bonorum adhibita proscriptione. suffundere, inquit, hominis sanguinem maluit, quàm effundere. Ruffardus tamen antecessor Bituricensis, ad hanc l. docet abrogatum ius nectendorum debitorum longè ante ipsas duodecim tabulas, putà anno ab vrbe condita, 428. citátque locū Liuii. lib. 2. vbi de orta inter plebem, & patres, propter nexos, discordia, imminente volscorum bello. Tantum abest, ait, vt abrogatum hoc ius fuerit ab Impp. Diocl. & Maxim. Verùm quæcúmq; cōputet tēpora, perspicuū tamen relinquit ex suamet ipsius narratione sublatū fuisse & hūc nexū ex 12. tabulis, cū centū iā annis antè allatæ Romā fuissent, vt interiicit. & ita etiā ex auctoribus. Mos denique publicus repudiuait perpetuò hanc partem legis 12. tabul. vt scribit Quintil. lib. 3. cap. 6. & 8. institutio. orator. egregiámque obseruationem reperies apud Herodotum, lib. 2. & Diodorū lib. 1. cur apud Ægyptios, nè obligarentur corpora debitorum creditoribus, leges essent. Ammianus de Valentiniano Imperatore lib. 27. *Aliud audiebatur horrendum, quòd vbi debitorem aliquem egestate nihil reddere posse dicebatur interfici debere pronuntiabat.* Et cùm nominatim prohibeant hac constitutione Diocl. & Maximian. nè ob æs alienum patris liberi seruire creditoribus cogantur, speciale de his ipsis adiecit caput Iustinianus Nou. 134. ad quā propterea Cuiacius selegit duo equidem singularia loca, ex d. Basilio, in ps. 14. & d. Ambrosio, libro, de Thobia, sed in quibus patebit apud eruditos, piū certè d. Ambrosii furtum ex Basilio, cuius verba hæc sunt: εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὸ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς τὸ πρατήριον: Id est, vidi ego miserabile spectaculum, filios liberæ conditionis, pro debitis paternis tractos in auctionem. sic Basilius: sicq; posteà D. Ambrosius, qui reuerà

— verbum verbo curauit reddere fidus
Interpres

nisi in quo dixit filios *deduci*, cùm textus Basilianus habeat, *trahi*. Reperio deinde apud Suidam, in verbo σισάχθεια, coactos olim Athenis pauperes operas corporales præstare suis creditoribus, dictámque ex eo σισάχθειαν ab excusso onere quod incumbebat eorum humeris, vt scilicet ministerio serulli, & corporali seruirent suis creditoribus quamdiu in ære alieno essent. latiùs hoc Laertius in Solone. nè ergò deinceps hoc fiat, præsertim in liberis debitoris, vetant Imperatores. Seruitutis enim illius soli immunes erant anteà milites, id verò tantisper dum essent in castris, extra autem non, vt discimus ex Liuio, lib. 2. in hæc verba: edixit Seruilius consul, nè quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet liberos, nepotesue eius mercaretur. Scribit quinimo & rursus Suidas, in verbo, κλητῆρες, causam dedisse huic legi

creditorem quendam Romanum cuius infanda fuit immanitas in diligendo seruitutis genere quo iuuenem quendam, debitorem suum necteret, ex crudeli illa l. 12. tabul. de qua suprà. Addidit verò veluti hyperocham Iustinianus, nou. vt cùm de appellation. cognoscitur. §. hæc autem dispofuimus. nè scilicèt ante nouem dies liceat creditori funestam debitoris domum ingredi vt manum in bona iniiciat, vllámque toto eo nouendio hæredibus, fideiussoribúsue defuncti molestiam inferre. Damnátque apprimè in nou. vt defuncti, seu funera eorum non iniutientur à creditoribus, rabiosam creditoris audaciam qui, agente animam debitore, introiret eum famulis & militibus, & morienti mortem acceleraueràt, impresseràtque signacula mobilibus nullo adstante ministro iudicum publico, at verò nec lectum, quo efferendus erat de more defunctus, portari fineràt.

Ista igitur ex priscis ad veram constitutionis istius intelligentiam, & quæ etiam nec prætereunda ad mores nostros putaui ob leniẽdas vtcunque fœneratorum ferocitates nimias qui voracibus, iisque præter solitum exactis suis vsuris ambedunt, exugunt, alterunt, euertúmque vniuersam misertimi sui debitoris substãtiam, cui posteà & ipsam in antris carcerum ferè Tullianis, eripiunt. Scyticis adeò animis nonnulli, vt debitorem leui clausula quasi coërceant, nè cedere vnquam bonis possit, faciuntque vt beneficio illi renuntiet: quam tamen renuntiationem floeci esse, nullíusque momenti, docent hîc omnes interpretes, præsertímque Gallus noster, Io. Faber. nec alio etiam iure vtimur. Curant alii dari iudicia quasi in sopotatos debitores: & postquàm quatuor menses qui ex edicto præfiniuntur in condemnatos, effluxerint, vrgent implacabiliter, carceríque securum, ignauúmque debitorem mancipant, cuius iamdudum ambiunt vel villam, vel domum, aut quid aliud simile: nexúque illo perpetuo coërcent donec votis obsecundauerit, &c, ad liberationem corporis, ac plusquam fœnebris debiti, prædium, villámue, vt dixi, in solutum dederit. At verò & sunt qui ambos coniuges, nexu carceris obligant vt tantò faciliùs fundum dotalem auferant. In quo tamen seruamus, vtrumque & maritum & vxorem non posse simul eodem carcere contineri: sed liberandum semper alterutrum, vt clauso alteri, ad alimẽta, résque domesticas, familiariaq; negotia, suppetias ferat. Dubitatum verò fuerat vsque ad annum 1587. vtrùm vidua, ex causa æris alieni, post quadrimestres, à sententia lata, inducias, posset per nostros mores in carcerẽ conijci: quæstio in hoc acertimè disceptata est in maiore auditorio à Sim. Marionio, qui posteà fuit aduocatus fisci, & Lud. Buissonio, fortissimis, eloquentissimísque patronis. Tandem verò extemporali decreto pronuntiatum est posse. Vxor enim, per mortem mariti, sui iuris in totum fieri incipit; cessatque proinde ratio quæ vetat vxores separari à maritis, quia videlicèt in eorum officio esse debeant, l. sicut ff. l. libertæ. & l. quod ex liberta. cod. de oper. libertor. vidua illa vocabatur, *du boys*. neque ampliùs, ab eo tempore, controuersum hoc fuit.

AVTH. SEV NOV. 52.

Sed hodie nouo iure priùs conueniendi sunt omnes fideiussores, & mandatores, & sponsores, quàm ad pignorum perueniatur possessores.

Frequentissima in foro discussionis bonorum materia, in qua hoc habe: discussionem scilicet faciendam non esse translatitiè, putà ad nudam viatoris renuntiationem, solámque viciniæ professionẽ, seu declarationem, sed, vt vtar verbis glossæ ad l. 1. §. vlt. ff. quæ in fr. credit. vsque ad vngulam, rimandóque singula, & conquirendo ad vnguem, ait ea glossa. vide & apud Lucam Pennatum, ad l. 1. de deeution. lib. 10. vbi latissimè istud persequitur. Opus ergo est auctione bonorũ, ac cæteris publicationis solemnibus ex quibus liquidò constet, aliud quicquam nihil esse vnde creditori satisfiat, nisi pignoribus quæ à tertio possidentur, diuendiris: hoc Chopinus, ad consuet. Paris. lib. 3. tit. 2. nec alio equidem iure vtimur. Item, vt tertius ille possessor indicare debet creditori bona alia debitoris quæ discutiat, ita & procul dubio discussionem, quæcumque illa sit, fieri oportet

impensis indicantis quas & prærogari ab eo necesse est: peragitúrq; totum id periculo, & damno indicantis: ita Senatus, ann. millesimoquingentesimononagesimoseptimo. die 26. August. inter Ant. du Mont. & Iac. Gogier. rursúsque ann. 1600. 22. Ian. inter Steph. Nabert, & Guill. Nabert. Tertiò non tenetur creditor discutere bona quæ sint extra metas regni. quod & de Dombensi principatu refert idem Chopinus, ad consuet. Andens. lib. 3. cap. 3. tit. 3. & cùm vulgatissimus ad bonorum discussiones textus sit in auth. hoc si debitor. inf. de pign. notauit Molinæus ad art. 23. cap. 9. consuetud. Bituric. seruari eam vbique prouinciarum regni Francici. plura & in hoc ipsum Dom. Seruinus, patronus fisci, actio. 11. in consuetud. Meld. Quartò, discussione opus est etiã in speciali hypotheca, qua sibi cauerit creditor ad fundum qui posteà venditus à debitore, possideri à tertio possessore incipit, quamuis & Masuetius, & Molinæus cõtrarium scripserint, vide & libr. 3. cap. 8. nu. 7. & 8. de cessione in iure, seu de deguerpissamento: & art. 101. consuet. Paris. vbi exceptio est. diserté q; textu vetat consuetudo Turon. art. 217. specialem hypothecam discuti. Quintò non discutiuntur mobilia, quod & ita censuit Senatus, perorãte Daguesio. Didici autem iampridem à Iac. Canayo, Rom. Gallicique iuris patrono scientissimo, discussiones bonorum locum non habere aduersus fiscum, posseque eum rectà tertiũ possessorem conuenire: atq; esse inter priuilegia fisci. Denique vt fieri semper solent ex necessitate, ait Faber ad l. 1. inf. de reuocandis quæ in fraud. credit. alien. sunt, vbi hæc, *bonis hæredis ipsius excussis*: ita & notãdum etiam quod scribit Matthæus Affl. Senator Neapolit. decis. 318. discussionem scilicèt non esse necessariam, cùm debitor notoriè soluendo non est.

TIT. XI. VT ACTIONES AB HÆREDIBVS, ET CONTRA HÆREDES INCIPIANT.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vn.

Cùm stipulationes, & legata, & alios contractus post mortem compositos, antiquitas quidem respuebat, nos autem pro communi hominum vtilitate recepimus: consentaneum erat etiam illam regulam, qua vetustas vtebatur, humano more emendare. Ab hæredibus enim incipere actiones, vel contra hæredes, veteres non concedebant cõtemplatione stipulationum, cæterarúmque causarum post mortem conceptarum. Sed nobis necesse est, nè prioris vitij materiam relinquamus, & ipsam regulam de medio tollere: vt liceat & ab hæredibus & contra hæredes incipere actiones, & obligationes: nè propter nimiam subtilitatem verborum, voluntates contrahentium impediantur.

Nimia illa iuris subtilitas in eo fuit, quod contractus, stipulationes, & legata viderentur conferri in tẽpus quo fieri amplius non possent, mortuo videlicet eo cui ex stipulatione, vel testamento quæsita esset actio. veluti promitto tibi me daturum decem post mortem tuam. inutilis erat ante Iustinianum illa promissio. idem si dixisset quis: promitto tibi dare decem post mortem meam. sic & in legatis: lego tibi post mortem meam. plus ait Cuiacius, in parat. tolli enim docet veterem differẽtiam verborum: *cum moriar, cùm mortuus fuero, post mortem meam dari, vel, pridie quàm moriar*. Post mortem enim contrahentium rectè stipulationem contrahi, vult & hic Iustinianus, & in l. scrupulosam. inf. de contr. stip. licèt origo ipsius cœperit à defuncto. quo casu, ait Baldus, videbatur ea stipulatio quasi cõtra naturam, vt habeat nimirùm, vel possideat ille ipse qui amplius

non

non est, quippe mortuus: in quo & confidenter equidem adijcit quod meminerat, ὄναρ κατ' ὕπαρ, ex imagine trimetri cuiusdã Iambici Senecæ. Subtilia igitur eiusce modi commenta Iurisconsultorum veterum vt obstabant voluntatibus contrahentium, illa sustulit hac constitutione Iustinianus, valereque omnes stipulationes & legata voluit, quorum collata esset executio post mortem. profertur autem decisio à nostris in eos qui differunt suas actiones in tempus longissimum, atque adeò post mortem eius contra quem acturi sint, vt nimirum præsumantur dolo istud agere: Ita enim Boërius, q.42.num.20. Verba etiam Molinæi hæc sunt ad regulam, de publicandi resignation. Degenerat præsumptio contra eum qui differt agere donec aduersarius moriatur, & probatio depereat. singularis verò in hoc glossa ad Clem. sæpe. §. & quia. de verb. sign. Imò nec minimum in plærisque argumentum falsi instrumenti, testamentive compertum est, si diu post obligati, aut testatori obitum, instituta sit actio. præclaram, ad eiuscemodi testamenta, historiam narrat Suidas, in verb. τελέως Ἐρμείας. aut etiam cùm post præfinitum agendi ex edicto aliquò diem, vt in seruo qui, triennio forsan, aut quinquennio, postquàm domo domini egressus est, petit ab hæredibus salaria: nullo enim honesto dilationis nomine conuelari potest ista petitio: tractat inter extera, Rebufus tit. de sentent. prouision. gloss. 8. vide &, si lubet quæ adieci ad vulg. l. Procula. de probatio. Reperio postremò nec omittendam hic actionem quæ ex causa publica incipit de more apud nos contra illius hæredes qui decoxerit pecuniam publicam. Aut enim persoluere tenentur insolidum quicquid à defuncto decoctore debetur fisco, aut repudiare omninò hæreditatem: quam nec adire ex inuentarij beneficio concessum est. Dom. Bretius, patronus fisci solertissimus, tradit curiæ subsidiorum placita, actione 9. vtitúrq; argumento singularis textus in l. vlt. ff. ad l. Iul. peculatus, cuius verba hæc sunt: publica iudicia peculatus, & de residuis, & repetundarum similiter aduersus hæredem exercentur, nec immeritò: cùm in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moueatur.

TIT. XII. NE VXOR PRO MARITO VEL MARITVS PRO VXORE, VEL MATER PRO FILIO conueniatur.

Tiraquellus ad l. Boues. §. hoc sermone de verb. signif. docet ex variis, pro more, robur negatiuæ, siue prohibitiuæ, longè esse fortius quàm affirmatiuę, siue permissiuæ. Vide in septima limitatione ibidem. Sic edictum prohibitorium non recipit extensionẽ, in l. mutus. ff. de procuratorib. ad quam dixi. & cap. cum apud. de sponsalib. in antiq. At verò nec admittere restrictionẽ, sed vi propria generaliter accipi, & vim vniuersalis habere, docent Glossa, Bar. Paul. Castr. ad l. hoc genus. de condit. & dem. vide & Molin. consil. 40. num. 21. Imò, vt adiicit ex iisdem interpretibus, negatiua fortiùs negat, quam affirmatio ipsa affirmet. de prohibitione ex testamento, vel contractu, dixi ad l. ea lege. sup. de condict. ob caus. dat. hic verò vt de prohibitione ex lege agitur, ita & tantò magis prohibitionem illam esse oportet ἄτρεπτον, καὶ ἀδιάστροφον, id est, immutabilem, & inconuersibilem, quod de legibus ipsis dixerunt Orpheus, & Nonnus. Ista nempe ad rubricam.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM. AA.

L. 1.

Frustrà disputas de contractibus cum marito tuo habitis, vtrúmne iure steterint, an minimè: cùm ibi sufficiat, si proprio nomine nullum cõtractum habuisti, quominus pro marito tuo conueniri possis: quod nec

ſponte pro eo interceßiſſes, quicquam à te propter ſenatuſconſultum exigi iure potuiſſet.

Notanda gloſſa inquiens ſeruari hodie vxorem ipſo iure illæſam, quamuis ſeſe cum viro obliget: nempe per nouam Iuſtiniani conſtitutionem §. illud. Nou. 135. vnde exſcripta eſt vulgariſſ. Auth. ſi qua mulier. inf. ad Velleian. quia autem per noſtros mores, indiuiduam vt vitæ, ita & bonorum ſocietatem nuptiæ continent, indubitati iuris eſt, ex fori doctrina, teneri vxorem ex ſolo ſocietatis ſemiſſe, licèt vel in ſolidum ſeſe cum marito obligauerit. Sententiam Molinæi, laudo in hoc ipſum ad l. vir vxori. ff. ad Velleian. Sic autem iudicatum iampridem, perorante Briſſonio, teſtatur idem Molinæus ad conſuetud. Picton. art. 252. atq; vt nemo deinceps quaſi in biuio, pendénſque animi, ad rem certiſſimam, hæreat, longiſſimum de ea rurſus quæſtione Senatuſconſultum reperies in catalectis Barnabæ veſti, in Senatu patroni, forenſium ſuæ ætatis negotiorum obſeruatoris ſagaciſſimi, areſto 32. ex anno 1546. die 1. Febr. inter Theſaurarium & canonicos ſacelli Pariſ. & Iſabellam le Clerc. plura vide ad l. vir vxori. Caſus tamen duos notaui quibus vxor, etiam citra renuntiationem Velleiani, quæ hodie inutilis ex edicto anni 1609. obligatur efficaciſſimè pro marito: ſi nimirùm agatur de dotanda filia, vel de redimendo ab hoſtibus, aut carcere, marito: vide ad l. ſi pro aliquo. ff. ad Velleian. & ad auth. ſi captiui. de epiſc. & cl.

IIDEM AA.

L. 2.

Ob maritorum culpã vxores inquietari leges vetant. Proinde rationalis noſter, ſi res quæ à fiſco occupatæ ſunt, dominii tui eſſe probaueris, ius publicum ſequetur.

Ratio poriſſima eſt ex l. quod autem ff. pro ſoc. quod ſcilicet maleficiorum nula ſit ſocietas. ad eam dixi neceſſaria ex priſcis, vſque Gallico. Subiungendum verò hîc, vt loco valde idoneo, quæ prætermiſſa ibi fuerint. Occupata enim ab Anglis Lutetia, in qua, per diſſéſiones ciuiles, maláque mente matris Caroli, 7. larem regni Gallici ſibi conſtituerant, abrogauerat Henricus 6. Rex Angliæ morem illum verè barbarum quo, ſi deliquiſſet maritus, affectúſque ſupplicio fuiſſet, bona ſocietatis connubialis omnia applicabantur fiſco, luebátque ex eo innocentiſſima vxor nequitias, & maleficia mariti. edictúmque illud cùm eſſet anni 1431. confirmatum reperitur placito curiæ, an. 1434. vide, ſi lubet, Chopinum, lib. 1. cap. 7. de doman. tamen, in odium, vt fit veriſimile, inuaſionis illius exteræ, (quæ, niſi coita cum noſtris ſocietate, proceſſiſſet nunquam vlterius) reſciſſum, eraſúmque fuerat ex actis curiæ iſtud cum reliquis, iudicium Anglicum, obtinebátque immanis in vxores ille mos ætate Molinæi, niſi in locis quæ contrarium ſeruarent, vt, inter cætera, apud Andes, qui ſibi ita cauerunt lege prouinciali, artic. 145. randem verò variis ſenatuſconſultis exploſa eſt tanta immanitas, ſoláque ſupereſt conſuetudo Trieaſſ. quæ vxores in hâc partẽ, malè habeat, art. 134. videbis propterea Molinæi ad eum articulum, notam cenſoriam. Vno tantùm caſu oneratur coniugalis ſocietas delicto mariti, cùm nempe mulctatur ille Virgildo, ſeu, vt loquimur, reparatione ciuili, erga aduerſarium. Cur verò ita Senatus cenſuerit, rationem hanc didici, quòd ſcilicet, ſi viciſſet in cauſa maritus, Wirgildum illud accreuiſſet ſocietati: æquum autem vt quem ſequuntur commoda, eumdem & incommoda. Gloſſa hîc adiicit cauſam primipili, de qua duo certè ſunt textus, alter ſub titu. quib. mod. pignus, & alter ſub tit. de primip. lib. 12. vt ſcilicèt vel ipſa etiam dos retineatur à fiſco: primipilatiſque iſtius muneris quandam ſeu imaginem refert quæſtor ille militaris, quem, Theſaurarium extraordinarium bellorum dicimus, vt notaui ſuprà, hoc libro 4. ſed reiectum adeò & iſtud, vt nec in crimine maieſtatis amittat vxor dotalitium in bonis ma-

rici, tametsi vendicatis fisco: tantum abest vt dos ei auferatur, quod proprium ipsius patrimonium. inclaruit hoc manifestissimè ex Senatusconsulto lato contra P. Carpentarium, damnatum maiestatis, anno 1594. de quo dixi ad Pandectas, & quantoperè laudata ex eo tanti ordinis prudentia, vt qui solam mariti proditionem in crimine omnium, quoad homines, maximo, plectendam censuerit, misertus ærumnosissimæ, quæ nihil deliquerat, viduæ. Mulierum infœlicitatem in eo locat præcipuè Euripides, *Medea*, quòd petcarè emant maritos vt ipsos non bonorum duntaxat, sed & corporum dominos habeant: verissiméque tandem conqueritur Medea in hæc verba:

Γυναῖκες ἐσμὲν ἀθλιώτατον φυτὸν, &c.

id est, *Mulieres sumus miserrima Planta.*

Inde igitur maritis etiam malè, sceleratéque agentibus, vix est vt dicere ausint: *vade foras, aut moribus vetere nostris, sola illis obsequij gloria*, dixit Plinius in Panegyr. imitatus forsan Platonem, qui hoc ipsum scripsit, in Menone, pag. 2. *Tota denique vxor ex mariti vultu pendeat*, ait Quintil. declamatio. 301. nec vlla proinde ex te alia matrem suam commendat magis D. Augustinus, lib. 9. confessionum, cap. 9. quàm quia nosset non resistere irato viro, non factis tantùm, sed nè verbis quidem. sunt eius verba, in quibus desino.

IIDEM AA.

L. 3.

Cùm te possessiones non in dotem pro filia tua dedisse, sed ad sustentandam eam, extra dotis causam, filiæ tuæ prædia assignasse proponas: ciuilium munerum, vel onerum municipalium obtentu, ex persona mariti eius, quomodo matres ex persona filiorum interpellari non possunt: cùm neque maritum pro vxoris obligatione conueniri posse constet, nisi ipse pro ea se obnoxium. fecit certissimum enim est, ex alterius contractu neminem obligari.

Negant nempe Imperatores matrem ex persona filij, aut maritum ex contractu vxoris conueniri posse. Quantum ad matrem, excipit lex pen. inf. de pat. potest. alimenta filij trimo minoris. Seruamus verò & vltra eam ætatulam alendos à matre liberos, id est, donec se exhibere possint masculi, artémque exercere quæ illis sit pro viatico, vt in patre decìdit præclara lex 5. si à liberis. ff. de liber. agnos. De filiabus dotandis, & quatenus seu pater, seu mater, eo defuncto, teneantur, dixi ad l. Qui liberos. ff. de iu. dot. In cæteris enim non video qua vnquam ratione, quibúsve prætoris viribus, vt alibi loquuntur Iurisconsulti, cogi possit mater, aut pater dare, aut facere, quod sponte dari, fierive debeat, cùm meritis magis, atque obsequiis liberorum prouocandi sint, vt eis benefaciant, quàm vllo iudicio adstringendi. Vt enim sit præuaricator pater, ac proditor, nisi filiis fideliter consulat & nisi conseruandis eis religiosa, veráque pietate prospiciat, quod ait D. Cyprianus, sermone de eleemosyna: at præstare etiam debent ipsi liberi quod paterna exigit auctoritas, vt latè disserit Clemens Alexandrinus, oratione ad gentes: longéque ante eum Plato lib. 4. de legib. Quia autem filiarum est imperatoria hæc constitutio, subiungendus valdè opportunè versus Plauti, in Sticho:

numquam nimis curare possunt parentem suum filiæ.

IDEM AA.

L. 4. quæ vlt.

Cùm te ideò ex persona filij tui commemores conueniri, quod pro debitis eius aliquid intulisse videaris: defensionibus tuis vti apud eum, cuius super ea re notio est, minimè prohiberis: vt is ad solutionem alieni debiti vrgeri te non patiatur.

Textus hic gratificationis, quemadmodum & lex, si actionem. atque lex, si creditores. sup. de pact. vt scilicet qui gratuitò, ac sponte, nullóque iure cogente aliquid vni soluit, vel remittit, cogi non possit præstare hoc ipsum apud cæteros, vide ad l. 5. milites. inf. de religios. præclaram in hoc ipsum hypothesim de vidua procuratoris præfecturæ Paris. quæ cùm ex donatione mutua inter se & defunctum, haberet iure suo bona societatis coniugalis omnia, nullique oneri obnoxia, ita statuente lege Parisiensi, soluerat nihilominus legatarijs ferè omnibus legata relicta à defuncto, Franciscanis autem loci, vnde oriundus erat, soluere tandem noluit centum aureos petitos ex eodem testamento quo iam reliqua præstiterat. Depellebat illa vno verbo, inquiens præstitisse se gratificandi animo, quibus ei lubuerat, cùm nulla alioquin superesset obligatio, sed propensus tantùm animus in eos qui *aduenientem gratiã benignè ab ea acciperint*: (vt hoc dicatur eum Liuio:) & ita equidem obtinuit vel in legato pio, pecuniæque modicæ, quod eò magis mirati sunt mecum plurimi. plura eo loco; iudiciúmque ex vera hypothesi, potioribúsque ex testamento, ac statuto Parisiensi, rationibus, reperies.

AVTH. SEV NOV. 52. §. 1.

Sed omninò, qui alium pro alio secundum formam pignerationis exigit, totum ipsum, quicquid sit, in quadruplum passo vim reddet, necnon & ab actione, pro qua talia præsumit, cadat.

Perlectis accuratè quæ Glossa, Bartol. Bald. Salic. Io. Faber ad hanc Auth. conferunt (nil enim Cynus, & alij,) at verò & quæ vid. Papius, q. 32. Io. Bodinus, lib. 1. cap. 6. & cap. vlt. de republ. Cuiacius ad tit. 57. vt nullus ex Vicaneis. lib. 11. Cod. Molinæus in stylo Parlam. tit. part. 3. 47. & Chopinus lib. 3. tit. 25 de Doman. qui omnes ex professo tractant Repræsaliorum materiã, eò peri tandem eos nihil aliud ferè conscribere, nisi hoc ipsum quod ad hanc Auth. Bartolus dum supplet verba glossæ dicentis ciuitates seruare aliud quàm quod hac Nouella præscribitur: concessas nimirùm, licitásque esse Repræsalias, cùm aliter per leges, & iura haberi, recuperariq; non potest quod ciui a alterius ciuitatis belligerantis ciue, vel extraneo hoste quolibet ereptũ est. Addit Baldus, concedendas esse auctoritate superioris, sunt eius verba: id est, cognitione habita vel principis, seu Regis, cui cum Rege alio, supremóve quopiam inter suos principes, bellum susceptum est; aut etiam illius qui primas in ciuitate hostili obtinet, partibus denique auditis agitandum illud est, vt explicatur in stylo Parlamenti, parte 3. quam citani suprà, atque apud Io. Galli, q. 334. & 359. vbi reperies, summi adeò Iuris, strictique esse concessionem Repræsaliorum, vt personæ capi non possint, si ad res solas facta sit concessio. Addit deinde, Repræsaliis obnoxios esse non fœminas, non pueros, & adolescentes, quorum nota sit innocentia: sed eos dumtaxat per quos bellum seu armis, seu consilio, aut collatis pecuniis expeditur. Addit verò etiam Vid. Papius, denuntiandum priùs esse Regi, aut alij supremo Principi, vel ei qui hostili ciuitati præest, vt vel res, vel personæ quæ captæ sint, restituantur: Si negent, tunc ad istud Repræsaliorum subsidium deueniendum esse, cùm & ita ex iure diuino liceat, in can. Dominus. qui est D. Augustini, 14. q. 2. in quo & notandum capitulum vn. de iniur. in 6. vbi exci-

piuntur ab ea præda ecclesiastici. Notandus prætereà titulus ille 25.lib.3. de domanio, de quo suprà, ad parem exceptionem trium quibus numquam, vel inter æstuantiora prælia, aufertur mutuæ huiusce pignorationis, seu ἀσυλία, immunitas: liberantur enim semper scholastici, de quibus in hoc vulgata est Nouella Friderici, habita. inf. ne fil. pro patre. vsúmque vt tradit Bacquerius, cap. 13. parte 1. de iure metæciæ, seu Albinatus, ita & seruari non semel nostra in hac Lutecia vidimus ann. 1589. cum occuparetur à factiosis, & Hispanis. Liberantur pariter mercatores nundinarij, quamdiu stant nundinæ: nec eò etiam viatores incidunt, donec per alienas regiones commeant. Et cum vocemus nos Galli promiscuo nomine, modò Repræsalias, modò ius marquæ, aliàs, *droict de Represailles, ou droict de marque*: quod vltimum vt apud Monstrelerum legitur, volum. primo cap. 236. ita & à voce Germanica deflectunt periti omnes: limitem eum significat, quia eo iure vtamur potissimùm in limitibus. Opus autem fuit primùm decreto Senatus, vt constat ex stylo Parlam. parte 3. tit. 47. Tandem facta notio est solius Principis, à quo propterea impetrari solent rescripta, quæ vocant *lettres de marque*, vt scilicet liceat nobis ex Principe capere, vel retinere bona hostis cuiúsque exteri, aut etiam personas quæ sufficiuntur in locum vel rerum, vel personarum quæ captæ sint, vel retentæ. Mósque ille rescripti cœpit tantùm sub Carolo 8. anno. 1485. cùm antea vnusquisque sibi eam vltionem permitteret, vt notat Bodinus lib. 1. cap. vlt. de rep. Quod & de Græcis liquet ex Demosth. Polluce, Suida, & aliis apud quos proinde mentiò, tam frequẽs καὶ ἀνδροληψίας, καὶ ἀνδροληψίυ, id est, præhensionis viri. sed magis ad quemdam ceu talionem parratæ cædis, quàm in bello. Si quis enim aliquem occidisset, aufugissétque in vrbem, aut ditionem in qua, per obstantes manus inhabitantium, corripi non posset, tunc licebat eis, qui sicarium repeterent, ἀπαγαγεῖν ἄχρι τῶν τριῶν, ait Iullius Pollux lib. 8. id est, abducere tres ex iis qui non redderent, eósque custodia coërcere donec reddidissent. Nec aliunde vt verisimile est, manauit Romanus clarigationum mos, cùm nempe legati, ac fæciales clarigatum, hoc est, res ereptas clarè repetitum mittebantur: Varro meminit, formámque præscribit Liuius lib. 1. Tandem Iustinianus vocauit ἐνεχυρασμούς, id est, pignorationes, Nou. 52. vt non fiant pignorationes, &c. Ex his igitur, quasi ex indice, profero quæ, ceu scopæ dissolutæ, apud Græci, Romanique nominis auctores, apud Romani, Gallicique iuris interpretes, & quod instituti semper nostri est, quatenus vti in hunc diem funesto ferè semper illo subsidio, inter arma & lituos, nostri soleant.

TIT. XII. NE FILIVS PRO PATRE, VEL PATER PRO FILIO EMANCIPATO, VEL LIBERTVS PRO *patrono, vel seruus pro domino conueniatur.*

Eiusmodi est tota hæc rubrica, vt nec amplius habeant quinque omnes leges quas complectitur: vanúmque propterea esset quicquam ex vllo tot legum superuacanearum textu melioribus librariorum operis committere. Quod ergo prima tituli, parte dicitur, filium pro patre conueniendum non esse, tradit exceptionem Boërius, qu. 128. num. 7. si videlicèt de patre captiuo agatur, docet enim teneri hodie fideiubere, seu ex ciuili, seu ex criminali patris debito: aliàs idoneam fore eam causam ingratitudinis, cur exhæredari debeat. quod vt latè tractaui ad Auth. si captiui. de ep. & cler. eo loci reperies quod hîc prætermitto. Præclarè Capitolinus in Antonino Pio: *impius magis est qui ista non faciat, quàm pius qui debitum reddat.* Quantum ad crimina, frequens est lex, crimen ff. de pœnis, cuius hæc verba *crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. námque vnusquisque ex suo admisso sorti subijcitur: nec alieni criminis successor constituitur.* Inde Vlp. in l. 2. §. 2. de decurionib. *Nullum patris delictum innocenti filio pœna est. Ideóque nec ordine decurionum, aut caeteris honoribus, propter eiusmodi causam prohibetur.* D. Chrysostom. Homil. in Matth. paulò post princip. παιδεύων καὶ ἡμᾶς διὰ τούτων μηδέποτε ἐγκαλύπτεσθαι ἐπὶ τῇ τῶν προγόνων κακίᾳ, ἀλλ᾽ ἓν μόνον ἐπιζητεῖν, τὴν ἀρετήν. id est, docens etiam nos (sup. Christus) ex his numquam delitescere ob parentum iniquitatem, sed

vnum solum inquirere, nempe virtutem. Egregia D. Augustini in hoc ipsum, ratio est epist.23.ad Bonifacium. *Cùm homo*, inquit, *in seipso est, ab eo qui genuit eum alter effectus, peccato alterius, sine sua consensione, non tenetur obnoxius.* Longè plura apud profanos auctores, de non ferenda iniquitate patris: singularia autem reperies apud Demosthen. epist.3. de Lycurgi libetis. atque Halicarnass. lib.8. Platonem epist.8. ad Dionis amicos. ipsumque Plutarchum, tract. de iis qui serò à numine puniuntur. Non maculant denique filios paterna scelera: nisi filij illa sectentur, ait Donatus ad hunc versum lib.1. Æneid.

Tantáne vos tenuit generis fiducia vestri?

Exempla in hoc frequentissima per vniuersam Galliam, seu ad dignitates forenses, seu ad militiam. Solum excipitur crimen læsæ maiestatis, vt quo, ad tettorem omnium qui moliti vnquam cogitent aduersus remp. vitámve Principis, qua salus omnium continetur, auferri soleant & bona, & nominis quæcúmque vel auita dignitas, vulg. l. quisquis. Cod. Maiest. præstantissimè Tullius ad Brutum, epist.14. *Dixi sententias in Antonium, dixi in lepidum seueras, quanquam ha non tam mea fuerunt quàm omnium, in quibus videtur illud esse crudele, quòd ad liberos, qui nil meruerunt pœna peruenit. sed id & antiquum est, & omnium ciuitatum, siquidem Themistoclis liberi eguerunt.* Sic ille.

Quantum ad patrem, & quatenus teneatur, vel non pro filio, præsertim in crimine, dixi quod sit satis ad l.5 sed etsi. §. si impubes. ff. ad l. Aquil.

De libertis & patronis, cùm, quicquid ferè statuant Romanæ leges, referri hodie hoc soleat ad vassallos, & feudalésque dominos, in promptu habentur leges prouinciales, imò & plures aliunde feudales, quæ præscribant quid & quantum, ac quibus ex causis pro patrono feudali teneatur vassallus. Tria autē in eo singularia debita. Primum est vt luant in partem liberationis pretiū pro capto ab hospitibus patrono. Secundum vt collatitiis pecuniis suppleant dotem filiæ patroni primogenitam. Tertium est, si donetur equestri ordine à Principe. Istud inter cæteras consuetudo Turonensis.

NOVELLA CONSTITVTIO IMPER. FRIDERICI.

Habita quidem super hoc diligenti inquisitione episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium iudicum, & aliorum procerum nostri Palatij, examinatione, omnibus qui causa studiorum peregrinantur, scholaribus, & maximè diuinarum, atque sacrarum legum professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus, vt ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quàm eorum nuntij veniant, & cum eis securè habitent. Dignum námque existimamus, vt cùm omnes bona facientes nostram laudem, & protectionem mereantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, ad obediendum Deo, & nobis eius ministris, vita subiectorum informatur, quadam speciali dilectione, ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui, amore scientiæ, exules facti, de diuitibus pauperes semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod grauiter ferendum est) corporales iniurias sine causa perferunt? Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam scholaribus iniuriam inferre præsumat: nec, ob alterius eiusdem prouinciæ delictum, aut debitū, (quod aliquando peruersa consuetudinē factum audiuimus) aliquod damnum eis inferat. Scituris huiusmodi constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutio-

nem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notáque infamiæ ipso iure eis irrogata, dignitate sua careant in perpetuum. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit: huiusmodi rei optione data scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius ciuitatis episcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, conueniant. Qui verò ad alium iudicem eos trahere tentauerint (etiamsi causa iustissima fuerit) pro tali conamine cadant. Hanc autem legem inter imperiales constitutiones, scilicèt sub titulo, nè filius pro patre, inseri iussimus. Datum apud Roncalias, ann. Domini, 1158. mense Nouembri.

Trado rationem ad l. Macedoniani. inf. ad Macedon. cui subiecta huic titulo fuerit Nouella ista Friderici, primi, quem ad pedes Alexãdri 3. Pontif. procubuisse refert Platina, cùm ab eo absolutionem excommunicationis peteret. Celeberrima autem est, sacráque velut Academiarum, Academicorúmque ancora. Vide, pro iusto commentario, lib. 3. tit. 27. de Domanio, apud Chopin. Vix enim vt reperiatur vnquam vberior, accuratiórque disquisitio omnium quæ ad insignes totius orbis & olim & nunc Academias desiderauerit sagax ánimus. Docet ille quid Athenis quondam, & Romæ: quid Constantinopoli, Rhodi, Alexandriæ, Antiochiæ, Ephesi, Cæsareæ: quid olim Massiliæ, quid & à longis seculis, Lutetiæ, variísque aliis in ciuitatibus Imperij Franciei: quid denique apud Hispanos, Lusitanos, Anglos, Scotos, variáque adijcit quæ quotidiana, vtilissimáque ad incidentes de rebus Academiarum, seu, vniuersitatum, vt loquimur, controuersias, in quibus semper & Fridericiana hæc constitutio, & Iustinianea, in l. vn. de studiis liberalibus vrbis Romæ, & Constantinopolitanæ, libr. 11. faciunt vtrámque paginam. dixi etiam nec tam vulgaria, ad l. quæ pater. ff. fam. herc. Pauca hîc ad forum Cynus, Albericus, Bartolus, Baldus, Salicetus, nostérque Rebuffus: licèt Baldus, & Rebuffus, inter cæteros, expassis velis, aut inanibus equidem potiùs offuciarum quarumlibet coagmentatis farcinis, egetint. Paucissima pro more. Io. Faber. Paucissima verò Cuiacius in recitationibus postumis, quod miror, cùm esset ipse præsidium, ac dulce Academiarum decus. sed forsan id hac mente tantus interpres, quia Nouellæ istius barbaries nihil ad nitorem, lacteámque vbertatem, aut maiestatem potius compositionis Iustinianeæ. hodie tamen, vt dixi, nihil frequentius, vsitatiúsque ad iura Academiarum, ad iura studiosorum, *Rectorum*, iudicum, seu *conseruatorum*, vt vocant, quin & officiorum, nuntiorúmque Academicorum, de quibus proinde singulis dicam quod periti, impertíque admittere, connotaréque mecum debeant.

Primùm enim, vt de priscis illis taceam quas recensui suprà, cùm anteuerterit perspicacissimus Græcæ, Romanæque literaturæ indagator, Renatus Chopinus, qui inter Galliæ nostræ ornamenta: liquidò constat apud eruditos, totius occidentis Academias, præter Angliam, debere ortus suos Parisiensi, quippe earum genitrici, post laceratum, vastatúmque Romuli Imperium. Solus tunc in vniuerso illo tantæ molis Romanæ incendia, ac excidio, occurrit Carolus Magnus, qui reliquias posset colligere, lapsáq; erigere, ac instaurare in eam virium amplitudinem, vt nouum deinceps sibi, suísque Imperium in Galliis vniuersis, lachrymabilique tunc Italia, Hispania, Germania, Hungaria, Sclauonia, Baioaria, seu Bauaria, Dacia, Saxonia, Anglia, Britannia, & cæteris quæ cis & trans Danubium regionibus, ac regnis, condiderit. Ille igitur, vt erat Princeps literatus, postquàm armis verè cælestibus, nouâ, pacatámque huic nostro orbi occiduo faciē reddidit, (quo solo tempore publica, ad instituendam iuuentutem, studia curanda, exornandáque esse docet Aristoteles lib. 6. politic. cap. vlt. in fin) elegit suam hanc nostram Lutetiam, ὡσπερεὶ νεὼν, καὶ ἱερόν τι τῆς Ἀθηνᾶς τέμενος, id est, templum, velútque fanum aliquod, ædémque sacram Mineruæ, in qua literariarum exercitationum studia, sedémque collocaret: præsticitque circa annum 791. de præceptoris sui, Alcuini, ac venerabilis Bedæ consilio, vt constans scriptorum penna est. Itaut per longas ætates innumeri ex omnibus Latini orbis populis studiosi Lutetiam, tanquam ad scientiarum

omnium emporium,confluxerint,teſtante ita, inter cæteros, Archítrenio Poëta vetuſtiſſimo,cuius nec proinde diſplicituros verſus arbitror:

Exoritur tandem locus,altera regia Phœbi,
Græca libris,Inda ſtudiis,Romana Poetis,
Attica Philoſophis,mundi roſa,Balſamus orbis.

Ex hoc fonte Papienſis paulò pòſt,ſeu Ticinenſis non modò Academia,ſed & Patauina. Et quamuis Bononienſis iactet ſe auctore Imper. Theodoſio, euerſa tamen funditus, diúque iacuiſſet, niſi per victrices tandem inſtauratoris Caroli noſtri lauros, reſpiraſſet. Cæteræ omnes ſeu in Germania , ſeu in Hiſpania , & aliis locis, non niſi longis pòſt ſeculis inſtitutæ. Colonienſis enim anno dumtaxat 1388. Baſileenſis anno. 1459. Viennẽſis,ann.1237.prætermitto reliquas, vt multò recentiores vbique occiduarum vrbium. Ex ſolo enim tractu Anglico, quatuor nempe illis diſcipulis Bedæ, quos nominant Gaguinus lib.4.in Car.Magn.Naucler.Palmerinus, aliique plures, accepta ſunt primùm,vt dixi, Luteriana literarũ ſtudia , ex quibus & ſigillátim poſthàc per Europam varia: primáſque inde haud immeritò obtinent tantæ Academiæ ſtudioſi,maximè apud nos,quotieſcumq; de prærogatiuis agitur,vt inter cætera viſum eſt ann.1606. die 6. Iull.in maiore auditorio,inter duos præceptores Academicos, alterum Pariſienſem,& Andenſem alterum,qui vnà, ac ſimul nominati fuerant ex cauſa gradus Academici,ad vacatura monaſterij Borgoliani , apud Andes, beneficia. licèt enim Andenſis præceptor nominatus anteà fuiſſet, addictum tamen eſt beneficium Pariſienſi, ob tantæ Academiæ primigenia : interpretatióque illa facta eſt articulo 54. ſtatutorum Academiæ ipſius Pariſienſis recentium, cùm ait in hæc verba: vt plures ad docendum inuitentur magiſtri artium,qui per ſeptennium continuum, abſque intermiſſione, & citra fraudem in celebri collegio docuerint, præferantur omnibus graduatis in iure nominationis,exceptis doctoribus in ſacra Theologia tantùm. ſic art. porrectum námque eſt verbum *omnibus*,ad omnes cæterarum totius regni Academiarum graduatos,vt præcat tamen ſemper Pariſienſis, quantumuis poſterior. agebatur de Archipresbyteratu Borgoliano.perorabãt Ph.Girard, & Dom.Roy,hodie Senator.litigatorũ alter vocabatur, *Placet*.longè plura iſtiuſmodi priuilegia quæ hîc enumerare,eſſet longius. Inter potiora autem memini quod chartarum,librorúmque eſt:ſi de ſtudioſis agatur. laudat rectiſſimè Albericus Gloſſam,quæ nihil eo nomine publicano deberi , docet ex doctrina legis,vniuerſi.inf.de vectigal.& com.quia ſcilicet,vſus ſui cauſa,vt in hoc loquitur,lex,in lege cenſoria.ff.de verb.ſign.libros ferendos curent. Non autem mercandi cauſa,addit Albericus. In quo ſententiam ſuam ſatis aperit, vt nempe mercatoribus negari priuilegium illud debeat. librorum autem & chartarum commercia tributis omnibus liberauit Princeps,ann.1587.die 22.Septemb.nec reſcripto ſimplici , ſed conſiſtoriano decreto,cui,inter illuſtriſſimos regni proceres,præfuit:auditóque altero ſecli Cicerone, Sim. Marionio,qui ſuam in id eloquentiſſimam orationem , cum aliis pluribus, iampridem edidit. Deinde verò quamuis doceant promiſcuè laici cum eccleſiaſticis , corpúſque ex eo ſit mixtum,verè ἑστία λόγων, καὶ πανοπλία δογματική. Id eſt, ſedes ſcientiarum, & omnis generis armatura doctrinarum,quod olim de Athenis , earúmque literariis muſeis, Nicephorus Gregoras:ſicque Mineruæ tribuit Homerus πέπλους ποικίλους, id eſt , variegatos peplos,ſeu amictus,vt ex eo arguat τὸ πολυειδὲς τῆς φρονήσεως, id eſt,multiplicitatem prudentiæ,interprete Euſtatio:tamen qui ei præſunt,quíque apud eum funguntur officiis,adminiſtrationibúſque Academicis,debent eſſe ij omnes merè eccleſiaſtici, aut certè cœlibes , ſinéque vxoribus. neceſſarium hoc ait Baldus in Rectore: ita autem ex vſu, in omnibus,crederéque ex ea cauſa coactus eſt Vincentius Raffatius, præceptor Academicus,decanatu prouinciæ Bituricenſis in ipſa eadem Academia , ex decreto Senatus,ann.1589.menſ.Aug.quia nempe vxorem duxiſſet. cauſam egimus quæ typis excuſa. Academicus ille Rector præfert Præſidis cuiuſdam prouinciæ imaginem: perpetuúſque eſt tanquam epiſcopus,inſpector ſcilicet, obſeruans hinc illinc addicta ſtudiorum collegia,in quibus emendat mores prout res ferant, ſingulóſq; ac vniuerſos in officio continet:cuius proinde muneris deſcriptionem valde idoneam reperies apud Caſſiodorum,lib 6.formula.6.Cauet deinde nè quid peccetur in veteres, iuueniléſq; Academiæ inſtitutiones, putà, ſi mandet forſan Gymnaſiarchus aliquis primam collegij ſui

classem duobus præceptoribus, quorum alter doceat manè, alter vesperi. monuit Rector eo casu Bauentium, Lexouiensem primarium, nè id faceret: esse enim contra statuta academica. & cum parére noluisset, acetrima in id querela mota est apud Senatum ann. 1602. die 22. Nouemb. causa perorata, increpatúsq; Bauentius, ob despectum Magistratus Academici imperium, vetitus autem duo deinceps in vno, eodémque auditorio, magisteria præficere. causam diximus. Verba etiam articuli 20. ex appendiee statutorum hæc sunt: sit penes rectorem ex consilio Decanorum superiorum facultatum, & procuratorum nationum, potestas cognoscendi, ac iudicaodi de conttouersiis inter Gymnasiarchas, præceptores, pædagogos, & magistros de re scholastica ortis: is primùm adeatur: si causa grauior, ab eo sit prouocatio. Otiosa non sunt verba: *si causa grauior.* Mos enim est in leuioribus, adire propræfectum Parisiensem, cui ex statutis Academicis, art. 33. infligendæ mulctæ ius est, auferendorúmque etiam munerum, in contumaces. At verò & admittebatur olim, potioréfque Academiæ moderatores, ad publica de grauissimis regni negotiis consilia, vt variis ex locis Monstreleti, Tilíique commentariis Francicis, liquet: itaut cùm de Themide vetus poëta cecinerit,

Assidet ipsa Ioui, Iouis est fidissima custos,

vendicarint sibi, suóque velut iure, Horatianum hoc Academici illi veteres:

Proximos illi (sup. Themidi) *tamen occupauit*

Pallas honores:

nō scriberem, nisi & ab ipsis scriptum iam fuisset. Habet insuper Academia suum Cancellarium, cui, inter cætera, confirmauit ordo amplissimus aoo. 1562. die 21. Ianuar. vt si quæ suboriantur litigia inter Gymnasiarchas, Capellanos, Alimentarios sodales, (Bursarios vocant) & præceptores, de re quæ ad gymnasia, sacella, (capellas etiam nuncupāt) alimenta gymnastica, seu bursas, vt in vernaculo, mores, disciplinámque ecclesiasticam spectet, de his omoibus, accessionibúsque singulis, leui ootione, de plano, citráque figuram iudicij, cogoofcat, iurgiúmque ex statutis Academicis, collegiorúmque dotatiooibus, seu fundationibus, dirimat, intercessione, appellationéque qualibet summota, incolumi tamen appellandi iure ad Senatum, si ita videatur damnatis. asseruo decretum hoc in aduersariis, quia ad Cancellarij Academici prærogatiuas scitu dignissimum, magnáque tunc disceptatione latum inter Pet. Gemelli, collegij Burgundiani Gymnasiarcham, ac varios, quorum nomina implent ptimam Senatusconsulti paginam, Rectórq;, & Cancellarius, libellis curiæ datis, intercesserant. Habet denique suos nuntios, quorum ea sunt iura singularia, seu priuilegia, vt nullis illationibus capitalibus, seu taleis, vt loquimur, sint obnoxij, atque hoc, etsi non morentur intra fines ipsius Academiæ, sed in prouinciis. Ita enim obtinuit iampridem nuntius Academicus, nomine, Poullart, anno 1586. die 18. Decemb. in subsidiorum curia, quamuis Cœnomanorum *Vindinum* cum vxore & liberis incoleret. Potissima iudicij ratio hæc fuit, quòd capitales isti nuntij, quorū hodie tot vbiq; vicatij, seu subnūtij, vt vocant, residere media in ipsa Lutetia, verúmque in ea habere domicilium, putandi sint, vnde proficisci in prouincias debeāt, aut suos huc illuc vicarios, vt dixi, ex vetere academiæ instituto, mittere (iusiurandúmque ipsorum, cùm admittuntur, illud est) si vel ad studiosorum literas, vel ad affereoda viatica, proficisci sit necessarium. Si alibi morētur, perinde tamen habitatio illa est ac si ad tempus, fortuitóque incolerent, cùm, quocúmque alio io loco quàm Lutetiæ, verè ἀστάθμοι, i. sine statione, existimandi sint, vt de nuntiis in genere scripsit Suidas in verb. Ἄγγαροι. Magna equidē veteris illius causæ celebritas. Præerat enim illustriss. Cardinalis, Vindocinensis, qui posteà vocatus Cardinalis Borbonius, per occasionē edictorum quæ promulgari iusserat Henricus III. ad duplicāda omnia Lutetiæ subsidia. perorauit Adbertus, patroni fisci filius. Verùm vt nè quis in immunitate ista cæcutiat, consequi eā nō potest oisi vnus, ac solus, in voa quáq; prouincia nuntius, & nisi præterea admissus à curia subsidiorum fuerit, actisqeu ipsius iosceriptus. Proinde cùm alter eiusdē Vindini Cœnomanorū nuntius tētasset, succubuit, ao. 1599. 7. Maij: tū quia alius iam eo nomine, in illa prouincia immunis, tū verò quia oec istius oome io acta curiæ relatū fuisset, vocabatur, *Boysseau*. Agebant Cupifius, & Io. Niger. ootauit ad causam Dom. Bretius, qui tūc in eo auditorio patronus fisci, quod perire hīc nec patiar. Monuit eoim solum prouinciæ Academieum nuntium, qui sit immunis, vocatum olim, *magnum nuntium*. Attingunt deniq; eiuscemodi priuilegia Bartolus, Baldus, & Faber: vnica autem hæc eorum

ratio est:ob studiosorum videlicet,seu scholasticorum, viatica, vt sine quibus morari in Academiis diutiùs non possint.vide ad l.si longius.de iud.& ad l.cum filiusf.si cert.pet. ff.Habet tandem Academia suos conseruatores iudices in vrbibus Academicis, qui de omnibus studiosorum controuersiis cognoscant, & à quibus appellationes deuoluantur ad solum Senatum.de his latè ad l.1.ff.si quis cautionibus. Dubitatum an pueri sexennis scholastici nomine transferri lis posset ad conseruatorem Academicum: iudicatum autem refert Molinæus etiam in filio suo, eius ætatis. vide in stylo Parlamenti, parte 7 aresto138.& Chopin.ad consuet.Andens.lib.1.tit.5.cap.55.Exceptio ad has,de conseruatoribus,quæstiones,fuerit,si agatur de patronatu,vel superioritate feudali,extra forū rei,& domicilij.Eo enim casu,per manū supremā, id est regiam, admittendus à iudice regio, in fidē vassallus offerendo consignationem iurium. Realia enim hæc iura sunt.vide plura, apud Molinæum ad consuet.Paris.§.42.oum.24.& 25. Io cæteris mutantur numquam iudices,seu conseruatores Academici, maximè propræfectus par.vel si interuenerint ipsi Cardinales, vt, ob beneficia quæ contulerint, remittatur lis ad magni consilij consessum,cui tributa à Principe tota de collationibus Cardinalitiis cognitio:ita enim,acerrima contentione obtinuit in sacro consistorio Ant. de Heu, Doctor Theol.ac Seuerianus Curio,ann.1612. die 29. Nou. Ita Hadr. Behotus, Archid.eccl. Rothom. in eod. consistorio,ann.1605.die 30. Dec. Itur deinde ad eumdem propræfectum Paris.ex omnibus curiarum supremarum vel vltimis metis, si instituatur à studioso,vel in studiosum actio. Sic enim rursus in sacro coosistorio idem Behotus, vir eruditus,ann.1604.die 17.Decembr.nihilque hodie in more iudiciorum vulgatius. Vide,si lubet,aresta integra quæ exscripsit Iac.Coruinus,in leg.Franc.De Graduatis præthereà, & quantoperè eis,literarum nomine, faueri debeat, consule Ann.Robert.libr.3.rerum iudic.Chopin.lib.1.titu.5.de sac.polit. atque Pasquerium tam lib.3. Gallicarum originum,cap.20.21.& 22.quàm lib.2.cap.5. libo de singulis scriptoribus non perspemata, & tricas,sed quicquid serium, magisque è re quotidiana, ac forensi, viderim. Addam duo: Baldum nempe in ea esse sententia vt putet renuntiare posse vniuersitatem, seu academiam, priuilegio suo academico. alterum verò est, studiosum non posse bonis cedere,si sit extraneus,putà Germanus,aut quiuis eiusmodi. Ita siquidem Senatus,an. 1608.die 31.Iull.secundum Aurelianensem quemdam hospitem: citaui iam suprà ad rit. quib. ex caus.infam.irrog.hactenus de quotidianis,forensibúsque academicorum, subsidiis,quæ nec adeò efficacia,ἢ δυνατεῖα, sperari debeant ex vmbratilibus scholarum pulpitis. χαίρε Διὸς θυγατὴρ συμπορεύκτορες.

TIT. XIIII. AN SERVVS PRO SVO FACTO POST MANVMISSIONEM TENEATVR.

Ratio, quia seruus, quandiu in seruitute esset, nunquam ciuiliter, sed naturaliter tantùm obligaretur. Seruitutem enim mortalitati comparamus, ait Vlp. tit. de reg. iur. At verò ex naturali obligatione nulla potest nasci actio. Itaut cùm post manumissionem seruus alia persona esse incipiat, & nouus homo, vt in l. qui res. §. Arcam. ff. de solution. mirùm videri oon debeat, si conueniri eum ex antegesto non posse, perpetua sit apud Iurisconsultos, & Imperatores, iuris regula. Exceptio vna est, nisi in coonexis si nimirùm manumissus pergat io gerenda administratione quam anteà habuisset, vt in l. cum actum. de negot. gist. & l. tres tutores. § item in eo. de admoistr. tut. ff. Inde tam frequens mentio in testamentis Romanorum veterum, quibus libertates relioquebantur seruis: *liber esto si rationes reddiderit.* & similia, quæ passim in pand. & cod. sic in l. qui sub conditione. l. cum seruus. l. Iullius Paulus. de cond. & dem. in l. si pater §. 2. de fideic. lib. ff. tenebatur enim tunc seruus quantumuis mammissus, de reliquis quæ ex administratione actus, reddere deberet, vt in l. Aurelio §. Sticho. de liber.leg. præclarus in hoc textus in l. dominus. §. vlt. de pecul. leg. ff. vbi testator: τούτοις βίβλο-

μὴ εἶναι ἀνεξετάστους, Id est. hos volo esse discussioni & redditioni rationũ minimè obnoxios. Ex his verbis, ait Iurisc. non tamen testator videtur legare reliqua rationum. Dicimus hinc nos Galli, *vn reliqua de compte*. Tanti redditio illa rationum facta semper est, vt si seruus capitaliter damnatus fuisset, differretur executio, donec ab eo redderetur domino acceleranti administrationis ratio: ita in l. 1. inf. de bonis proscripr. Sic præfectianum, vicarium, aut cohortalinum, iubet Imperator *ad rationes reddendas retrahi, aliumque in eius locum à magistro militum eligi, ac praponi, si cùm esset chartis, & ratiociniis publicis obnoxius, ad præposituram castri, & militum aspirauerit*. & cùm olim sanctius nihil esset templorũ asilis, ita dicti quia σύρεσθαι, id est, extrahi ex illis locis liceret neminem

Talibus orabat dictis, arásque tenebat,

apud Virgil. 6. Æn. tamẽ si de reddendis rationibus ageretur, extrahebatur vel ab ecclesia inter Christianos fugitimus, securitate accepta, vt rationes redderet: plura in hoc scribit Gelasius Papa, Ioãni Episcopo Viennẽsi, in can. vxor. 17. q. 4. vetántque constitutiones Põtificiæ nè obligatus ad ratiocinia ordinetur, cap. vn. quod ex cõcil. Carth. desumptum est, de obligatis ad ratiocinia ordinand. vel non. quod seruamus maximè in religiosis, ad professionem monasticam. Nec verò in ea rationum obligatione dũtaxat, sed in cæteris quorũ actio, aut accusatio moueri possit aduersus professum monachum. Quemadmodum enim tota huius tituli quæstio, & legum quas includit, in eo versatur, *An seruus pro suo facto*, (Id est, cõtractu, vt explicat Cuiacius in postumis) *post manumissionem teneatur*: ita à contrario, cùm emittendum votum est, quærit de more Abbas, vel prior à professuro monacho, num quid debeat & an capitale quippiam admiserit vnde accusationem metuat, aut etiam accusatus sit, atque inter reos relatus, fore enim aliàs professionem ipsius irritam, vt qua nihil morante, possit cogi, rapíque in ius à creditoribus, detrudíque in carcerem, & plecti perinde ac si professus nunquam fuisset. Morem nempe verissimum recenseo, & de quo ambigat nemo. Sed vt sciatur exemplis, decretísque certissimis quàm malè sibi blandiantur si qui ad perfidias, sceleráq; sua conuelanda profutura sacerdotii, monasteriorúmue asila cogitauerint, censuit persæpe ordo amplissimus eos qui, vt sese, in graui ære alieno, molestiis carcerum eximaor, vel presbyteri fiunt, vel subdiaconi, fucum tamen sibi ipsis, non religioni facere. Itaue nihilominus præhendantur, mancipentúrque carceri. ita an. 1601. die 3. Marr. contra quendam nomine, *pigis*, qui impar soluendo quod damnatus esset nexu corporis, ad subdiaconatus munimentum confugerat. Notaui iam Senatusconsultum ad l. vlt. de seruis fug. ff. Ita & rursus paulò pòst in edictali auditorio contra planum alterum cui nomen, Roddom, qui similem subdiaconatus imaginem induerat. Quantum ad vota monastica, nihil equidem in hoc ipsum iudicatum mea ætate, quod sciam. Sed constans peritiorum, antiquiorúmque fori nostri sententia ea est, qui etiam nihil eiusmodi voquam sese vidisse mihi dixerunt, præsertim Dionisius Butillerius, summus rerum ecclesiasticarum patronus, vt si casu ita contigeret, idem prorsus experturus esset fugitiuus vel debitor, vel sceleratus quiuis Reus, quod de falsis seu subdiaconis, seu sacerdotibus visum est, maximè cùm asila olim dari nocentibus vetuerit Imp. Iustinianus nou. de mandatis Principum. Singularísque in hoc textus in l. 1. sup. de iis qui ad ecclesias confug. in Iudæos qui reatu aliquo, vel debito fatigati, simulabant se Christianæ legi velle coniungi, vt ad ecclesias confugientes, euitare possent crimina, vel pondera debitorum. Mora legis illius primæ verba sunt. Clarum igitur, si dissimilis in hypothesi proponitur ex hoc titulo Iuris Romani vetustas, negans seruo prodesse manumissionem quin semper post manumissionem pro facto suo, id est, & doloso contractu, & delicto, teneatur, at similem nihilominus esse decisionem aduersus eos qui vt eludant & creditores suos, & vltionem sui criminis, prætẽdunt dolis, ac sceleribus vel sacerdotalem titulum, vel perpetuam cuculam. Non adhæsi ad leges singulas, quia in id quod supra interpretor, omnes recidunt.

TIT. XV. QVANDO FISCVS, VEL PRIVATVS DEBITORIS SVI DEBITORES CONVENIRE *possit, vel debeat.*

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 4.

Non priùs ad eos qui debitoribus fisci nostri sunt obligati, actionem fiscalem extendi oportere, nisi patuerit principales Reos idoneos non esse, certissimi iuris est.

Docet Salicetus quatuor esse necessaria, vt quis, seu fiscus, seu priuatus, debitorem debitoris sui conueniat: primum est, vt antecedat debitoris condemnatio. Secundum vt debere se fateatur, l. 3. hoc tit. & l. 1. de condict. ex lege. sup. Tertium, vt bona principalis debitoris ritè, ac rectè discussa sint, sicque accipiendum verbum, *patuerit*, nostro hoc textu. Quartum, quod de missione in possessionem est, facilè prætermitto, cùm in executionem iudicati veniat. Addit Ioannes Faber cogi & eo casu debitorem principalem cedere creditori actiones, aduersus suum debitorem. Quod seruamus maximè in debitorem, qui in fraudem creditorum non vult adire hæreditatem ei delatam ex qua soluat æs alienum. recessimus enim in eo à Romana Iurisprudentia, in l. qui autem in pr. ff. quæ in fr. credit. In cæteris, pro iusto commentario, vide quæ congessi de priuilegiis fiscalibus ad l. 1. sup. de condict. ex lege, & sine causa. Huc enim omninò spectant.

IIDEM AA.

L. 5. quæ vlt.

In solutum nomine dato, non aliter nisi mandatis actionibus ex persona sui debitoris aduersus eius debitores creditor experiri potest. suo autem nomine vtili actione rectè vtetur.

Paucis Baldus: dans nomen in solutum, cedit vtiles, non autem mandat directas, nisi ita specialiter enuntiet. Tradidi autem & subtilitatem iuris qua directę, vtilésque actiones intelligendæ sint, & quæ hodie seruetur in eo praxis Gallica, ex Senatus nostri decretis, ad l. 1. sup. de oblig. & actionibus. quam proptereà, nè, in eadem re, ac quæstione, videar nimius, studioso, iurísque vtriúsque cupido lectori indicasse mihi sufficiat.

TIT. XVI. DE HÆREDITARIIS ACTIONIBVS.

IMP. DECIVS.

Pro hæreditariis partibus hæredes onera hæreditaria agnoscere, etiam in fisci rationibus, placuit: nisi intercedat pignus, vel hypotheca. tunc enim

enim possessor obligatæ rei conueniendus est.

Duas regulas constituit hæc lex, ait Bartolus; Prima est: actionem personalem dari contra hæredes pro hæreditariis portionibus: altera: actionem in rem dari contra hæredes pro parte quam possident. hoc & facilius ex Baldo, ac Salieeto in hũc modum: personales actiones passiuè inter hæredes diuiduntur pro portionibus hæreditariis: Reales possessorem sequuntur passiuè. Fallere autem docent omnes in indiuiduis: solùmque hoc notat Io. Faber: cum tamen enumeret glossa sex casus, quibus hæredes teneantur insolidum, nec pro portionibus hæreditariis. Primus est in obligatione indiuidua. Secundus si res quæ debet ab vno restitui, obligata sit creditori, aliiue cuilibet insolidum. Tertius, in pollicitatione facta reip. ob honorẽ quem ipsa detulerit defuncto. Quartus in alimentis. Quintus, si testator legauerit ab vno hærede creditori hæreditario, ex causa compensandi debiti. tunc enim hæres ad quantitatem vsque legati, onus feret æris alieni. Sextus, in funeraria. Septimus in casu legis 87. qui fundum. § si tu ex parte. ff. ad l. Falcid. Casus ille longissimus, decidit autem ibi Iulianus plures portiones vnius, & eiusdem instituti contribuendas esse ad augenda legata. Hæc igitur ex glossa, & interpretibus, aut potius ex vmbratili scholarum puluere, cùm ita nihilominus ex vsu, rerum magistro, distingui debeant, ad veram, quotidianámque tam nostræ huius secundæ legis intelligentiam, quàm legis 1. & 2. inf. si vnus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit, vel acceperit. Indubitati enim hodie iuris est, si hæres, qui conuenitur, velit rem obligatam relinquere (dicimus *deguerpir*) ac soluere pro virili sua parte qua obligatus est personaliter, liberandum esse eum oneribus hæreditariis. Sic tandem posteriora Senatusconsulta contra praxim veterem, qua, si personalis semel iuncta fuisset cum hypothecaria, mox vnus hæredum tenebatur insolidum ad æris alieni dissolutionem pro cæteris. Sic intelligendus. art. 333. consuet. Parif. quo statuitur hæredem, qui fundum à defuncto obligatum possidet, teneri in solidum, seruato ei regressu aduersus cohæredes. liber enim est ex vltimis arestis, dum cedat, vt dixi. vide plura, si iubet, apud Bacquetium, cap. 21. num. 177. & 178. vsque ad 183. de iustitia & iure. in pauca enim contraho quod versatur quotidie in rebus agendis. vide etiam quæ notaui ad l. Paulus. in princip. ff. de pignorib. Vt autem ferè semper quod iudicatur, causa interiore niti solitum est: inde vulgò dicimus, ius semper esse in causa, id est, in circumstantiis: scio equidem decisum fuisse in maiore auditorio, ann. 1602. die 3. Maij, cohæredem teneri & personali & hypothecaria, frustráque offerre partem suam hæreditariam: sed Migeonium, qui hoc petebat, singularia quædam vrgebant quæ rem nuda quæstione deducerent: decisionibus verò meris, ac solis immoror, quæ veluti regula Lesbia, inflectantur pro causis, & personis, ad negotia.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 6. quæ & pen.

Si adulta, cuius curam geris, pro triente patruo suo (quem etiam tutelam eius administrasse proponis) hæres extitit, nec ab eo quicquam exigere prohibita est: debitum à cohæredibus eius pro besse petere non prohibetur, cùm vltra eam portionem, qua successit, portio non confundatur. Nam aduersus adultam rescindi postulas testamentum: si quidem cohæredes eius adeuntes hæreditatem, se etiam obligant. & si non soluendo constituti probentur: postulata separatione, nullum ei damnum præses prouinciæ fieri patietur.

Necessaria hìc summa interpretum vt habeatur paucis vera Imperatorum sententia. Si creditor, inquiunt, debitori succedit, pro hæreditaria parte extinguitur actio.

possuntque cohæredes pro residuo conueniri. Quòd si non sint soluendo, potest impetrari bonorum separatio. In quo suppler Baldus, ad explanandam rescripti huius hypothesim, separationem hîc intelligi de bonis patrui, vt nempe separentur à bonis cohæredum adultæ. sic ille. Prætertire autem non possum, vt loco idoneo, quod ex iure, experimentisque quotidianis, ad hanc partem obtinet. Separationis enim bonorum beneficium datum est creditoribus defuncti contra creditores hæredis, vt scilicet præferantur in bonis defuncti, rota l.1. illo tit. l.67. Si postulante, iuncta gl. in verb. vẽditis. ad Trebell. ff. & l.2. inf. dè bon. auctor. iudic. possid. Qui ramẽ si posteà viderint idonea esse bona hæredis, posse eos regredi ex iustissima ignorantiæ causa, constat ex d.l.1. §. itẽ sciendũ. Duo deinde sunt casus quib. aut statim ab initio, aut posteà nõ fit locus. Primus est, si bona ita confusa sint, & cõmixta, vt separari non possint. d.l.1. § 12. prætereà. Secũdus est, si post quinquennium petatur, d.l.1. §.13. quod dicitur. Defecit tamen in eo ius Gallicum à ciuili, & Romano. Aliud enim seruamus, & sanè optima ratione quam discere me iamdudum memini à Dom. Hereo, maioris auditorij Senatore intelligentissimo, & versatissimo. Præscriptio enim est, aiebat, at perpetua nobis Gallis ea regula, vt præscriptiones Romanæ apud nos numquam obtineant, nisi vel edicto, vel consuetudine prouinciali admissæ fuerint. sic ille. neminémque ambigere vnquam vidimus. quin &, quinquennio non modò exacto, sed quotiescumque vel post 30. annos, occasio vrserit, impetrare valeat quiuis defuncti creditor quicquid eo nomine tutandum aduersus hæredis creditores viderir. Atque ita ex facto, seruatum in instruendo longissimo illo ordine creditorum quibus, per varia tempora obligati fuerant plures Carnutum Vicedomini, vulgò dicimus, *l'ordre des creanciers, des Vidames de Chartres*. hactenus de præscriptione. Notandum præterea non creditoribus dumtaxat, sed & legatariis, separationem hanc competere, l. pen. ff. illo tit. Imò si filius, qui patri, ac posteà fratri ex secundis tabulis hæres extitit, hæreditatem patris recuset, fraternam autem retinere malit, audiri debet. Tunc enim iudex ei concedere debet separationem bonorum patris. verba ferè sunt legis, 12. Si filius. ff. de vulgari. Vnum superest quod nec tam abs re moneri hîc posse arbitror. Si enim Titius, debitor meus, hæreditatem nouam adierit, ex qua auctius longè fiat illius patrimonium, quod suffecturum, aliàs non sit propriis creditoribus, potior tamen non ero in hypotheca aduersus cæteros eiusdem debitoris mei creditores, in bonis hæreditariis recens quæsitis, quantumuis multò post me eum Titio cõtraxerint, nisi de speciali, nouóque illo iure hypothecæ sententia interuenerit, vt nimirùm mihi obligetur aduentitia ea hęreditas, quemadmodum & cætera quæ possideret ex sese Titius. At verò, & quod magis est, nec antiquior erit mihi iudicio isto hypotheca. Quod cùm proferat vnicè lex, Paulus. ff. de pignorib. confirmata ea est in hoc ipsum variis Senatusconsultis: certissimique hodie iuris est, vt iam ibi scripsimus. Addam verbum ex Baldo, quod vt ad legis istius mentem applicat, ita & ad fori quoridiana scitu dignum, decidit enim, si quid debitor creditori suo legauerit, nõ videri, animo compensandi, relictum. plura ille, eo loco.

IIDEM AA.

L. vlt.

Creditores hæreditarios aduersus legatarios non habere personalem actionem conuenit: quippe cùm euidentissimè lex duodecim tabularum hæredes huic rei faciat obnoxios.

Intellige si modò hæredes sint soluendo, secus enim si non sint, l. vlt. §. etsi præfatam. inf. de iu. deliber. Ratio, quia vt legatum delibatio est hæreditaris, ita nec debetur, nisi deducto omni ære alieno, ex ratione vulgatæ legis, subsignatum. §. bona. de verbor. signif.

TIT. XVII. EX DELICTIS DEFVNCTORVM INQVANTVM HÆREDES CONVENIANTVR.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. vn.

Post litis contestationem, eo qui vim fecit, vel concussionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, successores eius insolidum, alioquin (glo. id est, si lis contestata non sit) *inquantum ad eos peruenit, conueniri, iuris absolutissimi est: nè alieno scelere ditentur.*

Decidit hoc vnum: hæredes Rei criminis condemnati insolidum, si contestata lis fuerit, dum viueret: in quantum autem ad eos peruenit, si non contestata. Scribit in genere Io. Faber, hîc, pœnam pecuniariam non extingui, si partim corporalis, partímque pecuniaria infligenda sit. Boërius qu. 64. sequitur sententiam Bartoli, inquiens hæredem eius qui contumax pronuntiatus est, atque mulcta aliqua, ob contumaciam, condemnandus, cogi mulctam illam soluere: eúmque esse curiarum stylum per vniuersam Galliam, quia scilicèt contestatio facta intelligenda sit ex iussu, ac iudicio iudicis, reiq; fugientis mora. In quo & refellit opinionem Dyni, Alberici, ac cæterorum qui alio sensu interpretati sunt legem, ex iudiciorum. ff. de accusation. Chopinus distinguit vtrùm lis contra Reum adhuc viuum mota sit, necne. Si mota sit, teneri hæredem putat: secus si non mota. plura ille, lib. 3. cap. 1. parte 2. de priuilegiis rustic. cuius sententia recitata iam à me est ad l. quantum ff. quod met. causa. Senatus verò, seu lis mota, contestatáve sit, seu non, damnat indistinctè eiuscemodi hæredes in id tantummodò quod ad eos peruenit: imò & in maioribus illis criminibus, in quibus iudicia feruntur etiam in mortuos, purà maiestatis, hæreseos, repetundarum, de residuis, & peculatus: quod ob grauitatem glossa excipit ab legis istius vnicæ regula. dixi pariter ad l. Manichæos. sup. de hæret. Monet hîc Baldus quod valde ad nostros mores faciat, num si mortuus sit Reus ante sententiam, hæredes possint defendere, seu, vt loquimur, purgare eius memoriam: aítque casum esse vnicum in iure in l. filio. §. Seia. ff. de adimend. leg. cuius legis argumento vtitur vt dicat posse, nihil verò apud nos frequentius, neque ferè vnquam, nisi in atrocioribus, Princeps rescriptum in id necessarium denegat. quæ potissimùm clementia commẽdauit adeò priscum illum Imperator. Gordianum, vt de eo scripserit Herodianus lib. 7. nulla re magis laudatum fuisse quàm quòd iis qui se parum iusto iudicio damnatos dicerent, iterum defendendi sui potestatem faceret. Obseruandum tamen apud nos, hęredes non admitti ad purgandam innocentiam mortui, nisi eodem iure, eadémque seueritate quam præscribit Molinensis constitutio, artic. 28. contra viuum Reum: vt nimirùm mulctas priùs pecuniarias quæ ex Senatusconsulto addictæ sint, vnà cum litis impensis planè exoluant. In quo & distinctio hæc necessaria est. Si enim Reus intra quinquennium condemnationis decesserit, hæres citra vllam cõtumaciæ pœnam poterit admitti: si verò post quinquennium, non poterit, nisi soluat: vide latum in id iudicium apud Ann. Robert. lib. 1. cap. 10. rer. iudic. neque est quod conqueri debeant hæredes, aut Reus etiam ipse, si viueret. mitior enim longè nostra constitutio quàm ius ciuile, quo annus tantùm dabatur Reis ad sese sistendum, apud iudices ex eo die quo annotati fuissent: aliàs post annum bona eorum cadebant in fiscum: ita toto tit. de requir. Reis. ff. eóque sensu accipienda est lex, 22. ff. de iure fisci. vbi dicitur suspendi distractionem bonorum, parato hærede purgare innocentiam mortui. at verò & lex, milites. in fi. ff. de re milit.

TIT. XVIII. DE CONSTITVTA PECVNIA.

AVTH. SEV NOV. 115. §. ad hæc aliud.

Si quando quis pro se, vel pro alia persona pecuniam se soluere constituerit, aut spoponderit, sic dicens: satisfaciam tibi: tenetur pro quantitate quam promisit. Sin autem sic dixerit: satisfiet à me, & ab alio, illo, illíve, quos nominauit, non consentientibus, solus pro rata tantùm portione persoluet. Sin autem dixerit, satisfiet, verbo impersonaliter prolato: non tenebitur. Sin autem sic dixerit, erit tibi satisfactum aut à me aut ab alio: illo, quem nominauit, non consentiente, solus insolidum tenebitur.

Sagacitate opus est ad explorandum ex iure Romano, vsúque nostro forensi, quid cōferat ad quotidiana hîc titulus, & quid velint formulę, verbáq; impersonalia quæ distinguit Nouella hæc cōstitutio. Cōplectitur enim paucis fragmēto isto Iustinianus verā constitutæ pecuniæ rationem, & quid olim prætorē mouerit, vt eam inter personales actiones collocaret. Vt enim constitutum, seu constitutæ pecuniæ actio difinitur, conuentio qua quis respondet citra stipulationem, se soluturum quod ipse, vel alias debet, § de constituta. instit. de action. vtque oritur, contra iuris regulas, ex nudo pacto, ex quo nulla vnquam actio. vulg. l. iurisg. de pact. ita & notandum apprimè, non posse in constitutum redigi quod ex sola obligatione ciuili debetur, l. quod si maritus. §. si quis autem. iuncta & l. 11. hactenus. ff. hoc tit. sed locum habet si res sit verè, naturalique obligatione debita, veluti, si quis promittat sine stipulatione se soluturum quid filiusf. patri, vel seruus domino, ex causa mutui debeat, sic enim lex, 1 §. debitum. ff. eod. Tunc enim quia nudum pactum apponitur super debito iam naturaliter contracto, geminatáque ex eo promissio est, admisit prætor vt ex iure illo singulari nudum pactum actionem pareret. Rectissimè hoc Mysingerus ad d. §. de constituta. de actionib. tantóque vsitatius, & arctius cunstituti huius vernaculum dixerim, quanto legi Christianæ conuenientius vt, seposita omni subtilitate iuris, pacta quæcúmque nuda seruentur, maximè ita statuente Aphricano concilio, cuius fragmentum in cap. 1. de pact. lib. 1. decret. fit hoc de more in debito alieno vt dixi suprà, ostendítque plus satis tota hæc Nouella, quam interpretor. Sic egregiè equidem constitutor dicitur ἀντιφωνητὴς, Nou. 6. vsurpauitque in hoc ipsum Theophilus, ἀντιφωνεῖν, d. §. de constituta. quod nos Galli, *respondant & respondre pour quelqu'vn.* verbum & Demosthenis est, [illegible] oratio. contra Theocrinum. eò denique spectant quæ in hac Nouella, ad cuius vberiorem, faciliorémque interpretationem vide quæ ex aliis locis iuris, atque ex Senatusconsultis redegi ad l. 12. Si verò non remunerandi. §. cum quidam, ff. mand. Aliud enim est constitutum, quale hodie vsurpamus, cùm venditor, donator, aut qui alio quouis nudo concedit, rem quam ipse vendit, donat, aut aliter concedit, sese constituit possidere simpliciter, vel precario eius nomine cui res conceditur. Modus nempe est fictus à lege, quo transfertur possessio sine alia quacúmque rei traditione. Obseruabitúrque in eo, vt si sit simplex constitutum sine precario, tunc transferatur possessio ciuilis, & naturalis, quæcúmque illa sit, nihilque remaneat penes constituentem præter nudam, & simplicem detentionem. Si verò sit constitutum cum precario, tunc possessio tantùm ciuilis transfertur, naturalis autem penes constituentem remanet. Seruatur hoc maximè in retentione vsusfructus. naturalis enim possessio remanet penes eum qui vsumfr. retinet. latè ista Tiraquellus, tractatu de iure constituti possessorii, in princip. & num. 4. rursúsque in noua limitatione, nu. 11. & 12. plura non dicam, assecutus, vt spero, quod instituti semper mei est, delibato nempe ex scholasticis pulpitis quod ad fori nostri trituras conducat.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 2.

Receptitia actione cessante, quæ solennibus verbis composita, inusitato recessit vestigio, constitutæ pecuniæ naturam sic ampliamus, vt cùm in his tantùm casibus à veteribus conclusa esset qui pondere, numero, mensura consistunt, in aliis autem rebus nullam haberet communionem, &c. hac apertissima lege definimus, vt liceat omnibus constituere, non solùm res quæ pondere, numero, mensura consistunt, sed etiam alias omnes siue mobiles, siue immobiles, siue se mouentes, siue instrumenta vel alias quascumque res, quas in stipulationem possunt homines deducere, &c. sit & ipsa in tali vita mensura, in qua omnes personales actiones positæ sunt, id est in annorum metis triginta: & liceat pro debito purè, vel in diem, vel sub conditione constitui: &c. vt neque receptitiæ actionis, neque alio indigeat respublica in huiusmodi casibus adminiculo. sed sit pecuniæ constitutæ actio per nostram constitutionem sibi in omnia sufficiens: ita tamen vt hoc ei inhæreat: vt pro iam debito fiat constitutum, &c. Vt non erubescat igitur tale legum iurgium: hoc tantummodò constituatur quod debitum est: & omnia quæ de receptitia in diuersis libris legumlatorum posita sunt, aboleantur, &c. Et neminem moueat quod sub nomine pecuniæ etiam omnes res exigi definiamus: cùm & in antiquis libris prudentium, licèt constituta pecunia nominabatur, tamẽ non pecuniæ tantùm per eam exigebantur, sed omnes res quæ pondere, numero, mensura constitutæ erant. Sed & possibile est omnes res in pecuniam conuerti, &c. Sed vt subtilitati eorum satisfiat, qui non sensum, sed vana nominum vocabula amplecti desiderant: ita omnes res veniant in constitutam actionem, tanquam si fuisset ipsa pecunia constituta, cùm etiam veteres pecuniæ appellatione omnes res significari definiant, &c. His videlicet quæ argẽti distractores, & alij negotiatores indefensè constituerint, in sua firmitate, secundum morem vsque adhuc obtinentem, durantibus.

Vetè ista ex quinquaginta decisionibus Iustiniani. decîdit enim veterum Iurisconsultorum iurgia ad quæstionem constitutæ pecuniæ, receptitiæque actionis, quam totam deinceps in constitutũ transmittit, itaut nec nomine, nec vsu vllo posteà audiatur. Planè enim constitutæ pecuniæ actio in locum illius successit. Baldus autem vult totum id referri maximè ad mensarios, seu trapezitas nummularios, mercatores denique vniuersos, inter quos desideratur præ omnibus bona fides, vt iam notaui ad tit. de ed. ff. vide, si lubet, quid amplius scribat ad l. frustrà. infr. de non num. pecun. & ad Rubricam huius tituli, ad quam & notat fuisse se mercatorum, nummulariorúmque patronum. *Quia,* inquit *aduocatus sum artis mercantiæ, ideo ponam hic super rubrica, quamdam summulam quæ propriè respicit facta mercatorum, ipsi enim magis vtuntur ista materia constituendi se solutores pro seipsis, & aliis, quàm aliquod aliud genus.* Posteà adijcit de trapezitis illis nummularius, (dicimus, *Banquiers changeurs*) quorum opera, cura, & fide vtuntur qui eis pecunias

in vna ciuitate numerant,literásque ab eis ipsis accipiunt ad trapezitas alios alia in ciuitate degentes,quibus lectis,aut statim, aut paulò pòst renumeretur summa ferenti eadem quæ primo trapezitæ data fuerat:decē dierum spatium,ait Salicetus hîc post Bartolum, si de citeriori,vel longiori conuentū nō fit. fidem enim præcipuè ab eiusmodi argenti distractoribus,& negotiatoribus seruandam scribit ad d.l.frustra. de nō numer. pecu.meminique laudatam hanc Baldi sententiam à Fr. Thomæo solerti patrono,in causa mercatorum Lugdunensium, quibus aderat, vt mutuæ inter eos fidei obligationem tantò maiorem esse oportere ostenderet, vbi de alternatis nummis, seu cambiis, versuris faciendis,déque cætera omni argentariæ parte agitur,vocant vulgò,*changes,rechanges,& vireparties*: mulctaráque est proinde seuero iudicio perfidia mercatoris qui fidem in eo genere fefellerat,causa acta est ano. 1588. die 17. Iunij, Thomæo, vt dixi, & Ant. Arnaldo,apud interiorem maioris auditorij consessum, perorantibus.

Et neminem moueat quòd sub nomine pecuniæ, etiam omnes res exigi definiamus.

Huc spectant omnino duæ leges tituli de verb.signific.lex, pecuniæ. 48. & lex, pecuniæ.222. Pecuniæ verbum, inquiunt ibi Vlp. & Hermogenianus, non tantùm numeratam pecuniā complectitur, sed etiā omnem omninò pecuniam,hoc est omnia corpora. Nam corpora quoque, id est, omnes res tam soli, quam nobiles & iura pecuniæ appellatione contineri nemo est qui ambigat. sic illi. longéque anteà Cicero, in Topic.in quo tamen nè quis cæcutiat,aliud esset si quis legaret omnem suam pecuniam Mæuio, soli enim nummi legari intelliguntur,l.Titio.quando dies legatorum.l.pater inter filios.de adimend.leg.ff.& similibus.res enim tam clara vt probatione non egeat. protulitque Iustinianus significationem vocis, ex eo quod obtinuerat perlatam, priscámque significationem quę duobus textibus, quorum verba exscripsi,traditur,vt nè qua ex eo, ad nouam suam decisionem,fieret,controuersia. Notabo autem nec abs in quo noster idiotismus Gallicus singulare quippiam habeat quod non ita ex solito loquendi Iurisconsultorum more,vel in eadem sermonis formula. Si enim testator Romanus legasset aurum,vel argentum, discimus ex l.20.cùm aurum.de auro & arg.leg. legato contineri quicquid auri,argentíque factum, infectúmve esset: pecuniam autem signatam non contineri. Secus verò apud nos,nostróque in hoc ipsum loquēdi vsu vernaculo. Nam quisquis legaret in hæc verba: *ie donne, & legue à Titius tout mon or, & argent*: vel vt latinè efferam:dono,ac lego Titio, meum omne aurum, & argentum: legatum illud solam pecuniam signatam includeret:vasa autem aurea,vel argentea,non. Quod si etiam legaret in hæc verba: *Ie legue tout mon argent faict*, id est, lego omne meum aurum factum: legatarius ex recepta apud nos verborum significatione, nihil præter nummos poterit petere. Iure autem Romano deberentur vasa argentea:nec verò nummi, signatáve pecunia. Sic nempe eædem voces,tametsi translatæ,eductæq; ex Græcis, latinisq; fontibus,varium inter populos,diuersúmque effectum accipiunt.palámque id fit maximè ex idiotismis hodie Italis, quibus frequentissimè vox quæ ab aliis accepta sit, aut etiam ex priscis,celeberrimísque illis Romanis seruata, contrarium significatum obtinet.In hoc desinam,si tamen dixero,dari ab ipsomet Imperatore rationem, cur tam lata,fusa,largáque significatione pecuniæ verbum velit hoc textu ad omnia omnino corpora tam mobilia,quàm immobilia,ac iura etiam porrigi, quia scilicet, inquit, *possibile est omnes res in pecuniam conuerti.* vt scribit Iurisc. in l. 43. si ita fideiussorem. de fideiussorib.res omnes per pecuniam æstimationem recipere. Indéque fœliciter cessit Saliceto inter adipata varia quæ hîc consarcinat, vt velut subseret dictum elegans, *nummum* videlicet *futuræ necessitatis sponsorem esse*. Sic verò proculus in l. 77. Si chorus.§.1.de legat. 3.audiisse se aiebat *rusticos senes ita dicentes,pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium appellantes quod præsidij causa seponeretur.*

His videlicèt quæ argenti distractores, & alij negotiatores indefensè constituerint, &c.

Quotidianum hoc ad statuta artificum, mercatorum, vniuersitarúmque, & corporum, de quibus supersedebo plura adijcere, cùm longissimum de eo ipso scholium scripserim ad l. vlt. sup. de iurisdict. omn. iud. præter aliud etiam quod reperies ad tit. quo d cuiúsque vniuersit. ff. Quia autem dictio *indefensè*, in hoc textu remorari possit sagaciores, sic Cuiacius hîc in postumis: *Indefensè, id est, ita ut nulla exceptione se tueri possint.* Cæterum de inani eorũ pertinacia qui non sensum, sed vana nominum vocabula amplecti subtilitate nimia desiderant, cùm iam sat multa dixerim ad l. insulam. de præscr. verb. ad l. in ambigua. & ad l. contra legem. de legib. ff. succurrit κατ πλεονασμὸν, & peropportunè quod apud D. Hilarium, lib. 4. de Trinitate: *Intelligentia dictorum*, ait, *ex causis est adsumenda dicendi. quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus.* Sic & Macrobius lib. 1. cap. 5. Saturnal. vt commonstret qua prudentia loquendum sit verbis receptis vulgatis, ac præsentibus, nec verò ex antiqua forsan eorum origine, laudat in hoc Iullij Cæsaris, ex primo analogiæ libro, qui perijt, testimonium.

IDEM A.

L. 3.

Diui Hadriani epistolam, quæ de periculo diuidendo inter mandatores, & fideiussores loquitur, locum habere in his etiam qui pecunias pro aliis simul constituunt, necessarium est. Æquitatis enim ratio diuersas species actionis excludere nullo modo debet.

Duo hinc elici consueuerunt: alterũ de diuisa obligatione inter fideiussores. de qua vt adiungi solet authentica, præsente. de fideiussorib. inf. imò lex, si non singuli. sup. si cert. pet. & lex, Reos. §. cùm tabulis. de duob. Reis, vana tamen hodie, irritáque sunt eiusmodi de diuisione, ordine, discussionéque bonorum, rescripta Imperatorum, Iurisconsultorúmque responsa, ob quotidianum tabellionum nostrorum stylum, qui numquam omittunt renuntiare fideiussores beneficio ordinis, diuisionis, & discussionis: addúntq; non pauci renuntiationẽ factam ab eodem fideiussore authenticæ, præsente. & epistolæ, diui Hadriani. in quo & festiuæ etiã sunt plærúmque tabellionum rusticorum ineptiæ aliud pro alio scriptitantium. Alterum verò quod legem hanc vulgatam efficit, est ex regula iuris, qua, in fine statuit Imperator communicandum esse diuisionis beneficium constituturi, perinde ac fideiussori, cùm sit eadem æquitatis ratio. dici enim solet ex eo, idem esse ius vbi eadem ratio: quæ regula variis locis in iure funditur, sic enim in l. illud. ad l. Aquil. in l. vlt. ad l. Falcid. l. seruus. in fin. de in rem verso. l. in lege censoria. vers. Itémque de seruis. de verb. sign. ff. & in l. vlt. inf. de fideicommiss. Imò ait Baldus ad l. de quibus. ff. de legib. vbi eadem ratio est, non dicitur fieri extensio de vno ad aliud. sunt eius verba. Amplius docent Alexander, consil. 75. lib. 1. & Iason consil. 63. circa princ. col. 4. lib. 3. Cùm enim in pluribus casibus eadem ratio est, sufficit illa ad decisionem omnium, quemadmodum dicimus sub vno eodémque genere compræhendi plures species. nec abs re propterea hîc fuerit locus D. Augustini, scribentis lib. 2. de ordine ro. 1. *rationem esse motionem mentis ad ea quæ discutiuntur connectenda, aut distinguenda.* Tanti ea est, vt, cùm eligat semper quod optimum, ait Cic. 1. & 5. Tuscul. dicere soleamus, & ita etiam fert vsus, ius Romanum admitti in curiis, supremísque tribunalibus Principum, non pro auctoritate, sed pro ratione. Vide in hoc plura, si lubet, apud Bald. in cap. 1. §. iniuria. de pace & iuram. firman. maximè verò id in Imperio Francico, vbi ita seruari indies cernimus.

TIT. XIX. DE PROBATIONIBVS.

Quia fuso iam commentario materiam probationum discussi ad hunc eumdem titu. ff. concîdam ad leges quæ sequuntur quod agitatum anteà compererim: tantúmq; immorabor iis quæ nondum ad Pandectas disquisita, explicatáque fuerint, sepositis etiam cæteris quæ minus ad forum, quæque abrogata, edictis Francicis, cuiusmodi est lex, 12. Cùm res. hoc tit. cuius hodie decisio ad centum librarum Francicarum probationem testimonialem coërcenda est: aut denique in quibus dubitandi locus non videbitur. Eiusmodi sunt plures, atque inter cæteras, lex 1.2.11.19. imò & vlt. agentem repellẽdum statuunt nisi, vnde petitionem suam probaturus sit, habeat. Quis vnquam hoc neget? Dictat enim hoc ipsum ratio sine lege: factíque magis quàm iuris mouere autem quæstiones alienas ab hypothesi, & quasi cogitare intermundia Epicuri, stultus mihi videtur labor, &c, quod dixit epigrammatographus, *difficiles nugæ.* in quibus tamẽ plus æquo nimios interpretes reperio. similes alias prætermitto, vt incipiam à lege 3. quippe valde necessaria ad forum.

IMP. ALEXANDER.

L. 3.

Ex persona collegæ aui vestri conueniri non debetis si eumdem collegam tempore depositi officij, soluendo fuisse ostenderitis.

Componenda omnino lex 1. inf. de diuid. tut cuius hæc verba: ***Si post finitum administrationis officium collegæ tui indemnitati præstandæ idonei fuerint: vitium alienæ cessationis ad dispendium tuũ pertinere, iuris ratio non patitur.*** Frequẽtior autẽ lex ista tertia patronis: allegarique semper solita est, vbi de duobus tutoribus agitur qui coniunctim, indiuisáque ac promiscua administratione, versantur in curandis rebus pupillaribus. Vbi enim ex dispunctis, redditisque rationibus ambo tutores reliqua traxerint, tũc, si eorum alteruter, tempore depositi tutorij muneris, soluendo fuerit, id est, cùm redditæ sunt rationes, atque ad purum redactæ, (vulgò dicimus, ***apres que le compte est clos, apparé, & affiné***) sibi imputare debet minor qui per supinam suam negligentiam sustinuit in plures annos æris istius alieni persecutionem, ita ut lapsus sit intereà facultatibus, qui præsenti pecunia exoluere partem suam poterat. de vitili enim tantùm alter tenebitur, hac l. 3. & d. l. 1. de diuid. tut. vulgatum ex auctore classico, ***bona nomina persæpe non appellando fieri mala.*** Verba etiam legis, pupillus. ff. quæ in fr. credit. hæc sunt: ***si cæteri creditores neglexerint exactionem, & intereà res deterior facta sit, vel mortalitate, vel subductũ rebus mobilibus, vel rebus solo ad irritum perductis: sua negligentia expensum ferre debent.*** mera hæc est æquitas, quæ ad similia sexcenta porrigitur. eo enim iure etiam vtimur vbi quis nomen, debitúmque aliquod cedit alicui tam securo, ac ignauo, vt cùm debitor esset soluendo, tempore cessionis, factus posteà sit minus soluendo, imò euersus bonis quando in eum ex cessione agitur. sic verò in nominatoribus tutorum, qui ex iure ciuili obligabantur minori cui tutor grande æs alienum ex tutelę suæ administratione deberet. satis enim nominatori qui in subsidium conuenitur, si tutorem, tempore depositi officij, potuisse exoluere reliqua doceat. eo sensu accipienda est lex 4. cùm ostendimus. §. fideiussores. ff. de fideiussoribus, & nominatoribus, & hæredibus tutorum, & nominatorum. Explosum tamen est iurisprudentia nostra Gallica quicquid & lege illa 3. & toto tit. de magistratibus conueniendis statuitur tam in nominatores tutorum, quàm in iudices, quibus Sacramentum à tutore præstitum est: imò & si tutor, cùm nominatur, minus soluendo sit. ita nim iudicatum ann. 1600. die 14. Decembr. in maiore auditorio, inter Florent. Ioubert, appellatum, & Iac. Dupré, &c. appellatorẽ. lõgè autẽ anteà pronuntiatum & hoc ipsum fuerat in purpuris à D. Brissonio, ann. 1587. pridie Assumptionis. scripseram in lite, pro Poupardino,

Bituricensi. Sola ferè hodie Armorica seruat adeò contrarium, quoad iudices qui iussiur. à tutoribus exigunt, vt in illius perscriptis moribus statuat, artic. 484. cõsuet. nouæ, in hæc v rba: *Si le mineur n'est prouueu de tuteur, ou curateur, iustice l'en doit prouuoir: laquelle en cas de defaut en sera responsable, & des cautions non solvables qu'elle auroit receuës.* Aliud, vt dixi, seruamus in ea parte Galliæ quæ moribus regitur, solúsque tituli illius de magistratibus conueniendis, vsus est in quæstoribus, susceptoribúsque ærariis. vide quæ notaui ad l. 50. Tutores. ff. loc. Quæsitum est de curatoribus bonis datis, quos commissarios dicimus. sed vt nè nodum quæramus diuriùs in scirpo, quod ait Comicus, sequimur doctrinam Molinæi ad consuetud. Paris. § 6. glo. 6. num. 36. vt scilicèt indistinctè teneantur singuli in solidum, citárque in id duos singulares textus, alterum in l. 2. in fin. alterum in l. 3. ff. de curato. bonis dando. Mouet Paulus Castrensis quæstionem de duobus fideiussoribus, quorum alter sit non soluendo. vult enim spectari eo casu tempus litis contestatæ, quo si soluendo alter non sit, alter teneatur in solidum, ex l. inter eos. § 1. ff. de fideiussorib. cur autem diuersum statuatur in tutoribus, in quibus spectatur tempus depositi officij, ita subijcit: Tutores, ait, gerunt officium necessarium, ideóque mitius cũ eis agitur, vt sæpe sufficiat, fuisse alterutrũ soluẽdo tempore depositæ tutelæ: fideiussores verò sponte se obligant. Proinde satis non est fuisse olim omnes soluendo, si tempore litis contestatæ aliquis eorum non sit. Sed vana etiam hodie hæc quæstio ob solitum tabellionum morem, ac stylum, qui nunquam fideiussores instrumentis suis inscribunt quin statim, eadémque serie calami obligationem insolidum adijciant. nihil apud cæteros interpretes, quod hîc recenseri mereatur. transit siccopede Cuiacius in postumis.

IDEM A.

L. 4.

Proprietatis dominium non tantùm instrumento emptionis, sed & quibuscúmque aliis legitimis probationibus ostenditur.

Glossa refert inter legitimas probationes, famam consentientẽ. Matth. verò Afflict. Senator Neapolitanus, decis. 337. vult famam inducere plenam probationem cum vno teste in ciuilibus: Baldus verò, *vel saltem*, ait, *vehemens adminiculum.* censetq; propterea optimum esse, dum famæ causa redditur, connotare coniecturas, nè ex abrupto nata videatur, vt vana quædam vox plebeculæ. coadiuuat probationem, inquiunt Bartolus, & Paulus Castrens. non probat. quod intellige de publica illa voce, ac opinione quę in hoc vel illud dominium insedit, per longos annos, animis vicinorum. Quæstionem agito ad l. 28. cùm mater. ff. de inoff. testam. ad quam videbis. Aliò enim spectat quod de vago rumore apud Hieronymum. *Multum in vtrámque partem crebrò fama mentitur*, ait ille *ad Rufinum, & tam de bonis mala, quàm de malis bona falsò rumore concelebrat.* Eleganter verò etiam in hoc ipsum Quintus Curtius, lib. 9. *Numquam ad liquidum fama perducitur. Omnia, illa tradente, maiora sunt vero.* Ista scilicet, vt dixi, de solito inopinæ famæ comitatu. Secus autem in famæ acceptione in hoc textu. Secus præterea in fama antiqua, vt qua probentur, de more, vetera dominia, & quorum origo excedit hominum memoriam: quod maximè in territoriis, ac vniuersitate patrimonij regum Comitum, & Ciuitatum. ita rursus Baldus ad hanc l. quem & sequitur Paulus Castr. *fama probat*, inquit, *si agatur de antiquissimo castri dominio.* aut, vt melius Bartolus, inducit titulum putatiuum, qui sufficit ad præscriptionem. sunt eius verba, in quibus ad verum rescripti istius intellectum desino.

Imp. Philippvs. et Philippvs Cæs.

L. 5.

Instrumenta domestica, seu priuata testatio, seu adnotatio, si non alijs quoque adminiculis adiuuentur, ad probationem sola non sufficiunt.

Iidem A. et Cæs.

L. 6.

Rationes defuncti, quæ in bonis eius inueniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis, solas sufficere non posse sæpe rescriptum est.

Avth. sev Nov. 48. §. vlt.

Quod obtinet omnimodo, si testator non iurauerit, alioquin hæredes necesse habent testatoris religioni stare, aut minimè fruentur his quæ relicta sunt, sed creditoribus nihil in hoc præiudicij comparabitur.

Imp. Galienvs.

L. 7.

Exemplo perniciosum est, vt ei scripturæ credatur, qua sibi vnusquisque adnotatione propria debitorem constituit. vnde neque fiscum, neque alium quemlibet, ex suis subnotationibus, debiti probationem præbere debet.

Quatuor hi textus tria complectuntur de quibus iam aliis locis dixi ferè quod satis. Quantum enim ad domestica instrumenta, & librorum rationes, seu expensilationes, vt hîc obseruat Cuiacius ex Agellio libr. 14. cap. 2. fusum commentarium reperies ad l. 1. sup. de ed. seruamus doctrinam Molinæi ad consuet. Paris. § 5. nu. 61. vbi docet scripturam merè priuatam nullum gradum probationis facere: atque hoc, ait ille, licèt sit antiquissima. Si tamen, vt subijcit, proferatur ex loco non suspecto, putà ex archiuo publico, factura quidem est aliquod indiciũ, sed arbitrio iudicis, & prout ex cæteris litis aptè compositæ, ac instructæ partibus, viderit. De iureiurando autem testatoris, cui stare hæredes vult Iustinianus D. Auth. quod obtinet. componendi sunt necessariò duo singulares, §. §. qui perspicuè hoc explicant: alter est in l. pen. Lucius. §. 10. de legat. 2. cuius hæc verba: *Quisquis mihi hæres erit, sciat deberé me Demetrio, patruo meo, denaria tria, & depositа apud me, & à Saleuco, patruo meo, denaria tria, quæ etiam protinus reddi, & solui eis iubeo. Quæsitum est an si non deberentur, actio esset. Respondi si non deberentur, nullam quasi ex debito actionẽ esse, sed ex fideicõmisso.* Alter est *in l. 37. cum quis decedens. §. Codicillis. de leg. 3.* cuius etiã adscribẽda hîc verba sunt: *Codicillis ita scripsit.* Βούλομαι πάντα τὰ ὑποτεταγμένα κύρια εἶναι. Μαξίμῳ τῷ κυρίῳ μου δηνάρια μυρία πεντακισχίλια, ἅτινα ἔλαβον παρακαταθήκην παρὰ τοῦ θείου αὐτοῦ Ἰουλίου Μαξίμου, ἵνα αὐτῷ ἀνδρωθέντι ἀποδώσω: ἃ γίνονται σὺν τόκῳ τρεῖς μυ-

εἶναι, ἀποδοθῆναι αὐτῷ βούλομαι. οὕτω γὰρ τῷ θείῳ αὐτοῦ ὤμοσα. Id est, *volo omnia quæ subiecta sunt, firmitatem obtinere. maximo domino meo denarsûm quindecim milia, quæ depositi nomine à Iullio maximo, patruo eius, accepi, vt illi, cùm in virum prouectus esset, restituerem : vt maximè cum vsuris, in triginta milia excurrant, ei restitui volo.* Sic enim patruo eius iuraui. *Quæsitum est an ad depositam pecuniam petendam sufficiant verba codicillorum, cùm hæc solam, nec aliam vllam probationem habeat. Respondi, ex his quæ proponerentur, scilicèt cùm iusiurandum dedisse super his testator affirmauit, credenda est scriptura,* (gl. ab hæredibus tantùm.) sic etiam Aufrerius ad q. 212. decis. cap. Tolos. huiusmodi verba, inquit, non probant quidem actum testamento enunciatum, sed nihilominus inducũt legatum vel hæredis institutionem, prout concepta sunt. sic ille. facitque optimè quod de filio pio scribit D. Augustinus, libro de vita, & moribus clericorum. tom. 1. *Credatur patri meo quia moriens mentiri non potuit.* Lex autem prima, inf. de falsa causa adiecta legato, vel fideicommisso, dat exceptionem quę nec omittenda hîc: *nisi liquidò* (ait d. lex 1.) *probari possit testatorem errore lapsum ita existimasse.* Notabo præterea obiter ad d. §. Codicillis. duarum pietatum coniecturam ex vna eadémque serie verborum illius §. certatim concurrere. alteram ex persona testatoris erga filium patroni, adhuc adolescentem, aut etiam adolescentulum, vt verisimile est, quem affectu antiquo, ac seruili, vocat testator dominum suum, memor accepti à patre beneficii, quia scilicet libertate ab eo donatus fuisset. Altera verò coniectura est affectus, quasi paterni, quo ferebatur patruus ille erga adolescentulum illum, eius nepotem ex fratre, quem nec minus credibile est rogasse libertum illum testatorem, vt aliquid ei relinqueret. in quo haud abs re equidem recenseri & hîc possit dictum elegans simplicii, ad Epictetum, cùm dat rationem cur patrui vocentur à Græcis, θεῖοι, διαλεχθέντες, inquit, τὴν θείαν ὑπεροχὴν, τοὺς μὲν γονέων ἀδελφοὺς, θείους ἐκάλεσαν, ἐνδεικνύμενοι τὴν τάξιν, ἣν τοὺς γονέας ἔχειν πρὸς τοὺς παῖδας, τοὺς ἑαυτῶν ὑπελάμβανον. Id est, fratres parentum vocarunt patruos, obseruata religiosè diuina honoris præcipui prærogatiua qui, ordine, post patrem, debetur patruis, &c.

Unde neque fiscum, &c.

Sic in l. vlt. inf. de conueniend. fisci debitoribus, lib. 10. *Inter chartulas confiscati breuis quidam asseueratur iuuentus, qui nomina continebat debitorum, seu contractuum, cùm tamen neque testibus credita pecunia probetur, neque cautionibus ea quæ breui inserta sunt, ostenduntur : iniquum esse perspeximus vt sub propria annotationis manu vnusquisque sibi faciat debitorem.* Cuiacius ad eum locum: Breues, ait, breuia, breuicula, sunt chartulæ, siue libelli breues. sic ille, vocamus nos Galli, *breuets, & petits memoires.* Valent denique eiusce modi schidæ vbi de peculatu, alióve quouis crimine agitur, vt videmus introiri confestim ædes eius qui delatus est inter Reos, indagarique penitiores earum recessus, obseruari autem, vel ad arculas vsque muliebres, chartas, chartulas, breuicula, quæcúmque illa sint, imò & efferri ab quęsitoribus, aut signacula feris ostiorum imprimi, nè amoueatur quippiam. hoc maximè in quæstores ærarios, in fœneratores, si, vt aliquando fit, aperta, iussáque sit ex Rege, criminosa actio: præ omnibus verò istud in maiestatis Reos. Sæpe enim ex his longè maior, promptiórque, quàm ex notoriis, seu elogiis, (informationes vocant) conuictio.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM. MARCIANÆ.

L. 9.

Cùm te minorem quinque, & viginti annis esse proponas, adire præsidem prouinciæ debes, & de ea ætate probare.

De facti ergo sola quæstione rescribunt Imperatores, vtrùm scilicèt minor sit Marciana ista cui rescribitur, itaut consilium sit magis quàm decisio: probandam nempe minorem ætatem. Tamen vt quotidianum hoc, dicam paucis: Probatur enim ætas

vt plurimùm quatuor modis: Primus est ex aspectu. sed quàm incertà, mendáxque illa sit probatio, attingo ad l. minor 25. annis, ex aspectu. de minorib. ff. nec abs re hîc quod à domino nostro in sacris literis: putabat enim Verperum execranda illa fæx natum esse annos quinquaginta, cùm tricesimumtertium dumtaxat annum ageret. Secundus est ex natiuitatis scriptura, seu ἐκ παιδογραφιῶν, vt apud Modestinum, in l. 2. ff. de excusation. tutor. nempe si pater libro suo inscripserit, vt fit de more, quo anno, quo mense, & die natus, natáve sit ei, filius, aut filia, & qui eos de sacro fonte susceperint: patrinos, patrinásque dicimus. facit eiusmodi libet plenam fidē. Tertius per testes: de quo vide omninò quæ scripsi ad l. de ætate. ff. de minorib. Quartus ex professione facta apud curionem patræcum, qui intinxerit, seu baptizauerit: de quo eùm variis iam locis dixerim, ad l. etiam. ad l. eùm de ætate. de probationib. ad l. 4. quod cum eo. ff. & ad titu. si minor se maior. dix. inf. sustinebo calamum, nec vlteriùs progrediar.

IIDEM AA.

L. 10.

Neque natales tui, neque honores quibus te functum esse commemoras, idoneam probationem, pro filia tua ingenuitate continent: cùm nihil prohibeat & te ingenuum, & eam ancillam esse.

IIDEM AA.

Non epistolis necessitudo consanguinitatis, sed natalibus, vel adoptionis solennitate coniungitur: nec aduersus absentem hæreditatis diuidendæ gratiam, velut contra fratrem pro ancilla petitus arbiter, substantia perimit veritatem. Siue itaque quasi ad sororem, quam ancillam te posse probare confidis, epistolam emisisti: siue familiæ herciscundæ, quasi pro hærede petitus arbiter doceatur, fraternitatis quæstio per hæc tolli non potuit.

IIDEM AA.

L. 14.

Non nudis asseuerationibus, nec ementita professione, (licèt vtrique consentiant) sed matrimonio legitimo concepti, vel adoptione solenni filij, ciuili iure patri constituuntur. Si itáque hunc, contra quem supplicas, alienum esse probare confidis: per te, vel per procuratorem, adfirmationem eius detege.

Componendæ duæ leges, lex, neque professio. de testam. lex, si pater. de hæred. instit. inf. Vide etiam quæ adieci ad l. filium quem. ff. de his qui sunt sui. ad probationem natalium, seu, vt barbarè interpretes, filiationis. Vt autem ad tria hæc rescripta quæ disiungi non debuerunt, explicem paucis quid ex textu, ac decisionibus quotidianis: Notabitur primùm quod glossa rectissimè ad d. l. neque natales. verbum nempe, *natales*, eo loco, intelligi de scriptura natiuitatis alicuius, quam aliàs παιδογραφίας, vocat

vocat Modestinus, vt ad l. superiorem docui. Colligit etiam eadem glossa verissimè ad d.l. nõ epistolis. epistolas probare nõ plenè, sed semiplenè, itaut iunctæ cum cæteris, ad natalium probationem, adminiculis, multùm conferant. Quantùm ad asseuerationes, de quibus in d. l. non nudis. distinguendæ sunt epistolæ ab instrumentis dotalibus, vt quibus nihil fit, inter conuentiones humanas, augustius, tenacius, diuinius. mutari propterea nunquam possunt constante matrimonio, nè quidem consensu vtriúsque coniugis, vt ostendo ad tir. de pact. dot. ff. & quod illicitum alio quouis contractu est, isto κατ' ἐξοχὴν, καὶ καθ' ὑπεροχὴν fit perinde licitum, ac si, toto iure teste, trãsactum fuisset. πολυδίκτης, vno verbo contractus ille est, vt de stipulatione dixit Cuiacius. Et cùm quæsitum fuisset in senatu, an. 1582. vtrùm nepotes legitimi eius qui dotali instrumento filium naturalem appellauerat filium suum legitimum, cogi deberent, necne, liberos ex eo matrimonio ad portionem bonorum aui hæreditariam admittere, ob aui illius dolosam assertionem, pronuntiatum est in purpuris, eod. an. 1582. prid. assumptionis, cogendos esse. Recenset iudicium Chopinus ad consuetud. Andens. lib. 3. cap. 3. tit. 2. in fine. Celebrémque rursus controuersiam agitat Robertus lib. 2. cap. 18. qua tandem eò recidit, vt vindiciæ auitæ hæreditatis secundum eiuscemodi liberos filii naturalis, qui nominatus legitimus tabulis connubialibus fuerat, dictæ fuintan. 1592. die 28. Iull. Cæsaroduni Turonum, tebellante Lutetia: perorabant Lud. Buissonius, & Ant. Arnaldus. Iudicatum verò & hoc ipsum insuper in maiore auditorio, an. 1598. si beoè memini, causam agente Dion. Butillerio: nihilque hodie indubitatius. Tamen ne fallatur quis, Senatusconsulta illa dolum dumtaxat, insidiosásque patris naturalis asseuerationes vindicant, maculam naturalem non eluunt: nec propterea in hypothesi quam refert Chopinus, admissum est quicquam à Senatu quod statum legitimi nominis notho assereret, aut vnde haud foret deinceps illegitimus. Priuato denique non licet. adumbrare veritatem imagine naturæ, legitimúmq; sola sua asseueratione efficere qui non sit: duóque rantummodò sunt casus apud nos quibus naturales fiant legitimi, alter per subsequens matrimonium: alter per rescriptum Principis quod discussum, exploratum, confirmatúmq; sit supremo decuriæ ratiociniotum iudicio, vt latiùs ad tit. de adoptionib. ff. interpretor. Donare autẽ potest pater naturalis sua omnia mobilia, imò & quæstus naturali filio: ita censuit ordo amplissimus duobus iudiciis scitu dignissimis, anno scilicet 1579. die 14. April. inter nothum equitis, de Pouilly, ipsiúsque varios hæredes à latere (meminit Chopinus. sed archetypum habeo ex actis ipsis entiæ.) rursúsq; ann. 1618. die 25. Maij, in maiore auditorio, inter Ægidium le Maistre, dominum de Ferrieres, & Claudiam Picard, matrem, ac tutricem filiorum naturalium Ioannis le Maistre. perorabant Per. Mauguinius, & Pet. Chamillart. causæ interfui. Imò & confirmata est celebri etiam Senatusconsulto quod, vt alia duo, quæ recenseo suprà, penes me est, donatio mobilium, immobiliúmque omnium facta à matre naturali, notho suo, an. 1584. die 27. Martij. sed manente nihilominus, ac inhærente, quasi striata in statua, obliquorum natalium næuo, nisi secutum sit cum concubina matrimonium, aut nisi Princeps rescripserit, vt dixi suprà. In quo & Romanus ipse Pontifex tertiam velut sibi tribuit legitimationis speciem. nisi enim illegitimus cui confertur beneficium ecclesiasticum, enuntiauerit ex veris statum natalium, itaut pontifex, cui naturale istud vitium panditur, gratiam obtinendi, fruendi beneficij faciat, irrita, nulliúsque momenti collatio est, eóque iute indies vtimur.

IIDEM AA.

L. 12.

Cùm res non instrumentis gerantur, sed in hac rei gesta testimonium conferatur: factam emptionem: & in vacuam possessionem inductum patrem tuum, pretiúmque numeratum, quibus potes iure proditis probationibus docere debes.

Coërcita hodie est apud nos legis istius decisio ad centum librarum Franeiearum probationem, art. 54. edicti Molinens. nisi vel tantillùm ex scripto affecta sit probatio. factum id vt præcludantur tantò magis falsitatibus audendis, quarum seges amplior, artes redemptorũ testium exitiosissimæ. scripsi de his ad pandectas, & suprà, quod sit satis. Attingam obiter docere fusissimè Boëtium, q. 281. procuratione ad agendum, probari non tantùm per instrumenta, vel literas, seu per epistolam, sed etiam per testes, atque ita seruari in Gallia, maximè inter mercatores, vt scilicèt institori misso eum mandato domini per prouincias credatur, si modò ostendat exemplum instrumenti procuratorij subsignati à notario penes quem archetypum, seu originale manserit.

IIDEM AA.

L. 16.

Siue possidetis prædia, quæ à patre communi sibi fratres emancipati donata contendentes, vindicant: ipsis incumbit probationis necessitas. siue ipsis ea prædia quasi à patre vestro sibi donata tenentibus, vos cohæredes constituti patris petitis vt intentionem vestram non constitisse detegant vnde domini facti sunt, emergente quæstione, docere compelluntur.

Iure equidem Paulus Castrens. famosam hanc l. scribit, & vtilem, vt qua diei soleat, in foro, præsumi semper continuatum dominium à patre in filium, & in genere, à defuncto in hæredem, quali priùs possessione, & iure defunctus ille habuerat. Inde etiam dicimus, probatis primis, atque extremis possessionum temporibus, præsumi media. Plus ait Castrensis: dominum nempe præsumi, vsque ad mortem, qui semel probatus sit dominus. lege illa continuatæ possessionis constant vbique gentium non priuata modò, sed publica etiam regnorum, rerúmque publicarum dominia. *Qualem à maioribus accepimus, talem posteris rempublicam relinquamus*: aiebat olim Romanus consul, apud Liuium. lege etiam illa ecclesiis, monasteriis, sacrísque id genus reliquis collegiis seruata sunt in hunc diem, quà fieri in vniuersum potuit, integra rerum, quas donauit Christianorum pietas, dominia. eóque proculdubio referendum est Melodunense edictum anni 1580. quo probatæ ab ecclesiasticis veteres possessiones, pro dominio esse oportere sanxit Herricus tertius, ob conflagrata vndequaque per Galliam, inter motus ciuiles, instrumenta. Tanti possessio ea est, vt laudet Bartolus ad l. 7. §. in decurionibus. ff. quod cuiúsque vniuersitatis, &c. archiepiscopi cuiusdam Molensis sententiam, dicentis ecclesiam à patribus suis possideri, sed & ab ipso Christo. In qua, vt idoneus, vel inter quæstiones profanas, locus, veniam peto si & hîc de possessione veræ ecclesię scriptum Tertulliani inseram ex cap. 37. libri de præscription. *Quo denique, Marcion, iure*, inquit, *syluam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoues? mea est possessio, olim possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res, ego sum hæres Apostolorum, &c.* sic ille. Duo autem in hoc ipsum Epiphanij, Chrysostomiq; testimonia, quæ censuram, opinor, nec ferant. Epiphanius enim contr. Apost. hær. 61. τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι. Id est, alia quidem in scripturis, alia verò in traditione tradiderunt sancti Apostoli. plura in id eo loco. concludit pariter doctrinam similẽ D. Chrysostomus in hæc verba: ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα, καὶ ταῦτα ἐστὶν ἀξιόπιστα. Id est, parem, similémque fidem habent & illa & hæc: sic tantus interpres in epist. 2. ad Thessal. cap. 2. nimirùm de continuatis possessionibus quibus par, eadémque fides quæ & ipsis Christianis scriptis, seu titulis. Verùm plus satis. redeo in forum. Paulus Castr. censet possessorem cogi patefacere titulum suæ possessionis quo depellatur actor qui titulum contrarium habeat, nisi velit condemnari, ait: nititúrque hac l. qua dicitur eum qui possidet quasi ex donatione, compellendũ esse exhibere titulum

quo fubnitatur poſſeſſio:eóque pertinet articulus quintus Ruſcinonenſis edicti,in hæc verba: *les parties ſont tenues dès le commencement, & introduction de la cauſe,bailler copie, ſi elle eſt requiſe,du contract,instrument,ou pieces, ſur leſquelles les demandes, & defenſes, ſeront ſpecialement fondées.* Sed vt legum, conſtitutionúmque tenenda mens magis, quàm verba, intelligendum hoc de poſſeſſione recenti, ac noua, ſecus enim in quadragenaria, antiqua, & quæ excedat hominum memoriam, vt docent Alciatus conſil. 118. & Molinæus ad conſuetud. Pariſ.§ 7.num.17.18.19. Couarruuias,ad cap. poſſeſſor,parte 2 §. 4.de reg.iur.in 6.refero deinde iudicia curiæ,ad l.officium.de rei vendic. ff.ſecus etiam vbi de titulo vniuerſali agitur,putà ſi quis vt hæres poſſideat,quæ noſtræ huius legis deciſio eſt. Sic verò & vaſſallo eccleſiæ ſufficit, vel vnam ſolam, putà vltimam inueſtituram,tanquam antiqui feudi oſtendere epiſcopo, in hoc, vt teneatur epiſcopus eum inueſtire tanquam de feudo antiquo, ſiue ſecundum qualitatem vltimæ renouationis, etiamſi nec præcedentes inueſtituras, nec originalem feudi conceſſionem oſtendat, ait rurſus Molinæus ad eand.conſ.Pariſ.§.5. num. 106. ex Alberico ad l.non eſt nouum.ff. de legib.excurrunt hîc omnes interpretes ad præſumptionum materiam. quæ ſit videlicèt præſumptio iuris tantùm, quæ ſit iuris,& de iure, & quatenus admittatur in contrarium probatio. nemo ambigit probari poſſe aduerſus præſumptionem iuris. Imò vna præſumptio tollit alteram. dabit exempla lex, cùm de indebito. ff. de probation. Aliud autem in præſumptione iuris & de iure, cùm lex nimirùm præſumit aliquid non modò, ſed & ſimul ſtatuit,ac diſponit: itaut verſetur in eo meta legis ipſius authoritas, vt in hypotheſi legis, Antiquæ.inf.ad Velleian. cùm ſcilicèt fatetur quis inſtrumentum publicum ſponte ſua factum, poſteáque nihilominus impugnat. vel ſi quis condemnatus ſit,vt debitor:præſumitur enim pro ſententia,nec, per receptas iuris regulas,probationi in contrarium locus eſt. res enim iudicata pro veritate habetur.alij textus de præſumptione iuris,& de iure,quę ratione ſua ſtat,nec moueri vnquam teſtibus poſſit,ſunt in l.vlt.in fin.ad Macedon.in l.vlt.arbitr.Tut.l.1.de contrah.& committ.ſtipul.inf.& l. ſciendum.ff.de verb.oblig.ſeruant tamen in his & rectiſſimè noſtri iudices, vt ſtatuant nihilominus pro cauſis,& perſonis quod videatur æquius,ac melius. Imò tùm fictio iuris ſeu per teſtes, ſeu per confeſſionem patris, aut aliis modis quibuſlibet immota eſſe per leges Romanas debeat, veluti ſi mulier dotem dederit, fingitur ex iure ſtipulata reſtitutionem ipſius,ſoluto matrimonio, licèt reuera ſtipulatio nulla vnquam interceſſerit,& quamuis nec interceſſiſſe fateatur mulier: ita enim tota lex vn. de rei vx. act. infr. Tamen aliud hodie nos monet in quotidianis iudiciis. vt enim contractus ſunt facti, magis quàm iuris,l.conſilio.de curat.fur. prod. ff. & contractui, qualiſcúmque ille ſit, forma datur à contrahentibus,l.in conuentionalibus.& l.ſtipulationes cõmodiſſimum eſt.de verb.oblig.ita & in dote ipſa docemur ex Senatuſconſultis etiam purpureis, niſi ſpecialis adijciatur ſtipulatio vt ſoluto matrimonio,non tantùm ſocietati coniugali renuntiare poſſit mulier,ſi hoc è re ſua viderit,ſed & auferre ſecum dotem ſuam, de cuius reſtitutione nihil prorſus cautum ſit, fruſtra ad beneficium legis vnicæ, de rei vxor. act. confugiat, fruſtráque veteres illius iuris Romani fictiones obiectura ſit. cenſuit enim pleniſſima cognitione ordo ampliſſimus reſtitutioni locum non eſſe, dotiſq; actionem interire vnà cum ſocietate cui renuntiauerit mulier. deſcribo areſtum latiùs ad Pandectas. Tradit verò Baldus quod ex æquo ad varias hinc illinc fori ſpecies plurimùm conferat.oriri enim ſcribit præſumptiones modò ex conſuetudine loci vbi quid factum eſt:modò ex conſuetudine perſonæ ſeu in loquendo: ſeu in faciendo:modò etiã ex coniunctione eius quod præcedit, & quod ſequitur: modò denique ex natura rei, & perſonæ de qua agitur. prætermitto textus varios, quos vt citat ad exempla, ita & videre poſſis ſi occaſio tulerit. Iſta igitur ad veri dominij per continuatam poſſeſſionem, præſumptiones.

IIDEM AA.

L. 18.

Cùm precibus tuis ſignifices,ignorante,prædium eum,cuius meminiſti, ſibi velut à te donatum inſtrumẽtis inſeri feciſſe: adito præſide competenti, probare te oportet contra voluntatem tuam hunc fundum inſtrumento aduerſarium tuum ſibi adſcribi laboraſſe: vt ſecundum tenorem reſcripti noſtri poßis conſequi ſententiam.

Glo.& interpretes: ſtatur inſtrumento donec probetur contrarium. Rationem reddit Decius,conſil.682.quem & ſequitur ibi Molinæus: inſtrumentum enim, ait ille, dicitur probatio probata. Semper tamen intellige, dummodò inſtrumentum illud vitioſum non ſit, vllâve ſui parte ſuſpectum,eiuſmodi denique,vt,quaſi caducus paries, ſubruatur facillimè primo impetu.quod enim vitioſum eſt, pro nullo eſt. l.quoties.qui ſatiſd.cog. Sin autem videatur planè integrum, purúmque adeò vt quicquid obiiciat aduerſarius,facti illud ſit,non iuris,quod fit ſæpiſſimè: tunc procul dubio vindiciis, ſeu, prouiſioni,vt loquimur,locus eſt lite pendente,vulg.l.vlt.de edicto diui Hadr. toll. inf. niſi forſan exceptionis obicem tantum proferat qui depellit,vt obtuſa, inaníſque inferatur actio, (vulgò dicimus, *ſi ce n'eſt que l'exception ſoit auſsi prompte que l'action*) veluti ſi agatur ex obligatione mutui,edátque is vnde petitur apocham, vel tranſactionem, aut aliud ſimile: tres in hoc ſunt textus,l.ſi is à quo.ff.vt in poſſeſſ.legatorum, cap.literas.de reſtitut. ſpoliator. cap. veniens. de teſtib. In caſum alium quemlibet vindiciaria, ſeu prouiſionalis condemnatio ſemper eſt ex inſtrumento cuius intaminata ſit fides: ſeu arguatur falſi,vt in l.2.inf.de crim.falſi. aut ſeu etiam liquidis,manifeſtiſſimíſque probationibus probaturum ſe dicat Reus ſeſe ciuitate, locóve alio abfuiſſe eodem ipſo die quo obligatio contracta ſit (vernaculus ſermo eſt, *prouuer ſon alibi*) de quo in l.optimum.de contrah.& committ.ſtipulatio. Imò & ſingularis in hoc ipſum locus apud Ariſtotelem, in Rhetoricis ad Alexandrum, cap.14. loquens enim de contractu qui ſcriptus ſit Athenis, ſubijcit poſſe illum irritum fieri,ſi qui ex eo obligati ſunt,probauerint ſe tunc temporis in alia quadã vrbe abfuiſſe: verba eius ſunt in partem: *ὡς κατὰ τοὺς τότε καιροὺς ἀπεδημοῦμεν ἐν ἑτέρᾳ πόλει τινί*: Id eſt, quòd per illa tunc tempora aberamus in altera ciuitate aliqua. Quærunt interpretes Baldus, Paulus Caſtrenſ. & alij, ſi teſtes ipſi ſubſcripti inſtrumento, diffiteantur ſe interfuiſſe,quod facto opus ſit, & an inficiatio illa admittenda ſit in contractum publicum, id eſt à perſona publica, nempe tabellione, exceptum. diſtingunt autem: aut teſtes omnes aduerſantur contractui, vel maior pars: & tunc nullius momenti eſt totus ille contractus: falſus enim. Aut pari, æqualíque numero,pars teſtium pro contractu, pars altera aduerſus contractuum: hoc caſu cenſent omnes interpretes ſtandum eſſe inſtrumento.

AVTH. SEV NOV.90. §. quia verò.

Atqui ſemel produxerit teſtes,aut bis, aut ter, & teſtificata didicerit,aut ab aduerſario hoc faciente,diſputationem acceperit,& ex hoc teſtificata didicerit, non habebit licẽtiam vlteriùs vti productione teſtium

ex diuina etiam iussione. Si verò hoc non egerit, tunc danda est quarta productio testium, sacramento ab eo priùs dando, quòd neque subtraxerit, neque percontatus est ipse testificationes, vel aliquis aduocatorum eius, vel alius pro eo agens, nec per dolum, nec per machinationem, vel artem, quartam productionem testium petat fieri.

Coërcetur tantùm multiplex productio testium: reijcitur autem maximè si qui eam petit, comperiatur didicisse vel per se, vel aduocatum suum, aut procuratorem, alióve quouis modo quid testes aduersarij dixerint. Si autem non didicerit, ter tantummodò producere testes licet, aut quater ad summum. vlteriùs non. Quartam enim productionem admitti vetat Imperator nisi præstito priùs iureiurando de ignoratis anterioribus aduersarij testimoniis: dolóque eam non peti. Hæc in summa ex textu, & interpretibus, quorum vt inanes ferè commentationes ad quotidianas, in hanc partem, iurisdictionum nostrarum formulas, vnam dumtaxat amplectar quam, ad hãc Nou. 90. Cuiacius, ex adipato Bartoli, Baldi, ac Pauli Castrensis, quos in genere meminit, archaismo, facillimè explicat. quærunt, inquit, interpretes, qua ex re cognosci possit vna sit productio testium, an plures. Alij vices spectant, vt si aliquos produxero hac hora, sit vna productio: si hora sequenti alios, altera. Alij dilationes, vt si intra di·s decem iussus sim testes producere, quotquot producti sint intra eam dilationem, id pro vna productione habeatur. Verùm longè aliter definitur productio, Nou. Leonis, & Constantini, nimirum ex diebus singulis, ἑκάστης, inquiunt, παραγωγῆς μίαν ἡμέραν λαμβανούσης. sic ille. Bartolus autem dixerat in genere, productionem intelligi de productis, examinatísque testibus: Baldus id vocat actum primum, actum secundum, tertium, & quartum. Sed quorsum ista nisi adijciatur, productos esse testes intra dilationes, vel non? longè equidem sanior videtur eorum sententia qui productiones testium, de quibus hîc, ad dilationes referunt. & ita etiam intellexisse nostros practicos, ac legislatores, liquidò constat nõ modò ex vsu forensi quo dilationes dantur ad producẽdos, audiendósque testes quosquos voluerimus, sed ex edictis ipsis Gallicis. verba enim edicti Francisci, I. ann. 1539. art. 32. *Que tous delays de prouuer, & informer, seront peremptoires pour tous; ainsi qu'ils seront arbitrez par les iuges, &c.* & art. seq. *& n'y aura qu'vn seul delay pour informer, ainsi moderé & arbitré, comme dit est, fors que si dedans ledit delay il estoit trouué que les parties eussent fait leur deuoir, & diligence, & n'eussent esté en contumace, & negligence, on leur pourra encores donner & moderer vn autre delay pour tous, &c.* rursus art 34. *Apres ledit second delay passé, ne sera permis aux parties de faire aucunes preuues par enquestes de tesmoins, &c.* Verba etiam edicti ann. 1535. sunt: *Ordonnons que quand le terme & delay sera simplement prorogé, ne sera besoin leuer autre commission que la premiere: ains pourront les parties proceder auec le dicton de l'arrest qui en sera fait: mais quand la commission sera renouuellée, le terme passé ne pourra le commissaire proceder sans leuer autre commission en forme deuë de renouuellement de delay, si ce n'est qu'il fust ordonné, & permis de besongner par les commissions releuées.* Apparet ergo ex his productionem primam testium de prima dilatione intelligi, secundam productionem de secunda, idémque esse in cæteris. Vt autem rerum magister, vsus est, verba tenent quidem antecessores Academici, rem minimè, vt quæ ab ipsis experimentis petenda sit. Exscripsi verba ipsa constitutionum, vt sine quibus tam clara fieri non possit eiuscemodi productionum interpretatio. Monebo autem obiter summum illud ius, quod superioribus edictis traditur laxari, ac remitti nihilominus de more, pro arbitrio iudicum, non modò vltra duas dilationes, sed & vltra octo, & ampliùs, si res ferat, & constet petitorem. præstitisse aliquid vt testes suos intra tempora produceret. Ita vt cùm aliquando sub clariss. Christoph. Thuano, Senatus Principe, perorata appellatio esset, interiecta à prorogatione octauæ dilationis producendorum testium: reiecta non tantùm fuerit appellatio, sed mulctata etiam 25. aureis: quæ mulcta, ex edictis, desperatarum appellationum est. Ratio autem Senatusconsulti tota in iuuandis probationibus est quibus inclarescat tandem rei veritas. singularis in id textus in l. 2. ff. de re iud. nec malè proinde Io. Faber hîc, cum laudat Innocentij sententiam, docentis restitutioni & eo casu locum esse, si qua iusta causa iudici videbitur: durúmq. ecõtrà edictum anni 1539. art. 35. quo interdicitur rescripti cuiusuis

conceſſio,iubentúrque iudices reijcere quicquid impetratum in hoc à Principe fuerit, imò & mulctare impetrantem.citra enim reſcriptum, vt cuius nullus in eo vſus, prorogationis illæ fiunt à iudice,prout æquum viderint. Quantum ad publicationem teſtimoniorum, (quod dicere ſolent vel ipſi formularij ex hoc textu, *poſt didicita teſtificata*) vt admittendi amplius non ſunt teſtes ob metum ſubornationis, ait Clem.2.de teſtib. vniuerſiq; ad eamd,hanc Nou.interpretes, ſeruamus prætereà ratas eſſe deinceps ex ea ipſa cauſa ſubornationis,edictales totius inquiſitionis formulas,cùm aliàs prece,pretio, gratiáve nihil non cogitari, adornari, efficique poſſet aduerſus emiſſa iam teſtimonia. Vulgaris ſermo noſter eſt, *apres la publication d'enqueſte tous moyens de nullité ſont couuerts.* Quinimò nè pateret ſubornationibus locus, néue teſtes incurrerēt eorum odiū aduerſus quos teſtimoniū dixiſſent, & vt faciliùs,liberiúſq; loquerētur,nihil quicquam veriti de illuſtribus, aliiſq; optimatibus,quos laritutum eſſet quicquid ſcriberetur, exceperat nominatim edictū anni,1539.art.86. Senatū Pariſienſem, vt nè ſcilicet in eo, quacumq; parte litis,apertura inquiſitionū fieret: durauitq; id vſq; ad edictum Blæſenſe, anni 1579 quo abrogatū illud eſt, art.150.quamuis de curiæ illius ſtylo admiſſa numquam publicatio fuiſſet,vt notat Vidus Papius q.186.vbi plura:pluráque Rebuffus tractatu,de publicatione atteſtationū,ad d.art.86.edict.1539. vbi etiam notat publicari numquam inquiſitiones in Senatu Toloſ. Bartolus inter cæteros,addit ad quæſtiones textus, poſſe, poſt vulgatam teſtimoniorum dictionem, produci teſtes ſuper nouis capitulis: imo & ſuper iiſdem capitulis, ſeu articulis, licere hoc ipſum vult in cauſa appellationis idem ipſe Vidus Papius ead. q. 186. quia,inquit,teſtes non ita audacter falſa effundunt apud maiorem, vt apud minorem. Sed fruſtrarium eſſet immorari in eo diutiùs cùm & in prima inſtantia,& in cauſa appellationis impetrari ſoleāt reſcripta ex æquo,admittūntque vtrobique Iudices, dummodo nouæ, necdum anteà propoſitæ ſint factorum ſpecies, quod etiam in ima cera Princeps ſemper ſubiicit in hæc verba. *pourueu que leſdits faicts ſoyent nouueaulx, & non encore conteſtez.*

IIDEM AA.

Ad probationem dominij aliena ſubtrahentes inſtrumenta, his vti minimè poſſunt: quippe cùm horum lectio non recitantem, ſed quem tenor ſcripturæ deſignat, adiuuet. Cùm itaque nec cætera probationum iudicia reprobantur, iure competenti prædiorum, quæ in quæſtionem veniunt, dominium ad te oſtende pertinere. Nam res vindicantem ab emptore, ſuos numeratos nummos aſſeuerantem erga probationem laborare non conuenit. Si quidem huiuſmodi, licèt probetur, factum tamen intentioni nullum præbet adminiculum.

Componenda lex, ſtipulationes commodiſſium eſt. & lex in conuentionalibus. de verbor. oblig. at verò & lex fideiuſſores magiſtratuum. in fi· ff· de fideiuſſ. volunt enim hîc Imperatores in ſumma, obſeruandum eſſe ex textu ipſo inſtrumenti, cuius nomine conceptum ſit inſtrumentum emptionis. Inſtrumentum enim ei ſoli prodeſſe quem ex ipſo conſtiterit emiſſe non alteri qui ſeſe in id ſuos nummos numeraſſe dicat: manémque probationem per teſtes in contrarium: imò & fruſtrà eſſe quòd penes ſe habeat inſtrumentum emptionis. Rectiſſimè igitur Baldus, ac poſt eum, Salicetus, cùm inquiunt ex hoc textu, inſtrumentum nihil aliud probare quàm quod in ipſo continetur: præſumique actum non eſſe quod reperitur ſcriptum. Vnica ferè exceptio, quam notant, Baldus, & Paulus Caſtrenſis: vt nempe cenſeatur inſtrumento compræhenſum quod lex tacitè ſtatuit: veluti ſi omiſſum ſit tabulis dotalibus, reſtituendam eſſe vxori dotem ſoluto matrimonio. Tacita enim ipſo iure intelligitur, de reſtitutione dotis,ſtipulatio, quamuis à tabellione omiſſa ſit: fauor ille eſt dotis. ex l. vn. de rei vx. act. Bal-

dus adiicit, ita se respondisse Iudici, primámque fuisse hanc suam consultationem, postquàm doctoris titulo insignitus est. In cæteris, de quibus nihil ius ipsum cauerit, communis interpretum opinio est, vt omissum in contractu, habeatur pro omisso, nec suppleri debeat à Iudicibus, quasi non actum inter eos qui contraxerint. Sic cùm incidisset quæstio in maiore auditorio, de clausula renuntiationis cautæ in gratiam futuræ coniugis, vt scilicèt, defuncto futuro coniuge, posset eiurare societatem connubialem, eíq; renuntiare, ac auferre secum quicquid in dotem attulisset, censuit ordo amplissimus beneficium illud detrahendæ dotis maternæ non competere liberis renuntiantibus societati quam dixi: esse enim hoc personale, quod propterea egredi personam non debeat, liberísque communicari, quicquid glossa scripserit contrarium ab l. vn. inf. de priuil. dot. recenseo alibi ad pandectas, Senatusconsultum. Sic etiam cùm, alio matrimon j contractu, prospectum esset futuræ alii coniugi vt dos maneret ipsi incolumis, nec obnoxia creditoribus, si vnquam, per mariti interitum, alióue quouis modo solueretur maritalis societas, cámque repudiaret: sinautem, deficiëtibus liberis, hæredes à latere accederent, nihil aliud quicquam ipsis præstarétur à marito superstite præter quatuor librarum francicarum millia, pro omni societatis coniugalis iure: natis posteà liberis, hæreditatémque paternam repudiantibus, denegatum est à Senatu hoc ipsum quod in gratiam matris conuentum fuerat. vt nè videlicèt eximerent, etiam dotis maternæ nomine, quatuor illa millia quæ in stipulationem pro hæredibus extraneis deducta fuerāt. Durum tamen patronis solertioribus, ac iudicibus plurimis visum est, adeout & gratiosum istud non pauci dixerint. Vocatur vulgo, Iuridiei Sandionysiani arestum. Durius verò aliud quo missella vidua amisit prorsus decem librarum millia accepta à marito in dotem, quia per tabellionis, tutorísque incuriam, adiectum non esset in contractu, integram fore ipsi suam dotem, si soluto matrimonio, societatem connubialem non admitteret. Nondum competi cur à legis vnicæ. de rei vxor. act. quam laudaui supra, recessum in eo fuerit, cùmque à communi interpretum, ad hanc legem, sententia, sed & à mente ipsa consuetudinis, art. 230. quo iuuari conuenientissimè poterat fortuita illa omissio. Ea sunt nimirùm aliquando sidera causarum. Recenseo etiam ad pandectas arestum. Vide cætera ad l. 7 communi diuidundo. §. si debitor. ff. commun. diuid. vbi attingo ex Math. Affl. Senato. Neapolitano morem Venetum in exequendis, perficiendísque iis duntaxat quæ contractu nominatim comprehensa sint, nihílque vltrà. Cæterùm de re empta nummis alienis, quæ alia legis istius pars, dixi fusissimè ad l. Res ex pecunia dotali. ff. de iu. dot. vide etiam de instrumentis subtractis, & quæ sint penes debitorem, ad l. si cancellatum chirographum. ff. hoc tit. Quantum ad probationes superfluas quas denegandas esse vult patitet textus, optimè quidem Paulus Castr. ad finem commentarii sui subiicit seruari aliud in foro, admittique illas nihilominus à iuridicis, quorum arbitrio posteà relinquitur, vt vel insuperhabeant quod probatum est, vel admittant. fit enim hoc sæpius.

IIDEM AA.

L. 2.

Ad probationem seruitutis Glyconis, matrem eius, ac fratrem, seruilia fecisse ministeria, non sufficit: cùm neque ingenuorum conniuentia coniunctis necessitudine præiudicat.

Glo. id est, consensus matris, vel fratris, qui sint ingenui, non præiudicat filiis. sic glo. Notandus verò cùm sit hic textus ad ius nobilitatis auitæ, cui numquam, nè quidem per actus spontaneos, fit præiudicium, seu à patre derogatum sit nobilitati, seu per nos ipsos, quin semper restitui possimus ex rescripto Principis, dixi ad l. Emancipatum. ff. de Senatorib. quod sit satis.

IIDEM AA.

Actor quod asseuerat, probare se non posse profitendo, Reum necessitate probandi contrarium non adstringit: cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.

Paucis: negatiua regulariter probari non potest, neque enim cadit sub sensum, ait hîc Bartolus. probatur autem indirectè, si circumscribatur, tempore, loco, vel persona: si nimirùm doceat Reus alio tempore rem contigisse, vel se alibi eodem tempore fuisse, vt trado ad l. cùm precibus. sup. hoc eod. tit. aut aliam personam fecisse: quod potissimum in re capitali: dicereque hoc solemus, *estre receu à ses faits iustificatifs*. hinc factum aliud finitum, aliúdque infinitum constituunt interpretes, præsertim Salicetus finitum dicitur, quod terminatur, ac circumscribitur, vel loco, vel tempore, quibus duobus, quippe obliquis, ac indirectis, negatiuæ probationem quotidiana experimenta admittunt. Infinitum ad omnes casus porrigitur. eáque acceptione intelligendum est quod apud Decium, consil. 490. negatiuam scilicèt potentiùs negare, quàm affirmet affirmatiua: Scio distingui etiã ab interpretibus negatiuas iuris, facti, & qualitatis, imò & quartam quantitatis adiicit Salicetus. Necessaria autem quasi in pugnum contraho quæ variis apud Bartolum, Baldum, Castrensem, Io. Fabrum, ac cæteros, paginis, effusè, spatim, vsque planè incerto, reperias.

IMPP. VALENS, GRATIAN. ET VALENT.

L. 24. quæ pen.

Iubemus omnes qui scripturas suspectas comminiscuntur, cùm quid in iudicio prompserint, nisi ipsi adstruxerint veritatem, vt nefaria scriptura Reos, & quasi falsarios esse detinendos.

Frustrà Accursius, Bartolus, aliique interpretes modò huius legis hypothesim referunt ad eum qui instrumentum suspectum protulerit, modóque ad eum qui accusat falsi postquàm prolatum est. Rescribunt enim proculdubio Imperatores de eo qui emisit, prôpsitque apud Iudicem instrumẽtum quod vbi editum, communicatúmque est aduersario, aduersarius ille inscripsit se ex causa falsi, petiitque vt qui protulerat quasi falsarius detineretur. Præcipitem verò eam supplicationem arguunt Imperatores in eo quod instruenda sit priùs accusatio, vidend úmque quibus modis adstruat instrumenti veritatẽ Reus. Vtitur tamẽ hoc textu Decius consil. 615. vt doceat speciale esse in crimine falsi, vt sola suspicio pro falsitate habeatur. Sed fallitur, admittẽdáq, Baldi tã ad hoc ipsum rescriptũ, nu. 13. quàm & consil. 401. lib. 5. Spectari enim vult maximè personã producẽtis; an humilis & deplorata; vel an falsa fingere, aut producere cõsueuerit; citátq; inter cætera, legẽ, si quis ex argentariis. §. 2. ff. de ed. Itẽ cùm exẽplum producitur sine prototypo, seu, originali vt loquitur, neq; cõstat vnde acceptũ sit. addit etasionẽ, qua nihil vulgatius. Connumerat verò etiã Chassaneus consil. 63. nu. 29. longinquitatem temporis, si nimirum longinquissimo tempore suppressa fuerint instrumenta, neque emissa, nisi post 20. annos, aut ampliùs, à morte eius aduersus quem scripta sunt. Deníque vt in crimine falsi, acerrima fieri solet indagatio, ait iterum Baldus, consil. 446. lib. 5. arbitrii iudicantium istud pro causis, & personis. Subiungenda autem, quia & fert idoneus locus, difficillima quæstio: vtrùm pro falso haberi debeat instrumentum, cuius exemplar primum, seu archetypum supprimitur, neque editur, quæcúnque in id iudicia interueniant. Vetus enim mihi ex accurati patroni aduersariis occurrit Senatusconsultũ quo falsum eiuscemodi exemplum pronuntiatũ est, an. 1540. die 8. Matt. quamcumq; nauatam à se operã doceret alter litigatorum, qui vocabatur, Io.

Petit, vt exemplar, archetypúmue haberet, in fidem exempli quod protulerat: id verò quamuis & interpellatum à se multoties tabellionem, eiúsque succedaneum, tabulis iudicialibus ostenderet qui ad omnia Iudicis iussa responderat, multo sese id studio quæsisse, nec inuenisse. Durū sanè hoc, verórque nè, quod sæpius, in perscripta illa hypothesi, omissum sit fortè quippiam quod Iudices, vt ita iudicarent, mouerit. Fateor equidem niri graue illud tanti ordinis iudiciū textu disertissimo §. Illud quoque præsenti. de Tabellion. in Nouel. & doctrina Baldi ad l. vlt. sup. de ed. qui proinde nec immeritò *matricem* eam scripturā vocat ad l. publicati. num. 9. inf. de testam. Tamen vt nihil periculosius quàm in coniecturali negotio regulas, atque axiomata præfractè amplecti, putarim primùm pro locis, si nimirùm infamata sint, nècne, quod dixit Vlpianus, de ædil. ed. pro causis, & pro personis, æstimari, perpendi, iudicatúque falsi quæstionem oportere, nè si secus fiat, iniquè forsan, & casu, ac fato potiùs quàm ex merito damnetur aliquando, vexetur, iniuriáque afficiatur innocens simplicitas. Quid enim si nec tabellionis, nec litigatoris, à quo exēplar petitur, laboret fama, vel si exemplum, quod reiicitur, prolatū, productúmque, vt loqui mos est, & admissum iāpridem in alia lite iam fuerit? Econtrà, quid si non tantùm ea regione, ac loco, sed ex personis, atque ex re ipsa oriatur vndequàque aduersus instrumentum suspicio, imò & aduersus accusatorem occultantem forsan, & penes se habētem quod falsi arguit? eò enim progressa est seculi nostri infamia, vt qui multum per prouincias, atque inter suos populares potest, si fatalem imminere liti clausulam videtit ex instrumento cuius exemplum ab aduersario prolatum est, auferat ille ocyùs exemplar de tabellionis armario, quem vel prece, vel pretio, & interpellatrice pecunia, aut per emissarios etiam, tacitísque minarum susurris permouerit? facillimum enim hoc, & ferè quotidianū in pagis, oppidulis, ac locis rusticis. Vidi sunt istiusmodi accusatores plurimi qui voti, per eas artes, facti compotes inscripserunt sese audacter, egerúntque de falso impauidi, & quod in more iudiciorum est, postularunt exultim apud Iudices vt deponeretur in actis iudicialibus de quo sciebant quàm inanis foret vsquequàque disquisitio. Tunc verò quid competiet miser aduersarius diuendito, sublatóque de schedis tabellionis chartæ iam suspectæ prototypo? pernicies ea quidem optimarum persæpe litium, quam auertere, amolirique possit sola prudentissimorum iudicum sagacitas, pro causis videlicèt, vt iam dixi, pro personis, & regionibus, citràq; vllum diffinitionum iudicialiū specimen. Tanti momenti est aliunde ista disquisitio, vt, si de pœna falsi agatur, rata quidem sit regula legis, quetela. de fals. inf. terminati nimirùm viginti annis accusationem: sed si de rei persecutione, nulla eo casu intercurrentium annorum meta est, nullus obex, nulláque remora, quominus instituatur etiam post centum annos actio. Ita enim lex, sicut. inf. illo titu. de fals. vidimúsque admissam à Senatu accusationem falsi quam vel nonaginta pòst annis illustriss. Sancti Pauli Comitissa fecerat. Hactenus igitur de exēplo instrumenti cuius exemplar desideratur. Quærit Palus Castrens. per occasionem suspectæ scripturæ de qua textus, si instrumentum exceptum sit à notario, cum quo tres testes adfuerint, vtrùm irritū fieri debeat, eleuante illius fidem vno testium, quia nempe aliud conuentum sit inter contrahentes, minúsque aut contrarium scriptum. Decidit autem sufficere dummodò duo alij idem loquantur, vniúsque sint labii, vt dici solet, cum notario: eiúsque esse sententiæ subiicit Innocentium, Io. Andream, & speculatorem. Vide cætera ad legem præsbyteri. de episc. aud. & ad l. si ex falsis sup. de transact. atque ad l. 18. Cùm precibus. hoc tit. sup.

IMPP. GRATIAN. VALENTIN. ET THEODOS.

L. vlt.

Sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita.

Cuiacius pertinere hanc vltimam scribit, ceu iure singulari ad accusationẽ falsi, hoc & ipsum Decius consil. 615. in hęc verba: speciale est in crimine falsi vt probatio debeat de necessitate concludere. Additque num. 31. præsumptiones quæ in ciuilibus admittentur, in criminalibus non sufficere ad condemnandũ. Cæteri interpretes, maximéq; Albericus, Cynus, Baldus, Paulus Castr. referũt ad omnia omninò crimina quæ pœnam mortis ingerunt, cùm, ob periculum, nè scilicet aberremus, vbi de salute, mortéue agitur, nulla vnquã cunctatio nimia, nullàque idonea satis, ad excutiendam veritatem sagacitas, qualémque describat Cicero in oratione pro Sylla, paulò ante finem. ἐλέγχους ἀμφιφανεῖς, id est argumenta vndequáque conspicua, vocant Græci: singula igitur meritò luce clariora, hîc exigunt Imperatores, ipséque iterum Tullius in ea pro Cælio. Placeat verò & in hoc adipatus Baldi stylus: ratione, inquit, maioris causæ requiritur maioritas probationis, sintque adeò probationes certæ, vt non possit persuaderi contrarium, vel certè non possit probabiliter dissuaderi: sic ille qui & in hoc subijcit scitu quidem dignissimam legem, qui sententiam inf. de pœn. vide & finem scholii ad l. 9. metum. sup. quod met. causa. nemo vnquam condemnandus per pręsumptiones, ait Molinæus, ad l. fauorabiliores. de reg. iur. Denique vt in decisione certissima præcidatur stylus longior, finem fecerit locus perelegans d. Cipriani in Symbolum Apostolorum: *Quantò*, inquit, *maiora sunt quæ credenda sunt, tantò idoneis, & indubitatis testibus indigere, vera est, & consequens propositio.* Scio quam in sententiam hoc scribat. Sed in genere proferri etiam possit ad portenta scelerum quæ credi ferè haud debeant nisi magnis, indubitatisque testibus. vt me aliquando in hoc ipsum, inter sermones, monuit vir nuper in Senatu maximus. Plura longè ad l. dolum. sup. de dolo, & ad l. indicia. inf. de rei vend. ad quas exegi de indiciis, ad capitalia iudicia, quantum ferè sit satis: morémque sanctissimum curiæ adnotaui.

TIT. XX. DE TESTIBVS.

Locant hodie in nouis exẽplaribus, vt legem primã, hoc Harmenopuli: Ἀγράφως μαρτυρία κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχύειν οὐ δύναται id est, *non scriptum testimonium contra scriptum testimonium conualescere nõ potest.*

Vulgatissima exceptio est in probatione absentiæ eodem ipso die, ac momento quo celebratus contractus est. dicunt nostri, *prouuer son Alibi.* quia autem explicatum iam à me istud, & quatenus vel testes qui interfuerunt instrumento, fidem ei detrahant, vel non, vide ad l. cum precibus. sup. de probation. Vide etiam longè plura in id ad tit. de fid. instrum. ff. Iam aggredior singularum tituli constitutionum interpretationem, eo ordine quo in receptioribus exemplaribus reperio.

IMP. ALEXANDER.

L. I.

Si tibi controuersia ingenuitatis fiat: defende causam tuam instrumentis, & argumentis, quibus potes. Soli enim testes ad ingenuitatis probationem non sufficiunt.

Textus frequentissimus in subsidiorum curia quotiescúmque de probatione nobilitatis agitur: vt scilicèt instrumentis dotium, ac diuisionum hæreditariarum opus sit ad plenissimam originis, natalíumque notitiam: testibus autem qui de consueta nobili, aut ignobili viuendi ratione loquantur. vide plura ad l. Emancipatum. ff. de Senator.

IMPP. VALERIAN. ET GALIEN.

L. 2.

Etiam iure ciuili domestici testimonij fides improbatur.

Qui verè, domestici, dici debeant, dixi ad l.4.§.vlt.sup.de his qui ad ecclef.confug.& ad l.3.ff.hoc tit.vide prætereà, ad l.6.idonei.ff.eod.idoneos testes non videri quibus imperari possit vt testes fiant. Arbitrarias denique esse omnes probationes, pro causis, locis & personis, ostendo ad d.l.3.§.1.Et cùm lõgo satis scholio tractauerim ad l.6.in tantum.§.vniuersitatis.ff.de rer. diuis. quatenus testes in causa vniuersitatis sint qui ex eadem sunt vniuersitate: addo & nunc ex Io.Fabro, quod magis, magisque fulciat decisiones quas ibi ex Tiraquello, & aliis adstruo. Docet enim Faber hic neminem qui sit vniuersitatis particeps, quamcúmque illam finxeris, posse admitti in testem in causa eiusdem vniuersitatis, putà collegij ecclesiastici, literarij, pagani, oppidani, vrbici, aut alius cuiuscúmque societatis, si res de qua agitur cedat in singulorum vtilitatem. Itaq; inquit, testes esse non possunt in causa pascuorum, quibus communia pascua illa sint. Secus si de iurisdictione sit contentio, possunt enim omnes qui iurisdictioni illi subiacent, testimonium dicere quo iure, quibúsve metis includi soleat, quamuis tamen nec tanta fide, quanta si obnoxij non forent. Sic ille in summa. plura, vt dixi, vide locis citatis. quotidiana enim sunt. Nota deinde ex Tiraquello, tract. cessante causa. in verb. famulitio. posse quemlibet testimoniũ ferre pro eo cuius olim fuerit famulus, & econtrà de antiquo domino: quod in vsu quotidiano est, quicquid ibidem distinguat ex Baldo, de vestigiis amicitiæ, honoris, ac reuerentiæ dominicæ. Imò ex arestis vltimis, constat, atque inter cætera ex eo quod in auditorio criminali latum est ann.1601.die 1.Decemb. abusiuam non esse monitionem ex verbis, *nemine dempto, nec consilio*: cogique posse patronum, ac procuratorem ad testimonium, etiam ex inquisitione, dicebat in causa Pet.du Iour.

IMPP. CARVS, CARINVS, ET NVMERIANVS.

L. 3.

Solam testationem prolatam, nec aliis legitimis adminiculis causam adprobatam, nullius esse momenti, certum est.

Rectissimè omnium Baldus: Dictum testis sine redditione causæ, non probat, nisi aliis adminiculis appareat esse probatum. Toti enim sunt omnes in eo interpretes, vt expliceent quatenus hoc sit verum: verùm scilicet testis reddere semper debeat testimonij sui rationẽ. Primùm glossa negat, nisi interpelletur, seu, requiratur, vt loquimur: sequuntúrq; id Albericus, Cynus, Bartolus, Baldus, Paul.Castr. Salic. Io. Faber, ac cæteri quotquot & olim & nostra ætate ad hanc iuris partem scripserint. Ratio autem illa est duplex: bifariámq; intelligitur. Vel enim loquitur testis ex sensu corporeo, vt vocant, quod verum, solitum, quotidianúmque testimonium est: putà vidisse se districtum ensem, confodísque Mæuium à Titio. vel, introitam vi domum Mæuij à Titio: vel, possideri ab eo per longos annos, fundum Tusculanum: & similia. Item, audiisse se hæc vel illa verba prolata à Titio in Mæuium, &c. Ratio nempe illius testimonij tota est in visu, & auditu, id est in sensibus corporis quibus vidit, vel audiuit. Quòd si tantùm dixerit: occisus est Titius à Mæuio, vel, affecit Titius verbis contumeliosis Mæuium. nulla in eo testimonij eiuscemodi ratio est. nec tamen propterea testimonium fit irritum. neque enim, vt monui, suprà, reddere testimonij sui rationẽ testis tenetur, nisi interpellatus, requisitúsve, (vt in vernaculo est) à iudice. glossa, & omnes interpretes ita sentiunt.

Imò addit Baldus quod frequentissimo in vsu, testem scilicet egredi non debere, in dicendo testimonio, claros, præscriptósque fines à iudice intra quos respondeat. facta enim conscribuntur hinc inde à litigatoribus, vt ad singula quæque capita audiantur testes. quæ facta obsignantur sigillo iudiciali, clausáque, & obsignata tantisper manent dum accedant testes singuli vel ad iudicem, vel ad inquisitorem, seu commissarium, vt scribatur quicquid ad interrogata responsuri sint. at verò & præscribit idem Baldus, seruandam testibus eam regulam, vt nè verbosi sint. suspecta enim sunt, nec leguntur sæpius. In quo tamen peccatur indies per auaritiā inquisitoris, aut iudicis, vt tantò altior sit scriptionum moles, aut etiā aliquando per animosum testis in eum, aduersus quem loquitur, desideriū. narrat vnus interpretū de compta leuiculáq; Neapolitana fœmina, quæ, vt stomacho æstuanti, iratóq; faceret satis, vndeviginti nugarum folia, id est, octo supra triginta paginas, implere aduersus immerentes pro oblectamento habuit: quæ nihilominus ita parum iis, in quorum gratiam effutiebat, profuerunt, vt insuperhabita sint à iudicibus, nec lecta à quoquam, vbi ad inspectionem litis, dandúmque Neapoli iudicium ventum est. Præclarè D. Ambros. libro, de paradiso, cap. 12. *plerúmque testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adijcit, totam testimonij fidem partis mendacio decolorat.* De his ergo hactenus, déque prima illa ratione sensus corporei quæ in testimoniis ferendis ad hunc textum obseruanda est ex sententia Salieeti, Baldi, Pauli Castr. cæterorúmque interpretum. Superest altera quæ ex intellectu, quæque, inquit Salicetus, potiùs dicitur iudicium, quàm testimonium, veluti, si dicat testis: Scio Titium esse huius fundi dominum. quamuis enim non interrogetur testis de causa scientiæ, sunt eius verba, id est, quomodo, quaque ratione id sciat: inane tamen eiusce modi iudicium est, & nihil probat: quia de iure, non de facto testis eo casu loquitur, dicendúmque propterea quibus ex causis hoc sciat: putà, scire se eum, de quo loquitur, esse huius fundi dominum, quia interfuit contractui emptionis quo venditus est à Titio, vero tunc possessore, ac domino: viditque possessiónem vacuam tradi à venditore. sic in sexcentis similibus. Tandem verò apud nos, per implicita testium dicta, confusáque, & inuoluta, ad æstimationes rerum, de quibus quotidianæ lites, testimonia, & quia nihil planè ex his, ad ferenda iudicia, liquéret iudicibus, necesse fuit cauere edicto Blæsensi, art. 162. vt deinceps, cùm de æstimatione ædium, fundorúmque ageretur, non per testes, sed per peritos, id fieret: caput ísque huius edicti auctorem fuisse Iac. Mangotium, consultissimum, argutissimúmque fori nostri patronum, accepi semper ab antiquioribus, qui lites illas de æstimationibus *diabolicos processus* vocabant de more, vt notaui fusiùs, ad l. secunda de rescind. vend. infr. nec proinde otiosum, inane, ac inutile videretur verba ipsa art. 162. edicti subijcere, nisi iam textum articuli illius Gallicum ad d. l. ex necessitate quæstionis exscripsissem. Hactenus igitur lex Francica, & Romana quantum ad rationes quæ à testibus, in testimoniis ferendis, subiungendæ sunt seu de sensu corporeo agatur, seu de intellectu. necessaria fuit nostra hæc commentatio ad legem breuem certè, sed non ita intellectu facilem, atque in materia quam iure optimo Paulus Castrensis, ad eumdem hunc textum, vocat negocialem, seu practicabilem, vt loquitur, magis quàm subtilem.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Eos testes ad veritatem adiuuandam adhiberi oportet qui omni gratia, & potentatui fidem religioni iudiciariæ debitam possint præponere.

Bona hîc alliterario Baldi: testes, ait, debent esse verisimiliter tales qui præferant, & proferant veritatem. Glossa, quantum ad gratiam, de qua in textu, notat vicinos, vt

quorum

quorum mutua inter ſe ſoleat eſſe,& amicitia,& gratia. præferebatur illa cæteris omnibus apud Perſas,teſtante Herodoto,cuius hęc verba,in Clione,ſeu lib.1. *τιμῶσι ἐκ πάντων τοὺς ἄγχιστα ἑωυτῶν οἰκέοντας*. Id eſt,honorant ex omnibus eos qui proximè eorum habitant. ſic apud Sap. Prouerb.26. *melior vicinus iuxtà,quàm frater procul.* ſic & apud Thobiam vicini præferuntur cæteris amicis,ex ordine literæ,in hæc verba,cap.8. Tob. *fecit Raguel in nuptijs Tobiæ,& filiæ,vicinis ſuis, & cæteris amicis conuiuium.* vide longè plura ad l. 35. Quod ſæpe.§.vlt.de contr.empt.ad l.3.hoc tit.ad l.pen.& ad l. ſi gratuitam. de præſcript.verb. ff. Quantum ad potentiores, de quibus etiam in textu,dixi etiam quantum ſatis ad l.vn. de contractib.iud.& ad totum tit.quod met. cauſa. ad l. ſi certis annis. de pact.ſuprà. Vno verbo, *qui timet dicere verum, non eſt teſtis idoneus*, vt concludit ſuum ad hanc l.4.ſcholium Baldus.ſic & Bartolus: *In dubio dicerem*,inquit, *ſubditum non eſſe admittendum.* ſic ille.hinc procul dubio verbum.*poſſint*,in hoc textu,accipiendum pro,auſint: vt apud Horatium,lib.2.epiſt.1.

—— nec meus audet
Rem tentare pudor quem vires ferre recuſent.

Apud Plaut.Capt.

——nihil me adiuuare audes.

Id eſt potes. Grammaticum hoc in tranſcurſu ſubſero, quia neceſſarium ad verba textus.parcant ſuperciliosi,ſi illi nihil melius.

IIDEM AA.

L. 5.

Parentes,& liberi inuicem aduerſum ſe,nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt.

Plus æquo naturalis ratio dictat hoc ipſum quod ſanciunt lege iſta Imperatores. Vna perſona eſt patris ac filij,fictione legis imitante naturam,vt vulgatum ex l.vlt.inf.de impub.& al.ſubſtir. Senec.in Hyppol.

—— nimium potens
Quanto parentes ſanguinis vinculo tenes
Natura!

Virgilianum hoc de Ænea ad patrem Anchiſen,quis neſcit?

Quò res cùmque cadent,vnum,& commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit.

Pauca nimirùm ex immenſo: plura autem ad Pandectas variis locis diximus. Nec nouum proinde,quòd negent Imperatores & mutuum,inter volentes,parentibus,liberiſque aduerſum ſe dicendi teſtimonij votum. Fallere hoc eſt naturam, vt alibi ab eiſdem Imperatoribus dicitur. Quærunt Baldus, ac Salicetus,de ſacri fontis ſuſceptore, quem patrinum vulgò dicimus, déque ſuſcepto,quem etiam filiolum vocitant:admittendos verò decidunt,quia nulla iuris parte reperiatur prohibitum. Idémque ait Salicetus in patre nutritio aduerſus alumnum, & econtrà. Quærit Baldus de patre prælato eccleſiæ, vtrùm audiendas contra Capitulum eiuſdem eccleſiæ, vel è contra. In quo diſtinguit an bona ſeparata habeant,nécne.audiendum enim eſſe vult,ſi diuiſa habeant. Putat Io.Faber amicos patris ſuſpectos eſſe in cauſa filij: & vt finiam iſtud cum Bartolo,cèſet ille patrem poſſe eſſe teſtem inter duos ſuos filios: citat l.pridem placuit. (corrupto tamen principio)inf. de quæſt. & l. extraneo.ff.eod.illo tit. de ſeruo qui torquetur inter duos dominos:ſed conuenientior multò textus in l. non ſolum. § de vno. ff.de rit.nupt.quòd ſcilicet par affectionis cauſa ſuſpicionē omnem amoueat. Supereſt de fratre,vtrùm aduerſus fratrem,vel pro fratre. dubium iſtud mouet gloſſa: deciditq; poſſe eſſe teſtem in ciuili negotio, niſi ſint domeſtici, vel arctæ inuicem amicitiæ. hoc ſequuntur interpretes, ita tamen vt ſuſpectum ſemper fateantur eiuſmodi teſtimoniū. Bartolus arbitrio iudicantium relinquit. Baldus adeò perpendit naturalem illum affe-

ctum,vt & in cognatis proferat vsque ad quartum gradum. In capitalibus verò causis reiiciendos prorsus hos testes putat communis interpretum: Ambigit Faber de speculatoris sententia,quasi distinguat ille maiora, grauioráque crimina à leuioribus. Sed vt vmbratilibus scholarum pulpitis fœneretur clarissima ex forensi exercitatione vsura, vide quæ haud inani opera cumulaui ad l.ob carmen. §. vlt. in verb. ad syncerum testimonium.ff.hoc tit.

IIDEM AA.

L. 6.

Nimis graue est quod petitis vrgeri partem aduersam, ad exhibitionem eorum(glo.testium)*per quos sibi negotium fiat.*

Dixi longissimo scholio ad l.4.qui accusare. sup. de ed. quam & integrum hunc textum exscripsi.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 8.

Iurisiurandi religione testes, priusquàm perhibeant testimonium, iamdudum arctari præcipimus, & vt honestioribus potius testibus fides habeatur. Simili modo sanximus vt vnius testimonium nemo iudicum in quacumque causa facilè patiatur admitti. & nunc manifestè sancimus vt vnius omninò testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat.

Tres sunt legis istius partes,scitúque dignæ. Prima est de iureiurando testis, antequàm audiatur. In quo notanda equidem Io.Fabri obseruatio,dicentis cautum id non esse iure Pandectarum. Seruatur autem vbique gentium sanctus ille mos, nec tantùm in vniuersa nostra Gallia. præstandum verò Sacramentum die profesto, non feriato, cùm partem istud iurisdictionis constituat, licèt auditio testium fieri possit, imò & soleat,diebus feriatis quia non de iure tunc dicundo,sed de nuda simplicíque executione agitur,vt alibi ad Pandectas,hoc eod.tit.monui. Secunda pars legis est de honestiorum testimonio comparato cum cæteris. In quo perpendit Faber & æqualem numerum. Bartolus verò decidit, præferendos esse digniores, nisi cæterorum longè exuperet numerus.quod & notandum ad l.ob carmen.§.vlt.ff. hoc tit. Sin autem & eo casu varient testimonia,Paulus Castr.censet neutris,id est,nec his,nec illis standum esse. Superest pars vltima de vnius testimonio,de quo etiam dixi ad l.2.eod.rursus hoc tit.ff.recensendum verò arbitror quod scribit Baldus de Cardinalibus, Romanóque Pontifice. Cardinalis solius dicto, ait ille, standum esse existimant doctores ad cap. cum olim. de priuileg. sed hoc in iis quæ Cardinali mandata sunt à Papa. Papæ autem etiam soli creditur:cuius tamen si in aliquo aberret memoria,excitandam eam obsequiosè, subiiciendúmque oculis quod in vero est,notat ad cap.cùm à nobis.de testib.sic Baldus, qui & addit ad hoc ipsum Constantinianum rescriptum, singulares ideo testes reiici de more à iudicibus,quia duos ad minus idoneos testes esse oporteat.

IMPP. HONORIUS ET THEODOS.

L. 10.

Quoniam liberi testes ad causas postulantur alienas si socij & participes criminis non dicantur, sed fides ab his notitiæ postuletur: in exhibitione necessariarum personarum, hoc est, testium, talis debet esse cautio iudicantis, vt his venturis ad iudicium per accusatorem, vel ab his per quos fuerint postulati, sumptus competentes dari præcipiat. Idem iuris est etsi in pecuniaria causa, testes ab alterutra parte producendi sunt.

Paucis: Testes debent esse liberi, & minimè socii, vel participes criminis: Item, qui producunt testes, debent eis dare impendia. Tria igitur ex hoc textu: primum est, liberos omni metu oportere esse testes, de quo dixi ad l. 2. sup. hoc tit. Addam verò & istud, vt quotidianum: increscere nimirùm, tantòque magis cæptæ à leuioribus probationis ampliandæ libertatem contra accusatum, quantò arctiorem, turiorémque vident testes ipsius carcerem. Notat etiam Baldus per occasionem seruilis conditionis, de qua maximè rescribunt Imperatores, religiosos quidem non admitti regulariter ad testimonium: conniuentibus autem quasi oculis tolerari, dummodò concedat superior: citárq; apposirè speculatorem qui vt hoc ipsum scribit, tit. de teste, ita & seruatur non modò à nostris Gallis, sed vbique Christianarum gentium. Tractaui iam ad l. r. Secunda legis parte agitur de sociis criminum, vtrùm alter aduersus alterum testis esse posset. *Nemo sibi blan diatur*, (inquiunt iidem nostri Imperatores, Honor. & Theodos. in l. vlt. inf. de accusation:) *Obiectu cuiuslibet criminis de se in quæstione confessus, veniam sperans propter flagitia adiuncti, vel pro communione criminis, consortium personæ superioris optans aut inimici supplicio, in ipsa supremorum suorum sorte satiandus, aut eripi se posse confidens, aut studio, aut priuilegio nominats: cùm veteris iuris auctoritas de se confessos nè interrogari quidem de aliorum conscientia sinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena.* Hactenus verba Imperatoria. Glossa autem notanda est in verb. conscientia. fallit, inquit, in variis casibus ex immanitate criminum. primus est in l. prouinciarum. sup. de fer. secundus in l. 1. inf. de fals. mon. Tertius in l. diuus. Hadrianus de custod. Reor. ff. Quartus in l. vlt. ff. ad exhib. Quintus in l. vlt. inf. de malefic. & mathem. tandémque subiungit non debere Reum, nè quidem his casibus interrugari, nisi quædam antecedat præsumptio. Item, ait, quicquid responderit, coniectatorium quidem est, probatio autem, non hinc proinde & glossa altera ad cap. 1. de confess. in antiq. decidit, valere ista ad præsumptionem, non ad conuictionẽ, nisi & aliæ coniecturarum accessiones fiant. Nec verò hanc de testimuniis, quibus sese produnt inuicem participes maleficiorum, quæstionem omisit Boërius, q. 319. num. 2. Testes enim illos admittit, si de crimine læsæ maiest. agatur: si de sacrilegio, si de conspiratione, & coniuratione, si de falsa moneta, si de hæresi, si de simonia, si de assassiniis. Verùm, inquit, non faciunt hæc indicium ad torturam: sunt ipsius verba: cuius nihilominus pro temporibus, personis, & variis causarum interiorum figuris temperanda decisio est, arbitrióq; iudicantium relinquenda. Cum enim circa annum 1601. Lafinius, eques, detulisset latenter animosum illum franciæ Martialcum, ac Ducem, Bironium, apud Principem, & ambigerent quidam admittendúsne esset ille seu vt testis, seu vt delator, aut index tantùm, id est accusator, (indicare enim, accusare, est in l. lex Cornelia. de iniur. κατηγορεῖ, græcis) quia nempe vt eadem læsæ maiestatis, conspirationisque in Imperium Gallicum, crimine laboraret, ita & solus erat qui accusaret, indicaret, testémq; vnà ac simul sese efficeret: captus tamen Dux manu regia, per latens eiusemodi indicium, ac testimonium, tandémque instructa scriptis aliumde testimoniis lite, capite luit in arce Antoniana, quam aliàs Bastilianam vocitant. Iudex maximus, Dom. Harlæus, Senatus

Princeps, qui pleno, totóque assidente Senatu, vnà cùm Illustriss. Dom. Belleüreo, Cancellario Franciæ, verè altero Q. Fabio, sexque Consistorianis Comitibus, iudicio præfuit, dignatus me est, tunc temporis priuata recensione præcipuorum tantæ accusationis, tantúmque in militarem Ducem, capitum. Desinebat verò ille non semel in hæc verba: *Noster amplius non erat.* trado nimirum hæc per occasionem quæstionis de testimoniis, admittendáne sint, in læsæ maiest. crimine, à conscio, & participe in participem. Boni consulent, vt spero, qui amant & salutem imperij naturalium, datorúmque diuinitus Principum, & quietum, pacatúmque statum imperij Francici aduersus ambitiosos Philotas, æstuantésque patriæ turbatores: atque vt discant posteri quàm graue sit, & calamitosum, prorumpere in sortes regias gentis Capetiæ *quæ per annos iam sexcentos, prole semper mascula apud Gallos imperat, nec moueri vnquam potuit solio, quæcumque intercesserint deficiendi fallaces causæ.* quod delineaui, deformauique iamdudum, inter bella ciuilia, libris nouem, de bello ciuili Gall. annis scilicet 1589. & 590. cùm aliud quiduis, Lutetia in media, vbi indies furor populi imminebat, moliri tunc, meditaríve nec possem quod meipsum surriperet mihi, donec, anno tertio Lutetianæ defectionis, aufugere licuit Cæsarodunum Turonum, vbi per quinquennium mutatus Senatus sedit, sicut olim Augustoriti Pictonum, stabilimento patriæ, & rerum nouarum in tertrimento. De his hactenus. attingo rursus de eodem Duce Bironio, Reo, vt suprà, læsæ maiest. ac respondente apud Senatum, ad l. 3. inf. vbi Senatores, vel clariss. Quantum ad tertiam partem legis quæ est de salariis testium, totum hoc arbitrij est iudicantium, pro personis, pro locis, & mora, quam testis quilibet plus, minúsve contrahere ob dicendum testimonium, coactus sit in loco vbi confecta inquisitio est. Duos in id singulares textus reperies in l. 7. sed & si quis ex signatoribus. quemadm. testam. apet. & iu l. 3. §. vlt. ad quam plura dixi. ff. hoc tit.

AVTH. al. NOV. 90. §. si verò dicatur.

Si testis &c. Si dicatur testis odiosus ex mota lite criminis inter eos, & hoc probauerit: non anteà audiatur quàm de crimine iudicetur. Si verò ex lite pecuniaria, vel aliter est odiosus: procedat quidem testatio, tempore autem disputationum seruentur huiusmodi quæstiones.

Frequentissima Nouellæ istius experimenta. Vt enim tota est ad exceptiones in testes, quæ vel dolo, vel casu, vt reijciantur quos nociturus nobis prospicimus: ita & persæpe visum est, motas fuisse lites de compacto quæ auerterent formidata seu in ciuili, seu in capitali negotio, testimonia: at verò & iniuriæ atroces dictæ animi causa, imo & inflictæ verberationes, impactique colaphi, quod vltimum nec præteriit hîc Salicetus. Rectissimè igitur Paulus Castrensis ad finem commentarij sui subijcit perpendendum esse apprimè iudici quando, qua arte, quáque ex causa ortæ sint inimicitiæ, ex quibus petitur huius, vel illius testis reiectio. Si enim aduertatur fraus, nulla prorsus habenda ratio exceptionis quæcúmque illa sit. Sin autem casu, citráque dolum inciderint, secus. Denique totum id in arbitrio est iudicantium, vt, pro causis, & personis admittantur, nécne, testimonia. quod & idem in reiectionibus iudicum. Narrabant patroni veteres, cùm primùm in forum venimus, summum, sua ætate, iudicem (ante quadraginta annos istud) quali conatu tentarint amoliri ab imminenti iudicio qui sibi ab eo metuebant impensissimè. vocarût eum in ius. aiebát, ex cessa actiuncula: cisium quo vehebatur vxor, præhensum est à viatore publico: dicta in os mala verba plurima: ipse ad isthæc omnia immotus: soluiq; iussit pecuniolã quæ vocationi in ius, cæterisq; eiuscemodi effugiis, imaginem magnæ cuiusdam litis induerat: iniurias autẽ quasi dictas lapidi reuocauit numquam ad animum: nec magis vultum moueri visus est,

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes:

haudque proinde, per inrertortam prisci illius iudicis prudentiam, offecerunt adhibitæ hinc illinc ἐχινεῖς, ac remoræ, vt veteres illi patroni narrabant, quominus haberet iu-

dicem,qui, vt nè haberet, ingeniosissimas, nec auditas priùs, vndequáque sagacitates abieccrat. Quis ille sit,nescio, laudandus tamen qui à suspecto iudice cauere sibi voluerit. Cæterùm ferè iisdem regulis reguntur reiectiones tam iudicum, quàm testium: notátq; optimè in omnes seu iudices,seu testes suspectos glossa,litem pecuniariam, de qua in textu,intelligendam esse de omnibus bonis,vel de maiori parte, adeout meritò, verissiméque censeri debeat inimicus capitalis qui actionem illam instituerit, ait hîc Baldus,repellendúsque eò magis à testimonio quod inimici facilè mentiantur ad stomachum,atque vt,quod dixit Tacitus, vltionem in quæstu habeant, pascántque antiqua,recentiáve odia præclaris,ac in tecti speciem,velamentis.

IIDEM AA.

Libertorum aduersus patronos illicitas atque improbas voces pœnæ adiectione precludimus: atque ita, vt non solummodò sponte prodire non audeant, sed nè vocati quidem in iudicium venire cogantur.

Sic Vlpianus in l.1.de iu.patronat. *Patronorum querelas aduersus libertos præsides audire, & non translatitiè exequi debent: cùm si ingratus libertus sit, non impunè ferre eum oporteat, &c.* Vt autem desitæ iamdiu inter Christianos seruitutes veterum, proindéque manumissiones,iuráque patronorum in manumissos,seu libertos,conuenientissimè hîc quærit Baldus vtrùm vassalli, in quibus imago quædam priscæ illius libertorum conditionis superest,testimonium possint dicere aduersus feudales dominos; deciditque posse etiam in causa feudali.quoniam,inquit,conuassalli appellantur *pares curtis*, cap.1. de consuetudine recti feudi,& cap.1. quid sit inuestitura. in vsib.feud. sed quantumuis cōctatium scripsisset Baldus, defecimus sat dudum ab inanibus illis maiorum nostrum tetriculis, quibus numquam inuiti erant testes patroni causarum aduersus suos clientes, vt nec procuratores forenses,depositarij,ac similes. coguntur enim hi si nolint, censuítque ita non semel ordo amplissimus, cùm veritati numquam præcludendâ sit via, vt ostendo fusiùs ad tit.de in ius voc.ff.

IMP. ZENO.

L. 12.

Nullum penitus,cùm semel ad iudicem quemlibet,licet non suum,dicendi gratia testimonium fuerit ingressus: armatum fortè militiam,vel quamlibet aliam fori præscriptionem, ad euadendum iudicis motum, quem vel testimonij verborum improbitas,vel rei qualitas flagitauerit, posse prehendere præcipimus. Sed omnes qui in ciuili scilicèt causa,suum præbent testimonium,separato, & tanquam ante iudicium interim deposito exceptionis fori priuilegio, huiusmodi præsidio denudatos, ita ad iudicantis intrare secretum, vt quicumque aures eius offenderint, non dubitent sibimet formidandum: data cunctis iudicibus,absque vllo præscriptionis obstaculo (sicut sæpe dictum est) in testes, quorum voces falsitate, vel fraude non carere perspexerint, pro qualitate videlicèt delicti,animaduertendi licentia.

Paucis:qui iudex est rei principalis,iudex etiā est accessoriæ, ac incidentis. dixi fusè satis ad l. 3. quoties. sup. de iudic. itaut quod iam ad hunc textum supetest videatur in

hoc vno acquiescere: quæ nimirùm adhibenda sit cura, solertiáque à iudice in audiendis testibus. *Intrare enim ad iudicantis secretum*, nihil aliud ex his verbis Imperator intelligit, nisi vt testis interrogetur seorsim à iudice, seu in ædibus ipsius iudicis, seu in alienis, vt frequentissimum est: & vt alto silentio teneat quicquid ex ore testis amanuensi domestico, (quod solis Senatoribus licet) actuarióve, (quod cæterorum iudicum) dictauerit. Quinimò vt in secreto, occlusisq; foribus conscribenda sunt tam in ciuili, quàm in capitali negotio, elogia, ita & cauendum imprimis accurato, religiosóque iudici, vt, si fieri possit, ipsissima testis verba referat, quippe in quibus insit sæpissimè rei, de qua quæritur, mera, nudáque veritas, quæ nec adeò insideat animis iudicantium, si aliud quiequam suffecerit stylus dictantis. & sanè in eo nec tam inanis peritiorum querela, dicentium interire semper longè plurima de veris, geminísque controuersiarum causis per imperitum, ignarum, vænalémque sæpius empticiæ illius scribarum turbæ calamum, qui hodie atque ab anno 1514. funguntur, ex edicto, munere eruditorum iudicum, vt probationes scilicet, quæ vicem instrumentorum in iudicando subituræ sint, adhibitis cuiúsque periti, imperiti, probi, improbíque animi, vocabulis, conficiant. Dati sunt eiusmodi nummariis, per prouincias, inquisitoribus, quasi obseruatores actus, (vt sic loquar cum Vlpiano de honorariis tutoribus) qui nimirùm præsentia sua obstent quominus peccetur quippiam à conscribente oppidano inquisitore, cui adiuncti sunt. Sed nec peritiores, melioréſve hi de more quàm alij quibus accedunt. Omnes enim in vniuersum promouet sola ferè pecuniæ numeratio. Sunt illa nempe iuridicinarum prouincialium, extra conualescendi spem, vulnera. quibus proinde sepositis, nec siccatis vnquam, finem facio ex optima equidem decisione Baldi, qua vt plures interdum adiunctos ad colligenda testimonia admittit, ita & sola in hoc facta ardua memorat. *In factis arduis*, inquit, *consilium est vt examinentur testes coram fide dignis personis*. sic ille. seruamus autem id maxime vbi de crimine læsæ maiestatis agitur, alióve quod, præter solitum, ad salutem reip. faciat: vt in plærísque ab hine 40. annis visum est.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 13.

Si quis testibus vsus sit, iidem testes aduersus eum in alia lite producantur: non licebit ei personas eorum excipere, nisi ostenderit inimicitias inter se, & illos posteà extitisse, vel datione, aut promißione pecuniarum corruptos.

Vulgò dicimus nos Galli, *tesmoins affidez*. quò proinde facit conuenientissimus locus in Senecæ, lib. 9. controu. 4. *Grauior*, inquit, *testis esse solet qui à Reo surgit*. Ratio autem Iustinianeæ huius sanctionis est ex vulgato axiomate, quo dicitur, reprobari amplius non posse quod semel probatum est, l. Pomponius. de neg. gest. ff. agitatus id latiùs à Salicero, hîc: profecerunt Baldus, & Paulus Castr. ad producta in lite instrumenta, vt scilicet reprobari posteà non possint ab eo qui semel produxerit: imò nec notarius, si perinde vtriúsque litigatoris instrumenta perscripserit: ait Paul. Castr. Vno verbo Bartolus: Bonus textus, menrique tenendus.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 14.

Testium facilitatem, per quos multa veritati contraria perpetrantur, prout poßibile est resecantes: omnibus prædicimus, vt qui in scriptis à se

debita retulerint, non facilè audiantur, si dicant omnis debiti, vel partis solutionem sine scriptis se fecisse, velíntque viles, & forsitan redemptos testes super huiusmodi solutione producere : nisi quinque testes idonei, & summæ, atque integræ opinionis, præsto fuerint solutioni celebratæ, hique cum sacramenti religione deposuerint sub præsentia sua debitum esse solutum: vt scientes omnes ita ea statuta esse, non aliter debitum, vel partem eius persoluant, nisi vel securitatem in scriptis capiant, vel obseruauerint præfatam testium probationem: his scilicet qui iam sine scriptis debitum, vel partem eius soluerint, à præsenti sanctione meritò accipiendis. Sin verò facta quidem per scripturam securitas sit, fortuito autem casu vel incendij, vel naufragij, vel alterius infortunij perempta: tunc liceat his qui hoc perpessi sunt, causam peremptionis probantibus, etiam debiti solutionem per testes probare, damnúmque ex amissione instrumenti effugere.

Longam hanc verbotum seriem ita coniecit Bartolus : si promissio facta sit in scriptis, probanda etiam solutio est in scriptis: aut certè per quinque testes, nisi scriptura casu perierit. Vt autem quæ ad interpretationes textus, sigillatim exequar: palam facit plus satis Iustinianus ab ipso limine, quanta facilitate corrupti prece, vel pretio testes testimonia sua ætate dicerent. longè verò antea Callistratus in l. Diuus. de re iudic. ff. *Diuus Hadrianus*, inquit, *in hæc verba rescripsit: Si tibi probauerit, conspiratione aduersariorum, & testibus pecunia corruptis oppressum se, rem seuerè vindica, &c.* Sic & Vlpianus in l.9. lege Cornelia. de fals. *Qui ob falsas testationes faciendas, testimoniáque falsa inuicem dicenda dolo malo coïerint, & c pœna legis Corneliæ, de falsis, tenentur.* Inde igitur perorabat olim Isæus Athenis, oratio. de Nicostrari successione, credendum magis esse indubitatis signis, quàm testibus: δοκεῖ μοι συμφέρειν τεκμηρίοις μᾶλλον, ἢ μάρτυσι πιστεύειν. Id est, mihi videtur conuenientius esse signis indubitatis, quàm testibus credere. sic ille. passim verò in vniuersa Græcia, quàm procliues essent, præ cæteris, Capadoces ad falsa testimonia, docent glossæ veteres in Persium, Sat.6. Se inuicem torquebant, & cùm in pœna perdurarēt, ad falsa testimonia se vænundabāt. nemo ferè nescit adagiū, τρία Κάππα κάκιστα. Inde etiam Romæ Tullius, in ea pro Sylla: interest Reip. non ex leuitate testium causas honestorum hominum ponderari, &c. Quibus exemplis, quæ de prudentissimis duobus illis populis petita sunt, mirum adeò videri non debet si, suprema hac ætate, testimonia tandem apud nos ex edicto, reiecta sint in iis quæ centum librarum Francicarum summam superent. de his iam dixi ad Pandectas. Si quæratur autem cur Iustiniano placuerit magis quinque testium numerus quàm vel trium, aut septem: obseruabunt studiosi tolerari quidem istud in testamentis, sed ita si ruri testamentum fiat, nec maior numerus inueniri possit, ita enim lex vlt. inf. de testam. tolerati deinde in codicillis, l. vlt. inf. de codicill. quia non testamentum, sed accessio dumtaxat testamenti, codicillus. In contractibus autem duo primùm, iuréque Pandectarum, sufficiebant, l. vbi numerus. ff. hoc tit. pluralis enim locutio duorum numero contenta est, ait ille textus, qui Vlpiani est. Iure Codicis tres necessarij fuerunt, l. vlt. sup. si cert. pet. iure Nouellarum, quinque desiderauit Iustinianus, Nou.72. vnde fragmentum in Auth. Sed nouo iure. cod. illo titu. si cert. per. Ille igitur idem Imperator, auctor huius legis, testium, in qua quæritur quot testibus opus sit debitori vt probet solutam à se pecuniā creditori quam debeat ex chitographo, ostendit manifestissimè, æquiparare se quinque idoneorum, summæq; ac integræ opinionis testium numerum, scriptæ apochæ, ita ut ἐπὶ τῇ ἐνδυναμίᾳ, & quinque optimæ notæ testes, & subscriptum à contrahentibus, ac tabellione, instrumentum, pro eodem haberi debeant, quod nec prætermisit Minsingerus, cent 1. obseruatio.5. textúsque in hoc disertissimus in l.2. sup. de his qui ven. æt. impetr. ibi, *annos ætatis probare posse quinque testibus, vel instrumentis*. hodie verò, vt dixi, frustrà istud, iure no-

ſtro Gallico, ſi de maiore centum libris Francicis debito agatur. Quinimò & inſuperhabita noua illa Iuſtiniani prudentia, duo omni exceptione maiores teſtes idoneam, nec minus probationem efficient, ſi intra modum editi teſ fuerit: in quo ſeruamus d. legem, vbi numerus. & l. iuriſiurandi. ſup. hoc tit. vt quæ in eo conueniant cum lege Chriſtiana, qua dicitur in ore duorum, vel trium, ſtare omne verbum. maximè autem duos teſtes in agris ſufficere, ſcripſit Faber ad auth. ſcilicèt nouo iure, hoc cod. titu. quod & idem glo. penult. in incendio, naufragio, vel alio infortunij caſu, vt in quibus non ita facilè ad manum ſint teſtes. ſed fruſtrà, vt dixi, diſtinctio hæc, cùm ſeu in periculo, ſeu extra, & vſus, & ratio ratam velint apud quoſcumque iudices, veterem, quàm dixi, de intaminatis duobus teſtibus regulam, vt latiùs explico ad Pandectas, hoc eod. tit. Notant deinde Bartolus, Baldus, aliique interpretes, verba hæc textus : *depoſuerint ſub præſentia ſua debitum eſſe ſolutum*: arguere etiam procul dubio, teſtes, qui qui illi ſint, videre oportere id de quo ferant teſtimonium. Aliàs enim, vt conſtat ex Bartolo, reddere non poſſunt dicti ſui rationem, vt quam eſſe oporteat ex ſenſu corporeo. Idémque proinde eſſe ait Paulus Caſtrenſ. in iis quæ non modò viſu, ſed guſtu, odoratu, auditu, tactúve percipiuntur. Breuius perſtrinxit Faber hîc ſuam de cæco ſententiam, inquiens indiſtinctè non poſſe eum eſſe teſtem. Nam, vt optimè, ac veriſſimè Albericus, Cynus, Salicetus, & alij, cæcus poteſt eſſe teſtis in iis quæ, vt res, aut perſona videatur, non exigunt: Secus ſi viſu opus ſit, vt in teſtamentis: fingi enim poteſt vox, cortina interpoſita, vt ſæpe Hyſtriones, ait Cynus, qui & Tigum quemdam ſuæ ætatis hiſtrionem, in hoc memorat. addit præterea, vocem morientis teſtatoris mutari ſolere ob infirmitatem. Ambigit Salicetus vtrùm ſi ſex alij teſtes clarè videant teſtatorem, cæcus in ſeptimum teſtem admitti poſſit: magno enim illo cæterorum numero, ait, videtur ſuppleri poſſe vnius cæcitatem, nec tam facile decipi. Nihil tamen aſſerit, témque indeciſam, atque cogitandam, vt loquitur, relinquit. prætermiſſa prorſus quæſtio eſt à Cuiacio in poſtumis. Pacius ad hanc ipſam l. indiſtinctè reiicit niſi in iis quæ cæcus, antè quàm oculis orbaretur, viderit. Cùm autem in teſtamentis ſeptem teſtes ex iure Romano præſentes eſſe oporteat, l. hac conſultiſſima. de teſtam. inſ. præſentia illa dici, vera ſua acceptione, nō poteſt, niſi videatur teſtator ab omnibus. fingi enim poſſunt voces, vt ſuprà dixi, *hunc quidam dicunt ἰσφωνοποιός, qui ſibi res, voces, actus, ſecundum verum, optimè finget*: Ita Quintilian. lib. 6. cap. 2. Sunt qui, inſtar Pſittaci, vocem fallunt, flectunt, ſimulant, prout animum induxerint, & res ferant,

Non fuit in terris vocum ſimulantior ales:

ait Ouid. de Pſittaco, libr. 2. amor. Eleg. 6. Noui ego verſatiliſſimi ingenij hominem, qui modò ſenem, modò iuuenem, modò fœminam, ægrum, raucefcenrémque, quo commenro lubetet, fictitiis, falsíſque vocibus adeò mētiebatur, vt niſi vidiſſes, eiuſmodi planè, ac procul dubio ipſum putaſſes qualem vox efficeret. Quotuſquiſque eſt qui non ſciat quàm ſæpe ex traiectis, flexis, ſimulatíſque à non conſpecto loquente vocibus munera publica, iuridicinas videlicèt, & ſimilia, vindicarint à vulturiis aulicis liberi, viduæ, hæredes æquatique proximi? Quémne fugit illa in beneficiis eccleſiaſticis frequentia? miratus verò ſum quantum ſat pridem factum fucum diceret in familiari amicorum conſeſſu, illuſtr. eques paracleticus, viro ſagaci, ſed ſeni, iacenti in lecto, ægritudinibúſque articularibus apprimè cruciato, quique reipſa tunc intra paucos menſes deuixit. Aſſerebat illuſtris ille vir veniſſe verſipellem, nobilem, egregiúmque vocis cuiúſque fictorem, ac imitatorem, in ædes decumbentis, quaſi vt inuiſeret: manſiſſéque ad noctem vſq., itaut &, ferè inuito ægrotante, cui erat ſuſpectiſſimus, pernoctauerit. Tūc, aiebat, cùm vafer ille, & planus in imo quodam cubili quieto, obſcuro, inſtructóque ſatis, cubaret, acceſſit, vt procurauerat, deductus ex oppido vicino ignatus, inſciúſque tabellio, qui dictante quaſi ægro, contractíſque naribus ſermocinante, & cuius obuoluta faſciolis ferm è tota erat facies, ſcripſit inſtrumentum procurationis quo eiuraret, ſcilicet, ſeu reſignaret, (quod dicimus) pinguiſſimum ſacerdotij beneficium dominus ædiū qui in ſuperiore cœnaculo diſtendebatur acrimonia doloris, pedibúſque ac manibus, vt ſic loquar, cum Petronio, maledicebat, tantum abeſt vt de abdicanda à ſe tanti reditus poſſeſſione cogitaret. & quia ex edicto, ſubſcriptione opus eſt, aut declaratione cur ſubſcriptum non ſit, oſtendit impoſtor verè Proteus manus inuolutas præ dolore chiragrico, nec poſſe, per valetudinem, vel literulam vllam pingere. Credidit iſtud tabellio ſub-

rusticus,scripsitque declarationē decumbentis,& causam.ficta quinetiam sunt testium nomina quos nec secius domesticos putabat : deceptúsque ita est voce domini quam exitiosus ille ludificator fallaci adeo imagine reddiderat. Sic abiit accepta mercede,togatúsque præsertim nè scriptum euulgaret, vt in re quam patefieri nondum cuperet. Obiit igitur senex podagricus aliquantò pòst, & cùm apud alterum tabellionem casu hoc ipsum alij cuidam resignasset, vicit tamen adulterious ex alia, quàm voce veri resignantis,successor,qui sibi longè anteà,Pontificio rescripto,consuluerat. Contigisse id apud Aquitanos adiecit, mirantibus omnibus,renuntiator clariss.recenseo autem quia interfui ipse narratæ à tanto teste historiæ : arbitratúsque sum non modò facere id ad quæstionem interpretum,sed ad cauenda etiam scelerata, impia,execrandáque eiuscemodi falsariorum commenta,tantò faciliora,si vel non viderit tabellio loquentem. Sagax, optimúsque vir, tabellio Paris.illustriss. Augustæ,Catarinæ Mediceæ,Henrici III. matri, pergratum sese fat dudum: ex eo præbuit. quòd cùm in Luparano Palatio, instrumentum ingentis pecuniarij reditus perscripsisset, nec illa solitum de vultu velum,ad subscriptionem tolleret,humillima supplicatione hîc obstitit, inquiens religioni sibi esse ex edictis vt contrahentes de facie agnosceret. Adeò istud illustrissimæ Principi placuit, vt ex eo tempore regia ferè omnia constitutorum redituum instrumenta confecerit,vocabatur, Vid Ninan,optimæ meæ secundæ coniugis pater. Adducat nemo supercilium quasi longior sit digressio. E re enim est, cùm de videndis à teste,& notatio seu testantibus seu contrahentibus,instituta sit nostra hæc obseruatio, cuius & insigne auctarium istud fuerit:memoratum enim à me interdum,priuatáque inter diuerbia,anceps Saliceti,de quo suprà,iudicium apud illustrissimum Dom. Ant. Seguerium, Infulatum Præsidem,& quàm formidanda sit vel minima, in testamentis, falsitatum quarumlibet fabricandarum ratio:eámque iccircò aduocationis Parisiensis esse sententiam,vt etiamsi sex alij testes videant,irritum tamen, nulliúsq, momenti esse testamentum,si cæcus sit septimus. Confirmauit verò mihi summus ille vir stare illud non posse tam ob falsitatum periculum, quàm & quia deinde forma ita præscripta sit à lege, vt septem sint præsentes testes. Præsentia autem illa ex oculis maximè, atque ex auditu accipienda est,præsertim vbi de consignandis vltimis elogiis agitur. Et quamuis scripserit Bartolus ad l.1. de verb.oblig.in princ.num. 8. stipulationem posse concipi inter absentes dummodò se exaudiant,censeriq posse præsentes qui in diuersis sint locis, si se audiant : periculi tamen res semper plenissima : nec frustrà proinde dixit Horatius oculos fideles,

Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, ait ille.

Oculus ad cognitionem necessariò pertinet: sic Ficinus in Dionys. de diuinis nominib. præclarè verò Liuius,libr. nono dec.4. *Dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperto tantam rem habituras videretur.* Pro miraculo est, nec trahendum proinde in exemplum, quod scripsit Pasquerius lib. quinto cap. trigesimo quinto. Gallicarum originum,de cæco Argentuliano, vt qui decem pòst annis, ex solo auditu, inter viginti & amplius,qui sigillatim, altérque post alterum, iubente ita iudice,locuti sunt, agnouerit tamen vocem vltimi, id est, nequissimi famuli qui dominum, mercatorem scilicet Lucanum,in Argentoliano monte, occiderat, corporéque in confines vineas abiecto,Lutetiam vnà cum nummis, obligationibúsque dominicis, venerat, postcáque Rhotomagum, vbi, post decem annos, vt dixi, ceu negotiosus quidam, satisque celebris mercator,inquirentibus vndequaque occisi Lucanis hæredibus,captus est citra testes,& ex solis,ducéque vt numine, ductis per coniectutas argumentis, vt solas ex testimoniis de auditu præsumptiones induci dixit Decius, consil. 82. num.1. De his ergo hactenus. Quantum ad probationem amissi instrumenti,de qua in fine textus,seruamus indistinctè decisionem capituli,cùm olim.ext.de priuileg.

Avth. Rogati. ex Nov. 90. §. & licèt.

Rogati vt in testamento non fortuiti,vel transeuntes veniant. Idem est, si post solutionem rogati intersint confessioni creditoris dicentis pecuniam sibi solutam fuisse.

Frequētiſſima hæc ad teſtes, maximè teſtamētarios, vt ſcilicèt togati, i. acciti, & vocati ſemper eſſe debeāt. nec verò ſolæ id Romanæ leges: teſtatur enim orator Iſæus, inualuiſſe hoc ipſū iure Græco, oratio. De Aſtyphili hæreditate, tota p. t. vbi hæc inter cætera, ad veritatē teſtamentorum quæ falſi arguebantur: Ἀλλὰ πρῶτον μὲν συγγενεῖς παρακαλέσας, ἔπειτα δὲ φράτορας, καὶ δημότας, ἔπειτα τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων ὅσους δύναιτο πλείστους. Id eſt, ſed primùm quidem accitis, togatiſque propinquis, poſteà conuicanis, & popularibus, poſteáque aliis neceſſariis, quos potuit, plurimis. plura longè eo loco ad morem iſtum teſtandi Atticum. Faber notat hîc non præſumi togatos, niſi ita conſtet teſtamento, vel inſtrumento, aut niſi ita probetur. Docet verò vſus, rerum magiſter, vocatos ſemper præſumi, niſi in contrarium fuerit probatio, ipſóſque ſeſe obtuliſſe vt teſtes eſſent (dicimus nos Galli, *qu'ils ſe ſoyent ingerez.*) Percucurri ego motum omnium prouincialium ſcriptas de teſtamentis ordinandis formulas, nullam autem reperi quæ vel tantillum de teſtibus togandis, accerſendíſque nominatim adderet. Vidi equidem ſæpiùs allegari in cauſis, quibus ad euertenda teſtamenta ageretur, teſtes inter cætera non fuiſſe rogatos, ex præſcripto huius Authenticæ, ſed vanum id ſemper, atque inſuperhabitum iudicibus, nullúmque vnquam teſtamentum effectu ſuo, per ſolum hunc obicem, excidit. Satis eſt, ſi ſubſcripſerint, ait veriſſimè Wil. Bened. ad cap. Raynutius. in verbo, teſtamentum. 1. num. 90. nihil Itali interpretes quod, ex hac Iuſtiniani Nouella, ad forum: ſteriléſceretque procul dubio meum hoc forenſe ſcholium, niſi præſto eſſent Galli ſcriptores. Primùm enim conſtat ex capitulatibus, lib. 3. cap. 52. voluiſſe Carolum Magnum vt ieiunus ſit quiſquis teſtamento, aut contractui intereſt, vt teſtis. Antiquatum verò iſtud deſuetudine non minùs quàm & quod de Rogatis dixi: fortuitóſque, ac tranſeuntes admitti vt quotidie cernimus, ita & Molinæus hoc ipſum valere in omni negotio ſcripſit, conſil. 31. num. 5. Antiquatum & rurſus quod cenſet Boëtius, qu. 34. diſtinguit ille teſtamentum in ſcriptis à nuncupatiuo, à teſtamento inter liberos, vel ad pias cauſas, & à codicillis, vt ſcilicèt in teſtamento in ſcriptis togati eſſe debeant, in cæteris non. Quæſierim equidem cur ita variè: cùm idem, & par ſit falſorum teſtium metus in omnibus. Quinimò & adiicit teſtamentum eſſe nullum in quo notarius omiſerit, rogatos, vocatóſve fuiſſe teſtes, niſi teſtator manu propria nomina illorum ſcripſerit. nulla lege, ſeu generali, aut prouinciali, nullóque vſu, & more, comprobatum illud eſt, vt ſuprà monui: quaſi quę ſomnia ſibi in eo finxiſſe ad ius Gallicum dicendus eſt. ſatis eſt ſi ſuſcripſerint, & ita ſeruamus, vt ante Boërium docuit Senator alter, interpres nempe capituli, Raynutius. de quo etiam ſuprà.

IDEM A.

L. 15. quæ & pen.

Si quando inuitos teſtes in pecuniariis cauſis ex noſtra lege aliquis detrahere maluerit: ſi quidem ſua ſponte fideiuſſionē ſua perſonæ ſine damno præſtare velint: hoc fieri. Si autem noluerint: non carcerali cuſtodia detrudi, ſed ſacramento eos committi cenſemus. Si enim pro toto litis certamine, iureiurando teſtium credendum eſſe putauerint hi qui eos produxerint: multò magis præſentiam ſuam teſtibus ſacramento eorum credere debent. Sed cùm minimè oporteat teſtes in huiuſmodi caſibus protelari, & pro alienis commodis ſuas inuenire difficultates, diſponimus non ampliùs teſtes obſeruare compelli iudices, poſtquam fuerint admoniti, niſi tantùm quindecim dies, intra quos iudices prouideant, quatenus cognitionem ſuſcipiant in qua teſtes neceſſarij viſi fuerint: vt omninò licentia eis concedatur, & alterutra parte ceſſante, & minimè eos obſer-

uare volente, si per executores admoniti venire noluerint, testes accipere, & alterutra parte præsente quæ eos introducit, testimonia eorum capere. His autem diebus effluentibus, liceat quidem testibus discedere à iudice, nullam habente licentiam eos, postquam abfuerint, iterum retrahere. ipsum autem iudicem, si per eum steterit quominus testimonium præstetur: parti læsæ omnem iacturam pro huiusmodi causa illatam ex suis facultatibus resarcire disponimus.

Baldus legem hanc vocat solennem, pollicetúrque statim à commentarii sui limine recitationem solennem. Cur ita: non video. Duo enim duntaxar præcipua complectitur: compelli posse inuitos testes vt testimonium dicant, vbi autem se stiterint, non posse ipsos recedere ante dies quindecim. Prima igitur illa pars intelligenda est necessariò de testibus, quibus ex iure nulla competebat exceptio vt nè testes essent, purà pater, matérue, aduersus filium, & contrà, libertus aduersus patronum, patronus aduersus clientem, ac similes, de quibus sup. ad principium tituli. hodie autem nostris moribus, variísque ex Senatusconsultis, nemo, etiam in causa ciuili, excipitur, quisquis ille sit, vt iam tractaui ad pandectas, tit. de in ius voc. & aliis locis: seruamus denique summum illud ius Atticum, quo agebatur aduersus eos qui testimonij dictionem defugissent, actióque illa dicebatur λιποματρύριον, à deserto nempe testimonio ab ijs qui vocati in id fuissent; attingit in transcursu, Cuiacius lib. 9. obseruatio. cap. 10. Secũda etiam pars paucis explicari possit, si dixerimus, admissum nũquam à nostris fuisse quod hic sancit Iustinianus de quindecim diebus quibus vocatus testis, postquam sui copiam fecit, seu, comparuit, vt loquimur, expectare debeat donec audiatur à Iudice; nec sanè alia ratione illud fit quàm quæ traditur. in l. sed si quis ex subsignatoribus. ff. quemadmodum testamenta aper. *Sæpe enim cum magna captione à rebus nostris reuocamur: & iniquum est, damnosum cuique esse officium suum*: ait Caius, de ipsis euocatis testibus. Satis igitur vocato testi, si apud iudicem sese offerat: potéstque impunè, citráque multæ vllius metũ, abscedere, domúmque repetere, si postridie quàm aditus est iudex, auditus non fuerit. quæsiui studiosè ab experientissimis quibusdam nostris formulariis, imò & à curiosis præfecturæ Paris. inquisitoribus quid ferret vsus quotidianus: confirmarunt verò mihi quod nunc, per necessariam rescripti huius interpretationem, scribo: quamuis etiam, vt hodierni sunt mores, rarissimè istæ apud nostros quærelæ: desiro videlicèt more veteri, quo iudices ipsi testium dicta excipiebant, dictabántque actuaris. Sanctissimus equidem ille mos, cùm perinde opus sit accuratis, verissimísque testimoniis, cùm res ad testes redacta est, ac optimis, intaminatísque instrumentis, si sola etiam instrumentorum fide ferendum sit iudicium. Sed ab anno 1514. successere ex edictis, in locũ Iudicum ignari, imperiti, fatuíque vt plurimùm in prouincijs lucriores, (inquisitores, seu commissarios, vocant) qui persæpe quod inane est conscribunt, quod autem ad causæ statum valdè, vnicéque conferat, modo per ignauiam, ac imperitiam, modóque per gratiã, sordes prætermittunt. Atuerò & quod periculosissimum, solent illi sæpius audiendi cuiúsque testis curam, ac munus, mandare amanuensibus quorum manus interdum vincat dominicam. Incassum ergò Baldus, dum ait mirabilem esse hunc textũ, notandúmque apprimè iudicibus vt sollicita cura, & opera, subtilique cognitione audiant, perpendant, conscribántque dicta testium. Prouideant Iudices, ait textus, quatenus cognitionem suscipiant in qua testes necessarij visi fuerint. &c. Sic & in l. de minore. ff. de quæstion. *Plurimùm in excutienda veritate etiam vox ipsa, & cognitoris subtilis diligentia affert. &c.* Inde Speculator, tit. de teste. §. 7. cui initium, nunc tractandũ num. 7. vult interrogationem, & examinationem testium nulli posse committi à Iudice delegato, quia, inquit, *industria eius electa est.* & pòst, num. 8. *cautior examinator dictũ cuiuslibet testis curare debet integrè in scriptis redigi. Et num. 13. examinatorem oportet esse prudentem, expertum, diligentem, attentum, fidelem, cautum.* Mera Speculatoris verba hæc sũt, ex quibus liquidò constat, quàm suspecta esse debeat tot emptitiorum, ignorantiúmq; inquisitorum fides in excutiendis, redigendísque testimonijs ex quibus necessarium sequi oportet iudicium, quia videlicèt aliunde res non liqueat instrumentis.

AVTH. EX NOV. 90. §. & hæc omnia.

Sed & si quis ab aliquo aliquid patiatur contra leges, aut aliter læsus, aut damnum patiens testes apud iudices producere voluerit, & eorum testimonia publicare: aduersarius moneatur à iudice, & sic eo præsente iudex attestationes recipiat. Quod si venire noluerit, etiam eo absente attestationes recipiat, & perinde valebunt, ac si eo præsente receptæ fuissent: nec opponere poterit quod ex vna parte datæ sint.

Nullus interpretum qui fragmentum hoc Nouellæ, 90. non referat ad probationes factas ad æternam rei memoriam. sed vt perspicuè ostendi ad l. in lege Aquilia. ff. ad l. Aquil. quæ sit constituenda distinctio inter insolitum, extraordinariúmque probandi genus, quod nempe antecedit semper grauis quædam calamitas, & aliud, quod protritum in foro, quotidianúmq;, vbi ad obuia quæque negotia metuimus nè, lite nondum cœpta, probationes nostræ intereant, vel per absentiam testium, vel mortem, quam breui futuram prospicimus, itaut & speciali ex eo, denominatione, dici, vocaríque soleat ea probatio à nostris, examen in futurum, vide omninò quæ cōieci ad d.l. in lege Aquilia. longè enim plura in hoc, & illud meo illo satis amplo scholio, ad rerum forensium, quibuscúmque in locis, necessaria experimenta reperies quàm in longis Barroli, Baldi, Saliceti, Pauli Castr. Paciíque nuperi paginis, quas nè, quid præterirem, perlegi ferè inuitus cùm solum hoc ex Baldo notandum occurrerit, vtrùm scilicèt admittenda sit ex vno dumtaxat teste inquisitio ad æternam rei memoriam, cùm ex duobus falrē, aut tribus constare debeat omnis, quæcúmque illa sit, probatio. censet verò ille contrarium: *nam ista receptio*, inquit, *fit ad cautelam in futurum, vt notatur in cap. significauit de testib. & in cap. Albericus. eod.* verba, rametsi rudiuscula, immutare non potui, vt mens arguti illius interpretis sit clarior. paucis ergo habes quò ferat vsus nostræ huius Authenticæ: boniq; consulant quos meas hasce commentationes modò breuiores, quasique in transcursu factas, dictitare audio, modóque etiam culpate quòd pro locis, & quæstionibus, quatum immensa varietas, citatum vidcant ex Raguello, antecessore Bituricēsi, quippiam, modóque ex Loërianis Miscellaneis, atque ex aliis quibusdam rerum forensium interpretibus. Optimi sunt illi ad forum Gallicum, cuius doctrinam, atque institutionem ad singula iurisconsultorum responsa, imperatorúmque rescripta, quà fieri possit, comparo. Auius, intentatúsque est anterioribus nostris omnibus locus: perlegendíque mihi fuerūt, ac sigillatim connotandi, quot quot ferè à Capitularibus Caroli Magni, de re forensi, & Gallica, in hunc diem scripserint. Adieci verò etiam de fundo Attico, Romanóque exotica varia quæ sciolis, ac ambitiosulis istis, quibus operosissima esset vel vna, qualem exaro, pagina, non ita facilè, nisi per longas noctes, comperta fuissent. haud alia denique merces scribentium, qui quasi conuiuis pluribus parant quod vnius palato gratum veniat, alterius non. fœlices tamen, quorum ita adornatus labor, ac munitus, vt possit ferre ætatem.

IDEM A.

L. vlt.

Cùm apud compromissarios iudices testes fuissent producti, variatum erat vtrùm deberet eorum depositionibus in iudicio litigator vti, an non esset audiendus. Sancimus igitur, si quidem in compromissis aliquid

quid pro huiusmodi causis statutum est, hoc obseruari: Sin autem nihil conuentum est in huiusmodi casibus: si quidem supersint testes, licentiam habere eum contra quem depositiones eorum proferuntur, si eas recusauerit, concedere testes iterum adduci, & non opponi eis quòd iam testimonium non dederint, vel si hoc concedere minimè maluerint, depositiones eorum quasi factas accipere: omni iure legitimo, quod eis competit, aduersus eas seruato.

Componendum omninò cap. præsentata. ext. hoc titu. quod inde acceptum est. & l. 5. seu penult. in fin. sup. de arbitr. Notandus verò hîc textus, vt, vbi de probādis à Reo quæ ad ipsius innocentiam, allegata sunt, (dicimus vulgò, *en preuue de faits iustificatifs*) quilibet testis admitti debeat, etiam frater: citatúrque de more Baldus ad l. parentes. sup. hoc tit. sed, nè quem fallat Classici interpretis auctoritas, Baldus eo loco loquitur non in genere, sed per exceptionem, veluti, si testimonium fratris nemini noceat, vt in purgatione fratris, de hæresi, ait ille. Tamen, adijcit hîc glossa, iurabunt testes iterum, si in noua instantia, & coram alio iudice producantur denuò. secus si in eadem instantia repetantur, ad interpretandum id quod minus clarè dixerint, qui enim declarat, nihil de nouo inducit. sic glo. quam & sequuntur interpretes. seruamus autem vt hoc faciat iudex nobili officio, (vulgò dicimus, *d'office & sans requisition de la partie.*) Seruamus etiā vt, quamuis acta omnia quæ apud arbitros conscripta sunt, rata maneant, si lis, vt sæpè fit, ad iudices ordinarios redeat, (ita enim iudicatum, perorante Ant. Amaritonio, recenseóque iudicium ad Pandectas) repetantur nihilominus testes qui ab arbitris auditi sunt. Rationem quidem affert Baldus hîc, quia facilè mentiantur testes apud arbitros, quàm apud iudices: Sed vt hodie ex edictis excipiūtur testimonia, dispar ferè haud fuerit apud interrogatum testem religio, cur hîc, vel illic eōtineatur arctiùs in officio, cùm haud ampliùs iudices inquirant, sed ignari, audaculi, temerarij, imperitique vt plurimùm, quippe, empto ab ipsis, qualescumq; fuerint, munere, vt iam dixi suprà hoc eod. tit. Itaut apud arbitros, vt egregiæ, electæque probitatis, ac peritiæ, esse consueuerunt, longè tutior probationis fides censeri debeat. Vide cætera ad l. ob carmen. §. vlt. ff. hoc titu.

TIT. XXI. DE FIDE INSTRVMENTORVM, ET AMISSIONE EORVM, ET APOCHIS, ET *antapochis faciendis: & de iis quæ sine scriptura fieri possunt.*

Alteram nempe probationis ratæ, fixæque speciem explicant compositores Iustinianei: Vt enim titulo præcedenti de testibus, ita & nunc de instrumentis. præcedit autem in Pandectis titulus, de fide instrumentor. titulum, de testibus, quemadmodum videmus hîc econtrà anteponi titulum, de testibus, titulo, de fide instrumentorum, vt ex alternato eo ordine ad responsa Iurisconsultorum, & Imperatorum rescripta, doceat Iustinianus, eamdem haberi oportere fidem testibus, ac instrumentis, & econuerso: testibus scilicèt si modò sint vel duo dumtaxat, omni exceptione maiores. Instrumentis verò, si de scripturæ veritate, ad omnia, suprà, infráque, capita, constet. Inde etiam fides testium, nec minùs quàm instrumentorum, dicitur, passim toto titu. de testibus. ff. Imò & quinque testes opponit instrumento, in l. Testium. titu. praeced. vt effectum elidat, de quo dixi ad d. l. testium. Conscribuntur ergo instrumenta, vt nè opus sit fide vlla testium, vocantúrque propterea à Baldo, consil. 400. lib. 5. probationes probatæ: imò tantæ auctoritatis, momenti, ac ponderis esse vult, vt & adijciat de ipsis dici posse, *noli me tangere.* latè istud persequitur Tiraquellus, *s.* 2. glo. 1. num. 20. de retractu. atque ante

eum, Senator Neapolitanus, Thomas Grammaticus, decis.45. in decisionib. Neapol. hoc denique aduersus testimonia obtinent, vt si nihil insit κατ' ὄψιν, vnde eleuetur fides, id est, vt loquitur Imp. in l. vlt. de ed. diui Hadr. toll. *si non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacumque suae formae vitiatum, sed quod in prima figura, sine omni vituperatione appareat*, vindiciæ secundum eũ dici soleant qui ex huiuscemodi instrumento, testamentóve egerit. at verò vel si falsi arguatur alterutiũ, l.2. inf. de crim. falsi. In testimoniis autẽ secus, tametsi vel vnum os foret sexcentorum testiũ. quod & eò magis hodie, pétq; morẽ Francicũ, quo, si de ciuili causa agatur, testibus factũ nihil est reliqui, præter centũ librarum fidem, vt variis locis attigi & suprà, & ad Pandectas. Vnum subnotabo de vindiciis, quas suprà attigi, seu de *recredentiis* ecclesiasticis, vt loquimur, quod moris hucúsque incerti, ac ambigui fuerat. Pronuntiauit enim, ordo ampliss. ann. 1619. die 4. Maij, iudicari eas posse ab vno, solóque iuridico regio, nec accitis aliunde sex aliis iudicibus, quicquid statuat constitutio anni 1539. art. 62. irritum, nulliúsque momẽti fore vindiciarum Beneficialium, seu, *recredentiarum*, iudicium, nisi interfuerint septem iudices. Valent enim etiam ex vno, solóque, vt dixi, iudice, dummodò contradictum sit iudicium. nec summum illud ius constitutionis, nisi apud Recuperatores Basilicanos, Præsidalésque iudices, quorum semper consessus plurimus. litigatorum nomina, Daniel Typhenius, & Cat. Gorlidot. litem explicuit in interiore concessu, Dom. Muratius.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Debitores tuos quibuscúmque rationibus debere tibi pecuniam si probaueris: ad solutionem compellet aditus præses prouinciæ: nec oberit tibi amissio instrumentorum, si modò manifestis probationibus eos debitores esse apparuerit.

Amissio instrumenti probari potest per testes qui sese illud vidisse, & perlegisse referant, cap. olim. de priuileg. lib.5. decr. eóque iure vtimur. debitum verò probari non potest per testes ex edicto Gall. si petitio egrediatur centum librarum summam, nisi adiuuetur probatio vel tantillum scripto quolibet. etiam fortuito, vt notaui sæpius.

IMP. ALEXANDER.

L. 2.

Si vteris instrumento, de quo alius accusatus falsi, victus est, & paratus est (si ita visum fuerit) à quo pecuniam petis eiusdem criminis reum facere, & discrimen periculi pœna legis Corneliæ subire: non oberit sententia, à qua nec is contra quem data est, appellauit: nec tu qui tunc crimini non eras subiectus, appellare debuisti.

Paucis: nemo prohibetur vti instrumento, de quo alius accusatus falsi victus est, nec appellauit. Sententia enim aduersus vnum ex cohæredibus prolata neque ipso iure tollit obligationem, neque cohæredibus nocet, l.1. ff. de except. rei iudic. Ratio autem generalis ἐκ καθ' ἡμᾶς, cùm ea sit, vel quia prolusoriè actum est, vt in singulari l.2. de coll. deleg. ff. vel quia nimia condẽnati ignauia, incogitatia, ac securitas, vt apud Fab. decl. 266. & 300. Imperatores Diocl. & Max. sanciunt ex eo, velútq; iterata prohibitione, in l. vlt. inf. quib. res iudic. non nocet, *vt nè vel in simili negotio res inter alias acta absenti praiudicet. saepe ita constitutũ est:* verba sunt vltima legis illius breuiusculæ. Glossa deniq; legem hãc

tam de duobus cohæredibus, quàm de duobus Reis credendi intelligit. Bartolus negat de duobus Reis credendi, quia tunc, inquit, sententia lata contra alterum, nocet & alteri. Sed acceptior nihilominus sententia glossæ est, quòd nec de cohæredibus, creditoribúsve dumtaxat, sed de cæteris quibuslibet, in quantum videlicèt iudicio contra absentes, ac indefensos lato vti voluerit qui illud obtinuerit, arg. d.l. vlt. & l. cùm quæritur. & duab. seq. ff. de except. rei iudic.

IMP. GORDIANUS.

L. 4.

Illata dispensatori pecuniæ, si ob amissorum instrumentorum casum, probatione defeceris, inspectio rationum fiscalium fidem demonstrabit.

Id est, vt explicat Glossa, & interpretes, si debitor fisci amisit instrumentum solutionis, procurator fisci tenetur edere rationes fiscales: vt per eas probet solutionẽ. Dispensatorem proinde hîc intellige de susceptore tributorum, aliòve id genus exactore fiscali, dixerimus nos Galli, *le receueur du domaine*, aut etiam, *le receueur des tailles*, quanquam hi, nempe exactores tributorum dare hodie apochas non soleant, sed crucem inscribunt dumtaxat, in Codice exactionum, ad latus nominis eius qui soluit. plura persequerer, nisi iam de edendis, vel non, libris rationem, abundè dixissem suprà, ad l. 1. de ed. totóq; etiam illo tit. ff.

IDEM A.

L. 5.

Sicut iniquum est, instrumentis vi ignis consumptis, debitores quantitatum debitarum renuere solutionem: ita non statim casum conquerentibus facilè credendum est. Intelligere itaque debetis, non existentibus instrumentis, vel aliis argumentis, probari debere fidem precibus vestris adesse.

Pro iusto commentario, videndus Matth. Affl. Senator Neapol. decis. 302. vbi narrat iudicatum fuisse in consilio Neapolitano, ad probationem per testes, instrumenti perditi, opus esse primùm testibus multum peritis, qui possint probè, ac argutè dignoscere an instrumentum, quod viderint, falsum sit, néc ne, & verùm notarij, vel cuiusuis alius qui scripserit, manum, vnà cum sigillo notam habeat. addit verò etiam contestari, enunciaréque eos oportere, an instrumentum illud sit sine vitio: posteà quis eius tenor, quis dies, & quis locus. quæ omnia plurimum conferunt ad intelligentiam, vsúmque capituli, cùm olim. ext. de priuileg. Imò & glossæ quæ docet ex d. cap. cum olim. satis esse in instrumentis exustis, si casus per duos testes probetur, qui aliquando anteà legi audierint. quod adeò sequitur Io. Faber hîc, vt dicat, plus credi testibus qui instrumentum viderint, vel legi audierint, quàm exemplo. hodie autem vsitatum nobis est quod ex d. cap. cum olim. doctrináque Baldi, & Pauli, Castrensis, traditur: atque in hunc modum: Primum enim inquisitione opus est qua incendium non modo probetur, sed combustas simul fuisse plures chartas, schedas, libros, instrumenta, quarum & reliquias longè plures de flammis euolantes, aliásq; posteà, si ita casus tulerit, exstantes viderint. Deinde verò adesse oportet testes qui cathegoricè, nec ambiguè renuntient non modò vidisse se, ac legisse instrumentum, sed quid complecteretur. Ille est vsus, capituli, cùm olim. vt vidi non semel, ac notaui, iudicandiq; mos nec alius apud Senatum. Dicámq;

obiter priuilegium familiæ Eudonis maioris, de immunitate vectigalium, quod abrogatum est anno, 1601. (durauit annos quingẽtos) auctoritate haud alia constitisse quàm testimonio quatuor Abbatum, putà S. Genouefæ, S. Dionysij, S. Maglorij, & S. Mauri, qui omnes asseruerunt vidisse se, ac legisse vetus archetypum, seu autographum, quo scriptum erat in hæc verba, *quod nullam consuetudinem dabunt in tota terra Regis*. Deperditum verò illud fuerat non equidem incendio, sed carie, & putredine, cùm per belli Anglici tempestates varias, ac longissimas, inclusissent Maiores, illi posteri pariete, nec nisi diutissimè posteà emouissent nõ chartam, aut membranam, sed meram putredinem. scribo ista eò accuratiùs quòd ab anno 1585. patronus totius illius immunis familiæ, quam aliàs vocitant, *de Castello S. Mars*, fuerim, ad annum vsque 1601. quo, vt dixi supra, ex edicto speciali priuilegium penitus sublatum est, caussámque de eo vltimam eo ipso anno perorauí in subsidiorum curia: actióque nostra ex eo tempore typis excusa est.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 7.

Si solennibus stipendiis honestè sacramento solutus es, licèt super huiusmodi re, instrumenta (vt dicis) perdita sint: tamen si aliis euidentibus probationibus veritas ostendi potest, veteranorum priuilegia etiam te vsurpare posse dubium non est.

Suppleri ergo testimoniis concedunt benignè Diocletianus, & Maximinianus libellum honestæ missionis à veterano isto supplice deperditũ. Cur autem tam facilis fuerit illa impetratio, duæ causæ sunt: Prima est ex persona militari, cui ferè nihil vnquam denegatum à Romanis Principibus, maximè ab rescripti istius auctoribus, vt ostendo ad tit. de pact. sup. Altera causa est, ætas prouectior, exacta aliunde in expeditionibus bellicis. Tunc enim assignari solebant prædia longè plurimis vnde victitarent ad vitæ residuum: tractaui ad l. Lucius. de euiction. & aliis locis, vbi ago de oblatis nostris militibus, quibus, quasi instar prytanei, assignat etiam Princeps modicum apud nos in monasteriis dotationis olim regiæ, prouentum. De prisca illa missione militari, quotidianus textus in l. 2. ff. de his qui notantur infam. Modus verò vtendi in subsidiorum curia ille est, vt quisquis priuilegio veterani frui desiderat, diploma impetret à Principe, doceátque testimoniis ducum militarium, quibus in præliis militauerit, & quot annos. frequentes eiusmodi controuersiæ in ea curia, ob capitalium illationum, seu talcarum, vt loquimur, immunitates. frequentiáque etiam, testimoniisque redemptis conuelata mendacia, quæ non nisi subtilis cognitoris diligentia detegit. Memini cùm anno 1597. pro quodam Wirchiano causa ageretur, nitebatur ille egregio sanè rescripto Principis, ac testimoniis duobus, aut tribus ducum sub quibus militasse se aiebat. Casus autem tulit, vt, cùm miser ille, rusticus certè, & agricola dicendus magis, quàm miles, causæ, medióque in auditorij atrio, interesset, ac obijcerent aduersarij populares, qui ærarium esse oportere contendebant, numquam ipsum militasse, sed vilem rusticum, fartorémq; esse, qui à non ita multis annis gladio sese accinxerat, rurique quasi veteranus agebat, interrogauit experientissimus, humanimúsque Præses, Chandonius, quibus in exercitibus militiæ munus obiisset, & quas pugnas inijsset: Rusticum autem adeò fuit hominis responsum, támque ignarum rei bellicæ, vt & quia aliunde nec pugnæ Monconturranæ, in qua se meruisse aiebat, vel leues notas, locum, annum, duces, & cætera id genus militaria signare poterat, causa, diplomatisque sui beneficio planè cecidit, ærariusque pronuntiatus est, qui si auditorio abfuisset, nec sese sermone tam imperito, (quod numquam existimassent vel sagacissimi, erat enim annosus, & satis cultus) prodidisset, melius forsan ei cessisset fori disceptatio, quæ cùm hinc illinc scriptis, instrumentisque agitaretur à patronis, propè iam ampliùs deliberandum sentiebant iudices. Ita sæpis-

simè mouet litigatoris præsentia,& sermo,(quod in auditoriis creberrimum) vt iudicetur ex temporali iudicio,quod alioquin,eóque absente,moraretur iudices. paret sæpissimè tam arguta eorum solertia,vt eliciatur interdū vel ab inuitis inopina veritas. Nic. Odespunius pro popularibus Wirehianis agebat. hucúsque igitur de veteranis, quæ est rescripti istius hypothesis. Decisionem etiam proferunt Baldus, Paulus Castr. & Salicerus ad docturas,seu doctoratus,vt vocant,ad scribatus,& similia:vt nimirùm qui doctoris insignia adeptus est,instrumentúmque amisit,possit probare per eos qui solemnibus interfuerunt,doctorem se esse,aut licentia docendi,profitendique donatum. Sexcenta sunt similia , vulgatáque est, & quotidiana ad huiuscemodi disceptationes hæc constitutio.

IIDEM AA.

L. 9.

Instrumentis etiam non interuenientibus , semel diuisio rectè facta non habetur irrita.

Vide omninò ad l.non ideo.suprà famil.hercisc.ad l.si maior. commun.diuid.& ad l.maioribus.commu.vtr.iud. absoluta enim ibi ad quæstionem huius legis sunt scholia.

IIDEM AA.

L. 12.

Non iccircò minus in vacuam inductus prædij possessionem donationis causa,quod eius facti prætermissum instrumentum asseueratur,hanc obtinere potes.

Paucis: Traditio possessionis,seu adeptio , probari potest non minus testibus quàm instrumentis. Vulgò dixerimus nos Galli, *la prise de possession vaut autant par tesmoins, que par acte.* Interijcio vernaculum hoc,quia eo sensu accipienda sunt verba hæc Andensis consuetudinis,art.346. *en faisant adiourner l'acquereur en demande de retraict, ou faisant saisir les choses dedans l'an,& iour du contract,ou de la possession prise, &c.* vide quæ congessi ad l.2.ff.de action.empt.

IIDEM AA.

L.14.

Scripturæ diuersæ fidem sibi inuicem derogantes , ab vna eadémque parte prolatæ,nihil firmitatis habere possunt.

Sic in l.188 de reg.iur. *Vbi pugnantia inter se in testamento iuberentur, neutrum ratum est.* Sic & in l.si Titius.ff.de condition.institutio.inutilis est institutio ita facta, si Titius hæres erit,Seius hæres esto,si Seius hæres erit,Titius hæres esto. existere enim non potest conditio,repugnatéque videtur sibi testator qui ita scribit. Nostra igitur hæc l.& d.l.si Titius.rectissimè componuntur à Decio ad d.l.vbi pugnantia. Subijcitque distinctionem valdè notabilem:si videlicet tanta sit ea contrarietas, támque præcisa,vt loquitur, vt tolli per idoneas distinctiones,interpretationésque non possit. Cauendum propterea maximè,cùm adornantur instrumētorum productiones ad institutam litem, vt nè quid

Rr iij

inter se pugnet, producta enim semel instrumenta, communia fiunt vtrique litigatori, neque amplius recipi, seu, vt in vernaculo est, retrahi possunt ab eo qui semel protulerit: ita Baldus, vt ad superiorem tit. docui, ita & Chopinus noster lib. 3. cap. 2. de priuilegiis. hæc igitur in instrumentis, ac testamentis. Secus in testibus contraria interdum loquentibus. Spectatur enim tunc quod naturæ negotij conuenit: assumendáque sunt testimonia à iudice, vt docet Arcadius Iurisc. in l. ob carmen. § vlt. ff. de testib. quæ rei aptiora, & vero proximiora esse competerit. dixit popülariter, ἐν παχυμερέστερον, ad hanc l. Bartolus: testes discordantes reduci debere ad concordiam. Si tamen reperiatur aliquis qui verba aduersus ipsum producentem faciat, multum illud equidem officit, maximè cùm & hoc ipsum habent aduersarij testimonia: vidíque eò impegisse nonnullas lites vt nec ex alia causa actori perirent. Dabat verò aliquando rationem Iac. Choartius, (vir numquam satis in foro laudatus, & cuius propterea tam sæpe ad Pandectas, memini) cur aliud in instrumentis inter se pugnantibus, aliúdque in testimoniis. Instrumenta, inquiebat ille, semper certa sunt, nihílque complectuntur quod non potuerit aduertere, legendo, ac relegendo qui ipsa emittit. Testes autem fallunt sæpissimè: aliúdque vt plurimùm cùm producuntur, dicturos sese spondent quàm posteà apud iudicem, inquisitorémve respondeant. Adeout culpa nulla producenti imputari debeat si nonnulli interdum fallant fidem, si varient, vel ambiguè, aut contraria loquantur: potéstque eo casu probatio ex aliis quorum consentientia sint testimonia, suppleri, confirmari, ac refici. Seruant postremò religiosissimè iudices, vt si tres, quatuor, aut ampliùs intercurrant in iudicando opiniones, ad duas semper redigantur, quarum illa vincat cuius maior comperiatur numerus.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 15.

In exercendis litibus eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quàm depositiones testium.

Addit Io. Faber, nec valere instrumentum, si à propriis testibus, id est, instrumentariis, ait ille, destituatur, vulgò dicimus, *si les tesmoins instrumentaires le destruisent.* de quo quia dixi ad tit. superiorem, plura non subiungam. Cùm autem tribuatur hîc vis eadem testibus quæ & instrumentis, docui suprà quantò nihilominus maior, atque efficacior sit instrumenti incontaminati, ac optimi, auctoritas. Instrumentum enim probatio probata est, inquit Decius, consil. 36. præsertim in antiquis: nec proinde necesse est probare, eum fuisse notarium, cuius nomen in instrumento publico. vtq; solus ille est qui instrumentum excipit non modò, sed & conficit, vltimámque ei subsignatione sua formam induit, (dicetur ad l. seq. fusiùs) ita & Faber notat, æquipollere ipsum duobus testibus. si tamen, ait & hîc Bartolus, duo de testibus adscriptis inficientur, asserántque se non interfuisse instrumento, falsum illud est, nisi aliis testibus fulciatur. censétque, vt maior inficiantibus illis constet fides, probandum esse alibi eos tunc temporis fuisse. Secus si se non recordari dixerint. sic ille. claudi denique nostrum hoc scholium necesse est infœlicitate nostri seculi, quæ eò prouecta est vt, quod numquam anteà, testium nostrorum fides ad centum librarum Francicarum summam redacta sit, ita enim memoratum à me toties edictum Molinense, artic. 54. cuius imperiosissimus vsus est apud nos in re qualibet, imò & in deposito, nisi ex scripto aliquo, qualecúmque illud sit, probatio cœpta sit, vt dixi suprà, atque ad Pandectas, variis locis. Addam vnum, nè deterius forsan nobiscum, eo nomine, agatur, quàm cùm cæteris apud quos nec minùs coërcita sit illa per testes probatio. Liquet enim ex Bartolo ad l. certi condictio. §. quoniam. ff. si cert. pet. nouum, alienúmque non videri si prohibeatur hoc staturis. tradit verò Salicetus ad l. seq. contractus. num. 7. cautum esse nominatim statuto Bononiensi, nè probatio per testes fiat in re pecuniaria, vltra quinquaginta librarum summam.

IMP., IVSTINIANVS.

L. 16.

Contractus venditionum, vel permutationum, vel donationum, quas intimari non est necessarium: dationes etiam arrharum, vel alterius cuiuscúmque causæ, quas tamen in scriptis fieri placuit: transactionum etiam quas in instrumento recipi conuenit, non aliter vires habere sancimus, nisi instrumẽta in mundum recepta, subscriptionibúsque partium confirmata, etsi per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremò à partibus absoluta sint. vt nulli liceat priusquàm hæc ita præcesserint, vel à scheda conscripta, (licèt literas vnius partis vel amborum habeat) vel ab ipso mundo quod necdum est impletum, & absolutum, aliquod ius sibi ex eodem contractu, vel transactione vindicare: adeò, vt nec illud in huiusmodi venditionibus liceat, quòd pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere, vel id quod emptoris interest, ei persoluere. Quæ tam in posteà conficiendis instrumentis, quàm in iis quæ iam scripta, nondum autem absoluta sunt, locum habere præcipimus: nisi iam super his transactum sit, vel iudicatum, quæ retractari non possunt: exceptis èmptionalibus tantùm instrumentis, iam vel in scheda, vel in mundo conscriptis, ad quæ præsentem sanctionem non extendimus, sed prisca iura in his tenere concedimus. Illud etiam adiicientes, vt in posterum si quæ arrhæ super facienda emptione cuiuscúmque rei datæ sunt, siue in scriptis, siue sine scriptis, licèt non sit specialiter adiectum, quid super iisdem arrhis, non procedente contractu, fieri oporteat: tamen & qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, in duplum eas reddere cogatur: & qui emere pactus est, ab emptione recedens, datis à se arrhis cadat, repetitione earum deneganda.

Quatuor hic obseruationes: qnid, schedam conscribi: quid: contractum in mundũ redigi: quid, contractum in scriptis fieri: tandémque de Arrhis. Ista autem cùm in vniuersum ad contractus ritè, rectéque ineundos spectent, sic habe: Vbi enim de vendẽdo permutando, transigendo, aut perscribendis pactis connubialibus, alióve contractu serio agitur, quotidiani moris est vt conscribatur primùm scheda, seu exemplum pactionis ab vno contrahentium, qui posteà mittit ad alterum quicquid exarauerit, vt videat ille, emendet, addat, minuat, suppleat, explicet quacumque ratione lubuerit. Sic ergo

Et notat alteruter, delet, mutat, culpátq;, probátq;

Inducuntúrque ac inscribuntur vtrimque plurima modò ad oram chartulæ, modóque intercalaribus lineis. Et postquàm missa, ac remissa sæpius hinc illinc scheda, ambo tandem contrahentes ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt, decurrúntque in vnam sententiam, scheda illa tunc in mundum redigitur, (dicimus nos galli, *le broüillart est mis au net*) fierique tunc contractus in scriptis dicitur, cuius complementum nec prius esse incipit quàm omnes qui contrahunt, subscripserint, tabellióque maximè qui instrumentum conficit. Eo enim sensu accipienda

ſunt verba hæc, *& poſtremò ab partibus abſoluta ſint:* Id eſt, ſubſcripta, vt optimè apud gloſſam. Tunc vero ſcheda, quam dixi, laceratur, ac reſcinditur, vt & nomen ex eo accepit, nempe ἐκ τοῦ σχίζειν, i. lacerare, & ſcindere. Docet enim Nou. 44. in more fuiſſe poſitũ Romanis vt cõtractus ſuos primùm ſcriberẽt Notarii notis, dicebanturq; tunc σχίδαι, quia, vt ſi necdũ cõplemẽtum accepiſſent, lacerari poſſet quicquid ſcriptum fuiſſet. Vbi autem ſemel quod per lituras varias præſcriptũ fuerat, chartæ puræ (χάρτιον καθαρὸν vocat nouella) mandatum eſſet, abſolutum tunc totum negotium dicebatur. πλήρωσις, καὶ τέλεσμα τοῦ συμβολαίου, ait rurſus eadem nouella. Briſſonius, in verb. ſcheda. ſcribit ſchedam id eſſe quod vocitamus vulgò, *minutam originalem.* Sed, pace tanti viri, aliò ſpectat in textu noſtro vocabulum. Diſtinctióque propterea neceſſariò facienda eſt inter ſchedas, quales habet textus, & ſchedas, quas ſeruant in armariis ſuis notarii, ac tabelliones, ipſique actuarii, exceptoréſque forenſes. Sunt enim hæ autographa, & archetypa contractuum, actorúmque iudicialium, quibus ſacrarius, pretioſiúſque nihil eſt. *Fortuna vniuerſorum, refugium & ſecuritas armaria tabulariáque illa ſunt*, inquit, veriſſimè Caſſiodorus, libr. 12. epiſt. 21. Interpretatione iſtud egere exiſtimaui, cùm plures, etiam eruditos, aberrare in eo non ſemel viderim. Redeo ad deciſionem textus, quæ paucis eò recidit, vt dicamus cum Io. Fabro, hic, Contractum in ſcriptis appellari, cùm liquidò conſtat, partes noluiſſe obligari niſi tabellione adhibito, egiſſéque nominatim, ac expreſſè, vt aliàs non valeret contractus niſi eſſet redactus in ſcriptis, mera Fabri verba recenſeo. Imò ſi qui coram notariis cõtraxerint, non priùs obligari intelligendi ſunt, quàm notarii ipſi ſubſcripſerint; eámq; in ſententiam accipienda ſunt verba tituli, Inſtitut. de emptio. & venditio. in princip. *Non aliter perfectam eſſe venditionem, & emptionem conſtituimus, niſi & inſtrumenta emptionis fuerint conſcripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem ſcripta, à contrahentibus autem conſcripta; & ſi per tabellionem fiunt, niſi & completiones acceperint, & fuerint à partibus abſoluta. l. ſubſcripta aut ibi gloſſa.* Quæ diſceptatio cùm bis inciderit in publicis cauſarum actionibus, ita ſemper deciſa eſt à Senatu, putà anno. 1587. diè 26. Febr. Anriæus Robertus. & I. Dauidius dicebant. Agebatur inter mercatores, ſoláque alterius tabellionum deerat ſubſcriptio. Rurſúſque anno. 1594. eod. menſ. Febr. Bauſſano, & Maſſonio patrocinantibus. Notandum iſtud apprimè falleret enim vel bene peritos Decidit enim Boerius, q. 38. diſpiciendum eſſe eo caſu ex aliis eiuſdem tabellionis inſtrumẽtis quis fuerit illius mos in protocolis ſuis, vt videlicèt ſubſignaret, vel non, inſtrumenta eo ipſo momento quo confecta ab eo fuiſſent. Quod & cenſet Thomas Grammaticus deciſio. 106. in deciſion. Neapolitanis. Adiiciendum prætereà de tabellionibus quod quotidianum eſt. Decreuit enim idem ordo ampliſſimus præhenſionem corporalem aduerſus alterum ex notariis qui dicere, teſtimonio iudiciali, auſus fuerat ſe quidem ſubſcripſiſſe teſtamentum, ſed non interfuiſſe, cùm legati clauſula ab altero notariorũ ſcripta eſt: perorabant Garnerius, & Bauſſanus, anno. 1603. 24. Ianuar. alter litigatorũ vocabatur, *Couſtelier.* Agitatum vidi ſæpius, vtrùm conuentione ſub ſcripta à partibus, qua cautum eſt vt inſtrumentũ à tabellione conſcriberetur, pœnitere interim alterutri liceat, antequàm adeatur tabellio qui inſtrumentum conficiat. pronuntiatum verò ſemper eſt, ex Baldi, ad hanc l. ſententia, conuentionem ſcilicet ratam ſemper manere, pareréque actionem. Pactum enim quodlibet, ait ille, contractus eſt. Ita obtinui anno 1595. menſ. Febr. aduerſus. Thom. Martinum, qui, ex hac l. contendebat formam conuentioni deeſſe, ſine qua proinde conualeſcere non poterat pactio, quippe imperfecta: eóque conſtabat tota ipſius appellatio, interpoſita à Turonenſi iudice, qui pactionem ex mutua contrahentium ſubſcriptione perfectam eſſe dixerat. depellebam igitur ex mente huius conſtitutionis qualem ſupra poſui: deinde verò ex hoc Baldi certiſſimo, æquiſſimóque aduerſus vitilitigatores, axiomate. Item & ex regula ſubſcriptionum, quæ eſt vt quiſquis ſubſcripſerit conuentioni initæ, planè conſenſiſſe videatur, niſi manifeſtè appareat deceptum eſſe, quæ ſunt verba legis, ſicut. §. nõ videtur. ff. quib. mod. pignus. dixi ad eam quod ſatis. Tunc eſt concluſum appoſito ſigillo, ait iterum Baldus, hîc. conſtitutæq; ſemel obligationi renuntiare, aduerſario non conſentiente, nemo poteſt, l. ſicut. ſup. de action. *habita denique fides ipſam & debet obligare fidem:* apud Liu. lib. 2. decad. 3. indeque etiam fidei etymon ex Cic. lib. 4. de republ. apud Seruium.

Æneid *fides*, inquit, *nomen ipsum mihi videtur habere, cùm fit quod dicitur.* Optiméque propreteà Molinæus, ad Alexandrum, lib. 2. consil 16. in hæc verba: *Practicatur*, inquit, *in toto regno, vt sufficiat constare de pacto serio, sponte, ac bona fide facto.* De his hactenus. Quantum ad arrhas, fusè dixi ad l. 5. §. si ei quem. ff. de institor. Addam vnum ex Quintiliano declamatio. 12. pro ciuibus: quod accedit fœlicieer ad nostrum in eiuscemodi arrhis vernaculum. *Prosit mihi*, inquit, *quod apud negotiatores solet, in antecessus dedi.* sic ille. hoc sanè ipsum est quod vulgò nostri dictitant, *auancer le denier à Dieu.*

Idem A.

L. 17.

Iudices, siue in hac inclyta vrbe, siue in prouinciis, secundum ea quæ disposuimus, vt possint, si hoc perspexerint, occasione testium in aliis locis degentium, litigantes, vel procuratores eorum, ibi destinare, vt depositionibus sub vtriúsque partis præsentia factis, res ad eos referatur: etiam in illis seruare volumus qui prolatis instrumentis fidem adhibere exiguntur, vt, si poposcerint in aliis locis, id eis facere permittatur. & hoc si iustè peti iudex inuenerit: similis proferatur sententia: vt postquàm in locis opportunis fides instrumento data, vel minùs data fuerit, referatur negotium ad priorem iudicem.

Singularia duo statuit Iustinianus: alterum, vt si testes audiendi morentur alio in loco quàm vbi iudicium cœptum est, rogetur iudex loci illius vt eos audiat, eíque committat examen: vulgò dicimus, *commissionem rogatoriam*, si nimirùm iudex qui committitur, non sit committente inferior, vt pari in parem non competere imperium, ait lex, ille à quo. §. tempestiuum. ff. ad Trebell. Sin autem sit inferior, purà si committat curia, aut Basilicani recuperatores, aut etiam, si præfectus Paris. alicui ex præfecturæ, Vicecomitatúsque Parisiensis iudicibus, tunc commissio simplex est, mandatique in speciem: in cæteris rogandi sunt iudices: imò apud Neustrinos & maioris sigilli diplomate opus est, vocant, *lettres du grand seau.* Ista nimirùm cùm in ciuilibus causis, ac negotiis obtineant, Paulus Castrensis seruari adeò existimat & in criminibus, vt tota interdum litis instructio mandetur prouinciali iudici: Arduas tamen quæstiones excipit, vt in quibus iudex, cuius prima esse cœpit cognitio, commeare in rem præsentem debeat, per sé que audire testes necessarios. quo & iure hodie vtimur. Sæpe enim & ipsi Senatores in prouincias exeunt, modò vt per ipsos, nec verò per minores prouinciarum magistratus, Senatusconsulta effectum suum accipiant, modóque vt in re capitali inquirant, elogiáque, seu, notorias, (informationes dicimus) conscribant, præsertim si de maximi momenti negotio, intérque optimates, agatur. Sic anno 1586. solertissimus, grauissimúsque Senator, Lazarus Cochlæus Massyliam profectus est, vt executioni mandaretur Senatusconsultum inter illustriss. Annæ Magdalenam de Sauoye, Mommotantij, Comitis stabuli viduam, & Comitem Suzeum, &c. cuius executionis renuntiatio, quæ iam diu penes me est, sexcenta & amplius folia complectitur. sic & clariss. alterum Senatorem, Dionys. Hæreum, scimus adiisse vrbem Aruernam, posteáque Lorachenses, vt illustriss. Reginam Margaritam in possessionem Comitatuum Aruerni, ac Lorachensis ex celeberrimo amplissimi illius ordinis iudicio mitteret. Duo hæc vt eminentiora attingo. Innumera enim inferioris notæ quotannis, per inducias forenses, incidunt, quæ in ciuilibus causis, non iudicis prouincialis, sed alicuius semper Senatoris auctoritatem, ad exequenda quæ decreta fuerint, exerunt. Multò autem minùs inferioribus datur ea prouincia, si inquirendum sit in potentiores. ardet enim tantò magis, de more, ad audiendos in reguli sæuientis tyrannidem, testes, Senatoria, vindex, ineluctabilísque purpura. parco nominibus, & quas in regiones olim, ac nuper itum sit

à delectis prudentissimis, perspicacissimísque Senatoribus, vt testimonia dicerent qui aliàs,& sub locorum meticulosis,territísque iuridicis nè hiscere ausi fuissent. Hactenus de testimoniis,quæ,pro causis,& personis mandantur, vel non, regiis prouinciæ cuiúsque magistratibus. Altera pars legis in instrumentis pretiosissimis, veluti, inquiunt hîc Bartolus,Baldus,Faber,aliique interpreres, si de magnarum hæreditatum testamentis, priuilegiorum, instrumentorúmve archetypis oriatur disceptatio, cùm scilicet aliò citra periculum deferri non possint:iudex, eo casu,mandare debet, rogatorióque rescripto, vt suprà dictum est,loci illius iudici, vt apud se deponat id de quo fuerit controuersia:vtque illud videant, inter ipsius inoffensas manus, quiqui sua interesse dixerint, imò & vt exemplum membranæ, aut chartæ accipiant. Quotidianus hodie ille mos, vbi de instituenda apud Basilicanos recuperatores lite ex cuiuscúmque pecuniæ chirographo, agitur, vt chirographum illud, ad agnitionem, denegationémve, deponatur ap id acta, reúsque debendi, vt eò ad agnoscendum, diffitendúmve,vt dixi,veniat.vocati tamen eum in hoc ipsum necesse est.

AVTH. EX NOV. 90.

Apud eloquentißimum aliquem iudicem, vel defensorem ciuitatis, siue à prouincia in prouinciam, vel ab vrbe in vrbem, siue ab vrbe in prouinciam hæc petantur. Sed hoc in ciuilibus tantummodò causis. Nam in criminalibus testes apud iudices repræsentandi sunt, & , cùm res exegerit, tormentis subijciantur.

Docet paucis,testimoniorum dictiones posse mandari, in ciuilibus,ea forma qua suprà, ad legem præced.ostendo, putà vel iudici peritissimo in prouinciis, qui propterea delegare alteri munus istud non possit, cùm electa sit ipsius industria, vt notat Paulus Castr.ad d.l.superior. nihil enim hîc scripsit: aut etiam defensori ciuitatis. In criminibus autem statuit indistinctè nè, quacúmque ex causa iudex, cuius notio sit, per alium istud,sed vt per seipsum. Ratio fuerit ex l.de minore. §. tormenta. de quæstion. ff. vbi præscribit ingeniosè Arcadius Iurisc. quòd, ad excutiendam criminis admissi veritatem, conferat vox ipsa seu Rei,seu testis, & subtilis cognitionis diligentia. Nam & ex sermone,& ex eo qua quis constantia,qua trepidatione quid dicat, Reus, vel testis, & cuius existimationis quisque in ciuitate sua est:sic ille.seruamus verò & hoc ipsum religiosissimè. Sique agendum sit in potentiores qui in prouinciis testes clanculum terreant, persæpè vidimus, postulantibus enixissimè quorum intererat, atque ad exemplum,profectos Senatores modo in Boiorum regionem (Borbonios dicimus) eò enim se contulit, auctoritate Senatus,Dom. des Landes, auditorij maioris Senator sagacis. ad excipiéda testimonia cædis Comitis de Charlus:modóque Burdigalam: quò etiam accuratissimus alter Senator, Dom.Catinatius, profectus est ann.1612.ob cædem Pontacij,occisi,media in Burdigala,à Cadillacio,cuius,vt & Pontaciorum,in vrbe,atque in prouincia,ingentes opes,consanguinei,amici.& quocúmque res tulit, vt ex fide maiori testium quorum alioquin liber terrore esset animus,conscriberentur elogia. Ista videlicet κατὰ πόδα,sigillatimque ad verba textus,& quantum ex iis trahi possit ad morem Gallicum. Subijcio nunc quæ iamdudum,atque ex ipsis scholarum pulpitis, didici: imitatione nimirum delegatorum,de quibus & in l.superiori,& in hac Nouellæ 90.epitome, institutos fuisse nostros inquisitores per vniuersam Galliam, ann. millesimo quingentesimo decimo quarto (vocamus vulgò, *Enquesteurs*) similes verò, & plures sunt textus,putà lex,solet.ff. de off. proconf. qua mandatur legato proconsulis vt audiat custodias:item lex, Arbitro.qui satisd.cog.ff.& cap.super quæstionum articulis.de off.deleg. vide &, si lubet,in stylo Parlamenti, parte 3.tit.46 §.9. atque ibi Molinæum,qui damnat quòd,in parte iudiciorum tanti momenti,qua scilicèt de non fucata rei veritate,ex testimoniis, agitur vt ex his iudicetur, vænalia nihilominus sint ea officia, quæ con-

trà optimis, peritissimísque viris, adhibitóque delectu maximo, conferri deberent. sed quorsum querelæ inanes in fracto vndequáq; seculo, nostráque hac ætate potissimùm, qua, seu in profanis, seuque, (quod horridum) in sacris, nulla, nisi præfulgeant pecuniarum ingentes moles, munera publica: ita ut dici possit solam Νομοφυλακίαν, ipsúmque regni annulum, immunes esse proscriptionis istius publicæ. Augustissimo, iustissimóque Ludoico nostro bene in dies, & horas precatur sua Gallia, vt, deturpata tot infamibus maculis sæculi,

———*redeant in aurum tempora priscum.*

dicatúrque de tanto Principe quod olim de patre populi, Ludoico, XII.

Fælix qua tanti fulsit lux nuntia Regis,
Gallia non alio Principe digna fuit.

Inscriptum hoc Blæsani Palatij, vbi natus Lud. XII. vestibulis.

IDEM A.

L. 18.

Plures apochis vel redituum, vel vsurarum perceptis, si quando super his fuerit dubitatio exorta, eas habere se negando, ius agentium faciunt vacillare: cùm coloni aduersus dominium certantes, & sibi iniquam fortè libertatem vendicantes, vel debitores creditoribus suis temporalem præscriptionem opponere cupientes ad easdem inficiationes perueniunt. Quod resecantes, iubemus, vt in præfatis casibus, vel aliis priuatis similibus: si voluerit is qui apocham conscripsit, vel exemplar, cū subscriptione eius qui apocham suscepit, ab eo accipere, vel antapocham suscipere. omnis ei licentia hoc facere concedatur, necessitate imponenda apochæ susceptori antapocham reddere: ita tamen, vt si hoc is qui apocham conscripserit, facere neglexerit, vel non curauerit, nullum ei præiudicium ex eo quod apocham non receperit, generetur: cùm hoc quod pro quibusdam introductum est, inferre eis iacturam, minimè rationi conueniat æquitatis.

Verba Cuiacij hæc sunt ad tit. 22. de apochis publicis. inf. lib. 10. Apocha est professio solutæ pecuniæ Antapocha, est exemplum apochæ subscriptum à debitore, & creditori datum, & hanc veram esse definitionem antapochæ probat lex, plures. de fid. instrum. sic ille, qui & posteà persequitur, cur apocha dicatur securitas, & ἀμεριμνία, & ἀποδείξεις, sæpissimè in Nouellis, ac libris Βασιλικῶν. explicat verò valdè eruditè, vt omnia, locum Petronij, *Redde mihi apodixim defunctoriam*, id est, inquit, remissionem senilis ætatis. Locus Cassiodori, quem subiungit, citatus longè anteà fuerat à Luca Pennato, ad eumdem tit. de apochis. nec verebor & hic [illegible], recensere, cùm aperiat verissimè cur apocha dicatur etiam securitas. *Meritò*, ait, Cassiodorus lib. 11. *testimonium solutionis securitas dicitur, de quo non solùm animus sed substantia communitur.* sic Cassiod. haud abs re, autē, opinor, fuerit, vt impellit incidens loci hortamentum, meminisse hîc vnde duxerimus nos Galli nostrum, *quittance*, pro eo ipso quod securitatem vocari à Romanis cernimus. nemo bene peritus respuat: didici olim à Doctiss. Pythæo, aliisque posteà in literaturæ humanioris amœnitate versatissimis, Gallicum istud, *quittance*, & *quitter*, dici quasi *quietationem*, & *quietare*: quòd nimirùm, vt συνωνυμικῶς scripsit Cassiodorus, qui ære alieno se liberat, mirabilem animo quietem, securitatémque pariat. Verùm de his satis. ferè enim iam audio qui me, dum hæc legit, Grammaticæ inanitatis (ita enim scioli) insimu-

nes non aliter fieri concedimus, nisi iuramento antea prastito, ab his qui comparationem faciunt, fuerit affirmatum, quod neque lucri causa, neque inimicitiis, neque gratia tenti, huiusmodi faciunt comparationem.

AVTH. EX Nov. 50. §. illud.

Adhec. Item & charta, qua profertur ex archeio publico, testimonium publicum habet.

Tria ex his eliciendа sunt: quæ fides ex litterarum comparationibus: quæ fides habenda peritis scriptoribus quibus comparationes illæ commissæ sunt: & quatenus inhærendum sit instrumentis prolatis ex archiuo seu publico, regio, dominico, & ecclesiastico. Duo prima paucis complectitur Baldus hic, num. 34. in hæc verba: *Scriptura ex qua fit comparatio, nihil aliud est nisi quoddam argumentum à simili, & verisimili.* Nihil enim fallacius, cùm ætas, valetudo, temporisque opportunitas, aut difficultas, naturalem scriptionum causam mutare soleat: in quo singularis textus, omissúsque ab omnibus interpretibus in l. si non sortem. §. sed si. ff. de condict. indeb. ad eam dixi. Indéque etiam numquam boni, cautique iudices vindicias, ex incertis illis indiciis, dicunt, (prouisionem vulgò nuncupant) quæcúmque accitorum scribarum testimonia videant, sed liti principali cognitionem illam adiungunt. Apposite Thomas Grammaticus, Senator Neapolitanus, decis. 84. in decis. Neapolitan. cùm ait, non sufficere testimonium eius qui asserat, scripturam defuncti, quæ offertur, esse veram, séque illam agnoscere quia defunctum sæpe, ac sæpius scribere viderit, nisi simul & hoc adijciat, se nimirùm interfuisse, cùm id de quo agitur, scriberet. permagna enim captio est in similitudine literarum, earúmque imitatione. Quæ ars falsariorum maior, quàm Prisci illius Emeseni, de quo Suidas narrauit historiam, vulgatam eruditis, ad l. vlt. sup. de sacrosf. ecclesf. Iussisse ferunt Herricum Magnum, iustissimi nostri Ludoici parentem generosissimum, vt includeretur carcere formidabilis falsarius qui tam ingeniosè, ac peritè fingere, imitariq; omnium scriptiones nouerat, vt veram à ficta, & mendaci dignoscere haud possent scribarum peritissimi, argutissimi, perspicacissimi. Denique compertum habemus plus satis, suspecta adeò esse iudicibus ea comparationum iudicia, vt ferè insuperhabeant, litésque aliunde ex instrumentis iudicialibus, perpensáque personarum existimatione, dirimant: ratóque accidit, cùm omnis falsitas à mendacio oriatur, & in mendacium desinat, (fingit enim imitatione verum, quod non est) non etiam tandem emineat, ipsamet, si sagacitate animi obseruetur penitiùs non modò comparatione literarum, de qua hîc textus, sed comparatione temporum, vt ex eo indice falsitates longè plurimæ agnitæ sunt seu in instrumentis, seu etiam in libris, edictis, ac similibus, quorum molesta hîc esset historia: notáque in hoc memorabilis ex scriptore Gallo ad cap. inter dilectos. ext. hoc tit. attigi ad l. pen. de off. Præf. ff. de literario pigmento donationis Constantini quod, post multam scriptorum non vltimi nominis seriem, scripsit, agnouitque ingenuè illustriss. Cardinalis Baronius, tom. 3. sub anno Christi, 324. Constantini autem Imperij, 19. & tomo 12. Annali, 1191. vbi latiùs. Agnoscitur verò etiam falsitas comparatione personarum, de quo titulus ex professo apud Valerium. sic & de Pseudobalduino, temporibus Caroli quinti, al. Sapientis: sic de vulgatissimo impostore, cui nomen, Martin Guerre, cuius historiam Corrasius: tandémq; de Pseudosebastiano, qui alligatus triremi, iussu Philippi Hispaniar. Regis, quæcúmque veri Sebastiani, Lusitanorum Regis, qui cæsus à barbaris in acie fuerat, euidentissima in sese indicia, signáque velut indubitata prætenderet. de his hactenus. Præteriri autem non debuerunt vt explicaretur tantò meliùs quot aliis comparationibus quàm literarum argui possit falsitas, & quàm parùm sæpe vel peritissimi in eo proficiant, nisi & multa simul sagacitas iudicum accesserit. vincit enim perpetuò veritas, si qua sit, vindicatúrque ferè

Sf

ſemper legibus falſarij temeraria audacia. Supereſt vt verbum addam de archiuis publicis, regiis, dominicis, atque eccleſiaſticis, vt dixi ſuprà. Primùm enim vult Io. Faber hîc fidem non aliàs haberi instrumento quod ex archiuo acceptum ſit, niſi auctore iudice id fiat. In quo tamen obſeruat Salicetus ad hunc ipſum textum, opus eſſe & teſtimonio illius qui archiuo præſit. Plus iterum Molinæus ad conſuet. Pariſ. §.5. num. 26. vult enim ita demum fidem fieri ex archiuo publico, ſi modò ſolæ in eo ſcripturę reponantur, ſitq; loci illius cura, & cuſtodia ſit penes aliquem, itaut nihil prorſus timeatur hinc illinc ſuppoſititium. vocantur eiuſmodi cuſtodes, chartophylaces ab interpretibus, locáque ipſa, Chartophylacia. vocamus verò nos Galli *garderegiſtres*, *gardeliures*, quales ſunt in Senatu ac in ratiociniorũ decuria, ſeu, camera computorum, vt loquimur: ſic & in eccleſiis, monaſteriis, chartophylaciiſque dominicis, *gardes du threſor*. textus elegans in l.92. Si mihi. § 1. de leg 3. cuius hæc verba: *In fundo autem vno ex his qui prælegati ſunt, tabularium eſt, in quo ſunt & plurium mancipiorum emptiones: ſed & fundorum & variorum contractuum inſtrumenta præterea & nomina debitorum, &c.* Attigi ad l.8. iſti quidem. § 1. ff. quod met. cauſa. nec pœnitendæ etiam lectionis fuerit quod apud Aymonium Crauetam libro, de temporibus. Ibi enim de his & fusè, & rectè. tractauit præterea Car. Loyſ. lib. 2. cap. 6. de offic. plura non dicam.

IDEM A.

L. 20. quæ vlt.

Cùm quidam inſtrumentum protulerit, vel aliam chartulam, eíque fidem impoſuerit, poſteà autem perſona, contra quam iſta chartula, vel inſtrumentum prolatum eſt, quaſi falſum hoc conſtitutum redarguere nitatur, nè diutiùs dubitetur, vtrùm neceſſitatem ei qui protulit, imponi oporteat, repetita vice hoc proferre, an ſufficiat fides iam approbata: ſancimus, ſi quid tale eueniat, eum qui petit iterum chartam eam proferri, priùs ſacramentum præſtare quod exiſtimant ſe poſſe falſum redarguere quod prolatum eſt, ad huiuſmodi veniat petitionem. Quid enim ſi cùm noſſet deperditam eſſe chartam, vel fortè concrematam, vel alio modo deminutam, hanc requiri aſſimulans, & ad difficultatem productionis reſpiciens, huiuſmodi faciat petitionẽ? & poſtquàm hoc ab actore, vel petitore, fuerit iuratum, & inſcriptionum pagina apud competentem iudicem depoſita, tunc neceſſitatem imponi ei qui chartam protulit, de qua quæritur, iterum eum apud iudicem criminis proferre quatenus poſſit apud eum crimen falſitatis ventilari. Si autem non eſſe ſibi poſſibile eam oſtendere, quia per fortuitos caſus, huius copia ei abrepta ſit, tunc ſubeat ſacramentum quod nec habeat eandem chartulam, nec alij eam dederit, nec apud alium voluntate eius conſtituta ſit, nec dolo malo fecerit quominus appareat ea: ſed reuera ipſa chartula ſine omni dolo ſit deperdita, & productio eius ſibi impoſſibilis ſit: & ſi tale ſubeat ſacramentum, ab eiuſmodi neceſſitate relaxetur. Quod ſi prædictum iuſiurandum ſubire minimè maluerit, tunc quaſi falſa chartula nullas habeat vires aduerſus eum contra quem prolata eſt, ſed ſit penitùs eua-

cuata, neque enim vlteriùs pœnam produci contra eos qui non iurauerint, volumus: cùm forsitan quidam subtili reuerentia tenti nec verum sacramentum præstare patiuntur. Eandem autem copiam ei præstamus, donec causa apud iudicem ventilatur. Si enim iam plenissimum finem accepit, & neque per appellationem suspensa est, neque per solitam retractationem adhuc lis viuere speratur: tunc satis durum est huiusmodi querelæ indulgeri: nè in infinitum causæ retractentur, & sopita iam negotia per huiusmodi viam iterum aperiantur, &c.

Vult paucis, chartam, seu instrumentum, cuius semel productio facta sit, posse falsi argui ab aduersario, si modò iuret se posse commonstrare falsum esse, siq; adhuc pendeat lis, vult etiam eum à quo instrumentum, ad falsitatem instituendam, petitur, cogi non posse vt edat, dummodò iuret casu fortuito incendij concrematum esse, aut alio simili deperditum. Item nec esse penes se, nec alij dedisse, nec dolo fecisse quominus exhiberi apud iudices posset: iureiurando autem ita præstito, causam semel decisam retractari amplius non posse. Quantum ad primum, seruatur ita ex vsu, & arestis, quæ alibi recenseo, vt reuera pendente lite, atque ante vltimum iudicium, communia sint vtriq; litigantium prolata ab ambobus instrumenta, itaut & accipi exempla possint quorumcúmque lubuerit, auctore iudice, imò & posse falsi argui quodcúmque ex illis viderit qui accusationem instituit. eo sensu accipienda est lex. 14. eum qui. sup. de inof. testam. docétque Vidus Pap. qu. 471. obseruari ex stylo curiæ Gratianopolit. vt instrumentum semel productum, parti producenti restitui non debeat, si velit aduersarius de falso agere. vide quod iam in id notaui ad l. 73 in speciali. ff. de inoff test. Ampliùs verò ait idem Papius qu. 503. posse me nimirùm falsi arguere illud idem instrumentum quod protuli, si proferatur etiam, seu producatur etiam non in eadem lite, sed in alia, ab aduersario. vide prætereà Molinæum, ad consuetud. Paris. §. 5. num. 18. & 59. & Boër. q. 252. Quantum ad secundum, de eo scilicèt qui, cùm facta sit inscriptio falsi aduersus archetypum, seu originale, vt loquimur, alicuius contractus, nec aliud quicquam, præter archetypi illius exemplum habeat, testatur numen apud iudices, iurátque religiosissimè se comperire illud non posse, quicquid in hoc vndequaque aduersus tabelliones egerit, dixi suprà fusissimè & quantum sit satis ex placitis curiæ, foríque trituta, ad l. penult. iubemus. de probationib. supplebit ex eo loco studiosus quod hìc repetere, sit pudor. vnum hoc dixero, ex Matth. Affl. Senatore Neapol. decis. 330. versari nimirùm, in cognitione, & arbitrio iudicantium, opúsque esse præsumptionibus, præter affirmationem tabellionis, validissimis, vt credatur amissum fuisse instrumentum. recensui proptereà ad d. l. iubemus. quid hinc & illinc mouere debeat iudices. Quantum ad retractationes quæ vltima legis pars, vt fiunt de more, modò per supplicationes, seu, requestas ciuiles, vt vocant: modò per propositiones erroris: modóque per reuisiones, (quod vltimum rarissimum, infœlicísque ferè semper euentus) vide ad l. si prætor. §. Marcellus. de iudic. ad l. qui repudiantis. de inoff. testam. ad l 18. minor autem magistratus. ff. de minor. maximéque ad l. vn. suprà, de Senatusconsultis, lib. 1. vbi celeberrimam in hoc ipsum de Herrico Magno historiam reperies. Vt autem per reuisiones illas, quas dicimus, retractatur lis ex mero Principis imperio vexati importunis aulici euiusdam potentioris postulationibus, perinde ac si iudicium non interuenisset, (dixerimus nos Galli, *on remanie tout le procez de nouueau*) ita & reijcit semper eas Senatus, paucissimæque, vt dixi, cedunt, fœliciter. vide de his, si lubet, Rebuf. tractatu de literis ciuilibus, in princip. vbi & rationem huius legis adijcit, nec citat tamen. Vnum ex Baldo superest quod maximi non ita diu momenti fuisse apud iudices in edictali decuria memini, ad quæstionem, nùm instrumentum, quod & prima lite, in qua Senatusconsultum interuenerat, protulerat aduersarius, & secunda, cùm Senatusconsultum aliud, ad impetratam supplicationem, seu, requestam ciuilem, latum est, posteà tamen falsum dici adeò, asseuraríque possit, vt secundæ supplicationi, aduersus regulas forenses, causam dare debeat. Vnus ex clarissi-

mis decuriæ illius iudicibus, mecum de hac quæstione, noua equidem, contulit, legiq; confestim quid sentiret hîc Baldus, audiendam videlicet semper disceptationem falsi, quæcúmque iudicia antecesserint, nisi expressè, ac planè de falso actum sit, & cognitum. placuit istud sagacissimo Senatori, volumémque & ipsum in decuriam deferri curauit: dixit verò mihi paulò pòst, ita & censuisse Senatum. memini iterum scripsisse me iamdiu pro mercatore Rupellano ob nauigij deprædationem, qui, cùm superatus esset, impetrauit supplicationem ex eo quod instrumentum quo, tota in lite, nitebatur aduersarius ad victoriam, falsum tandem comperisset, totámque propterea supplicationem ad vnicum falsi inscriptionis subsidium redegerat. Causa acta est in edictali auditorio: falso ex instrumento iudicatum ait petitor. Inscripsisse se apud acta, ostendit, rationésque falsi dedisse: in cęteris paratas se habere manifestissimas probationes adiicit: quæ sunt quotidianæ ad eiusemodi causas, in perorando, formulæ. Contrà, Ludoicus Buissonius, qui ob commendationem nominis, & ingens litigiosæ rei pretium, accitus ab aduersario, ad tutandum Senatusconsultum, fuerat, defendit, constare ex scriptis iudicialibus, initam etiam de falso, inter litigatores, contestationem, verbisque ita efficacibus, de more, conserit, vt paginas scriptionum, vnam, & alteram, coactus sit actoris patronus, vnáque D. Seguerius, tūc orator regius legere, quibus compertum est vocatum quidem instrumentum illud, *nullum*, imò & protestationem de inscriptione adiectam, nihil verò insuper: iraut integra esset tota illa falsi accusatio, quæ proinde iustissimam supplicationi, seu, requestæ ciuili, causam dederat. Senatus ex his admisit accusationem, decisionémque ad consilium, vt fieri ad eas falsi quæstiones solitum est, remisit. Falsum igitur vt in mendacium, id est, rem nihili, prorsus tandem resoluitur: quod enim falsum est, nullum est, ait lex, Paulus. de verb. sign. nec superesse potest cui nihil, ad innitendum, subest: quæ ratio est Baldi ad l. properandum. supr. de iudic. cut, triennio citra vllam litis prosecutionem, elapso, litéque ex eo perempta, & mortua, si quod feratur iudicium, nullum esse censeatur: ita optimè ex eodem discimus, & seruamus, falsi semper quæstionem superesse, neque vllis vnquam iudiciis posse contegi, nisi nominatim de eo contestatio inter litigatores intercesserit. Cæterùm quod in fine legis dicitur, *subtili reuerentia tenti nec verum sacramentum præstare patiuntur:* vt de valdè subtili conscientia interpretatur idem Baldus, sic & referendum ad verba hæc elegantiora legis, quæ sub conditione. ff. de condition. institutio. *Faciles sunt nonnulli ad iurandum contemptu religionis: alij per quam timidi, metu diuini numinis vsque superstitionem.* Sic verò & D. Augustinus ad epist. Pauli ad Galatas. *multi in ore habent iurationem, tanquam magnum, aut suaue aliquid.* Hactenus de vero intellectu, ac vsu celebratæ & in schola, & in foro, constitutionis istius Imperatoriæ, ad quam restari possum, inane adeò fuisse meum ad percurrendas veterum, recentiorúmque interpretum columnas, studium, vt, vno excepto Baldo, planè nihil quicquid, quod recenseri, adornaríque mereatur, apud cæteros.

TIT. XXII. PLVS VALERE QVOD AGITVR, QVAM QVOD SIMVLATE CONCIPITVR.

IMPP. VALERIANVS, ET GALLIENVS.

L. I.

In contractibus rei veritas potiùs quàm scriptura perspici debet.

Maximè verò id de emptionis contractu dixit Celsus in l. 6. de contr. empt. in hæc verba: In emptis & venditis potius id quod actum est, quàm id quod dictũ, sequẽdum est. Sic in l. multum interest. inst. Si quis alteri vel sibi: *res gesta potior, quàm scriptura habetur*. Huc verò & fecerint verba Iauoleni, in l. 51. Ea lege. ff. locati. *Ea lege fundum locani, vt si non ex lege coleretur, relocare eum mihi liceret, & quò minoris locassem, hoc mihi præstaretur: nec conuenit, vt si pluris locassem, hoc tibi præstaretur &c. videtur in hac specie ad silentio conuenisse, nè quid præstaretur si pecunia ampliore fundus esset locatus: id est, vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur.* Sic docet glossa vlt. l. Tale pactum. §. vlt. ff. de pact. interpretandos esse contractûs ex eo quod verisimiliter contrahentes respondissent, si de dubio quod posteà incidit interrogati fuissent. Notaui non vulgaria ad l. illicitas. §. veritas. de off. presid. de veritate scilicèt quæ erroribus gestorum non vitiatur. Si, ait hîc Bartolus, aliud agitur, & aliud per errorem scribitur, præualet quod ex veris agitur, vt in l. si quis in fũdi vocabulo. de leg. 1. l. errore. de testam. l. quoties. circa princip. de hær. instit. Ista denique si vterque contrahentium errauerit; imò si testator minus scripserit, veluti si cùm legaret ducenta, centum duntaxat scripserit, plus valere veritatem, quàm scripturam, ait d. lex, quoties. quam & in hoc allegat Azo, hîc posteáque Bartolus. Cùm autem lex hæc prima subiecta sit titulo qui ad fraudes coercendas à Triboniano, decémque illius conscriptoribus compositus est, vt nimirùm plus valeat quod reuera, atque ex mente contrahentium agitur, quàm quod simulatè interpolata, fraudulentáque scriptura conceptum sit. Tribuendam puto rescripti huius illustrationem in breuissima duo capita: vnum de contractibus: alterum de testamentis. Quantum ad contractus, attingit Bartolus in fine sui commentarii quod summoperè ad retegendas contrahentium fraudes faciat, quódque vsitatũ nostris: admitti nimirùm testes qui interfuerint cùm primùm de contrahendo actum est. Distinguit quidem primos illos testes ab iis qui posteà ignari mentis contrahentium interfuerunt contractui. Sed si & isti qui ad contractũ acciti sunt, & quos Instrumentarios testes vulgò dicimus, nec veritatem rei gestæ ignorauerint, testimonium haud minus proculdubio valiturum est, vt suprà ad titulum superiorem ostendo. Alios, quicunque illi sint, testes reijcimus tam ex constitutione Molinensi, præsertimque si centum libras Francicas egrediatur quod petitur, quàm ex constitutione Græca quæ hodie in nouis exemplaribus titulo, de testibus, sup. præfigitur, vetatque nè aduersus perfectum, celebratúmque contractum audiantur testimonia: nisi tamen de simulatione dolóque agatur, vt qui regulas omnes Iuris excludat, pareátque tandem inuicto veritatis dominio: quod illustraui lariùs ad tit. de dolo. ff. ad l. fraus. ff. de legib. & aliis locis. Sic Decius consil. 543. scribit, simulationem probari à priori, & posteriori: veluti, inquit, si probetur, maritum numerasse pretium, & fuisse illi possessionem traditam, fructúsque ab eodem perceptos, verus ille proculdubio, nec alius emptor censendus est, licèt nomen vxoris instrumento insertum fuerit. Sic & Arnoldus Ferronus, Senator Burdigalens. docet longè fusius, ad consuet. Burdig. tit. de retractu, §. 15. simulationem probari ex indiciis, & coniecturis, probationésque imperfectas, minúsque integras admitti, in iis qui testes de more fugi-

fidem interposuerit, vt non capienti restitueret hæreditatem, ait Modestinus in l. 46. prædonis. ff. de petit. hæredit. Sunt quibus tacita eiusc emodi fideicommissa cedunt ex voto, sunt & quibus non, prout scilicèt bona, vel mala fides fuerit promissoris. pulchrè Iustin. Nou, quib. mod. natur. effic. legit. *Eligunt viros qui restituant quod volunt, filiis naturalibus. At illi qui electi sunt in hoc, impiè agunt, perierant, nec restituere volunt bona iis quos vident illa non posse ex lege consequi.* De his satis, alibi enim iam dixi. Transeo ad l. vlt. cùm lex 2. 3 & 4 thesin, hypothesésque ferè similes habeant.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 5. quæ vlt.

Si falsum instrumentum emptionis conscriptum, tibi velut locationis, quam fieri mandaueras, subscribere te, non relegentem, sed fidem habentem, suasit, neutrum contractum (in vtroque alterius consensu deficiente) constitisse, procul dubio est.

Compone singularem textum in l. 2. infr. de reb. alien. non alienand. mira autem in hoc describitur fatuitas à Scæuola in l. vlt. ff. de constit. pecu. *hominem simplicem, imò magis stultum*, vocat Iustinianus in l. vlt. arbitr. tutelæ, qui in publico inuentario, actúve alio seu priuato, seu publico, scribi aliquid contra se patiatur non modò, sed & subscribat. vide quæ abundè satis adieci de subscriptionibus ad l. sicut. §. non videtur. quib. mod. pignus. & ad l. Titius. de rescind. vend. ff. Norunt haud pauci ex Suida, in verb. πυλχεία. emendatam Theodosij Imperator. à sorore Pulcheria facilitatem nimiam, quòd oblatas quascumque supplicationes, nulla lecta, & inspecta, subscriberet. damnatúrque aliunde ille mos Carini etiam Imperatoris, qui vtebatur manu aliena, vt subscriberet. Frequentissimarum enim, audacissimarúmque inde falsitarum opportuna nimis, imò vel inuita sæpissimè occasio. *fastidium subscribendi tantum habuit*, ait Vopiscus in eius vita, *vt impurum quemdam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret, quem obiurgabat plerúmque quòd benè suam imitaretur manum.* sic ille. Bene cauti igitur, non legunt modò, sed relegunt sæpius, antequàm subscribant, maximè in rebus nouis, & tunc cùm quid ignoti offerunt, vt adijciatur subscriptio. prudentissimè propterea qui legem Parisiēsem instaurarūt an. 1580. cùm omissam olim in testamētis ordinandis, relectionis necessitatem adiecerunt articulo veteri 289. in quo sanè & miratus sum, percurrens cæteras regni consuetudines, quòd in paucis relectio testamenti dicatur necessaria, cùm illibata sit tantò magis ex eo testamentorum veritas. Relectionem enim commendat ideò Baldus ad primam constitutionem Codicis quòd sit magnæ deliberationis nota. laudandus autem apprimè & ex aliis longè plurimis, breuissimus ille morum Parisiensium libellus, vt ex quo, sicut & Romæ quondam ex 12. tabulis, haurire possit cætera Gallia, vnde patrias suas leges explicent, aut etiam emendent prouinciæ singulæ. Prodiit enim ex lare Imperij, scientiarúmque omnium altrice Lutetia, dignissima equidèm celeberrimis duobus illis elogiis, ac titulis quibus insignita pridem fuit Attica ciuitas, ἔρεισμα, καὶ μουσεῖον τῆς Ἑλλάδος, Ἀθῆναι. Id est, munimentum, & Musæum Græciæ, sunt Athenæ: sic Athenæus lib. 5.

TIT. XXIII. DE COMMODATO.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L.

Ea quidem quæ maiore vi auferuntur, detrimento eorum quibus res commodantur, imputari non solent: sed cùm is, qui à te commodari sibi bouem postulabat, hostilis incursionis contemplatione periculum amissionis, ac fortunam futuri damni in se suscepisse proponatur: præses prouinciæ, si probaueris eum indemnitatem tibi promisisse, placitum conuentionis implere compellet.

Regula ergo iuris est tam ex hac l. quam ex l. si vt certo § nunc videndum. ff. hoc tit. commodatarium non teneri de casu fortuito, nisi vel ita conuenerit, vel culpa intercesserit, aut etiam res commodata æstimata sit. nullúsque tam veterum, quàm recentiorum interpretum, qui hoc ipsum non scripserit, vt sanè, transire in aliam sententiam, si de iure Romano agatur, mera, fateor, inscitia. Tamen cùm iniquum mihi semper visum sit, vt qui amici officium in commodando præstitit, damnum sentiat quod aliàs non, si nihil prorsus commodasset, quæ ratio est Africani in l. si seruus cōmunis. §. 1. ff. de furt. in officio suscepto à procuratore, cùm ait *procuratorem passurum se id damnum non fuisse, si mandatum non suscepisset: proinde æquius, si damnosum ei non sit officium.* contuli, antequàm scriberem, cum variis fori nostri peritis, Romanæque prudentiæ scientibus patronis: quinimò nec dubitaui proferre, inter sermones, meam hanc quasi hæresim, (vt de Catone Tullius) apud eloquentissimos, eruditissimósq; patronos fisci, posteáque tandem, vt res etiam ex diuerbiis tulit, apud, è clarissimis, forique literati studiosis Senatoribus, nonnullos, quibus grata hæc nostra opera. Laudatum autem ab omnibus Celsi illius adolescentis axioma, de quo in l. si seruum. §. sequitur. de verb. obl. dicentis, ad quæstionem de bono, & æquo, *plerúmque sub auctoritate iuris scientiæ perniciosè errari.* Et sanè duæ glossæ singulares obtinuerunt iamdiu & in scholis, & in foro, aduersus duo Iurisconsultorem responsa, ex æquitate, rectáque sentiendi ratione opposita subtilibus, quæ sæpe in Pandectis, & Iustinianeo hoc Codice, regulis: altera est ad l. inter causas. §. nō omnia. mand. altera in l. qui Romæ. §. duo fratres. de verb. oblig. Sic verò & Tiraquellus, ac Molinæus de Iuliani responso, in l. 16. si tibi. ff. quib. mod. vsusft. amitt. vt eo loco ostendo. scribunt enim, si vnquam incideret legis illius species, terminandam fore contrario iudicio. hoc ipsum seruamus in l. si consensit. quib. mod. pig. sol. in l. assiduis. inf. qui potiores, & aliis plurimis, quibus, ob eandem, quæ hic à me, in commodato, proponitur, æquitatis rationem, à iure ciuili recessum est. Vna duntaxat, vt videtur, ad nostræ huius legis quæstionem exceptio est, si nimirùm naturalis interitus equo, boui, aliíue cuiuis animali commodato contigerit, ita vt æquè perijssent penes dominū, qui non commodasset. Ita lex, si plures. §. 1. ad quem similes aliunde textus compono. ff. depos. mea igitur hæc sententia, cuius assertores nec vulgares adieci, vt nè quis tam præcipiti feratur contradicendi impetu ad reiiciendum quod non anteà maturè secum, aut cum peritioribus perpenderit. Seriò scribimus, atque apud siccos illos, quibus forum *putealque libonis* mandauit præclaré olim Lyricus.

IIDEM AA.

L. 4. quæ vlt.

Prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur.

Rectissimè Glossa, nisi debitum sit liquidum, ac nisi impensæ probabiliter in re commodata factæ sint. Illa enim est æquitas, aut potiùs, vt sic cum Triphonino loquar, in l. Bona fides. ff. depos. *Iustitia, quæ suum cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius iustiore petitione.* Aliam verò æquitatis collisionem reperies in l. 8. hac lege. inf. de pact. conuẽt. tam super dote quàm super donat. propter nupt. vbi bono aliquid esse melius ita statuunt Impp. Theod. & Valent. vt dicant *conditores legum oportere aequitatis esse fautores.* Dixi iam de retentionibus in causam pignoris ad l. 1. ff. de pignorib. addam verò quod morari possit vel peritiores. Agitata enim iampridem quæstio est in maiore auditorio, verùm tutor qui redemit fundum gentilitium, minoris sui nomine, cogi possit minori, maiori facto, fundo illo cedere, aut econtrà retinere donec rationes reddiderit. Iudicatum verò est, posse retineri, donec non modò rationes fuerint redditæ, sed & tantisper dum tutori pretium refusum sit, si tamen probet redemptum fuisse sua pecunia. potest enim tutor sibi soluere si quid ei debeat minor, vt docet Bartolus ad l. seruus communis. 1. de stipulat. seruor. & l. fistulas. §. fundum. de contrah. empt. ff. Glossa in l. non licet. eod. illo tit. atque Baldus eod. rursus titulo. Cod. Sic verò & procurator retinere potest auctoritatem ipsam iudicati, seu, vt loquimur, executorium impensarum, donec ei ad plenum à cliente satisfactum fuerit. Ita Senatus ann. 1541. die 4. Maij, perorantibus celebri illo Petro Seguerio, qui posteà infulatus Præses, & Puteano: proferóque istud ex aduersariis perbellè exaratis patroni illius ætatis accuratissimi. Monebo tamen obiter retineri non posse à patrono instrumenta litis, in qua perorarit, aut scripserit, ob causam honorarij non soluti. quotidiéque ita seruamus, & cernimus. Tandem verò & huc, nempe ad retentionum materiam referri possint ἐνεχυρασμοὶ, seu pignerationes, de quibus Iustinianus in Nou. vt non fiant pignerationes. vocabant Græci veteres ἀνδροληψίας: Romani, Clarigationes: nostri hodie, omnésque ferè exteri Repræsalias, al. vt in vernaculo nostro est, *droict de marque.* De his verò omnibus vide quæ abundè congessi ad tit. nè vxor pro marito, sed omninò. Auth. sup.

TIT. XXIIII. DE PIGNERATITIA ACTIONE.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Quod ex operis ancillæ, vel ex pensionibus domus, quam pignori detineri dicis, perceptum est, debiti quantitatem releuabit.

IDEM A.

L. 2.

Creditor qui prædium pignori nexum detinuit, fructus quos percepit,

vel percipere debuit, in rationem exonerandi dediti computare necesse habet: & si agrum deteriorem constituit, eo quoque nomine pigneratitia actione obligatur.

Iunge & l.vlt.inf.hoc tit. atque cap. t. de vsur. apud Gregorium. pugnare autem vt videntur vulg.lex,si is qui dona §.si ἀντίχρησις. ff. de pignorib. & lex,si ea pactione.inf.de vsur. ex quibus constat, fructus perceptos sortem non minuere, sed in vicem vsurarum cedere, facilis conciliatio hæc fuerit, pactionem scilicet ibi de percipiendis in causam vsurarum, fructibus interuenisse, hîc verò non. quod & ita Cuiacius, hîc in postumis.ostendam deinde ad d.l.si ea pactione. casum ibi esse specialem, accipiendámque esse decisionem cum distinctione. Cùm autem de antichresi (quæ vox in vernaculo etiam nostro est) nonnulla ĩdixerim ad d.l.si is qui bona §. si ἀντίχρησις. obseruabo & hîc, vt loco idoneo, pertinere illam vnicè ad cõtractus pigneratitios, quorum tam multus vsus apud Turones, Cœnomanos, & Andes, vt alios ferè non habeant constitutos reditus, id verò ob detentionem quinquennalem, quæ nisi interrupta sit, tertius possessor planè tutus est. præscribitur enim eo tempore hypotheca. Quæsitum est de assignato in reditum prædio (vocant vulgò, *rente en assiette*) an sit inter antichresticea. Eiusmodi fuit species: conuenerat inter Andenses duos vt qui accipiebat mille sexcentos aureos, assignaret numeranti prædia, ex quibus perciperetur pecuniæ illius reditus fini legitimæ vsuræ, id est in quantum constitutio Gallica patitur. doluit istud posteà assignanti: quia cùm caput, seu sors principalis pecuniæ creditæ esset mille sexcentorum aureorum, vt dixi, quo casu legitima apud nos vsura sunt centum aurei, longè maius erat assignati fundi pretium. Excipiebat autem qui pecuniam dederat, non modò ex conuentione quæ intercesserat, sed ex lege ipsa prouinciali quæ hoc admittit, artic.492. Iudices ergo aduersus assignantem pronuntiauerant. A quibus interposita ab eo appellatione ad Senatũ, solius mulctæ regiæ gratia facta est. obstabant enim & conuentio specialis, & lex patria, vt dixi. ostendit verò Claud. Guerinius qui pro appellato agabat, alienum adeò eiusmodi contractum ab antichresi, vt pro venditione habetetur ex eadem lege Andensi. pendebantur enim laudemia, fiebántque homagia, prout nobilis, paganicáve, seu roturaria esset possessio, art. 493. & 494. quæ sunt indubita venditionis signa. causa acta est in maiore auditorio, ann.1617. die 19. Iunij. litigatorum nomine, Doderius.& Arnalti. Hier. Bignonius pro appellatore dixit. Vide de Antichresi in Loëtianis schediasmatis, lit.pen.num.8.9 10.& 11. atque apud An.Robert.lib.2.cap. 8. rerum iudicatarum. Ibi enim longè plura seu ex iure, seu ex auctoribus classicis. coërcere enim cogor stylum in longè plurimis, prout res iam tractatas à receptis scriptoribus aduerto. Vnum superest quod omitti, ad verum legis, si pignore. de furt. ff. intellectum, non debeat. *Si pignore creditor vtatur, furtum committit*, ait d.lex. distinguit verò optimè Io.Faber hîc, an in aliud vtatur quàm soleret debitor, & an contrà quàm, ex natura rei pigneratæ, debeat: eo enim casu, furtum contrahit. Sin autem nihil præter solitum, rectè pignore vtitur, neque furti in eo vlla nota est.

IDEM A.

L. 4.

Si creditor sine vitio suo argentum pignori datum datum perdiderit, restituere id non cogitur, sed si culpa reus deprahenditur, vel non probat manifestis probationibus se perdidisse, quanti debitoris interest condemnari debet.

IDEM A.

L. 5.

Quæ fortuitis casibus accidunt, cùm præuideri non potuerint, (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonæ fidei iudicio præstantur: & ideò creditor pignora quæ huiusmodi casu interierint, præstare non compellitur: nec à petitione debiti submouetur, nisi inter contrahentes placuerit vt amißio pignorum liberet debitorem.

IMPP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 8.

Pignus in bonis debitoris permanere, ideóque ipsi perire, in dubium non venit, cùm igitur adseueras in horreis pignora deposita: consequens est, secundum ius perpetuum pignoribus debitori pereuntibus (si tamen in horreis, quibus & alij solebant publicè vti, res depositæ sint) personalem actionem, debiti reposcendi causa, integram te habere.

Tres hi textus docent in genere casum fortuitum in re quæ oppignerata sit, ad debitorem, quippe rei amissæ dominum, non ad creditorem, pertinere, si tamen nulla creditoris depræhendatur culpa, casum de eo singularem, nempe ad incidẽtes, citra culpam creditoris, casus fortuitos, vide in l. si ratiario. ff. hoc tit. ad quam notaui. Vt autem otiosissimum, inanissimúmque semper putaui, excurrere ad aliena, nec immorari quæstionibus quæ recto vultu ad legis cuiúsque interpretationem spectent, explanabo iam clarissimè quibus casibus agi possit, vel nõ, à debitore aduersus creditorem ob amissionem pignoris quam casui fortuito tribuat creditor: tantóque id magis debere me arbitror quantò & frequentior hodie plurium creditorum, ac fœneratorum malitia illa est, & quia deinde accuratiorem ferè hucúsque Bartoli, Baldi, Pauli Castr. Saliceti, fabrique etiam nostri, operam non viderim. Si casus fortuitus innotescat omnibus, inquiunt, putà mors animalium, incẽdium publicum, ruina, naufragium, hostium, exercitúsve transeuntis, incursus, aggressura latronum aquarúmque impetus, & similia, tunc probare satis est ita contigisse: probatio enim & manifesta, & publica est, quam tamen fieri oportere apud loci iudicem, etiam parte nõ vocata, docet optimè Paulus Castrens. ita enim & seruamus, vt moneo ad l. Argentum. ff. Commod. Quod si clam, domi, forísve amissum quid fuerit, furto videlicet, aut casu simili, tunc modus non modò amissionis probandus est, sed & sine culpa eius qui conuenitur, accidisse. Excusat verò etiam, vt subijcit per occasionem horreorum, de quibus in textu, si deposita pecunia fuerit penes trapezitam, (campsorem vocat) qui adiri in id soleat ab omnibus, in quo tamen omiserunt textum singularem, ac forensem, in l. si res pupillaris. de administr. tutor. ff. cuius verba: *Si res pupillaris incursu latronum pereat, vel argentarius, cui tutor pecuniam dederit, cùm fuisset celeberrimus, solidum reddere non poßit: nihil eo nomine tutor præstare cogitur.* sic Hermogenianus. non enim intelligitur culpa quam consuetudo admittit, nisi in atrocioribus, quæ etiam verba sunt Io. Fabri ad l. pignus hic. addit Baldus quod magnæ semper religioni habuit, (Franciscani enim habitu sepeliri in Bononiens. Franciscanorum ecclesia

ſepeliri voluit) purà, inquit, ſi in ſacriſtia fratrum minorum collocatū aliquid, custodiæ cauſa, fuerit. Duo notat idem Baldus ad l. quæ fortuitis. in fine. (longiſſimus enim ille commentarius quæ & hic perſtringenda arbitror: in culpa videlicet eum non eſſe qui per ſe præſtiterit quicquid ex humana ſorte, ac induſtria.) naturalis autem cauſa, obéxve obſtitit quominus caſum auerteret, veluti, ait, ſi, intermedio flumine, occurrere, feſtinaréque tam cito non potuerit, vt vel latronem fugientem corriperet, aut quid ſimile: culpam verò non excuſari per caſum qui inciderit, ſi mora præceſſerit: ſic ille. maximè autem id obſeruat Salicetus in cauſa incendij priuati, de quo, & quibus ex cauſis imputetur inhabitantibuſq; latiſſimè explicat, conſtituit, per idoneè diſtinctionē neceſſariam in caſibus fortuitis, vt excuſent, vel non. Vel enim, inquit, contingunt facto naturæ, putà ſi tempeſtas maris, vel inſolitæ grandines, & cætera id genus: tunc, verè vis maior, quæ à nullo præſtatur, l. ſi merces. §. vis maior. ff. loc. & ſimil. Vel contingunt facto hominis, veluti ſi incurſu hoſtium, aggreſſura latronum, & cætera quæ ſupra attigi. & tunc eandem eſſe excuſandi rationem cenſet, ac ſi naturalis, cui reſiſti nō poſſit, irrumperet cauſa. Pauca in hæc contrahetur tota caſuum fortuitorum quæſtio: & cùm percucurriſſem, de more, cæteros interpretes, Paciúmq;, inter cæteros, interpolatam dumtaxat agnoui ſupellectilem, non nouam. Perſtringo ipſe quæ ex vſu, rerum magiſtro, frequentiora ſemper didici. Cæterùm quod de horreis publicis dicitur in l. pignus. in quibus ſcilicet reponebantur quæcúmque omnium merces, pignora, ac cætera quælibet, prout videretur huic, vel illi cō modius, ac tutius, obſeruabitur obiter ad vrbis Romæ politiam, nullam penè fuiſſe in ea regionem in qua plura non eſſent eiuſcemodi horrea, vt conſtat ex Onufrio lib. 1. commentariorum reip. Romanæ, cùm antiquæ vrbis imaginem exhibet. Tantus eorum fuit numerus, vt in ſecunda vrbis regione eſſent 23. In tertia, 29. In quinta, 19. In ſeptima, 25. In nona, 32. In vndecima, 16. Imò in decima tertia inſcriptum erat horreis Galbianis, in hæc verba, *fortuna horreorum Galbianorum.* erant verò & horrea Domitiani Auguſti. Qui autem præficiebantur cuſtodiæ, vocari ſolebant horrearij: de his intelligenda lex, cùm domini horreorum. ff. loc. Nec mirùm propterea ſi in d. l. pignus. reſcribant Imperatores creditorem non teneri de caſu fortuito, ſi pignora in horreis illis depoſuerit, vt in quibus omnes ita ſolerent. ſubiiciendum hoc è priſcis exiſtimaui, ad moris Romani, de qua lex agit, clariorem intelligentiam. nihil equidem ſimile apud nos: profuturum verò eſt ad ſimilia, vt quædam etiam ſuperiùs exempla profero. ff. Dixi præterea de conſuetudine, ac more, quo fieri quippiam ſolitum eſt, & quatenus excuſet, ad vulg. l. Barbarius Philippus. de off. præt. vide etiam, ſi lubet, de priuatis, domeſticiſque horreis veterum ad l. dominus horreorum. ff. loc.

IMP. PHILIPPVS, ET PHILIPPVS CÆSAR.

L. 7.

Si nulla culpa, ſeu ſegnitia creditori imputari poteſt: pignorum amiſſorum diſpendium ad periculum eius minimè pertinet. Sanè, ſi ſimulata amiſsione, etiamnum eadem pignora (vt aſſeueras) à parte diuerſa poſſidentur, aduerſus eum experiri potes.

De poſſeſſione reali quæ detegit fraudem ſimulationis, dixi ad l. ſicut. §. ſuperuacaneum. ff. quib. mod. pignus, vel hypoth. ſolu. Vno autem verbo dixerimus, cùm poſſeſſio omnis ſit facti, magis quam iuris, l. denique. ex quib. cauſ. maiores. & l. poſſeſſio quoque. de acq. poſſ. ff. perpetua iuris doctrina eſt, facta omnia vt ſubiici oculis conſueuerunt, ita nec admittere fictiones, quæcúmque illæ ſint, vt decidit nominatim d. lex, denique etiam in fauorabilibus. multò magis igitur in odioſis, cuiuſmodi ſunt fraudes, quæſitáque ex obliquo pigmenta.

abeat

——*abeat persona, manet res:*
inquit Lucretius. plura denique ad l.1.sup. plus valere quod agitur. diximus.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 9.

Nec creditores, nec qui his successerunt, aduersus debitores pignori quondam res nexas petentes, reddita iure debiti quantitate: vel his non accipientibus oblata, & consignata, & deposita: longi temporis præscriptione muniri possunt. Vnde intelligis quod si originem rei probare potes, aduersario tenente, vindicare dominum debes. Vt autem creditor pignoris defensione se tueri possit, extorquetur ei necessitas probandi debiti: vel si tu teneas, per vindicationem pignoris hoc idem inducitur, & tibi non erit difficilis, vel solutione, vel oblatione, atque solenni depositione, pignoris liberatio.

Noratu dignissima estad varias, quæ quotidie incidunt rerum, causarúmque species. Vt enim agit potissimùm de pignoribus, seu, vt loquimur, de contractibus pigneratitiis, aut, vt in mero vernaculo est, *des engagements*, in quibus nè quidem mille annorum possessio, ait Molinæus, præscribendi dominij ius paritura sit si de origine contractus constet: neque enim ille vnquam contrahentium animus fuit, at verò nec numeratum in hoc pretium, cuius semper, spectato fundo qui oppigneratus est, nimia vilitas: ita & visum sæpe est coactos etiam antiquissimos possessores, eorúmque liberos, ac nepotes excedere modò prædiis emphyteuticis, quorum origines, seu archetypa veterum concessionum, comperta fuissent, diutissimè anteà occulta, conditáque tenebris: modóque etiam nobilissimis possessionibus quæ olim, per litium, contentionúmque acerrimarum occasiones varias, ad sequestrum transiissent. Quàm malè istud episcopo Claromontano cesserit, anno 1551. qui, & decessores omnes episcopi, vrbem Aruernam, ciuésq;, pacata semper possessione, occupauerant ab anno 1202. postquàm scilicet fiduciæ Claromontanæ originē, seu auctoritatē, vetúsque archetypum reperit Illustriss. Catharina, Augusta, Henrici, II. vxor, tradit latè Lucius, lib. 9. placitorum Curiæ, titu. 5. ac rursus tit. 8. Adeò graue, periculosúmque est, edere haud satis inspectas, exploratásque veteres possessionum origines, vt tractaui fusiùs sup. ad l. 4. de ed.

IIDEM AA.

L. vlt.

Quominus, &c.

Ex thesi, ac hypothesi referenda est ad l.1.2.& 9. sup. hoc tit, ad quas notaui.

TIT. XXV. DE INSTITORIA ET EXERCITORIA ACTIONE.

Sola legis primæ notanda glossa est, quæ docet tria debere concurrere, vt institoriæ actioni sit locus. Primùm vt mutuata sit pecunia institori in eam causam in qua est expressim, aut tacitè præpositus. 2. vt præpositum eum esse in eam causam sciat creditor. 3. vt in eo loco factum sit mutuum vbi res ex pecunia creditoris comprandæ te periatur. Sequuntur hoc interpretes, præsertimque inter nostros Faber. nec alio etiam iure vtimur, vt abundè explicos ad duos titulos. ff. qui hîc coniuncti sunt; at verò & ad l. eius. ff. si cert. pet.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 4.

Et si à muliere magister naui præpositus sit: ex contractibus eius ea, exercitoria actione, ad similitudinem institoriæ, tenetur.

Iunge l. 1. §. exercitorem. ff. de exercitot. ad quam in hoc dixi, maximéque de mulieribus Belgicis. negotiantur enim, stertentibus velut maritis, de re omni maritima, contractúsque ipsarum valent, etiam sine aucto ritate maritorum, quod & in omnibus ferè locis æquoreis, licèt tibi sit secus, præsertim in hac nostra Lutetia, nisi sint negotiatrices, id verò negotiatione quæ fit à maritalis dissimilis, de hoc latiùs dicam, deo dante, infrà ad l. 2. Zenodorus. ad Macedon.

TIT. XXVI. QVOD CVM EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE *dicetur, vel de peculio, siu equod iussu, aut de in rem verso.*

IMP. ANTONINVS.

Etiamsi non mandante, neque iubente, neque subscribente domina, pecuniam mutuam seruo Priscæ dedisti: tamen ea quantitas, si in rem dominæ eius, iustis erogationibus, versa est: de in rem verso apud suum iudicem eam conueni, consecuturus, secundum iuris formam, id quod tibi deberi apparuerit.

Notant interpretes ex hac l. cum glo. subscriptionem æquiparari mandato: *etiamsi non mandante*, ait textus, *neque iubente, neque subscribente domina*. Cùm enim, inquit, Tra-

quellus, ad ;artic. 15. in consuetud. Pictou. glo. 7. in verb. *expres* num. 94. subscriptio se referat ad scripturam præcedêtem, non secus habendum est ac si totum manu propria scripsisset qui subscripsit. Dixi de his ferè quod satis ad l. vlt. sup. plus val. quod agitur. ad l. sicut. §. non videtur. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. & ad l. Titius. de resc. venditio. ff.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIM.

L. 7.

Ei qui. §. 1. Si cum libero res eius agente, cuius precibus meministi, & eius personam elegisti, peruides contra dominum nullam te habuisse actionem, nisi si vel in rem eius pecunia processit, vel hunc contractum ratum habuit.

Ambiguè prorsus Io. Faber: nec nisi ex coniecturis. modò enim ait negotiatorem, seu gestorem, vt vocat, aut, vt videmus in domesticis potentiorum negotiis, dispensatorem, argentarium, magistrúmve domus (vernacula enim nostra sunt, *Argentier, ou maistre d'hostel*) non obligari apud eum qui pecunias, vel merces, annonásve, tamet si in res domesticas, dederit: cogique non posse vt soluat ipsemet, nisi cautum sit speciali clausula, datum esse contemplatione procuratoris solius, dispensatorisve, ac similium. modò autem subijcit, ad coniecturas recurrendum esse, censerique in dubio, vtrúmque & procuratorem, & dominum obligatos. Bartolus, Paul. Castr. & Baldus ad l. vlt. de Institor. putant omnes in genere qui contrahunt adiecto nomine officij, non teneri, officio finito, d. l. vlt. & quicquid promittant quamdiu munere funguntur, non magis tamen eos teneri quàm si quis vt tutor, tutorióque nomine, contrahat. Quam sententiam in tutoribus cõfirmat adeò quotidianis suis iudiciis ordo amplissimus, vt nihil vnquam in tutorem, ad compellendum eum proprio nomine, statuat, si tutorio egerit. Inde & observatur semper, quoad impensas litis, qualiter instituta lis fuerit, (vulgò dicimus, *l'on regarde tousiours aux qualitez du procez.*) Si enim litigauerit vt tutor, nec adijciatur, condemnatum esse, proprio nomine, tutus est aduersus eum qui in lite vicerit. Sic verò & in cæteris qui ex publica, priuatáve alterius causa egerint, contraxerint, condemnati ve sint, vt ostendo ad tit. quod cuiúsque vniuers. In quo addit Iacob. Butrigarius ad hanc l. obseruandum esse nùm in vtilitatem vniuersitatis, putà ciuitatis, vel ecclesiæ versum sit, nécne, vt in l. ciuitas. si cert. pet. in Auth. hoc ius porrectum. de sacros. eccles. & in l. præses. de transact. sup. ad quas omnes dixi. Cynus præceptor Bartoli, indistinctè citráque vllius clausulæ vinculum, obligari existimat procuratorem, dispensatorem, & similes, licèt dum merces, annonas, aut pecuniam acciperent, conditionem, munúsque suum palam fecerint: præsertim, inquit, si creditor ille non cognoscat dominum, aut si eum sciat esse rixosum, molestum, litigiosũmq; hominẽ, cui propterea nè obolum quidem crederet: sunt eius verba. Cui sententiæ & accedit, conciso sermone ad hunc eumdem textum Albericus. Baldus, Salicetus, & Castrensis negant adeò, vt obligationem vertant obliquè in dominum. Multum denique in eo variant interpretes: arbitratúque proinde Nicol. Valla, Senator Paris. tutius esse vt creditor obligati curet proprio nomine quisquis in alterius commodum, quacúmque ex causa negotiabitur, vt vitetur, inquit, controuersa iuris quæstio. sic ille, quæstio 9. de reb. dubiis. Agitaui iam ad l. vlt. de institor. ff. ad quam Senatusconsultum ex ea causa, contra Comitis Aruerni dispensatorem, recenseo. Iudicatum verò & rursus contra Illustr. Dominæ Trimollianæ alterum. Cúmque liberatus à Senatu diceretur Ioan. du Lac, qui paulò ante hac decessit, Ducis Bullionij scriba, qui adiecto scribæ, seu, secretarij, nomine, mille ducentos aureos mutuò pro Duce acceperat: vidi ex litis illius contestatione, inter Nic. Rigaltij, Ducis illius patroni, miscellaneas chartas, quas mihi in hoc commoda-

Tt ij

uit, constitisse inter litigantes, Dulacium fuisse minorem annis 25. cùm ita contraheret:solúmque id propterea spectasse iudices. Scio distinctionem à nonnullis fieri: vt nimirùm, quamdiu qui obligatus est, exercet dispensationem, administrationémque domus potentioris,in cuius gratiam fidem suam adstrinxerit, cogi possit etiam proprio nomine,vt soluat:habere enim illum præsentem indies pecuniam vnde quotidiana,domesticáque negotia explicet,relaturus suas in rationes quicquid expenderit. Aliud verò illi sentiunt, si fungi munere illo desierit,ex d.l.vlt.de institor.ff. Sed cùm nec mihi in totum ex eo satisfieret, distinguendúmque dicerem quibus verbis concepta sit,eiuscemodi domesticorum negotiatorum obligatio:an scilicèt adiectum duntaxat nomen officij fuerit initio instrumenti,purà,ego dispensator, vel,magister domus, vel argentarius Ducis,Comitis,Episcopi,Cardinalis,&c. Promitto soluere: an verò promiserit solutiurum se eo nomine, veluti,vt loquimur nos Galli, *Ie promets payer comm' argentier, ou, maistre d hostel d'vn tel seigneur:* probauit distinctionem meam clarissimus, experientissimúsque Senator, Dom. Durantius,cuius me fœlicitat studiosa vicinia: vt nimirùm primo casu conueniri possit proprio nomine qui,facta tantùm muneris, seu officij mentione contraxerit. quid enim ad credirorem quibus titulis contrahat debitor ? Secundo autem casu non: cùm lex ea contractui , obligationísque dicta sit. propositam verò à se quæstionem potioribus inquisitionum Senatoribus adiecit,qui omnes hoc ipsum adeò senserunt,vt dubitationi locum non esse dixerint.

IIDEM AA.

L. vlt.

Notanda hæc : *familiares epistolas quibus homines plerúmque commendant absentem* (glo. id est, seruum) *in id trahere non conuenit,vt pecuniam,quam rogatus non fuerat,impendisse pro prædijs mentiatur:cùm nisi specialiter,vt pecuniam præstet, à domino fuerit postulatus,idem dominus teneri non possit*,(glo. quod iussu.

Baldus: *literæ commendatitiæ non censentur emissæ animosè obligandi , sed simpliciter commendandi.* hoc ille, sed simplicitate nimia rudioris seculi,quo tùc exulabant prorsus ab vniuersa ferè Europa belliores Musæ. Si enim intellexisset Baldus,ac cæteri,veram in hoc acceptionem commendationis:dixissent procul dubio,non *simpliciter commendandi*, sed *simpliciter laudandi.* commendare enim hîc,& in l.si verò non remunerandi. §. cum quidam.ff. mandati.*laudare*,est,vt passim ex auctoribus classicis liquet. Cic. ad lentul. *nostra, cæterorúmque amicorum commendatione , gratissimus in prouincia fuit.* sic & prima Catilinar. *homo per se cognitus nulla commendatione maiorum.* pauca è multis. Attingo autem,vt sciatur, decidi ideirco à Iurisconsultis, & Imperatoribus, eum qui aliquem apud amicum commendar , forsan vt eius ministerio vtatur , non eo esse animo vt se obliget , cùm commendatio,id est,laudatio, longissimè distet ab obligatione. Discussa à me quæstio est ad Pandectas, nempe ad d.l.12. si verò non remunerandi. ad quam trado vsum forensem,eúmque peruulem. singularis verò admodùm mihi videtur hîc textus, vt clarum fiat cur ex sola commendatione,laudationéque alicuius,seu per verba,seu per epistolam,obligatus nemo dici debeat. addunt enim diserto,nec ambiguo textu,Imperatores,obligatorias non esse eiuscemodi amicas commendationes , nisi specialiter fides à commendante adstricta sit.eò spectat quod apud Plutarchum , tractatu , περὶ δυσωπίας, seu.de malo pudore. locus est memoratu ad hanc partem dignissimus: loquitur, inter cætera, Plutarchus de Xenocrate philosopho, qui euictus importunis nefarij cuiusdam efflagitationibus , cùm commendatitias ei tandem ad Polyspercbontem literas dedisset,improbè adeò sese apud potentem illum Xenocratis amicum gesserat , vt iustissi-

mam de commendato tam impurò ganeone conquerendi haberet causam Polysperchon. Tamen hoc vnum dumtaxat scripsit Xenocrati: vt exploraret deinceps accuratiùs quos commendaret. Verba subijciam:

Ξενοκράτει δ' ἔγραψε, ὦ δαιμόνιε ἐπιμελέστερον τὸ λοιπὸν ἐξετάζειν οὓς συνίστησιν.

Sed eleganter equidem commendatitium illum morem effingit Horatius, epist. 9. lib. 1. cuius proinde & placituros versus spero studiosis:

Septimius, claudi, nimirùm intelligit vnus
Quanti me facias. nam me rogat, & prece cogit:
Scilicet vt tibi se laudare, & tradere coner.
Dignum mente, domóque legentis honesta Neronis,
Munere cùm fungi propioris censet amici.
Quid possim, videt, ac nouit me valdiùs ipso.
Multa quidem dixi cur excusatus abirem:
Sed timui mea nè finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriæ mihi commodus vni:
Sic ego maioris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad vrbanæ descendi præmia quod si
Depositum laudas, ob amici iussa, pudorem,
Scribe tui gregis hunc, & fortem crede, bonúmque.

TIT. XXVII PER QVAS PERSONAS NOBIS ACQVIRITVR.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 1.

Excepta possessionis causa, per liberam personam quæ alterius iuri non est subiecta, nihil acquiri posse, indubitati iuris est, &c.

Inde vulgata iuris regula ex l. stipulatio ista. §. alteri. de verb. oblig qua dicitur, alteri stipulari posse neminem, præterquàm si seruus domino, vel filius patri stipuletur. Inuentæ enim sunt huiusmodi obligationes ad hoc vt vnusquisque sibi acquirat quod sua interest. vt autem alij detur, nihil interest mea. planè si velim hoc facere pœnam stipulari conueniet, &c. pœnam enim eùm stipulatur quis, non illud inspicitur quid intersit eius, sed quæ sit quantitas, quæque eō ditio stipulationis. hactenus Vlpian. cuius verba exscripsit Imperator in vulg. §. alteri. de inutilib. stipul. Tiraquellus ex his textibus infert, stipulari posse aliquem vtiliter alteri cùm eius interest, & reçonualescere stipulationem si posteà incipiat interesse stipulatoris. Verùm vt immoremur semper in eo quod quotidianum, & vsitatius, sciendum est pœnæ adiectionem, nisi aliquid fiat, valere quidem in obligationibus facti: vsurariam autē esse in obligationibus dandi, vt ostendo ad l. pœnam. de vsur. & ad l. pœnæ. de condict. indeb. ff. Quantum ad actiones personales quas cedi nunquam posse ait hîc, ex subtilitatibus iuris, Glossa, (inhærent enim ossibus obligantis, vt πεχυμαρίστερον loquitur) doctrina etiā illa est omnium interpretum, proindéque vtilitatem ipsarum duntaxat cedi, quo & sensu legem hanc nostram accipiunt, & vulg. l. Modestinus. de solutio. at verò & l. cùm possessor. de censib. ff. quæ de pretio mandatorum actionum loquuntur. Sed eùm diutissimè ita semper iudicassent nostri iudices, maximéque Senatus, anno 1598. die 14. Martij, contra Will. Ioly, patro-

num, militiæq; Gallicæ iudicem, quia nempe, cùm pecunia sua importunum creditorem Francisci Chorraim, procuratoris in Senatu, apud quem morabatur, dimisisset, subrogatus quidem esset in locum creditoris cui soluerat, sed omissa à notario actionum cessione. memini iniquum adeo id visum fuisse D. Harlæo, tunc Senatus Principi, vt mihi diceret reiecisse aresti illius pronuntiationem in purpuris. sublatáque tandem est iniqua illa Romanæ prudentiæ subtilitas rescripto Principis, ann. 1609. mense Maio, quod & confirmatum paulò pòst ab ipso Senatu, quarta nimirùm Iunii. Valeant igitur, aut facessant potius durioris illius iuris apices vbi parat ex aduerso humanior aliunde æquitas. trado & hîc, & variis aliis locis, ex veris iuris nostri Gallici oraculis quod ab alio forsan non ita commodè discat studiosa posteritas, gratior fortassis futura.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 3. quæ vlt.

Si duo vel plures communem seruum habeant, & vnus ex his iusserit, vt suo nomine seruus ab aliquo stipuletur, decem putà aureos, vel aliam rem: ipse autem seruus non eius, qui iussit, sed alterius ex dominis suis fecit mentionem, & nomine illius stipulatus est inter antiquam sapientiam quærebatur, cum acquiratur actio, vel lucrũ quod ex hac causa accidit: vtrùm ei qui iussit, an ei cuius seruus fecit mentionem, an ambobus. Cùmque ex omni latere magna pars auctorum multum effuderit tractatum: nobis verior eorũ sententia videtur, qui domino qui iussit, afferunt stipulationem, & ei tantummodo acquiri dixerunt: quàm aliorum qui in alias opiniones deferuntur: neq; enim malignitati seruorum indulgendum est, vt liceat eis, domini iussione contempta, sua libidine facere stipulationem, & ad alium dominum qui eum forsitam corrupit, alienum lucrum transferre. Quod neque ferendum est, si seruus impius domino quidem, qui iussit, minimè obediendum existimauerit, alii autem qui forsitan ignorat, & nescit, repentinum adducat solatium, quod enim sæpe apud antiquos dicebatur, iussionem domini non esse absimilem nominationi: tunc debet obtinere, cùm seruus iussus ab vno ex dominis stipulationem facere, sine nomine stipulatus est: tunc enim ei soli acquirit qui iussit. Sin autem expresserit alium dominum: soli illi necesse est acquisitionem celebrari. multò enim ampliùs oportet valere dominici nominis mentionem, quàm herilem iussionem.

Exscribendus fuit textus integer, quia nihil in eo quod non sit scitu, notatúque dignissimum in perfidiam non modò seruorum, sed & procuratorum quorumlibet, qui suam mentiuntur operam, fallúntque vel sagacissimos dominos. Præclarus etiam hic textus in subtilitates iuris nimias, quas vt tantò longiùs emoueat, solenni istud sanctione præstandum censuit Imperator. Vna enim hæc procul dubio ex quinquaginta illis decisionibus quæ celebrãtur adeò in scholis, imò & in foro ipso, quotiescúmque quæstio in hoc idonea incidit. dixi de perfidia seruorum in dominos, titu. ad l. Aquil. ff l. si seruus seruum. §. si fornacarius. dixi etiam quanta fide, ac diligentia, cura, & studio ver-

ſari debeat procurator in eo quod ei mandatum, creditúmque eſt, ad l. 5. diligenter. ff. mand.

Quam forſitam ignorat, & neſcit.

Neſcire dicimur, ait gloſſa, quod ſcire non tenemur: ignorare verò quod ſcire debemus. Veteres omnes interpretes, vt nec ſcientiores per infælicitatem ſeculi, ſecuti ſunt, quaſi arietum inſtar, primam hanc tanti interpretis, in verbis Romanis, ignorantiam. Cuiacius in Poſtumis adeò inſuperhabuit, vt nec reperiatur meminiſſe. Ipſe, qui totus in hoc ſum vt ex textibus, & gloſſis, omnibúſque librorum Iuris interpretibus aliquid ſemper in forum noſtrum deferam, ſic illuſtrabo paucis, vt in aliquo, pérque Grammaticam Gloſſæ ignorantiam, habeant cultiores vnde, velut auctarii vice, veterem ſibi ex auctoribus claſſicis, memoriam adiuuent. Primùm quantum ad iuris Romani doctrinam, uulgatum eſt, ſumi & ſcientiam, & ignorantiam duabus vtrimque diſtinctionibus. *Scientiam eam accipimus*, (ait Vlp. in l. 1. de tributor.) *quæ habet & voluntatem. ſed, vt ego puto, non voluntatem, ſed patientiam. Non enim velle debet dominus, ſed non nolle. Si igitur ſcit, & non proteſtatur, & non contradicit, tenebitur actione tributoria.* Hoc Vlpianus. Idem verò & Paulus, quoad proteſtationem, in l. ſi filiuſ. ad macedon. qui etiam Paulus in tractatu legis Aquiliæ, ſic loquitur, titu. ad l. Aquil. l. Scientiam. *Scientiam hic accepimus: vt qui prohibere potuit, teneatur, ſi non fecerit.* Apud nos, Iuréque noſtro Gallico ſic ſcientiam diſtinguimus. Aut præter ſcientiam, denuntiatione, ex præſcripta ſtatuti formula, opus eſt, & eo caſu nõ quæritur an aliquis ſcierit, necnè, ſed vtrùm denuntiatio facta ſit: ſeruatúrque hoc potiſſimùm in redhibitionibus gentilitiis, ſeu retractibus linearibus, vt loquimur. Latè verò explicãt Tiraquellus. §. 36. glo. 2. in verb. *Notifié.* num. 24. & ſeq. de retr. gentil. & Molinæus, ad conſuetud. Paril. §. 13. glo. 11. Aut econtrà nihil, quoad formam, à lege præſcriptum eſt, ſed de mera, ſoláque ſciẽtia alicuius rei agitur, & tunc nocebit proculdubio ſcientia, locóque patientię voluntariæ, imò & adhibiti reapſe conſenſus, habebitur: Eiuſmodi eſt qui tabulis forſan nuptialibus intereſt, vidétque rem quæ ibi obligata ſit, obligari etiam, daríve in dotem à debitore, immunem, omníque pignoris nexu liberam: tamen ſubſcribit, nec interponit continuò teſtationem contrariæ voluntatis: ſingulares in id textus ſunt in l. ſicut § nõ videtur. quibus mod. pign. in l. fideiuſſor. §. pater. de pignor. & in l. ſi filiusfamil. ad macedon. ff. hæc igitur de ſcientia, ex iure, & noſtris moribus. Ignorantia autem eſt duplex, aut Iuris, aut facti. Iuris ignorantia neminem excuſat. conſuli enim poſſunt Iuriſconſulti, l. Regula de Iu. & fa. ign. l. 10. in bonorum. de bon poſſeſſion. l. iuris. cod. qui admitti ad bon. poſſ. facti verò ignorantia ſic diſtinguitur, aut eſt in facto alieno, & hæc excuſat, l. 2. de iu. & fa. ign. Eiuſmodíque ſunt conſuetudines prouinciales, vt annotaui ad tit. de Senatorib. ff. aut eſt in facto proprio: & hæc non excuſat, l. plurimùm. de Iu. & fact. ign. l. Celſus de vſucapion. l. quanquam. ad velleian. In quo tamen exceptiones ſunt; veluti ſi ob varias, & particulares ſolutiones non conſtet debitori quod ſit reliquum, l. ſi reſiduum. cod. de diſtr. pign. deinde, quando facto diſponentis ſic implicita res eſt, vt niſi arbitrio boni viri explicari non puſſit, quemadmodũ in ſpecie legis, 27. in teſtamẽto. ff. de condit. & dem. Tertiò quando obliuio eſt probabilis vel ex temporis diuturnitate l. peregrè. de acq. poſſ. ff. vel ex occupationum frequentia, negotiorúmque qualitate. quæ omnia boni viri arbitrio relinquenda ſunt. Notandum autem, ſi quis ignotet id de quo agitur, non debere eum facilè aſſeuerare quod ignorat. Nec tunc excuſationi ſit locus, l. Iulianus. in pr. de actio. empti. ff. item & ignorationem Iuris naturalis excuſare neminem, l. 2. ſup. de in Ius voc. cum glo. ad l. ſi quis in tantam. cod. vnde vi. in 2. quæſtione. Neſciri deníque iſtud, ignoraríque à quoquam haud magis poteſt quàm ſolem lucere cùm dies eſt. Tractaui ad tit. de iuſt & Iu. ff. Ridiculúſque eſſet qui ignotum hoc ſibi diceret. Et cùm gloſſa ignorantiam conſtituat in iis quæ ſcire debemus, primam eſſe hanc maximè arbitror, cùm nempe fugit nos & ipſa naturalis ratio, qua deum veneremur, qua parentes, & ſimilia. Altera ignorantia craſſa, ſupina, diſſolutáque fuerit, ignorare & quod omnes ſciant, & quod

quis ex arte quam profitetur, primũ, vulgatum, interque protrita sit principia, vt de eo qui Episcopatu Bremensi summotus est, quia nihil vnquam de Grammaticæ rudimẽtis didicisset, imò nec Donatum legisset, cap. vlt. de æt. & qualit. Item & de iis quos memorat Ammianus Marcellinus. lib 30. qui nimirùm ita erant rudes, vt numquam se Codicem habuisse agnoscerent. Quòd si in circulo doctorum, auctoris veteris nomen incideret, piscis, aut edulij peregrinum nomen arbitrarentur. sic ille. Sunt autem quibus ignorantia crassa pudori est: sunt & quibus addit audaciam, habéntq; pro oblectamento obniti, aduersarique eruditis. πάνυ ἀμαθίας, id vocat Plato, epist. 7. ad Dionis amicos, id est audaciam ignorantiæ. quam audaciam ita describit ille ipse in sympofio: Αὐτὸ τοῦτο χαλεπὸν, ἀμαθία, τὸ μὴ ὄντα καλὸν, κἀγαθὸν, μηδὲ φρόνιμον, δοκεῖν αὐτῷ εἶναι ἱκανόν. Id est, molesta, grauisque ex eo est ignorantia, ac imperitia, quòd is qui nec honestus, nec probus, nec prudens sit, tamen sibi ipsi videatur vir eximius, oprimúsque omnium, ac prudentissimus. dixerimus nos Galli quippe φαλισμός, & quorum verba, ac locutiones ad Græca accedunt maximè. *l'ignorance n'a rien de plus fascheux à supporter, que de voir qu'vn qui ne sera ny honeste homme ny de probité quelconque, ny prudent, neaumoins celuy-la se presumera estre le plus suffisant, & le plus capable de tous.* hoc enim vox Platonica, ἱκανόν, supra in textu.

TIT. XXVIII. AD SENATVSCONSVLTVM MACEDONIANVM.

Imp. Ælivs Pertinax.

L. 1.

Si filiusf. cùm in potestate patris esset, mutuam à te pecuniam accepit, cùm se patremfamil. diceret, eiúsque affirmationi credidisse te, iusta ratione edocere potes: exceptio ei denegabitur.

Rectissimè glo. in verb. iusta ratione, id est, non vana simplicitate deceptus, nec ignorantia iuris: quia paterfam. videbatur publicè, sic agebat, sic contrahebat, sic negotiabatur. Sententia enim illa glossæ vt tota est ex l. 3. ff. cod. ita & nihil eo textu ad similia vulgatius in foro, ac receptius. vide & ad tit. Si minor se maiorem dix. sup. Duo in summa mouerunt Imperatorem vt aduersus planum istum rescriberet: primum est, quòd sese patremf. affirmasset: alterum, quia in publico omnia, vt patersamil. ageret: fecitque propterea maximè quod ait Alexander Imperator in l. 1. sup. si aduers. venditionem *neque perfidia, neque periurij me auctorem tibi futurum spera.* odiosissimum omnium est illud mendacium, scribit Polybius lib. 12. quod fit κατὰ προαίρεσιν, id est, ex proposito, ex insidiis, atque ad fallendum aliquem. *Vera autem dementia est non cogitare, nec scire quòd mendacia non diu fallant noctem tamdiu esse, quamdiu illucescat dies:* ita D. Cyprianus fratri, lib. 1. epist. 3. & 55. plura de pœna mendacij, quod puniri hîc notant Glossa, Azo, & Bartolus, vide ad l. vlt. ff. de rei vendic. Alterum verò quod spectauit non minus Imperator, est quòd omnes deciperet ille in publico, vt sic loquar cum Iurisc. in l. illicitas. de off. præs. contrahendo scilicet, & negotiando instar patrumf. verè enim hoc ipsum quod dicitur, *iure communi vti*, in l. vlt. de in integr. restitution. minor. sup. nec aliter etiam iudicari soler in eos qui, decipiendi animo, fingunt se quod nõ sint. vide inter extera de presbytero Burdigalensi qui, dissimulato presbyteratu, negotiabatur Lutetiæ, damnatúsque à mercatorum iudicibus fuerat nexu carceris, nisi mox solueret. appellauerat ille Senatum,

professúsque tunc sacerdotium, quod ementitus tamdiu fuerat, tuebatur eo titulo appellationem. Confirmauit autem ordo amplissimus iudicium seueráque in ipsum interminatione vsus est, ann. 1607. die 9. Augusti. vide ad l. si decipiendi animo. ff. ad Velleian. Sic deinde seruamus capitulum, si iudex. de sentent. excommunicatio. in 6. vbi de crimine agitur admisso à clerico mentito faciem, & cuius vita, ac vestes planè seculares, & laica: licimus nos Galli, *habit trauesti*. viderint elegantiores an eò accedat *peruersa vestis* apud Sen. lib. 1. de ira. cap. 16. & an meliùs ad eum locum Lipsius quàm Muretus. vtut sit, tritum est, ex constitutionis illius Pontificiæ regula: *In quo statu te inuenero in eo te iudicabo*. citatur & in id de more lex, idem apud Labeonem. §. si quis Virgines. de iniur. Denegatur inde semper remissio ad ecclesiasticum iudicem, licèt priuilegium illud non honori personarum, sed maiestati Dei indultum sit, ipsiq; proinde clericorum ordini, inquit, vulg. glo. ad cap. si diligenti. de fo. compet. iuncta & l. non distinguemus, §. 3. de arbit. ff. Sic inter cætera, in publicis causarũ actionibus an. 1603. contra canonicum Nouiomensem, qui, mutato habitu, & laruatus, cædem patrauerat. perorabant Dolæus, & Bochellus. vestes, deniq; mutare, ac vultum, crinibúsque, vt sic loquar, alienis apud omnes incedere, nemini ferè, nisi, vbi vrget periculi necessitas, licèt. quod de vaferrimo illo, sibique inter suos, medio in exercitu, metuente, Annibale, Liuius lib. 2. dec. 3. latiùs verò Polybius lib. 3 in hæc verba, κατεσκεύασε περιθέτας τρίχας, &c. ἢ ταύταις ἐχρῆτο συνεχῶς μεταλλάττων. Id est, composuit sibi crines fictitios, &c. eísque assiduè vsus est, mutatus in alterum. Frequentissimum hoc hodie plurimis, tum per incommodam valetudinem, tum verò etiam per mollitiem.

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 2.

Zenodorus si cùm sui iuris esse publicè videretur, aut patris voluntate contraxit, aut in eam rem pecuniam accepit quæ patris oneribus incumberet, vel suæ potestatis constitutus, nouatione facta fidem suam obligauit, vel aliàs agnouit debitum: non esse locum decreto amplissimi ordinis, rationis est.

Duo hîc maximè obseruanda sunt: consuetudo patrisfam. erga filium negotiantem: & negotiatio publica. Quantum ad primum, egregiè equidẽ Baldus, cùm scribit, ideò non fieri locum Senatusconsulto in hac hypothesi, quia filiusf. soleret accipere pecuniam mutuò, & pater refundere quod accepisset filius. Ratione enim consuetudinis præsumitur voluntas, sunt eius verba, vtitúrq; ad suã sententiã, argumẽto optimi textus in l. vlt. al. Titianus. ff. quod cũ eo. singulares verò & in hoc sunt duæ leges, quarũ proinde electiora hîc proferẽda verba arbitror, ad exprimẽdam magis magisq; patrisf. in rebus suis domesticis consuetudinẽ quę pro lege sit. Sic enim in l. Dominus. §. 1. de peculeg. ff. Quod dominus debet seruo, imputatur in peculio, si ex consuetudine domus esset, vt quicquid amplius ex suo in rationes loculorũ seruus erogasset, dominica ratio ei deberet, atq; exolueret. Sic & lex, pediculis § 2. de auro & arg. leg. *In his quæ dubiũ est, cuius generis sint, cõsuetudo patrisf. spectatur*. scio esse lõgè plures, vt inter cæteras, legẽ, si seru' plurium. §. vlt. de leg. 1. l. nummis. de leg. 3. & l. cum virum. de fideicommiss. sed aptiores subiicio. Quantum ad negotiationem filiorumf. publicam, conscriptus, imitatione secundæ huius legis, videtur articulus primus, & tertius, titu. 1. consuetudinis Burdigal. ad quem latè Ferronus de ipsorum cõtractibus: vt sanè in locis maritimis, cuiusmodi Burdigala, frequentissimum illud est. Imò Will. Bened ad cap. Raynutius. in verb. cuidam Petro tradiderunt, num. 98. notat mulieres per vniuersam Galliam solere negotiari pu-

bliеé, pluráque acquirere maritis bona, ac officia: (mera eius verba recenseo) sed quali vsu temperatum illud sit perscriptis & Parisiensiú, & Aruernorum, inter cæteros, moribus, clarè ostendo, ad l. Quintus. ff. de donatio. inter vir. & vx. nihilque propterea amplius addam.

IIDEM AA.

L. 3.

Si filiusf. aliquid mercatus, pretium stipulanti venditori, cum vsurarum accessione, spondeat: non est locus huic Senatusconsulto, quo fœnerare filijsf. est prohibitum. Origo enim potius obligationis, quàm titulus actionis spectandus est.

Dixit lex 8. si procuratorem. ff. mandati: *Vniuscuiusque contractus initium spectandum est, & causa.* cõnotaui ad d. l. & ad l. Quid ergo. ff. de his qui not. infam. quæ huc, in eámque sententiam faciant. Soli autem sagaciores aduerterint derogatum esse huic rescripto per edicta Gallica quæ vetant nè vendi quidem filiisf. minoribus merces quæ postea vilioris longè væneant ab emptoribus, quàm eas ipsi à nefariis, libidinúmque illius ætatis fauitoribus, emerint: hæc dicimus, *vendre à perte de finances.* Verba constitutionis Aurelian. art. 100. sunt hæc: *Enioignons à touts Iuges de nier toutes actions aux marchands qui auront vendus draps de soye à credit, à quelques personnes que ce soit, fors de marchand à marchand* & artic. 141. ibidem: *Defendons à touts marchands, & aultres de quelque qualité quils soient de supposer aucun prest de marchandise à personnes supposeés: & ce sur peine de punition corporelle, & confiscation de biens.* Hoc verò & rursus per fracti seculi impotentiam, edictum Blesense, cuius hæc, ad Aurelianense additio est: *encores que ce fust soubs pretexte de commerce & ce sur peine pour la premiere fois, d'amende honorable, bannissement & condemnation de grosses amendes, dont le quart sera adiugé aux denonciateurs: & pour la seconde fois, confiscation de corps & de biens. &c.* Attigeram ad l. 1. ff. hoc tit. sed omisso hoc textu, cuius hodie abrogatum apud nos vsum planè ni fallor, ostendo.

IMP. ALEXANDER.

L. 5.

Macedoniani Senatusconsulti auctoritas petitionem eius pecuniæ non impedit quæ filiof. studiorum, vel legationis causa, alibi degenti, ad necessarios sumptus, quos paterna pietas non denegaret, credita est, &c.

Ait Vlp. in l. 9. sed & Iulianus. §. quod dicitur. ff. eod. *si probabilem modum mutuando non excesserit: nempe eam quantitatem quam pater solebat subministrare.* Rursúsque idem Vlpianus in l. 3. §. proinde. ff. de in rem verso, vbi de seruo alendo, vestiendóque agitur in hæc verba: *secundum consuetudinem domini, id est vsque ad eum modum quem dominus præstare consueuerat.* Vocat deinde ille ipse Vlp. quod erogatur à patre filio, studiorum causa, *viaticum*, in l. cùm filiusf. si certum pet. & *Viaticulum*. in l. si longius. ff. de iudic. Vide quæ ad ea omnia loca dixi, & ad l. quæ pater. famil. hercis. atque ad l. si filiusf. hoc titu. ff. meritò dixerimus adiiciendum & hoc impensarum caput Nouellæ Friderici, habita. nè fil. pro patre, vel pater pro filio, &c. sup. cùm in causam studiorum illa sit, omnibúsque proinde fauorabilior quarum nomine pater pro filio teneri debeat.

IMP. PHILIPPVS, ET PHILIPPVS CÆS.

L. 6. quæ pen.

Si filius tuus in potestate tua agens, contra Senatusconsultum Macedonianum mutuam sumpsit pecuniam: actio de peculio aduersus te eo nomine efficaciter dirigi nequaquam potest. Quod Senatusconsulti auxilium licèt filijs. meminerit & ad nepotes, & pronepotes porrigitur.

Nihil apud interpretes ex hoc textu, atque ex l. filium. ff. eod. nisi vt filij appellatione, nepos contineatur. De quo cum tractari abundè soleat ad l. liberorum, de verb. sign. distinctio hæc necessaria est: vt scilicèt verum hoc sit in fauorabilibus, vt videmus hic agi de iustissimo, in fœneratores illudentes facilitati iuuenum, odio, déq; liberanda eiusçemodi rapacibus monstris repub. quibus vt nihil factum, ita & adoriri mos erat technis quibuslibet nepotes, vt eos insidioso fœnoris sui nexu implicarent. Dubitandi enim erat apud Imperatores illa ratio, quòd Macedoniani priuilegium non egrederetur personam filiorumf. nouóque proinde rescripto opus fuit quo tolleretur ea dubitatio, atque ad nepotes porrigeretur Senatusconsultum. Sic verò & dicitur in l. 1. inf. de condition. insert. non decedere eum sine hærede qui nepotem reliquit ex filia. sic & in l. 1. §. si filius. ff. de suis, & legit. nepotes succedunt in partem filij ex naturali æquitate. Hinc verò & merita nepotis nòn minus auo perpendenda esse, quàm delicta patris, scribit Vlp. in lege 3. §. si emancipatus. 1. in fi. ff. de bon. poss. contra tab. vbi & glo. singularis. Secundus verò in odiosis, vt in l. vlt. inf. de natural. lib. Si nimirùm ratio odij quæ erat in filio, cesset in nepote. d. l. vlt. cui & in hoc iunge l. si quis in suo. §. vlt. inf. de inoff. testam. vbi de matre quæ odio patris voluit ex hæredem scribere infãtem. Exceptio etiam est in tutelis, à quibus excusat numerus liberorum. Nepotes enim nec eo casu prosunt: docet lex 8. *οἱ πάλαι ς᾽ εχλιώται*. in princ. ff. de excusatio. tut. cuius ratio mera illa est, fauor nempe publicus. eóque iure vtimur. Fallit postremò istud si aduersetur idiotismi patrij vulgata, receptáq; acceptio, vt cùm nos Galli vocamus filios, seu liberos, infantes, al. *enfants*. Censuit enim Senatus, non compræhendi eo casu nepotes in locatione facta à domino sub clausula resolutionis contractus, in hæc verba *sy le bailleur, ou ses enfants vouloient y demeurer*. Defendebat Ren. Chopinus, celeberrimus patronus, contrarium in causa propria, ex d. l. liberorum. Causa in hoc ipsum perorata est ab Escorceuelio, qui Chopino aderat, & à Gillotio. Remissa autem cùm esset ad consilium, clausulam ad filios primi gradus coërcuit centumuiralis, in solennibus purpuris, auctoritas an. 1586.* Alibi Senatusconsultum fusiùs explico. Vide plura, si lubet, de acceptione nepotis, & quali hodie etiam in filiis fratrum, vel sororum vtimur, ad l. si instituta. ff. de inoff. testam. Vide etiam de filii, ac nepotis acceptionibus variis, ex Alciato, Brechæo, Rebufo, Cuiacio, ad l. liberorum. de verb. signif. rursúsq; ex eod. Rebufo, ad l. cognoscere. §. liberorum. & ad l. iusta eod illo tit. Prætetire deniq; ista nõ potui cùm allegari nec in aliud quippiam soleat nostra hæc lex ab interpretibus nisi vt filii appellatione nepos cõtineatur: suppleuique quod apud eos deesse agnosces si vnquam lectionis tam asperæ tædium subire lubuerit. Aliò autem spectasse Imperatores, cùm hoc de nepotibus rescripserunt, facilè, opinor, mecum fatebitur quisquis obseruarit causam tituli sub quo digesta hæc sanctio est. Coërcetur enim lasciuia, impètúsque iuuenilis qui nec modum impensarum habet, nec finem, vt alibi apud Imperatores: maiórque sæpius deprauatio illa est in nepotibus, quàm in filiis ipsis Præclarè Tullius Agrar. 1. *Videte vt impurus helluo turbet remp. vt à maioribus nostris relictas possessiones disperdat, & dissipet, vt sit non minus in patrimonio populi Romani nepos, quam in suo.* Cur, & vnde solutioris illius vitæ colluuies videatur frequentior in nepotibus, quàm in

filiis tradunt plures, ac variè. solitum enim hoc vel quia vt congestas ingentes opes paternis in ædibus vident filij ita &, si sapit eis vel tantillùm pectus, venerantur paternum, laborem, ac studium, nec temerè atterunt. Ignorant verò sæpius nepotes quo labore, vigiliis, indefessáque ambitione, & industria auus quæsierit quod ab infantia, & ineunte ætate, immensa copia apud patrem, gratis, nulláque sua opera, splendidissimum conspiciunt. Probatur mihi magis illa ratio, quàm eorum qui fieri hoc scribunt ob solutiorem, delicatiorémque victum quo sub auis nutriuntur: hoc Porphyrion ad od. 1. epod. Horat. hoc & Priscianus, lib. 1. Quotus enim istorum qui & auita, paternáque bona abligurijt, & tamẽ auum numquam vidit, aut certè infans in eius domo nõ vixit? Quotus perditæ mentis nepos qui immensam, quasi inuitam, *rebellémque opulentiam non diripuit*, vt elegans nostræ sat dudum ætatis scripsit Alealmus, de Ioanne Brinonio, Brinoniæ gentis, olim apud Lutetianos, clarissimæ, nepote deploratissimo? Nati in tepore, mollissimóque opum sinu, nihil, prima illa ætate, nisi libidinum, delitiarúmque imagines varias vident, famulitia, palpones, asseclas: factique adultiores, omnia sepositis literarum, rerúmque honestiorum studiis, irritamenta, quælibet vitæ sequioris sectantur, amant, addiscunt, accersunt, coëmunt, genióque suo præstant, quod in hoc ipsum longissimè Senecal, epist. 95. frequens certè istud in filiis Heroum, vt de quibus adagium vetus, τέκνα τῶν Ἡρώων, πήματα. Id est, filij Heroum, noxæ. Frequentissimum autem in nepotibus istis qui tandem, vt delineo, in lurcones, ganeonésque secordes, ac stupidos, vilissimáque familiarum illustrium dehonestamenta, degenerant, quod, inter veteres, de hippocratis nepotibus Galenus, libello, quòd animi mores corporis temperamento respondeant: Ἱπποκράτους, ait ὑὸς ἐπὶ μωρίᾳ σκώπτουσι οἱ Κωμικοί. Id est, Hyppocratis filios, ob stultitiam, rident Comici, & Aristoph. νεφελ. τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴξεις. Id est Hippocratis filiis cedes. Scio obseruasse aliud nuper eruditiss. Casaubonum, cap. 17. lib. 3. in Athenæum, vbi de lurconis cuiusdam Atheniensis sobole hoc intelligit. Sed vt in re medica, sic & in medicorum historia, instar mihi omnium Galenus. Cætera non persequor, cùm nec ista subiecissem, nisi quia de eiuscemodi nepotanti honestiorum sobole, intellexisse Imperatores in nostro hoc textu, factum nepotibus mutuum facilè, opinor, quiuis literati fori sciens, mecum dixerit, obligandósque honestis quibusdam vinculis, & catenis, id est, vel curatoribus datis, vel aliis quibusdam temperamentis publicis, magnæ, nobilísque cuiusdam familiæ liberos, aut nepotes, qui auita patrimonia euertunt, ac decoquunt: vt de Dedaleis illis formosis, errantibúsque statuis tradunt veteres, quæ vinciebantur nexu necessario, quominus errarent, sed statum immorum, vnde nec exire liceret, ad splendorem vultus, acciperent. Sic enim de illis Plato in Menone, ταῦτα ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ, ἀποδιδράσκει, καὶ δραπετεύει. ἐὰν δὲ δεδεμένα, παραμένει. Id est, hæ nisi fuerint ligatæ aufugiunt, seruíque fugitiui in morem, excurrunt: sin ligatæ, permanent. hoc etiam Scholiastes Euripid. in Hecuba, ad versum, 835. ἡ Δαιδάλου τέχναισιν. vocat, ipsas eo loco, κάλλιστα ἀγάλματα. Id est, pulchertimas statuas.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Si filiusfam. citra patris iussionem, vel mandatum, vel voluntatem, pecunias creditas acceperit, posteà autem pater ratum contractum habuerit, veterum ambiguitatem decidentes, sancimus, quemadmodum si ab initio voluntate patris, vel mandatu, filiusfam. pecuniam creditam accepisset, obnoxius firmiter constitueretur: ita & si posteà pater ratum habuerit

habuerit contractum, validum esse huiusmodi contractum: cùm testimonium paternum respuere satis iniquum sit. Necesse est enim patris ratihabitionem, vel principali mandato patris, vel consensui non esse absimilem: cùm nostra Nouella lege generaliter omnis ratihabitio prorsus retrotrahatur, & confirmet ea quæ ab initio subsecuta sunt: & hæc quidem de priuatis hominibus sancienda sunt.

Primùm satis constat ex textu, esse hanc ex quinquaginta decisionibus Iustiniani. Decidit enim, atque vltimo ceu iudicio terminat quod de ratihabitione controuersum fuerat inter Iurisconsultos veteres, vtrùm scilicet retrotrahi possit. Quod tamẽ intellige ex doctrina Io. Fabri, hîc, si rebus adhuc integris fiat ratihabitio, nec verò tunc cùm explicari ampliùs non possit negotium, in quo singularis est lex, bonorum. ff. rem rat. hab. Tractaui deinde quæstionem fusè satis ad l. si fundus. ff. de pignorib. & ad l. 13. quid ergo. de his qui not. infam. ad quas varia ex vsu, & curiæ placitis congero. Itaut ferè nihil mihi hodie superfit quod adijciam, præter dissentientes Tiraquelli, Chopiniq́ue sententias in quæstione temporis à quo incipere debeat ratihabita venditio. Putà si de præscriptione decẽnali agatur opposita ex edicto Ludoici 12. aduersus eum qui velit in integrum restitui, cùm à non domino facta esset venditio, rata autem postmodùm facta à vero domino: an scilicèt à tempore ratihabitionis, an verò à tempore venditionis accipienda esset præscriptio. Choppinus censet lib. 3. cap. 2. tit. 5. Consuet. Andens. decennij tempus incipere à die ratihabitionis posteriùs factæ à vero domino. Quatenus enim trahitur retrò, fictio est, ait ille: at fictio in statutis, & constitutionibus, locum non habet, nisi expressum illud sit. Tiraquellus autem longè anteà contrarium senserat, §. 1. glo. 10. à num. 64. vsque ad num. 74. & à num. 87. & 88. vsque ad num. 118. tempus nempe currere à die solo venditionis. Ratihabitio enim, inquit, fictio est, quæ proptereà fieri non debet in præiudicium tertij: idémque & antumat in casu dilati Iuris, aut dominij rei venditæ pòst mortem venditoris: atque ita iudicatum refert Annæus Robertus lib. 3. cap. 17. rer. iudic. & certissima equidem ratione. qui enim ratum facit quod gestum est, confirmat: Qui autem confirmat nihil de nouo dat, vt latiùs eo loco disserit. Quotidiana hæc sunt, & tamen, quod miror, intentata omnibus tam priscis, quam nouis interpretibus, quorum, nè quid commentationi nostræ deesset, inanes re uera ferè semper columnas, ac paginas, quasi ex necessaria commeanti sarcina, percensui.

§. *Sin autem miles filiusf. pecuniam creditam acceperit, siue sine mandato, siue consensu, vel voluntate, vel ratihabitione patris: stare oportet contractum, nulla differentia introducenda, ob quam causam pecunia credita, vel vbi consumpta sint. in pluribus enim Iuris articulis filijfamil. milites non absimiles videntur ijs qui sui Iuris sunt: & ex præsumptione omnis miles non creditur in aliud quicquam pecuniam accipere, & expendere nisi in causas castrenses.*

Quantus fauor militum, dixi, ad l. licet. sup. de pact. Clarissima autem hîc exceptio cum sit à regulis Macedoniani, si nimirùm sit miles qui pecuniam mutuò accepit, duo subiungit Imperator notatu dignissima, militem scilicèt perinde haberi ac si esset sui Iuris, patriáque potestate liberatus, & quicquid ex causa mutui ei datum sit, præsumi illud in rem militarem, causámque castrensem, acceptum, expensúmque esse. & sane id optima ratione. Arma enim sunt adeò membra militis, quod dixit Cic. Tuscul. 2. vt miles qui ea alienauerit, aut etiam in bello amiserit, militiam mutare debeat, l. 3. §. 6.

TIT. XXIX. AD SENATVSCONSVLTVM VELLEIANVM.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Mulieribus quidem quæ alienam obligationem suscipiunt, vel in se transferunt, si id contrahentes non ignorent, Senatusconsulto subuenitur, sed si pro alijs, cùm obligatæ non essent, pecuniam exoluerint, intercessione cessante, petitio nulla est.

Notaui iam ad eundẽ tit. ff. de causis abrogati apud nos Senatusconsulti Velleiani, promulgatóque in id edicto, an. 1606. factum id post ingentes omnium querelas. Nam si ruri initus fuisset contractus, Velleiana verborum solennia, aut παγίδες potius semper aliquo laborabant vitio: si in vrbe, idoneam semper conuentio sapiebat tabellionis scientioris industriam. Singulæ autem ferè tituli totius leges, & ff. & Cod. habẽt multa scitu dignissima. Vt, inter cætera, cùm ait hic textus, *si id cõtrahẽtes nõ ignorẽt.* Glossa enim in hoc singularis quæ obseruat contingere id posse, quia fœmina forsan mentita sexum, veste virili induta sit, eòque vultu, quasi vir, non fœmina, fideiusserit. In quo vide, si lubet, de fæminis quæ viriles vestes induant, ad l. 18. si vir vxoris. ff. de donation. inter vir. & vxor. vt etiam de clericis, qui, more laico, vestiãtur, ad l. 1. sup. hoc tit. Altera deinde glossa rectissimè colligit ex verbis eiusdem textus, *sed si pro alijs, cùm obligatæ nõ essẽt, pecuniam exoluerint, &c.* intelligendum hoc de muliere non fideiubente, sed donante. fideiubenti autem, non donanti succurrit Senatus: quod ferè in simili dixit Paulus in l. 32. quod dictum ff. de pact. in hæc verba: *Igitur cum mandati actio nulla sit, fortè si donandi animo, fideiusserit, dicendum est, non prodesse exceptionem fideiussori.* Sic ille. Ratio autem & huius legis primæ, & d. legis, quod dictum. petenda est ex l. 1. in pr. ff. de donat. vbi sic Iulianus: *propter nullam aliam causam facit, quàm vt liberalitatem & munificentiam exerceat.* Sic Iulian. Iure igitur Imperator ait hic, *intercessione cessante*, cùm enim, per eiuscemodi donationem, esset Velleiani ratio, & cessare etiam eius subsidium mulieri quippe donanti, non intercedenti, necesse est. Fecerit denique prima hæc lex ad casus similes quibus donatio aliquo forsan contractus cuiuscúmque similis inuolucro conuelata videbitur.

IMP. ALEXANDER.

L. 5.

Si sine voluntate. Vers. *Quòd si patientiam præstitisti, vt quasi suas res maritus tuus obligaret, decipere voluisti mutuam pecuniam dantem: & ideò tibi non succuretur Senatusconsulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum, consultum est.*

Vocat istud lex, ea quæ commendandi. §. vlt. ff. de contrah. empt. insidiosam diffi-

mulationem. Notandum verò apprimè ad constitutionem Herrici 2. quæ est de notariis, artic. 21. Amitti enim vult & venditori pretium, & emptori rem venditam, si cùm scirent fundum vēditum esse vel feudalem, vel emphyteuticari um, illud tamen insidiose, obscurè, factóque in caput prim æui domini silentio, dissimulauerint. Singulare in hoc recenset curiæ Tolosonanę iudicium Ferrerius, patronus Tolosas consultiss. ad quæst. 171. Vidi Papij: cùm videlicèt prætermittitur instrumento venditionis mentio primæui, seu, vt loquimur, directi domini à quo mouetur res vendita. Vulgò dicimus *adiuger la commise au seigneur.* Memini scripsisse me, an. 1579. (quo anno versari primùm circa forenses cancellos incipiebam) in lite, qua contendebat L. Seguinius, Sanlactanciani feudi, in agro Bituricensi, patronus, commissum sibi esse viticulæ iugerum, quia subticuisset venditor, negassetque posteà emptor esse illud in Sanlactancianę ditionis latifundio; quod & ita censuit Senatus, enarratore litis Dom. Loëtio, in quinta classe inquisitionum. De præsentia autem eius, cuius res aut venditur, aut pignori opponitur, dixi ferè quod satis ad vulg. *l.* fideiussor. §. pater. de pignor. & ad l. sicut §. non videtur. quib. mod. pignus. vel hypoth. solu. ad l. Caius. de pign. act. ff. atque ad l. vlt. sup. plus val. quod agitur, quàm quod simulatè conсip.

IMP. GORDIANVS.

L. 8.

Si paternam obligationem non tantùm masculini sexus filij, verùm etiam filiæ emancipatæ in se receperunt: quamuis filiæ virilibus obligationibus eximantur propter exceptionem quæ ex Senatuscon. Velleiano descendit: tamen filios in id quod se obligauerunt, teneri: filiarúmque subducta persona, patrem in id conueniri posse in quo conueniretur, si filiæ non intercessissent, dubium non est, pignora tamen patris, etsi in posteriore obligatione accepta sunt, sine dubio tenentur. Sed etsi in priore fuerint obligatione, quatenus ad patrem, per restitutoriam actionem, redit, eatenus tenebuntur.

Primum intellige nouatam hîc obligationem paternam à liberis, subducíque ideò filias de obligatione, quia Velleiano iuuari possent. quatenus ego Velleiano mulier iuuatur, eatenus in pristinum debitorem (cuiusmodi hic fuit pater) actio restituitur. Ita Bartolus, & alii interpretes. Paulus verò Castrensis sic fingit speciem. Pater, cuius erant filii duo, & duæ filiæ, cùm obligatus esset Titio in centum, fecit vt liberi 4. susciperent in se obligationem, nouandi animo, promitterentque illa centum simpliciter, non in solidum. exemptæ sunt posteà filiæ ab obligatione, ex causa Velleiani. Recidit tunc obligatio, quoad ipsas in patrem, nec augetur, propterea quæ filiorum. Sic ergo species, quam vt necessariam, subiicei, quia implicita, nec tam facilis. Fit verò hodie subductio illa maximè in persona minorum, si qui coniunctim cum maioribus obligari sint, quatenus diuidua sit res de qua contractum est; secus in indiuiduis, cuiusmodi sunt seruitutes, diuisionesh æreditariæ, & similia inter se cohærentia. Textúsque in hoc quotidianus in l. si communem. ff. quemadm. seruit. amitt. ad quam dixi. facit & lex 30. etiamsi. §. 1. ff. de minorib.. cuius hæc verba: *Si species in qua pupilla restitui desiderat, cateris speciebus non coharet, nihil proponi cur à tota sententia recedi actor postulans audiendus sit.* Cæterùm vix est vt, per edicti nuperi, de quo supià, necessitatem publicam, vlla vnquam apud nos incidat, legis istius quæstio.

IMP. PHILIPPVS, ET PHILIPPVS, CÆS.

L. II.

Etiam conſtante matrimonio ius hypothecarum, ſeu pignorum marito remitti poſſe, explorati iuris eſt.

Videbatur hoc ad donationem inter vir. & vxorem, accedere, vt quæ interpolata ſit nomine remiſſionis. Bartolus verò ad l. iubemus. quæ iſti adiungenda eſt, cùm idem prorſus ſtatuat, inf. hoc tit. egregia in hoc diſtinctione vtitur, ex auth. ſiue à me. eod. vt nimitùm valeat quidem eiuſcemodi remiſſio, ſi maritus ſit ſoluendo, aliàs non. nõ enim donat, ſed remittit vxor dumtaxat ius hypothecæ quod ei competit in bonis mariti, ex cauſa dotis. Ita ut ipſi ſit ſatis, dummodò ſemper habeat maritus vnde dotem, ſoluto matrimonio, reſtituat. Apud nos autem nec valeret per noſtros mores illa remiſſio, cùm nulla arte, quæcúmque illa ſit, nullóque contractu, aut iudicio, mutari poſſint inter coniuges pacta dotalia, perſcripta videlicet tabulis cõnubialibus, quæ tempore nuptiarum celebratæ ſunt, vt latè oſtendo ad l. inter ſocerum. ff. de pact. dotalib. imò & difficillima olim fuit quæſtio, vtrùm alter coniugum illiberis donare poſſet filiis alterius, donec vltimis tandem Senatuſconſultis conceſſum eſt, de quo etiam dixi ad l. 3. ff. de donationib. inter vir. & vxor.

IMPP. VALERIAN. ET GALIEN.

L. 12.

Si dotare filiam volens, genero res tuas obligaſti, pertinere ad te beneficium ſenatuſconſulti, falsò putas. hanc enim cauſam ab eo beneficio eſſe remouendam, prudentes viri putauerunt.

Componenda lex vlt. quæ Iuſtiniani eſt. inf. hoc tit. cuius hæc verba: *Generaliter ſancimus, vt ſi quis maior 25. annis, ſiue maſculus, ſiue fœmina, dotem pollicitus ſit, vel ſpoponderit pro qualibet muliere cum qua matrimonium licitum eſt: omnimodò compellatur ſuam confeſſionẽ adimplere. neque enim ferendum eſt, quaſi caſu fortuito interueniente, mulierem fieri indotatam, & ſic à viro forſitan repelli, & diſtrahi matrimonium. Cùm enim ſcimus fauore dotium, & antiquos iuris conditores ſeueritatem legis ſæpius mollire: meritò & nos ad huiuſmodi venimus ſanctionem, nam ſi ſpontanea voluntate, ab initio liberalitatem ſuam oſtendit, neceſſe eſt eum, vel eam ſuis promiſſionibus ſatisfacere: vt quod ab initio ſponte ſcriptum, aut in pollicitationem deductum eſt, hoc ab inuitis poſteà compleatur: omni auctoritate Velleiani Senatuſconſulti in hac cauſa ceſſante.*

Similis etiam textus, nè ſcilicèt mulier, per ſubtilitatem iuris indotata maneat, in l. ſi mulier. §. 1. ff. de iure dot. Abundè autem, atq; ex profeſſo duas has conſtitutiones Imperatorias explicaui ad l. cùm is qui. ff. de condict. indeb. ad l. pen. de pact. dotal. & ad d. l. ſi mulier. Tantum in eo ſubtilitati iuris præualet humana ratio, vt quamuis cenſeat Bartolus ad Auth. res quæ. inf. commun. de leg. & poſt eum Couartuuias, lib. 3. cap. 6. num. 10. variat. reſolution. alienari bona ſubſtituta non poſſe, nè quidem ex cauſa dotis, ſi ita prohibuerit teſtator: contrarium tamen obtineat ex ſententia Iaſonis ad d. Auth. & Pauli Caſtrenſ. conſil. 80. volum. 2. Boëtij, deciſ. 129. num. 5. id eſt, ſi modò aliunde conſtitui dos in linea directa non poſſit: quod & iudicatum tradit in curia Gratianopo-

polit. Vidus Papius, q 95. Quin & idem in dotalitio scribit Fetterius, patronus Tolos. consultiss. ad d. q. 96.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 14.

Mulierem, contra Senatusconsulti Velleiani auctoritatem, non posse intercedere, eadémque exceptione fideiussores eius vti posse, iuris auctoritas probat, &c.

Secus in Macedoniano, vt rectissimè hîc Paulus Castrens. ferè autem præteribam hunc textum, vt in quo nihil præter inanem Velleiani formulam, hodie tandem, iuréq; optimo, sublatam apud nos edicto publico. Sed cùm nouum mihi videretur, exceptionem Velleiani transire etiam ad fideiussores, qui in hoc vnum accipiuntur, vt ab ipsis consequamur quod deest ex principali debitore. §. vlt. Institu. de replicatio. putaui notandum & in hoc quod, ex antiquis, recentioribúsque reperi neminem, præter Pacium, nouissimum interpretem, qui adiuuaret quod animo primùm conceperam, exceptionem scilicèt Velleiani esse realem, non personalem, transiréque propterea ad fideiussores, ex generali regula legis, exceptiones. §. rei. ff. de exceptionib. pater enim ex eo quantum indulserint simplicitati, fragilitatique muliebri Romanæ leges: soláque hæc constitutionis istius, ad similia, vtilitas.

IIDEM AA.

L. 17.

Si cùm pater vester à Callistrato mutuam sumpsisset pecuniam, velut hânc eius vxor accepisset, instrumentum conscriptum est: nec ad exceptionis tractatum ex Senatusconsulto venientem peruenire necesse est: cùm eam veritatis substantia, constituta potiùs, quàm simulata gesta tueatur.

Faciliot hæc Baldi paraphrasis: si nomen vxoris simulatè est appositum in instrumento, loco viri: obligatio ipso iure nulla est ex causa simulationis. nec locus proinde exceptioni Velleiani. huc autem spectant omninò titulus, plus valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur. sup. lex pen. ff. de probat. vbi Scæuola, veritati, inquit, locus debet superesse. & vulg. l. illicitas. §. veritas. de off. præs. quicquid denique passim apud Imperatores, & Iurisconsultos de interpositis personis, vt ostendo pluribus ad d. tit. plus val. quod agit. & ad l. si vero non remunerandi. §. inde Papinianus. ff. mand. ad l. si cut. §. superuacuum. ff. quib. mod. pignus, vel hypoth. solu. & ad l. vn. de contractib. iudic. sup.

IMP. ANASTASIUS.

L. 21.

Iubemus licere mulieribus, & pro vno contractu, vel certis contractibus, seu pro vna, vel certis personis, seu rebus, iuri hypothecarum sibi competenti, per consensum proprium, renuntiare: quódque ita gestum sit hac auctoritate nostra firmum, illibatúmque custodiri: ita tamen vt etsi generaliter tali renuntiatione, pro vno (vt dictum est) contractu, seu certis contractibus, vel ad vnam, vel ad certas res, seu personas, consensum proprium accommodantes, vsæ sunt, vel fuerint: eadem renuntiatio ad illos contractus, & illas res, seu personas, quibus consensum suum proprium accommodauerunt, vel accommodauerint, coartetur. nec aliis quibusdam contractibus, quibus minimè mulieres consenserunt vel consenserint, prætendentibus eam, opponendi licentia præbeatur: his scilicèt omnibus quæ in præsenti per hanc consultissimam legem statuimus, ad præteritos nihilominus contractus pro negotiis, & controuersiis, necdum transactionibus, vel definitiuis sententiis, seu alio legitimo modo sopitis, locum habituris.

AVTH. SEV NOV. 61.

Siue à me, siue ab alio pro me fiat donatio propter nuptias: quod ea ex causa est immobile, neque alienare valeo, neque obligare. In hos ergo contractus mulieris consensus nihil proficit, quominus demus mulieri actionem in rē in sponsalitia largitate soluto matrimonio: nisi post biennium secundò profiteatur, & aliæ res viro sint, ex quibus consuli ei possit. Absque his enim nec si frequenter consentiat, lædetur. vir tamen obligabitur in rebus suis huius obligationis, seu alienationis occasione, quæ, quantum ad mulierem pro non dicta, & pro non scripta habetur, & multò magis idem in dotibus locum habet, vt aliquid immobile pro ea non alienetur, vel obligetur, &c.

Exeripsi integras, quia, ceu commētarii vice, abundè explicant quod in pauca contraxit Philippi constitutio in l. 11. etiam. sup. hoc tit. vult illa vxorem posse remittere marito quicquid hypothecæ in bonis ipsius, ex causa dotis habeat: Anastasius verò probauit adeò lege hac nostra, iubemus. quod anteà in gratiā mulierū, promulgatum fuerat, vt voluerit posse eas hypothecarium istud non maritis duntaxat, sed quibuscumq; personis & quocúmque contractu, ac consensu, imò nec alio vllo auctore, donare, & remittere. In quo tamen Iustinianus, spectata, vt verisimile est, infirmitate sexus qui

peccat sæpissime in sua commoda, vt alibi dicitur, ceu frænos iniecit, licentiámque illã ita coërcuit, vt dotem alienare mulier nupta non possit, obligare, hypothecę ve suæ renuntiare, nisi aliunde ipsi ex bonis mariti possit consuli. Vera hæc mens vtriúsque sanctionis, hodie nihilominus insuperhabitę, antiquatæ, imò & abrogatæ, dixerim, vbique gentium, summáq; ratione, præsertim in eo quod auctoritas mariti dicatur hîc nõ necessaria, eùm alibi eũ vocet Imperator dominũ ciuilem, id est administratorem rerum dotalium, & quo auctore, vxor seu alienare, seu obligare res suas debeat, ita enim lex, in rebus. inf. de Iu. dot. l. hac lege de pact. conuentis super do. & Dom. Propt. nupt. l. doce. de rei vendic. plura de his dixi ad titu. de Iu. dot. & ad titu. de fundo dot. ff. Matth. Afflict. Senator Neapoli. refert, decisio. 311. Nouellam hanc Iustiniani nec seruari Neapoli, abrogatámque fuisse Neapolitano iudicio: additque ad sententiam Bartoli, quam attigi suprà ad d. l. etiam, vt dicat renuntiationem hypothecæ factam ab vxore, æquiparari donationi Iurium dotalium, nec proinde valere, nisi habeat maritus vnde iura illa amissa possit vxor recipere. Apud nos, maximéque in ea parte Galliæ quæ perscriptis moribus vtitur, variant ea inter coniuges donationum iura. Parisienses enim solas donationes mutuas quæstuum admittunt inter coniuges, id verò ex causa solius vsufr. atque ad vitam superstitis, & dummodò nulli sint liberi, datisque prætereà idoneis fideiussoribus: ita enim consuet. Paris. artic 280. hoc verò & ipsum Aurelianenses artic. 281. hoc Meldenses, Meloduñẽses, Syluanectenses, Tricassini, Bituricenses, Borboniẽses, Eeolismenses, Rupellani, Armoriei. Secus autem apud Pictones, apud quos non donatio mutua duntaxat, sed & simplex, licet: nec solorum quæstuum in causam patrimonij, sed & tertiæ partis auitæ, paternæq; alterutrius, aut amborum hinc illinc substantiæ, quatenus donatur mutuò, vel donatione simplici: Ita enim artic. 209. Secus apud Turones, vbi, non extantibus liberis, sola licita est donatio mobilium mutua in perpetuum, quæstuúmq;, ac tertiæ partis patrimonij ad vitam. Feréque hoc idem Andes, Cænomani, Blesenses, Perticenses, Santones, Niuernenses. Paucula hæc è longè pluribus. Delibo enim in hoc varietatem morum nostræ Galliæ καθ' ὅλου, ac in vniuersum, nec verò sigillatim, καὶ κατὰ πόδα, vt Iurisconsultis in prouerbio. Obseruandum autem est, contra quàm sanxerat Anastasius d. l. iubemus. de spreta auctoritate maritorum in alienationibus quas vxores facerent, tanti istud per vniuersam Galliam, apúdque omnes populos, pene dixerim, vt alienatio, oppigneratióque, quęcúmq; illa sit, facta ab vxore, tota nihilominus irrita, inanísque habeatur, nisi auctore marito. Imò & auctoritatem istam maritalem, etiam in vxorijs testamentis, exigit Niuernensis consuetudo, tit. de Iure coniugum. artic. 1. quod mirum mihi visum est, eùm alibi nec istud, quod sciam. Tanti deinde patrimonii vtriúsque coniugum integritas constante matrimonio, apud Parisienses, vt si quid ex eo vænear, quod alterutrius sit, seu præstetur assensus, seu non, suppleri tamen debeat quod alienatum est ex bonis alterius, soluto matrimonio: imò & ex societate cõnubiali, si suffectura non sint gentilitia eius à quo supplendum est. Ita, art. 232. atque ex Senatusconsultis, vt fusissimè ad l. Res vxoris. de iu. dot. interpretor. Aliud tamen in prouinciis cæteris: imò & apud ipsamet Lutetiam seruabatur contrarium, antequàm emendata consuetudo ea fuisset, anno 1580. hæc de nostris igitur. Molesta autem mihi eò magis fuit lectio nouem interpretum, quòd nihil planè occurrerit vnde iuuarem forensia studia. Implent paginas, sed somniis sæpiùs, vt sic loquar, & quorum nulla ferè vnquam, in iudiciis, futura vtilitas.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 22.

Si mulier perfectæ ætatis constituta, post intercessionem, vel cautionem conscripserit, vel pignus, aut intercessorem præstiterit: sancimus, antiqua legum varietate cessante, si qui, dum intra biennale iuge tempus, post

cautionem priorem numerandum, pro eadem cauſa fecerit cautionem, vel pignus, interceſſorem dederit: nihil ſibi præiudicare quod adhuc, ex conſequentia ſuæ fragilitatis in ſecundam iacturam inciderit. Sin autem poſt biennium hæc fecerit: ſibi imputet ſi quod ſæpius cogitare poterat, & euitare, non fecit, ſed vltrò firmauit. videtur enim ex huiuſmodi temporis prolixitate, non pro aliena obligatione ſe illigare, ſed pro cauſa aliud agere: & tamen ex ſecunda cautione, ſeſe obnoxiam facere, in quantum hoc fecit, quàm pignus, aut interceſsionem vtiliter dare.

Quod infertur ex hoc textu, qui vulgatiſſimus, hocce potiſſimùm fuerit: actus nempe diuerſis temporibus iteratos, ac repetitos, eiuſmodi eſſe, tantíque adeò momenti, vbi de contractu, ſerióque alio conſenſu agitur, vt nè quidem, eo caſu, infirmitati animi ſit locus, dummodò ſit maior annis 25. qui ita ſe geſſerit: putà ſi ſit mulier, vt hîc: ſi ruſticus, vt in l. eùm ſcimus. de agric. & cenſit. lib. 11. Cod. ſi rerum forenſium expers, vt in l. cum de indebit. de probation. ff. In genere autem ita lex, in contractibus. de non num. pec. denique, vt loquitur gloſſa, in verb. conſenſum. §. 1. vt immobilia antenuptialis donationis, in Auth. duplex conſenſus plus operatur quàm vnus. Sic & geminata verba, maiorem longè effectum proferunt, ait Decius conſil. 66. Tunc ſeriosè dicta putanda ſunt: ita Molinæus, ad conſuet. Pariſ. §. 13. glo. 3. num. 6. At verò & docet turſum Decius duobus aliis locis, nempe conſil. 497. & 582. actum iteratum, & geminatum arguere accuratam, perpenſamque deliberationem: quod & Boërius, conſil. 28. num. 14. Molinæúſque iterum conſil. 41. cuius hæc verba: *Geminatio ſolennis multum debet operari.* præclarè Iuſtinianus in tertia conſtitutione Codicis, *Nemini venit in dubium, quod repetita prælectio probauit, hoc ſatis validum, ſatiſque eſſe formoſum.* Sic præterea in delictis, geminatio tollit ſpem veniæ. *Si iteratò hoc admiſerint, pœna competenti afficientur,* inquit lex, 3 § ſi plures. l. non omnes. §. deſertor. ff. de re milit. deſinam in deciſione Will. Bened. ad finem capituli, Raynutius. in quæſtione, an occîdere peccatores liceat. *Si ſtatutum*, ait, *conuertat pœnam corporalem in pecuniariam, locus huic non eſt in delicto geminato.* Qui iteratum facinus perpetrat, præſumitur dolosè, malóque animo feciſſe: verba ſunt Tiraquelli, tractatu, de pœnis temperandis, cauſa 10. & 11. In ciuili, nemo ſoti bene peritus neſcit, ei qui condemnatus à Senatu fuerit, licere quidem ſemel ſupplicare, ſeu, vt loquimur, Requeſta ciuili agere aduerſus Senatuſconſultum. repetere autem ſupplicationem nō licet, multóque minùs propoſitionem erroris, qua arguitur obliquè factum iudicum. In eiuſmodi tam fatalia, feréque ſemper in malum vertentia ſubſidia iure dici poſſit quod apud Virgil.

Pone animos, & pulſus abi, ſat funera fuſi
Vidimus, ingentes, & deſolauimus agros.

Aut etiam Horatianum hoc:

O nauis referent in mare te noui fluctus, ô quid agis,
Fortiter occupa portum.

Agellius lib. 17. cap. 14. Improbè Neptunum accuſat qui iterum facit naufragium.

AVTH. SI QVA MVLIER.

Prætermitto, vt ex qua nimiæ plus æquo fraudes per vniuerſam Galliam vſque ad neceſſarium, longíſque ab annis expetitum edictum quo prorſus abrogatam applauſu maximo vidimus. miror ruditates anteriores ſeculi, quibus tot inanes offuciæ placuerint. quaſi verò mulier impetrata à marito, aut impulſa vxorio in eum affectu, perficere deſinat apud tabellionem quod ex animo, vel metu eſt, propoſito ipſi à tabellione iuris Romani, quo recedere à cœptis poſſit, ſubſidio. Accedat & eò inanis actionum ceſſio facienda ei qui dimittit creditorem ſua pecunia, in locúmque ipſius ſubrogatur: fuit enim nec minus neceſſarium edictum, de quo etiam ſuprà.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 23.

Antiqua iurisdictionis retia, & difficillimos nodos resoluentes, & superuacuas distinctiones exulare cupientes: sancimus mulierem, si intercesserit, siue ab initio, siue posteà aliquid accipiēs vt sese interponat, omninò teneri, & non posse Senatusconsulti Velleiani vti auxilio: siue sine scriptis, siue per scripturam sese interposuerit. Sed si quidem in ipso instrumento intercessionis dixerit sese aliquid accepisse, & sic ad intercessionem venisse, & hoc instrumentum publicè confectum inueniatur, & à tribus testibus consignatum: omnimodo esse credendum eam pecunias, vel res accepisse, & non esse ei ad Senatusconsulti Velleiani auxilium regressum. Si autem sine scriptis intercesserit, vel instrumento non sic confecto: tunc si poßit stipulator ostēdere, eam accepisse pecunias, vel res, & sic subiisse obligationem, repelli eā à Senatusconsulti iuuamine, &c.

Clarè aperit textus esse hanc ex quinquaginta decisionibus Iustiniani. Duo autem præfert singularia ad forum. Primum est in infœlices illos nugiuendos qui acceptis pecuniis adpromissores, fideiussorésque fiunt contractu vel mutui, vel emptitij reditus publico apud creditorem qui sibi caueri vult & fideiussore, ciue forsan Parisiensi, quem facilè in singulos annos conueniat, reuoluti reditus nomine: aut etiam vt exoluat purum mutuum. Plures eiuscemodi fraudatores vidimus. Sunt hi, de more, executores negotiorum, seu sollicitatores, vt loquimur, qui non fortuiti, sed cum vxore, ac liberis constitutam habent sedem fortunarum suarum Lutetiæ, forensiáque, aut aulica, consistorianáque adurgent, locatis operis, negotia. Sunt etiam interdum cognitores formularij, quibus ignotum oraculum vetus Delphicum, *Sponde, præsto noxa*. plures quoque ex his sensim, ac sine sensu, per debitorum, pro quibus adstricta fuerit fides, fallaciam, aut potius miseriam, in graues ærumnas, extremámque fortunarum iacturam lapsi sunt. piscari istud dixerim hamo aureo: vulgato nimirùm adagio in eos, qui mediocris commodi cupiditate, coniiciunt sese sæpius in insperata pericula. Licitum est accipere pecuniam, quasi mercedis vice, pro sponsione suscepta: textus enim in hoc disertissimus, in l. 7. si remunerandi. in fi. ff. mand. citátq; in hoc ipsum Baldus. Sed vt pudibundum, ignominiosúmque est. (veram enim fideiussionem, vnicum amicitiæ nomen, nemo non dixerit) ita & aut viles, aut fraudatores, deploratósque ceu pararios notat: maximè in mutuo. Secus enim vbi, inter publicanos, de maiori aliqua vectigalium locatione agitur, in qua, ex edictis, fideiussore necessario opus sit. Quotidianæ in hoc lites in subsidiorum curia. Secunda legis quæstio est, an quis agere possit aduersus instrumentum publicum, spontéque sua subscriptum, celebratum, ac perfectum: contrarium enim videtur ex l. cùm precibus. de probat. & l. vlt. plus valere quod agitur. sup. ad quas dixi. vnó verbo decîdunt interpretes, impugnari id non posse, si ex ipso contextu liqueat nihil nisi de consensu contrahentium interuenisse, vt in hac l. tunc enim, ait glossa, post eámq; Bartolus, Castr. & Faber. præsumptio est iuris & de iure contra quam non admittitur probatio. eóque proinde sensu accipiendum quod sanxit Imp. Antoninus, Αγραφος μαρτυρία κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχύειν οὐ δύναται. Id est, testimonium nō scriptum contra scriptū testimoniū vim obtinere nō potest. Sed vt monui ad l. cum precibus. tantò minùs conualiturū hodie illud est, vt agatur nēpe testibus aduersus instrumētum publicū cui causam aliquis dederit, & manum suam subiecerit, quantò religiosiùs, tenaciúsque apud nos setuatur edictum Molin. Gallicum. & cùm Salicetus hic recenseat morem

Apuliæ, vt singularem, quo subscribunt semper testes in instrumentis publicis, tanti & istud vsu nostro Gallico, edictóque etiam Blæsensi, vt vel subscribere testis debeat, acitus ad instrumenti, qualecúmque illud sit, fidem, vel enuntiare se non posse scribere. si neutrum faxit, nullius momenti est quicquid agitur, seu in contractibus, seu in testamētis, imò & ad actus curatorum, qui bonis dati sunt, productum est, (*Commissarios* vocant) irritásque esse non semel curatorum eiuscemodi constitutiones censuit Senatus, quia charactere & isto solenni carerent. Obseruandum autem non modò hîc, sed & in l. Assiduis. qui potiores. in l. maximum vitiū. de liber. & post. alijsq; locis pluribus, quanta esset Theodoræ Imperatricis apud Iustinianum, maritum, compositorésque Iustinianeos, auctoritas, vt contra, aut præter receptas iuris ciuilis regulas, lenirent, temperarent, imò &, posthabita omni æquitate, vt in l. Assiduis. summouerent quicquid aduersari muliebribus commodis videretur. excepto tamen, vt hîc, si quid per dolum, & fraudem egisset mulier: quamuis & nunc, seu ad furta societatum connubialium, defunctis maritis, seúque ad fraudatos tacitis, coniugalibúsque pactionibus, creditores, vt notaui ad l. qui balneum. qui pot. mitissimè, cum ipsis agant iudices.

IMP. IVSTINIANVS.

L. pen.

Veterum ambiguitatem decidentes sancimus, si quis, vt seruo suo manumissionem imponat, mulierē acceperit, obnoxium sese pro certa quantitate faciētem: teneri eam rectè omnimodò, & Senatusconsultum Velleianum in hoc casu tacere impetramus. Pietatis enim rationi contrarium est, dominum, qui credidit mulieri, perdere famulum suum per libertatem quam ei imposuit, nec accipere ea quibus fretus ad eiusmodi venit liberalitatem.

Dixi amplissimè de pietatis causa, quæ cæteris anteponenda est, ad l. cum is qui. de condict. indeb. ad l. plærúmque. de æd. ed. ff. ad l. si captiui. de episc. & cler. ad l. si dotare. sup hoc tit. & aliis locis. Plurimáque etiam Loetius, eiusque scoliast. ad lit. Aresto. 9. vbi de vxore fideiubente apud creditores pro viro, vt liberaretur carcere, posteáque agente, ex apicibus Iuris, fallacique animo, quod ipsi videlicet auctoritatem in contrahendo non præstitisset maritus. Narraui alibi calliditatem similem Socrus Parisiensis, quæ absente marito, linguæ occitanę quæstore ærario, cui nomen, *Miette*, pollicita erat in dotē filiæ, tabulisq; dotalibus, quatuor aureorum millia, Ioanni. Pellet Electo Parisiensi, posteáque scripserat marito, vt nè auctoritatem ipsi in eo præstaret; nec promissionem illam, quam dotis filiæ fecerat, ratam haberet. Interceperat casu literas gener: & cùm maritus, *Miette* aliquantò post decessisset apud Occitanos, egit comiter diu satis apud eam vt solueret; tandem vero aperto Marte: litéque apud præfectum Paris. instituta, fallacem Socrus epistolam edidit, ex qua damnata est integrum soluere. Appellauit illa: causáq; per duas Iudicū sessiones celebris. Prætexit Socrus cuplam, si qua sit, hoc nomine, quòd de filia tunc optimè, vt ferebat occasio, collocanda dum cogitaret, maluit polliceri amplius, suprà mediocres suas fortunas quippiam quàm charæ, nubilísque filiæ, ad oblatum quasi dei donum, deesse: cæterùm, quamuis quatuor liberorum esset mater, offerebat nihilominus genero omnium suorum bonorum trientem. Dici equidem vix possit quanta facundiæ vi, quantóque ingenij acumine, at verò & quam mira iuris, æquíque collisione agitauerit, disquisierit, tandémq; æqua velut lance perpenderit Dom. Anton. Seguerius, hodie infulatus præs. & tunc patronus fisci, quicquid fraus Socrus in generum, affectus maternus in filiam, quódque aliunde ex fauore qui semper habitus est pactis dotalibus, atque ex obiecto legis Parisiensis obicem in eo quod, non auctore marito, constituta dos fuisset, censuítque

tandem damnari oportere Socrum, tunc viduam, exoluendis duobus aureorum millibus Pelletio, Geneto, seruato ei iure residui in bonis paternis, ni mallet oblatum ipsi à vidua substantiæ suæ totius trientem. Placuit ita amplissimo ordini. Perorabant Leo Doletus, & Iac. Chezelius. Deceonium autem regiæ aduocationis, vt cùm summa semper eruditionis, faeundiæ, iudicij, inculpatæque operæ existimatione, tantus Præses exegit, ita saoe nihil in quo magis quaota viti virtus in publico, obseruatum est.

TIT. XXX. DE NON NVMERATA PECVNIA.

IMP. ANTONINVS.

L. 3.

Si ex cautione tua, licet hypotheca data conueniri cœperis, exceptione opposita seu doli, seu non numerata pecunia, compellitur petitor probare pecuniam tibi esse numeratam: quo non impleto, absolutio sequitur.

Istud maximè in fœneratores, insidiantésque generis foeeros: ludunt illi miseriam debitorum: quod & notat Bartolus ad hanc l. 3. num. 7. hi verò affectus iuueniles, vt in l. vlt. ff. de iu. dot. totóque adeò tit. de do. cauta non oumet. Cùm tamen ex iure Rom. numeratio pecuniæ probari deberet à creditore contra debitorem negantem, seruamus hodie contrarium ex vsu, si modó, quod ferè numquam tabelliones prætereunt, enunciatum sit instrumento numeratam pecuniam fuisse. Tuoc enim inscriptione falsi opus est debitori: nec alium in vsum seruatur oostris moribus pecuniæ oon numeratæ, τῆς ἀναργυρίας, vt vocāt Græci interpretes, exceptio. ootauit & hoc ipsum Molinæus duobus locis, nempe ad consuet. Aruern. titu. 18. artic. 3. & ad Alexandrum, lib. 2. consil. 79. atque lib. 5. consil. 142. De consuetudine Franciæ, ait Rebufus, tractatu, de Chitographi recognitione, ad artic. 93. constit. 539. num. 68. cogitur regulariter debitor probare pecuniam non numeratam, etiam ante biennium, præsumptio enim est pro creditore habente chirographũ: (sic ille.) Id est, vt explicat Connanus, lib. t. eap. 6. literatum obligationem, quæ scripto probetur. obseruátque optimè idem Connanus eod. & Duarennus ad hunc eundem tit. oullam illius fieri mentionem in Pandectis, sed in solo Codice, ac Iostitutionib.

IDEM A.

L. 4.

Cùm fidem cautionis agnoscens, etiam solutionem portionis debiti, vel vsurarum feceris, intelligis te de non numerata pecunia nimiùm tardè querelam deferre.

Sic in l. 4. inf. de re iudic. dicitur acquieuisse eum sententiæ qui dilationem petit vt soluat. sic & in l. 2. sup. de iis quæ vi, metúsve causa facta sunt, purgat metum qui sponte soluit. Sic io l. 2. inf. de filiisfamil. lib. 10. qui appellat, ostendit causam ad se pertinere. Sic denique in l. 3. § 1. ff. rem rat. hab. qui appellat à sententia lata contra falsum procuratorem, ratum habere intelligitur quod gessit procurator. Facta enim potentiora sunt verbis, multóque amplius est facere, quàm proounciare, inquit Pomponius in l. si tamen.

men.ff.de ædil.ed.hinc & Iulianus Imperator, oratione 3. ad Constantium Imperatorem, εἶμαι πιςότερα τὰ ἔργα τῶν λόγων. Id est, puto fideliora esse facta, quàm verba. plura in hoc vide, si lubet, ad d.l. si tamen. Doctrináque proinde perpetua est interpretum, vt actus protestationi cōtrarius tollat protestationem, cap. sollicitudinem, de appellat. cap. cum M. Ferratiensis. de constitutionib.; plura etiam in id apud Bart. ad l. vt debitum. de hæred. actio. & ad l. qui in aliena. §. Celsus. de acq. poss. ff. atque apud Molin. ad consuet. Paris. §. 7. in prin.

AVTH. EX NOV. 18.

Contrà, qui propriam scripturam, qua conuenitur, abnegat, vel numerationem inficiatur, conuictus in duplum condemnetur, nisi sacramento illato confiteatur, tunc enim nō punitur, nisi in expensas circa probationes factas actoris iuramento declarandas. At si post numerationis inficiationem prætendat solutionem: omninò solidum exigitur, nec prodest iam facta solutio. Contrà si actor literas suas à reo prolatas abneget: eadem fit & pœna, & iurisiurandi forma, ac pœna curatori infligenda, si de suis literis quæstionem referat in causa eius quem curat.

Excusatur debitor in l. 3. sup. quia sperans sibi mutuam pecuniam datum iri, chirographo, seu literarum obligatione, cauerat κατάσημα(?), falsúsque animi, se accepisse, aut aut etiam, vt notat hîc Bartolus, quia in angustia rei familiaris cùm esset, æréque forsan alieno oppressus, obniti non potuerit imperio creditoris, quominùs scheda, seu chirographum conciperetur ea prorsus forma quam præscriberet. Culpatur autem econtrà hoc textu, quia malo animo inficiatur vel emissam manum, seu scripturam, vt habet textus, vel numerationem: dicimus nos Galli *plaider contre sa scedule.* vulrq; propterea Imperator, vt conuictus condemnetur in duplum. Noster verò est ille mos, quem & notat Rebufus ad proœmium constitutionum, gl. 5. num. 60. vt quisquis negauerit propriam scripturam, si conuincatur, non condemnetur quidem præcisè in duplum, sed mulctetur pro ratione delicti: duplúmque sæpius eo casu mulcta egreditur. egregiè Homerus de eo qui non mentitur,

ἔστι πεπνυμένος εἶεν.

Id est, nam erat prudens. dixi in hoc plura ad l. vlt. de rei vendic. memini cùm procurator quidam præfecturæ Paris. *Picardius* nomine, abnegasset nō modò chirographum, sed & affirmasset insuper, sese nunquam dedisse apocham manu sua subscriptam, id verò ageret vt bis quod sibi iam solutum erat, à debitore cōsequeretur, increpauit istud asperrimè Dom. Anton. Seguerius, hodie infulatus Præses, & tunc orator regius: mulctatúsque est periurus ille 20. aureis partim erga captiuos Palatini carceris, partimque erga carceris Præfectiani cæteros, interdictúsque præterea munere suo procuratoris in biennium: adiectâ que postremò 25. aureorum mulcta ob appellationem temerariam. Causam agebant Cl. Duretus & P. Liger. ann. 1597. die 30. Augusti. Plura de periurio dixi ad tit. de iureiur.

IMP. ALEXANDER.

L. 6.

Frustrà opinaris exceptione non numeratæ pecuniæ te esse munitum: quando, vt fateris, in eius vicem, qui erat subrogatus, substitueris te debitorem.

Glo. Secus si nec illi erat numeratum. hæc lex, ait Baldus, non habet locum inter nummularios, seu campsores, vt vocat, qui pro alio promittunt, ob fidem, quam exuberare, in eiusmodi personis publicis, necesse est. dicimus nos Galli ex edictis, *banquiers changeurs*: ibique eorum eandem vim, auctoritatémque obtinent quam & instrumenta publica, vt ostendo ad l. 1. sup. de ed. in fine. Si igitur ex hac l. nec exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere potest qui sese pro alio fideiussorem constituit, quia ex ipsorum persona initium obligatio non duxerit (ita enim Baldus) quanto minus igitur qui munere in hoc vnum publico fungitur vt fidei ipsius committatur quicquid pecuniarum, ex necessitate commercij, deponunt singuli. Quinimò & ex ea causa, vt non nisi datis, ad certam vsque pecuniarum metam, fideiussoribus, munus istud nummulariorum obeant, cauent leges Franciæ: quod explico latius ad l. Argentarius. ff. de ed. Cæterùm vt nè quis forsan de fideiussore accipiat quod de substituto debitore hîc dicitur, substitutum, seu subrogatum debitorem Imperator intelligit, qui, nouatione facta, vicarium sese æris alieni, nouúmque debitorem efficit: fideiussori autem eandem exceptionem competere, quæ & ipsi debitori, constat plus satis ex l. 12. tam mandatori. inf. eod.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 10.

Adseueratio debitum solutum contendentis, temporis diuturnitate non excluditur. nec huic obloquitur quòd exceptio non numeratæ pecuniæ certa die non delata querela priùs euanescat: cùm inter eum qui factum adseuerans, onus subijt probationis, & negantem numerationem, cuius naturali ratione, probatio nulla est, & ob hoc ad petitorem rei necessitatem transferentem, magna sit differentia.

Certissima ex hoc textu, & ex l. 5. licèt. de exceptionib. atque ex l. Empti actio. de euiction. inf. elicitur in scholis, foróque, regula: vt quæ videlicèt annalia sunt ad agendum, perpetua sint ad excipiendum. veluti, vt hîc, si creditor multò post biennium, petat ex chirographo pecuniam debitam. Vt enim à lege præfinitum tempus illud est debitori ad exceptionem non numeratæ pecuniæ, vtq; toto eo biennio incumbit creditori probatio numerationis in odium calliditatis, aut violentiæ quæ illata præsumitur (quod perspicuè indicat lex, in contractibus. inf. eod. rectéque id ad rubricam, adnotat Io. Sichardus, vnus ex recentioribus interpretibus Codicis,) ita & recidit tota illa probatio in debitorem, si post biennium numeratam sibi pecuniam negauerit. In quo tamen nec onerandum vlla probatione debitorem rescribunt Imperatores, si distulerit actionem suam creditor, eámque multò post biennium instituerit. At verò mulctari, plerique volunt vsque adeò malam fidem, si qua sit, debitoris qui nihil sibi numeratum allegat, vt, probatione in contrarium facta à creditore intra biennium à die chirographi, perfi-

dus, ingratúsque debitor condemnari debeat in duplum, argum. auth. contra qui propriam. sup. eod. Singularis hæc obseruatio aduersus calumnias debitorum quas frequentiores esse solere, discimus ex l. qui tabulas. ff. de furt. Si tamen reuerà coactus sit, ceu districto ferro, à potentiore, interpositísve illius personis, debitor vt chirographum quasi ex numerata pecunia, subscribat, quod sæpius infœlici hac ætate factum est (monet optimè Bartolus ad l. frustrà. sup. eod. ex doctrina quam explicat latiùs ad Auth. si quis in aliquo. sup. de testibus, posse arcanam probationem fieri adæternam rei memoriā. de qua probatione vide quid ex vsu congesserim ad l. in lege Aquilia. ff. ad l. Aquil. Dixi etiam de probatione obliqua negatiuæ ad l. Actor. sup. de probation. rectéque de ea Decius, consil 617. & aliis pluribus, cùm ait, exceptionem negatiuę ideò non desiderare probationem quia intentiùs neget, quàm affirmet affirmatiua.

IIDEM AA.

L. 11.

Si transactionis causa dare Palladio pecuniam stipulanti spopondisti: exceptione non numeratæ pecuniæ defendi non potes.

Verissimè glo. quia, inquit, subest causa, hoc ipso, quod à lite disceditur. de quo cùm abundè dixerim ad l. in summa. ff. de condict. indeb. plura non subijciam.

IIDEM AA.

L. 12.

Tam mandatori quàm fideiussori, non numeratæ pecuniæ exceptio Rei principalis competit.

Ratio, quia, vt exceptio hæc in odium anticipatæ creditorum vel malitiæ, vel impressionis, metúsque incussi, introducta est, ita neque æquum, humanúmve esset, vexari fideiussorem ex causa rei illicitæ, liberato debitore principali. meritóque proinde realibus exceptionibus annumerata est, de quibus, vt & de personalibus, vulgata est lex, in exceptionibus. ff. de exceptionib. attigique iam obiter sup. ad l. frustra. eod.

IMP. IVSTINVS.

L. 13.

Generaliter sancimus vt si quid scriptis cautum fuerit pro quibuscúmque pecuniis ex antecedente causa descendentibus, eámque causam specialiter promissor edixerit: non iam ei licentia sit causæ probationem, stipulatorem exigere, cùm suis confessionibus acquiescere debeat: nisi certè ipse è contrario per apertissima rerum argumenta scriptis inserta, religionem iudicis possit instruere, quòd in alium quemquam modum, & non in eum quem cautio perhibet, negotium subsecutum sit. Nimis enim indignum esse iudicamus vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonióque proprio resistere.

Vult paucis,instrumenta equidem,schedas,cautiones, & chirographa, quæ causam promissionis,confessionisque factæ contineant, momenti esse maximi, itaut nec facilè conuelli ea fides possit: tamen si aliunde testimoniis manifestissimis cōtrarium liqueat, eò collimare oportere religionem iudicis,vt,quà fieri possit,ex iis quæ in vero sunt,pronuntiet.Sicque proinde intelligenda lex Græca Antonini,quæ in capite tituli,de testibus,hodie præfigitur. Sic & lex,generaliter.de iureiur.sup.Sagaciter excurrit Glossa in legum plurium argumenta,quibus adiuuate religionem suam debeat iudex ad casus de confessione,similes.veluti,inquit,si testator dixerit,lego tibi decem quæ tibi debeo:cōfessio illa testatoris,nullius momenti est,si sis incapax. l. qui testamentum. ff. de probat. in fraudem enim est. Sin autem capere possis ex testamento, & iutem me tibi debere certas pecunias,valet nihilominus istud,quamuis nihil debeam, l. cùm quis decedens. §.codicillis.de leg.3.quod tamen intellige,inter cohæredes, nec verò apud creditores, vt explicat auth. Quod obtinet.de probation. sup. prætermissum enim hoc ab Accursio,tametsi necessarium.Quod si non iurauerit testator (ait rursus gl.) sed quantitatem, summámve expresserit,valere etiam istud vt fideicommissum,non vt debitum,cùm nihil debeatur,constat ex l. Lucius Titius. 2. §. quisquis. 2.de leg.2. Item, si scripserit in hæc verba:confiteor mihi solutum:vel,soluit mihi:& ideò ab eo peti nolo: temisisse intelligitur,l.1.de falsa causa adiect.leg. Plus ait Paulus Castrensis hîc de eo qui testamēto suo sese alicuius debitorem confitetur,cui tamen nihil debeat:valet enim eiusmodi coofessio non vt probet debitum , sed vt legatam inferat pecuniam cuius vt debitæ facta meotio sit testamento:citátq; in id legē primam.sub fin. ff.de dot. præleg. Petrus, vetus glossematographus,putauit confessiones eiusmodi valere,quantum ad probationem.nec obest,aiebat,quòd vltima voluntas sit ambulatoria vsque ad mortem : verum enim id in dispositiuis[1], secus verò in enuntiatiuis. Quam opinionem ita hîc recenset Cynus,præceptor Bartoli,vt ab ea non videatur deficere,sed probare potius.apertè autem hoc decîdit aduersus vsuratios,qui morti proximi, iubent vsuras,quas prauè exegerint, restitui, posteáque incolumes facti, reuocant quicquid eo nomine scripserint. confirmauit denique ordo amplissimus glossematographi, quem suprà memoro , sententiam,cùm tamen durius hoc videretur plurimis : quantò magis igitur si de vsuris sit quæstio. maximè cùm decidat & hîc indistinctè Baldus, stare oportere hæredem, ex æquitate canonica,confessioni defuncti,in solatium animæ, seu, vt loquitur, fauore animæ.quod & idem dixerat ad l. Rationes.sup.de probation.atque Angelus ad cap.si cautio.de fid.instrum. Vna tantùm exceptio est,si modò nihil publicè aliunde intersit : veluti,si,vt docet ad hunc eund. textum Sichardus, agnoscat testator moriens sese in causa Titij,ac Sempronij,falsum testimonium dixisse.manet enim nihilominus prius testimonium,ex quo forsan,& aliis quibusdam similibus iudicium latum est. obstat enim tunc rei iudicatæ publica auctoritas, vt in l.seruo.ff. ad Trebell. cum l. Iulianus verum debitorem.ff.de condict.indeb.dixi in hoc plura ad l.si fideiussor.§.in omnibus.ff.mād. Idē & in Tabellione decîdit Bartolus ad l.Si librarius.de reg.iur. Idem verò & aduersus vltima matris morientis verba,sese iterum respondisse scribit ad hunc eumdem textum Sichardus,quæ dixerat vnum ex liberis suis non esse legitimum.de qua tamē quæstione cum agat fusissimè Boërius qu. 299. vide cætera quæ adieci loco valdè idoneo, nempe ad l.Imperatores. quæ penult. ff.de probationib.

IMP. IVSTINIANVS.

L.14.

In contractibus in quibus pecunia , vel alia res numerata , vel data esse conscribuntur , &c. biennio continuo elapso, nullo modo introduci potest querela non numeratæ pecuniæ,&c. Illis etiam securitatibus,quæ post confectionem dotalium instrumētorum de soluta dote, ex parte, vel

insolidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi, &c. Illo videlicet semper obseruando, vt in quibus non permittitur exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere vel ab initio, vel post taxatum tempus elapsum: in his nec iusiurandum offerre liceat, &c. Sed si præsens quidem sit qui pecunias numerasse, vel alias res dedisse scriptus est, aliquam verò administrationem in hac alma vrbe, vel in prouinciis gerat, vt difficile esse videatur, denuntiationem ei mittere: licentiam damus ei qui memorata exceptione vti velit, alios iudices adire, vel in hac alma vrbe, vel in prouinciis, & per eos ei manifestare cui exceptionem huiusmodi obijcit, factam à se super non numerata pecunia, querelã esse, &c. licentã & damus, per virum reuerendissimum episcopum eamdem suam exceptionem creditori manifestare: & ita tempus statutum interrumpere. Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere, certum est.

Quinque sanctionis huius longissimæ partes ita constituo. Prima est de biennio, loco quinquennij veteris, ad proponendam exceptionem non numeratæ pecuniæ. Secunda de geminata confessione est, vt quæ debitorem ab exceptione illa biẽnali excludere debeat. Tertia, de Iureiurando quod impunè potest à creditore reijci, postquàm præteriit biennium. Quarta, de modo denuntiationis faciendæ à debitore ei qui vi, ac metu chirographum, nulla numerata pecunia, extorserit. Quinta, & vltima, de exceptione non numeratæ dotis.

Quantum ad primam, & tertiam, quæ sunt de biennio, & Iureiurando, cùm scribat Faber hic, exceptionem non numeratæ pecuniæ, ex æquitate canonica, nec excludi biennio: seruamus religiosissimè constitutionem Ludoici XII. qua decennium ad rescisionem omnium contractuum, præfinitur, quisquis dolus intercesserit, fraus, circumuentio, vis, metus, læsióve vltra dimidiam iusti pretij, nempe à die quo initi fuerint, & causa vis, metúsve iustique impedimenti, desierit: derogátque in eo edictum statutis, consuetudinibúsque omnibus, quæcúmque illa sint. Sic & præscripsit posterior alia constitutio. an. 1539. nè minoribus vltra decennium à die quo maiores facti sint, indulgeretur vlla restitutio. Quo etiam, summóque iure vniuersa Gallia vtitur. Idem igitur si de pecunia non numerata, quocúmque in contractu, querela fuerit. In qua exceptione & disciuimus à Iure Romano, seu ad probationẽ qua onerabatur intra biennium creditor, seu etiam ad Iusiurandum, quod offerri prohibet Iustinianus in ijs in quibus vel ab initio, vel post tempus opponi non possit hęc exceptio. Probatio enim apud nos incumbit semper debitori, vt & notat Molinæus ad Aruernam Consuetud. cap. 18. num. 3. quæ ita statuit, quemadmodum & Marchiensis, cap. 14. artic. 98. Seruamus verò etiam vt, postulante aduersario, deferri possit Iusiurandum, atque vt ad præscripta positionum capita, (facta pertinentia dicimus) respondeat qui conuenit, vel conuenitur, ex numerata, vel non numerata pecunia. Illud nominatim exigunt duæ aliæ Galliæ nostræ leges prouinciales; Borbonia scilicèt, cuius hæc verba, cap. 4. artic. 36. *Exception de deniers non nombrez n'a point de lieu en Cour laye, sinon que la partie s'en vueille rapporter au serment du creantier.* Latius autem hoc Bituricensis, cap. 2. artic. 31. in hæc verba: *Au pays & duché de Berry, exception de pecune non nombrée n'a lieu pour charger le demandeur ayant l'obligation, ou scedule recognuë, de preuue: Mais bien le pourra obycer le defendeur en prenant sur luy la charge de preuue: & pourra, audit cas, celuy qui proposera ladite exception deferer sur icelle le serment decisoyre ou creancier, lequel ledit creancier sera tenu accepter ou referer, s'il n'y a iuste cause pour recuser la delation.* Vbi tamen sic Molinæus: *Sed post biennium non tenetur creditor formale quoddam iuramentum subire. Satis enim est, si iuret deberi: ergo multo minùs cogi potest ad Interrogatoria particularia in quibus non defertur ab aduersario, sed exigitur à Iudice Iusiurandum.* De hoc satis.

Tertiam legis nostræ partem quæ de geminata confessione est, interpretor fusissimè ad l. si mulier perfectæ ætatis. sup. ad Velleia. Vide insuper Speculator. tit. de donation. inter vir. & vxor. ad rubr. in fi. atque Rebuf. tractatu de chirograph. & fœdular. recognition. artic. 2. num. 62. Hue autem fecerit optimè quod distinguit Paulus Castrens. in quæstione renũtiationis factæ exceptioni non numeratæ pecuniæ, vtrùm scilicèt valeat, necnè. Valere enim putat glossa. Ille verò distinguit. Aut enim facta est eodem instrumento quo confessus est quis sese accepisse pecuniam: & eo casu, non valet: cùm præsumatur eadem facilitate renuntiasse qua & confessus est: spe nimirùm, percupidóque habendæ pecuniæ animo. Secus, si extra instrumentum: atque, vt addit alius interpres, aliquo pòst interuallo. Ad quartam partem, quæ est de modo denuntiationis faciendæ potentiori cuius quotidiana vis, ac metus, tradit vsum Tiraquellus §. 9. glo. 2. num. 8. & 9. ac. seqq. de retractu gentilit. vt scilicèt apponatur, seu affigatur scedula citatoria (dicimus, *l'exploit de commandement*) hora & tempore congruo, factáque iniunctione cuipiam ex familia eius qui citatus sit, aut vicino propinquiori, qui citatum certiorem faciat: dicimus etiam & istud, *adiourner par attache*. In quo, vt sibi permittunt plærique nobiliores nec pauca in remotioribus à supremis tribunalibus, prouinciis, periclitari solent sæpius apparitores, nisi statim atque denuntiatio facta est, aufugiant. Plura eo loco Tiraq. atque Argentreus ad consuetud. Armor. artic. 20. *des Iustices*. Maximè autem vide textum singularem in elem. 1. de Iudic. Dixi duobus, aut tribus locis ad Pandectas.

Superest vltima pars de dotis non numeratæ exceptione, in qua frustrà apud nos fuerit, agitare quæstionem interpretum, ad auth. quæ sequitur: vtrùm in scriptis, vel sine scriptis valeat, vt de protestatione adiiciunt, quam Bartolus hìc docet fieri oportere in scriptis, cùm tamen aliud scribat ad l. vlt. sup. de neg. gest. dixi autem ipse fusè satis ad l. filiusf. ff. ad Macedon. inania hæc nunc ad causam dotis numeratæ, vel non, iure & Romano, & Gallico, quo indistinctè iudicatur de more, cessare exceptionem non numeratæ dotis post decennium. Ita enim semper hodie Senatus, cùm variè anteà, diúque ambigeretur vtrùm ad annos vsque triginta proferri deberet seu actio, seu exceptio de dote cauta non numerata.

TIT. XXXI. DE COMPENSATIONIBVS.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Et senatus censuit, & sæpe rescriptum est, compensationi, in causa fiscali, ita demum locum esse, si eadem statio quid debeat quæ petit. Atque hoc ius propter confusionem diuersorum officiorum tenaciter seruandum est. Si quid autem tibi ex ea statione, cuius mentionem fecisti, deberi constiterit, quam primùm recipies.

Summa hæc est: fisco ex diuersa statione non debetur compensatio. Componendáque proinde lex 1. inf. nè fiscus vel priuatus rem quam vendidit, euincat. lib. 10. cuius verba: *Grauissimum verecundia mea duxit, vt cuius rei pretium cùm bona fide esset addicta, fiscus acceperit, eius controuersiam referat. Non solum ergo emptorem ab eadem statione, sed nè ab*

alia quidem quæstionem pati debere, æquum est. Id est, (ait Cuiacius ad illum textum, dum constitutionem in pauca contrahit) nè fiscus quod bona fide addixerit, retrahat: sique vna statio addixerit, nè alia retrahat. Persequitur autem in hunc modum: Stationes sunt, mansiones in quibus officia fiscalia consistunt. Et in Nou. 91. duo fiscalia debita sic accipiuntur, duarum fisci stationum debita. Subijcit locum ex Græcis interpretibus, qui necessariò hic exscribendus est: ὁ δημόσιος ἐν διαφόροις ἐπαρχίαις ἔχει τοὺς φροντιστὰς τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, καὶ λέγεται ἑκάστη φροντὶς, στατίων. id est, fiscus in diuersis prouinciis habet præfectos qui rerum ipsius satagant: & dicitur, vnaquæque cura, statio. Sic ille. In incerto autem semper erit lectoris, rametsi studiosissimi, animus, nisi quotidianarum rationum, quæ in decuria ratiociniorum (eametam computorum vocant) redduntur, peritiam habeat. Sic ergo, ex decuriæ illius tritura, fingenda est species: Susceptor tributorum generalis in centum aureorum summam reliqua traxit apud fiscum, (dicimus, *par l'estat final de son compte il est demeuré redeuable de cent escus enuers le Roy*) Ille ipsemet susceptor, eiusdémque stationis & curæ, (dixerimus, *contant de la mesme charge, & nature de deniers*) anno insequēti rationes apud eosdē ratiociniorū magistratus reddit: reliquatúrq; tūc erga illū fiscus in summā aureorū similē putà in cētū: Eo casu, libello ipsismet Iudicibus porrecto, sūma vtráq; cōpensabitur. Quod tamē intellige, si ad purū redactæ sint rationes, & omnia sint liquida. secus enim nō. Alia deinde ex eiusdē huius legis argumento species: Susceptor generalis cui in totū nō fecerint satis susceptores vicarij, seu particulares, vt loquimur, in reddēdis rationibus, reliquatot est certæ alicuius pecuniæ, ob calamitatem bellicā, ob incendia inundationes fluminum, sterilitates insolitas, vel quauis alia ex causa, itaut tributa Princeps remiserit, datis in hoc liberatoriis codicillis qui etiam ab eadem ratiociniorum decuria cōfirmati sint, (dicimus, *lettres de descharge, ou d'affranchissement verifiées en la chambre & certifications* de non soluto *rapportées*) aut etiam ex edicto singulari, cuiusmodi visum est an. 1601. Princeps enim omnia ærariorum reliqua, quæ in illius edicti diem deberentur, remisit: tunc denuò, non compensationi, quia nihil susceptori à fisco debetur, sed receptioni (idiotismus est, *reprise*) locus dabitur. Secus verò si redditarum rationum diuersa causa sit, veluti si vnus, idémque susceptor non tantum de tributis solitis ac ordinariis ponat calculum, sed & de superindicto militari, facto nimirùm ad stipendia militum: dicimus, *s'il compte tant des tailles, que du taillon, qui est affecté au payement de la gendarmerie.* Sacri enim nummi illi sunt, nulláque vnquam ex causa morandi, aut auertendi. Tunc frustrà susceptor docebit sibi deberi à fisco ex causa superindicti. Cùm enim nihil alterum cum altero commune habeat, sed speciale sit inter summarum illarum præstationes discrimen: at verò, vt vitetur, in rebus diuersis, confusio, nihil prorsus ex eo susceptori compensabitur. Denique vt sunt viginti duæ fiscales stationes in Gallia, quæ appellantur vulgò, generalitates, admittitur numquam nisi ex eadem statione, in reddendis rationibus, seu receptio, (id est, *reprise*) seu compensatio. Stationes verò illas nuncupauerimus optimè vernaculo nostro Gallico, *Bureaulx des tresoriers generaulx de France.* Vel, *Bureaulx des receueurs generaulx, & particuliers.* Ista igitur ex patrijs moribus ad legis nostræ verè fiscalem hypothesim. Aliò autem eam inflectit Math. Affl. Senator Neapolitanus, decis. 192. in qua refert iudicatum à Neapolitanis Iudicibus, ex hac l. posse ex vsu fieri compensationem debiti vnius stationis cùm alterius etiam stationis debito, etiamsi diuersæ illæ sint, dummodò administrentur vnius opera veluti, inquit, si Abbatis vnius mensæ applicentur duo monasteria. Sic ille. Eo autem apprimè faciunt, lex, 89. prædiis §. Titio. & lex, 34. patronus. § 1. de leg. 3. quas sæpe in hoc confirmauit Senatus, vt alibi moneo. Baldus, ac Salicetus, ridiculum sanè, aliénúmque ab Imperatoris sententia, apponunt somnium de duabus Perusii stationibus fiscalibus, quarum altera Conseruatorum dicitur, altera Massariorum: per se lector viderit. Donellus, & Sichardus scribunt etiam, sed quod planè nesciant, vt fusiùs ex eorum scriptis videre est. Cautiùs longè ante illos Albericus, Cynus, & Bartolus, qui pateē. Paulus Castrensis omninò præteriit, licèt ex professo ad hunc titulum, pluresq; alios huius libri quarti insequentes continua, egregiáque serie scripserit. Lucas à Penna, quem meritò Cuiacius ineptiarum amaxatium vocat, cùm ignoraret, vt in cæteris de more, quæ esset vetus illa statio, prætermisit pariter ad d. tit. nè fisc. rem quam

necessitas, rescripta & in id à Principe impetrant, nisi lex prouincialis aliud statuat, vt Parisiensis, inter cæteras, artic. 105. in qua ille iamdudum vsus est, vt ipso iure compensationes fiant. Scio impetrari à quibusdam, sed frustrà, vt sæpe à Fr. Chauuelino, alijsque nostra ætate consultissimis didici. Addendum verò & hodie vnum arbitror ad eam scholij nostri particulam, qua, ex doctrina Molinæi, atque ex Senatusconsultis, ostendo debitum mobile, putà ex mutuo, compensari non posse cum emptitio, seu constituto reditu. Docet enim ille, tractatu, de vsur. quæst. 43. num. 324. compensationem habere quidem locum in reliquis, seu arreragijs, vt loquimur, sed non in ipsa sorte reditus, vt quæ numquam possit exigi. tota illa quæstio 43. ad legis istius, & d. l. cum alter alteri. intelligentiam, vt quas ex professo explicet, perlegenda est. Compensantur etiam alimenta præterita, sed non futura, arg. l. De alimentis præteritis. sup. de transact. & l. Cum hi. eod. illo tit. ff. eoque sensu accipienda lex 2. §. 3 frumentariæ. ff. de administr. rer. ad ciuit. pertin.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Compensationes ex omnibus actionibus ipso iure fieri sancimus, nulla differentia, in rem, vel in personalibus actionibus inter se obseruanda. Ita tamen compensationes obijci iubemus, si causa, ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit iudici facilem sui exitum præstare. Satis enim miserabile est, post multa fortè, variáque certamina, cùm res iam fuerit approbata: tunc ex altera parte, quæ iam penè conuicta est, opponi compensationem iam certo, & indubitato debito, & moratorijs ambagibus spem condemnationis excludi. Hoc itaque iudices obseruent, & non procliuiores ad admittendas compensationes existant, nec molli animo eas suscipiant, sed iure stricto vtentes si inuenerint eas maiorem, & ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alij iudicio reseruent: litem autem pristinam iam penè expeditam, sententia terminali componant: excepta actione depositi secundum nostram sanctionem in qua nec compensationi locum esse disposuimus, possessionem etiam alienam occupantibus compensatio non datur.

Paucis: Compensatio fieri debet de liquido ad liquidum. quod & proinde semper in calce rescriptorum Principis adijcitur. Notanda hîc glossa est, quæ species à compensatione alienas enumerat: veluti, inquit, si debeatur vtrimque species, vel altera ex parte quantitas, ex altera, species. Deinde si de deposito. Item contra fiscum: postremò in odiosis. Obseruabis verò insuper ex curiæ placitis, satis non esse in Romana Gallia, liquidum esse ex vtraque parte debitum. Necesse enim est vt sit in cōfesso. Aliàs rescripto Principis perinde opus est, ac si ageretur in morata Gallia. Item, si quis in ius vocet, compensandi gratia, non mutua tantùm petitio est, quod dixit Tertullianus, sed perinde agit ac si manum reuera inijceret, vernaculo nostro dicimus: *La seule assignation pour compenser, vault saisie.* ista Senatus in causa dom. de Meruille, & dominæ de sainct Maigrin, an. 1609. die 17. Februarij.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 3.

Quamuis vsuræ fœnebris pecuniæ, citra vinculum stipulationis peti non possint, tamen ex pacti conuentione solutæ neque vt indebitæ repetuntur, neque in sortem acceptò ferendæ sunt.

Eruditè hîc obseruat Brissonius in commentar. verbor. Iur. locutionem Iurisconsultorum vt qui dicere soleant, *acceptò ferri Vsuras in sortem*: dicimus nos Galli, imputari: abrogauit verò constitutionem hanc Imperator Probus, (qui primus, tecta pietate, Imperator Christianus) in l. 18. cuius hæc verba: *Indebitas Vsuras, exclusa Veteris iuris Varietate, repeti posse, perpensa ratione confirmatum est*. Imò, ait Tiraquellus, ad finem tituli, de retractu conuentionali, num. 152. etiamsi scienter eas soluerit debitor: atque etiamsi iurauerit se non repetiturum: cùm non possit renuntiare beneficio Iuris statuentis pactum legis commissoriæ in pignoribus non valere. Ita autem quotidie senatus, impetrato tamen priùs à debitore rescripto quo accepto eas ferri in sortem mandet Princeps. Duobusque duntaxat, vt peritus nemo nescit, contractuum generibus licitæ sunt vsuræ: constituto nempe reditu iuxta extrauag. Regimini. de empt. & vend. & contractu antichristico, seu pignoratitio, cuiusmodi omnes in regionibus, Andensi, Turonensi, Cœnomana, ob detentionem quinquennalem, (vocant, *le tenement de cinq ans*,) vsus ille erat ante 1589. vt commutarentur de more contractus illi pignoratitij in pecuniarios reditus. variatum verò posteà, vt scilicèt modò commutarentur, quod inter cætera, anno 1611. die 21. Iunij, dicentibus in maiore auditorio, Manguinio, & Daguesio, inter Pet. Courte, & Franc. Beuorhe. modo etiam secus, vt nempe vel soluat debitor, vel auctioni subijciantur obligata prædia. agitauit istud primùm Robertus lib. 2. rer. Iudic. congestáque sunt posteà plura, variáque in hoc Senatusconsulta in Loëtianis postumis, ad lit. p. num. 8. 9. 10. 11. Dixi etiam ad tit. de pignor. & alijs locis, ff.

IIDEM. AA.

L. 5.

Aduersus creditorem vsuras maiores ex stipulatu petentem, si probetur per certos annos minores posteà consecutus, vtilis est pacti exceptio aduersus defensores ciuitatis.

IMP. ANTONINVS.

L. 8.

Quàmuis Bassa cùm pecuniam mutuam acciperet, minores vsuras Menophani spopondit, & nisi intra certum tempus eas soluisset, ampliores (licitas tamen) promisit; tamen si post tempus cautioni præfinitum, creditor easdem accepit, nec maiores sibi dari postulauit, ac per hoc non recessisse eum à minorum præstatione probari potest; eas

vſuras computari oportet quarum in exactione creditor perſeuerauit.

Componendæ & lex, cùm de in rem verſo. atque lex, Qui ſemiſſes. ff. hoc tit. Tacitum enim velut pactum eſt; & quaſi videtur creditor pactus ſe minoribus vſuris contentum fore, ait hîc rectiſſimè Cuiacius. Sic hodie in decimis ſpectatur ſemper, quis, quæ ſolita, perpetua, nec variata vnquam à longis annis præſtatio, quique vtendi modus, vt vulgo dicimus. quod & ipſum in cap. In aliquibus. §. vlt. de decim. in antiq. quicquid Molinæus ſcripſerit ad cap. 2. de decim. in 6. *in Francia regulari decimas non iure canonico, ſed conſuetudine loci.* ſunt eius verba: quaſi ei excidiſſet extremum hoc d. capituli, in aliquibus. *Ipſæ quippe decimæ neceſſariò ſoluendæ ſunt quæ debentur ex lege diuina, vel loci conſuetudine approbata.* Vide cætera ad d. l. cùm de in rem verſo. atque ad l. ſi communem. §. 1. ff. quemadm. ſeruit. amitt. ad quas dixi fuſiùs. Notanda verò ex edictis, ac Senatuſconſultis vltimis diſtinctio eſt. Si enim ſola ſit immemorialis poſſeſſio, & pareat tandem ex indubitato titulo, maiorem deberi decimarum, agrariiue, ſeu fundiarij reditus quantitatem, quàm ſoluta ſit, aut etiam deberi non quantitatem, ſed ſpeciem, docet Nic. Valla, ſenator Pariſ. tractatu, de reb. dubijs, in areſtis, fol. 195. v. conſeruari nihilominus in totum vel decimam, vel fundiarium reditum, (vocant, *rente fonciere*) ſeu maior quantitas ſoluenda ſit, ſeu etiam ſpecies. Quòd ſi non ſola poſſeſſio, ſed tranſactio etiam interceſſerit quam plures anni conſequentes probauerint; Itaút non in ſpecie, ſed adærationibus in ſingula iugera factis, decima per longiſſimas ætates ſoluta ſit, tunc tranſactioni, vel abonimento, vt loquimur, ſtandum eſt. Ita enim ſenatus in prima claſſe Inquiſitionum, inter clerum Eccleſiæ Tricaſſinæ, & ciues Tricaſſinos, an. 1617. die 18. Februar. dom. Sauaro, litis interprete. Ita & edicta Caroli IX. ac Herrici III. quæ reperies in Herriciano Codice, tit. de Decimis: atque cap. 12. conſuetud. Bituricenſ. artic 13. & 14. cum ſcholio Molinæi. Monuit me dom. Sau. adiectum nominatim fuiſſe Senatuſconſulto, pronuntiatum hoc fuiſſe iuxta tranſactionem, ſeu compoſitionem, quæ de his olim facta fuerat: vt inclareſceret ex eo iudicaturum fuiſſe aliter ſenatum ſi ſola immemoriali poſſeſſione penſitationes ſuas nummarias defendiſſent Tricaſſini. Nullam denique aduerto poſſe vnquam fieri deinceps dubitationem, qua ratione pendi debeat necne, vel antiquus canon, aut antiqua etiam ſpecies, quæcunque olim, atque in diem petitionis, fuerit quieta, immotáq; poſſeſſio, niſi tranſactum ſit. Editæ iam erant priora in primum volumen pandectarum, librúmq; primum codicis noſtra ſcholia, cùm agitata fuit eruditiſſimè à clariſſimis tertiæ claſſis Inquiſitionum ſenatoribus illa quæſtio, ad quã & collatum, vt reſciui, quod ad ſupradictas leges ſcripſeram. Attingo quod, quaſi ſtadio in medio, labores meos leuat.

IMP. ANTONINVS.

L. 6.

Si creditrici, quæ, ex cauſa pignoris, obligatam ſibi rem tenuit, pecuniam debitam cum vſuris, teſtibus præſentibus, obtuliſti, eáque non accipiente, obſignatam depoſuiſti: vſuras ex eo tempore, quo obtuliſti, præſtare non cogeris. Abſente verò creditrice, præſidem ſuper hoc interpellare debueras.

Molinæus tractatu, de vſuris, quæſt. 39. & conſil. 57. contendit, oblationem ſolam ſufficere ad impediendum curſum vſurarum quæ ex conuentione, & ſtipulatione debentur. Fulcitque ſuam ſententiam hac l. & l. Qui Romæ. §. Seia in

ſi. de verb. oblig. aduerſus Accurſium, Bartolum, vereteſque alios interpretes qui contrarium cenſuerunt non modò ex hac eadem lege quæ & deponi inſuper obſignatas pecunias docet, ſed & ex l. ſi per te. & l. Acceptan. hoc tit. cum l. Tutor pro pupillo. §. 1. ff. de adminiſtrat. tutor. nec ſanè Molinæi, Fabrique in hoc ſententia apud nos, ex quotidianis rerum experimentis, obtinet. quod nec prætermiſſum lib. 5. cap. 9. de ceſſione in iure, ſeu deguerpiſſamento. ſubiungam proptereà d. legem, ſi per te. & d. l. Acceptam.

IDEM. A.

L. 9.

Si per te non ſtat quominùs intra tempora præſinita pecuniam minorum ſolueres, ſed per tutores filiorum creditoris, qui eam accipere noluerunt, idque apud iudicem datum probaueris: eius temporis, quo per te non ſtetiſſe apparuerit, vſuræ maiores non exigentur: quòd ſi etiam ſortem depoſuiſti: exinde ex quo id factum apparuerit, in vſuras non conuenieris.

IMP. PHILIPPVS.

L. 19.

Acceptam mutuò ſortem cùm vſuris licitis creditoribus poſt conteſtationem (glo. id eſt poſt teſtium vocationem, & denuntiationem) offeras. at ſi non ſuſcipiant, conſignatam in publico depone, vt curſus legitimarum vſurarum inhibeatur. In hoc autem caſu publicum intelligi oportet vel ſacratiſſimas ædes, vel vbi competens iudex ſuper ea re aditus deponi eas diſpoſuerit: quo ſubſecuto, etiam periculo debitor liberabitur, & ius pignorum tolletur: cùm ſeruiana etiam actio maniſeſtè declaret pignoris inhiberi perſecutionem, vel ſolutis pecuniis, vel ſi per creditorem ſteterit quominus ſoluātur. Quod etiam in traiectitiis ſeruari oportet: creditori ſcilicèt actione vtili ad exactionem earum, non aduerſus debitorem, (niſi fortè eas receperit) ſed contra depoſitarium, vel ipſas competente pecunias.

Iunge l. vlt. ff. de lege commiſſoria, & l. ſi hominem. §. quoties foro cedunt. ff. depoſ. ad quas vt pauca dixi, ita & cætera nunc quæ ad conſignationum morem, paulò fuſius exequar. Primùm igitur conſtat ex auctoribus claſſicis, depôni olim ſolitas pecunias in templis, ac ſi quid pretioſum, de quo foret controuerſia, habe- rent veteres, quia videretur locus nullus tutior, quippe ob metum, reuerentiamque diuini numinis, in cuius velut tutela fieret depoſitum. Sic Herodianus ſcribit lib. 1. cùm templum Pacis conflagraſſet Romæ ſub Commodo, Romanas opes ibi, maxima ex parte, interiiſſe. Cic. lib. 2. de legib. Sacrilego pœna eſt, neque ei ſoli qui ſacrum abſtulerit, ſed etiam ei qui ſacrum commendatum. Lucan. lib. 3.

—— —— *pugnáxque Metellus*

Vt videt ingenti Saturnia templa reuelli
Mole, rapit gressus.

Erant propterea præfecti ærarij Saturni, vt apud Plin. lib. 10. epist. Capitolinum, in Antonino Philosopho. vide plura, si lubet, tractatu, de retractu conuentionali. §. 4. glo. 7. vbi & de consignatis pecunijs quæstiones variæ. notat ibi Tiraquellus obiter, Sequestrum dici latinè loquentibus quem vocamus vulgò, *le Receueur des consignations.* Cuius in bonis pronuntiatum est in purpuris an. 1581. die 6. Sept. ad natalitia Virginis, hypothecas ab eo qui consignat apud acta, non contrahi, nisi à die consignationis, itaüt Sequestri anteriores creditores præferendi sint. nihil morante decisione legis, si hominem. §. quoties. ff. depos. quod nec omisit Bacquetius cap. 21. num. 412. de Iust. & iure. Dici tamen haud possit quanta hodie consignationum seges apud præfectos earum regios ex decretis auctionalibus. Non numerant, sed effundunt magis auri, argentique immensas moles. Frænos vtcumque iniecit tãdem ordo amplissimus. In publicationibus enim bonorum, addictionibus, que voluntarijs, sique nulli intercedant creditores, vix hodie inter forenses togatos vt vllus nesciat, neque deponi apud acta pretium, neque deberi Sequestris, consignationúmue susceptoribus quippiam. iudicatum ita iamdiu anno 1598. die 18. Maij inter Adamum Mothe, susceptorem consignationum fori Rhemensis, Reginaldum Goujon, prosenescallum, atque Philippum moret, procuratoris Catholici, illo in foro, vicarium. iudicatum & rursus anno 1621. die 5. Febr. aduersus Claudium Gallaad, secretarium regium, & consignationum fori Pari. præfectum. Cætera, ad alias in id quæstiones, vide in Loëtianis postumis, ad lit. C. num. 7. 50. & 51. quibus & istud adijce quod in vsu receptissimum est, frustrà nimirùm consignari, deponiue apud acta ab emptore iudiciali, seu adiudicatario, vt loquimur, instrumenta debitæ sibi pecuniæ, vt habeantur pro addictionis pretio. Deponendum enim est ipsum pretium, censuitque ita nuper senatus an. 1617. die 8. April. in edictali auditorio, inter Suzannam Tezard, & Iac. Deprennes. Secus apud Normanos, vt liquet ex perscriptis ipsorum moribus, art. 574. cuius verba: *sauf en cas de lettres de renchere, au proffict particulier de consigner l'obligation, si elle n'est contredicte, pour argent contant & a ces fins elle doit estre mise au greffe quinze iours auant l'estat pour estre communiquée aux opposants, & autres creanciers.* Vnum superest, consignationem nimirùm nihil proficere, nisi qui consignare vult, significandum curet ei cuius interest, velle se consignare: iudicióque in id opus est, ex edicto regio. Vide & Tiraq. §. 9. glo. 3. num. 3. de retractu gentil. notandáque in hoc verba nostræ huius legis, *& si non suscipiant.* Optimè etiam Præses Lisetius in consuetud. Bituric. tit. *de la retenue des choses vendues* Artic. 6. quódque congessit nouissimè. Car. Loyseau, cap. 6. de vsu & ritu antiquo, ac nouo consignationum lib. 2. de officijs.

IMP. ANTONINVS.

E. 10.

Vsura per tempora soluta non proficiunt Reo ad dupli computationem. tunc enim vltra sortis summam vsuræ exiguntur quoties tempore solutionis summa vsurarum excedit eam computationem.

Reperio interpretes hoc sentire, ad maiorem partem, vt dicant vsuras per tempora solutas, id est, particulatim, per vices, & proüt decurrunt singula pensionum tempora, non proficere Reo, seu debitori vt computentur in duplo, quasi vltra quàm lex exigi vetet, solutæ sint. Non enim coaceruatio, inquiunt illi, sed singulorum annorum præstatio spectanda est. Tandem Cuiacius, Nou. 121. Vsuræ, ait, supra duplum non debentur: Id est, altero tanto sorte amplius. & pòst: Vsurarum solutiones, quæ fiunt per partes diuisis temporibus, coaceruantur & in du-

plum computantur, abrogata l. 10. (quæ nostra lex) ex qua vsuræ per tempora solutæ excedere possunt: Sic ille: qui tamen, cur abrogatam hanc l. velit, vixdum intelligo, cùm & eã in coaceruatis per plures annos summis distinguat vt cæteri interpretes, quorum sententias facile præterijssem nisi & fori, & scholæ promiscuo in plurimis studio, Romanas leges obseruarem. Nec omittendum verò est quid ad hanc partem Molinæus noster sentiat, cum rema gitet, passis velis, atque ex professo, lib. de Vsuris, num. 46. & 47. Censet igitur, quamprimùm vsuræ lapsu temporis sortem æquarint, tunc, siue fuerint solutæ, siue non, desinere eas statim, atque adeò ipso iure, vt, si reipsa continuetur solutio, quicquid deinceps soluitur, in sortem imputari debeat. Et cùm iterum summam sorti, sicque eius duplum æquauerint, liberari vult debitorem & sorte & vsuris: in quo nititur maxime d. Nou. 121. quam eò detorquet. Mirorque quantum suo animo faciat satis, quantúmque sibi blandiatur, quasi cõpererit vnde ferè inclamet Pythagoricum, geminatúmque, εὕρηκα. Scribit enim numquam fuisse intellectam hanc legem plus continuis nongentis annis vsque ad tempora Budæi, qui verum quidem, ait, genuinúmque intellectum tetigit: sed deceptus in eo est, per Iuris Romani imperitiam, quòd putauerit in hoc duplo non inesse simplum, & sic posse vsuras currere vsque ad duplum sortis, sorte non computata. Cætera prætermitto, cum & ista nihili hodie sint apud nos, excurrentibus quippe in infinitum eiusce modi pecunijs annuis, perpetuáque adeò sorte, vt ad eam cogi numquam possit debitor. Tantoperè, mutata est vetus illa vsurarum facies: quæ mutatio cœpit non à Pontifice Martino quinto, sed à Iustiniano ipso, Nou. 160. vbi de administratoribus reip. Aphrodisiensis, apud quos primus pecuniarius reditus, qualem postea concessit vbique Pontifex. Frustrà quæsierim de Negatiua quæ in quibusdam exemplaribus, hoc modo, *non exigantur*. Vtraque enim lectione, seu sit negatiua, seu affirmatiua, idem semper constabit sensus, subtilitásque vt est Iuris, ita & cessat nunc ex edicto denegante actionem vltra quinque annos vltimos. quæ quinquennalis præscriptio apertissimè indicat quanto semper odio esse soleat veris Christianis fictitius ille pecuniæ partus, quippe ex re quæ per se nihil pariat. Toleratur enim tantummodò ob commercia, promiscuúmque vsus vtilitatem, argum. l. Socium, ff. pro soc. cuius hæc verba: Socium, qui in eo quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit cùm ea pecunia ipse vsus sit, vsuras quoque eum præstare debere, Labeo ait: sed non quasi vsuras, sed quòd socij interfit, moram eum non adhibuisse, &c. Quin & Roma vniuersa, quamdiu gentilis, paganáque extitit, Idibus semper, in singulos menses, relegebat vsurarium prouentum, seruosque propterea præpositos Calendario habebant de more domini. Vulgati in hoc versus Horatij, quos alibi ad pandectas, titulo nempe simili, recenseo.

IMP. ALEXANDER.

L. 12.

Frumenti, vel hordei mutuò dati accessio etiam ex nudo pacto præstanda est.

Ratio specialitatis nudi huius pacti fuerit ex ijs quæ ad victum, vitamque sunt necessaria, cuiusmodi est frumentum. Accessiones verò, quæcunque illæ sint, seu in specie, seu in pecunia, illicitæ sunt nostris moribus. tantúmque admittimus, vt detur species pro specie, id est, frumentum pro frumento, vinum pro vino quod ferat annus sequens, maximéque id apud Turones, confinésque populos, quibus in vernaculo est, *bailler bled, ou vin à renouueler*. ista igitur ex vsu: at verò & ex ratione legis, si ex lege. inf. hoc tit. nempe ob incertitudinem pretij fructuum. Quod ex quęstionibus scholę, subiungere liceat, quod studiosorum curam iuuet, abrogata est

hac lege lex 15. Neque eorum fructuum. quæ Pauli est. ff. hoc tit. ibique ostendo, licitam esse stipulationem eius quod interest, æstimato frumento debito, vt scilicet nisi ad diem soluatur æstimatio, licitè post diem exigatur vsura legitima qualem concedit constitutio: eáque etiam Molinæi ad hanc l. interpretatio est, tractatu, de extricatione labyrinthi, num. 95. Sed cùm inexhausta semper, perque artes varias, fuerit fœneratorum sitis, nec prætereundum videtur, ex d. Hieronymo, lib. 6. Ezechielis quod vel superciliosis, opinor, placeat. Damnat enim morem, quo vt legi illuderent, accipiebant Iudæi vsuram non quidem in pecunia, sed in frumento, oleo vino, milio, speciebúsque cæteris quas afferret miser, veritúsque impendentem quasi tortoris manum, debitor. *Scriptura diuina*, ait & diuinus ille interpres, *omni rei aufert superabundantiam: vt plus scilicet non accipias quàm dedisti.* Loquens ille rursus libr. 3. in Mathæum, cap. 21. de interpolatis Sacerdotum Iudaicorum vsuris: posuerunt, inquit, & nummularios qui mutuam sub cautione darent pecuniam, sed quia erat lege præceptum, vt nemo vsuras acciperet, & prodesse nō poterat pecunia fœnerata quę commodi nihil haberet, & interdum sortē perderet, excogitauerant aliam technā, vt pro nūmularijs colybystas facerent. cuius verbi proprietatē Latina lingua non exprimit. Colyba dicūtur apud eos quę nos appellam⁹ tragemata, & vilia munuscula, verb. gr. frixi ciceris, vuarúmq; passarū, & poma diuersi generis. Igitur quia vsuras accipere non poterāt colybistę qui fænerati erāt, pro vsuris accipiebāt varias species: vt quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coëmuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel prædicauerit, dicens, cap. 22. Vsuram, & superabundantiam, (accessiones vocat nostra lex) non accipietis. Hactenus Hieronym. qui nempe aperit quantoperè sibi indulgeant impij fœneratores in excogitandis variarum technarum tectorijs, vt legi, seu diuinæ, seu etiam patriæ fraudem faciant ad extorquendum ab infœlici debitore quicquid, vsurarum nomine, lubuerit. Nimium istud hodie apud Turones, Andes, Cœnomanos, alijsque in Imperij Gallici prouincijs. Vsuras enim non modò accipiunt ex mutuo, & obligatione simplici, ex frumento quod vendunt deploratis rusticis, sed & colyba ista insuper, de quibus Hieronymus, id est munuscula penè in trimestres inducias quaslibet, vt nè duriùs agant si, stato die, non soluatur canon vsurarius. dicam rursus infrà hoc tit. ad Anth. Ad hæc. & ad l. Oleo.

IDEM. A.

L. 13.

In bonæ fidei iudicijs, quale est negotiorum etiam gestorum, rationem vsurarum haberi certum est. sed si finitum iudicium est, sententia, quamuis minoris condemnatio facta est, non adiectis vsuris, nec prouocatio secuta est: finita retractanda non sunt: nec eius temporis quod post rem iudicatam fluxerit, vsuræ vllo iure postulantur nisi ex causa iudicati.

Vult nimirùm transijsse adeò sententiam in rem iudicatam, vt quicquid priùs fuerit, spectari non debeat, sed agi duntaxat ex iudicato, vt in l. 2. infr. de executio. rei iudic. in qua tamen, vt alibi dixi, Gallica iurisprudentia emendauit Romanam fœliciter. Cùm enim iure ciuili, post rem iudicatam, sola actio ex iudicato competeret, hypothecam dedit Molinense edictum à die iudicati, artic. 53. Inanis deinde Eustachiæ istius querela ad quam rescriptum est, in eo quòd minoris condemnatio facta sit, nec adiectis vsuris. Quisquis enim expectat de re controuersa sententiam, iudicio fortunæ se committit, ait lex, Seruus. ff. de statu hom. ad quam de iudiciorum euentu, quod aleæ instar, notaui. Flumina, ait rectis-

ſinè Accurſius ad §. Nouus autem. in verb. incipit. Inſtit. de rer. diuiſ. vicem iudicum teneat. dant enim, & auferunt dominia. Venerari autem nihilominus debent condemnati, nec calumniari, aut conuicijs inceſſere, licèt id ſæpius, quod iudicatum eſt, nimirùm ob rerum iudicatarum auctoritatem, vt in l. Seruo. §. cum prætor. ff. ad Trebell. & quia ſtatus reip. maximè rebus iudicatis continetur, quod dixit Cic. pro Sylla. Præſertim verò id cum de ſenatuſconſultis agitur. Indéque, vbi aduerſus ea ſupplicatur, ſeu, vt loqui mos eſt, requeſta ciuilis peroratur, qui perorat duos habet ſemper primæ famæ patronos, ceu aſſertores ſecum, aut potiùs fideiuſſores ſupplicationis, ad quos proinde pertineat nec minus condemnationis pudor, quàm ad perorantem. Quin & ſeruant in ſenatu Toloſano, vt in eiuſcemodi ſupplicationum, ſeu requeſtarum ciuilium diſſertationibus, apertis ſemper capitibus ſint & patronus, & aſſertores, quamdiu cauſa ab eo dicitur: imò nec recto capite eſt alter qui tuetur iudicium. quod ab illuſtiſſ. dom. Virdunio hodie Senatus Pariſienſis, anteáque Toloſani, principe, non ſemel, inter ſermones, inaudiui.

IDEM. A.

L. 14.

Si ea pactione vxor tua mutuam pecuniam dedit vt vice vſurarum domum inhabitaret, pactóque vt conuenit, vſa eſt, non etiam locando domum penſionem redegit: referri quæſtionem, quaſi plus domus redigeret, ſi locaretur, quàm vſurarum legitimarum ratio collegit, minimè oportet. Licet enim vberiore ſorte potuerit contrahi locatio: non ideo tamen illicitum fœnus eſſe contractum, ſed viliùs conducta habitatio videtur.

Profert rationem Baldus cur in habitatione domus relicta creditori à debitore vice vſurarum, ſpectari exceſſus vſurarum non debeat. Habitatio enim, ait ille, non habet certam quantitatem per naturam, ſed per induſtriam locationis. incertáque ideò locationis quantitas commenſurari cum ſorte non poteſt (ſunt eius verba) Incerti autem ad certum analogica proportio nulla eſt. Ita Bald. reperio & hanc apud Paulum Caſtrenſ. l. 1. de pignor. act. ſup. quia ſcilicèt vtilius ſit debitori, habitari ipſius domum à creditore, quàm vacuam, habitatámque à nemine relinqui. Meliùs forſan Io. Faber, inquiens reijci ex eo maximè eiuſcemodi vſurarum exceſſum, quia nec promittatur, nec recipiatur vlla pecunia. Denique quicquid adijciant, fingantque interpretes, vno verbo dixit Imperator, in fine textus quod ampliſſimo ordini egregium adeò, æquúmque viſum eſt, vt, cùm ſæpiùs inciderit illa quæſtio, quaſi ſcilicèt longè pluris locari potuiſſet domus, habitata, κατ' αὐτήχενον, à creditore, quàm ferre poſſet legitima ex edictis vſura, inſuperhabuerit tamen quicquid eo nomine quereretur debitor. viliùs tantùmmodò conducta habitatio videtur, ait lex: id eſt, incertũ erat nùm pluris, minoríſve futura eſſet locatio: facitq; huc proptereà lex 17. Si ea lege. inf. hoc tit. atq; ita Cynus, hîc. Secus in prædijs ruſticis, vt in quibus ſubduci debeat quatenus fructus egrediantur modum vſurarum legitimum: vt notaui ad l. ſi is qui bona. §. ſi antichreſis. ff. de pignorib. Quærit Molinæus, tractatu, de vſuris, num. 270. in contractu emptitij reditus ad rationem duodecimæ, vel, vt hodie, ad rationem ſedecimæ, vtrùm poſſit creditor accipere in pignus ſeu lapillos, & gemmas, ſeu aliud quiduis pretioſum à debitore, vſque ad quantitatem ſortis. Cenſet autem non poſſe: Secúſque eſſe, adijcit, ſi conuenerit vt penes creditorem illa maneant donec fideiuſſor idoneus acceſſerit. Tamen primo etiam illo caſu iudicatum contrarium eſt à Senatu, Præſide Dom. Forgetio in edictali decuria.

IMP. GORDIANVS.

L. 16.

Cùm allegas vxorem tuam ea conditione aureorum quantitatem sumpsisse, vt si intra diem certum debito satis non fecisset, cùm pœna quadrupli redderet quod accepit: Iuris forma non patitur legem contractus istius vltra pœnam legitimarum vsurarum posse procedere.

Pro iusto commentario vide quæ fusè satis adieci ad l. vlt. si cert. pet. & ad l. pœnam. hoc tit. ff. ostendo illis locis stipulationem pœnalem esse vsurariam, si de quantitate agatur, secus si de facto.

IDEM. A.

L. 16.

Cùm non frumentum, sed pecuniam fœnori te accepisse alleges, vt certa modiatio tritici præstaretur: ac nisi is modius sua die fuisset oblatus, mensurarum additamentis in fraudem legitimarum vsurarum grauatum esse contendas: potes aduersus improbam petitionem competenti vti defensione.

Agit in summa de vsura pretij, non ex pecunia, sed ex frumento, vulgò dixerimus nos Galli, *vn interest de denters en bled*. Vt autem eatur obuiam fraudibus quas tangit hæc constitutio, statutum est Regio apud nos edicto vt reditus omnes triticei (al. *toutes rentes en bled*, vt loquimur) redigantur ad pecuniam. quod & confirmauit Senatus, anno 1598. 22. Decembr. perorantibus Dureto, & Choartio. Cæterum quod hîc de modiatione tritici dicitur, cùm eadem prorsus locutio legatur in l. 7. inf. de rer. permutatio. ambigi haud possit quin inde nostrum hoc, *Admodiation*, vel, *moyson*, quod pro locatione feudi frumentaria vsurpari solitum est: nempe quia per modios, mensurámque frumenti soluatur pensio à colono: differtque in eo locatio hæc ab altera quæ fit nummis.

ANTH. EX NOV. XXXII.

Ad hæc qui fructus aridos credidit agricolæ, vel pecuniam, in vno quoque anno pro modio octauam partem modij, pro solido siliquam vnam, vsurarum nomine, accipiens: terram, siue aliquid aliud quod pignori accepit, omnimodò reddat. Si aliquid præter hoc commiserit, actione cadat omnimodò.

Tota hæc, quæ ex Nouella 32. *de ijs qui pecuniam credunt agricolis*, in gratiam agricolarum scripta est, vt quibus subueniri multò magis debeat quàm cæteris, ait hîc glos-

sa, cæterique post eam interpretes. Vetat igitur nè, si mutuentur fructus aridi agricolæ, frumentum putà, ordeum, siligines, fabæ, aur, vt mauult Cuiacius ad d. Nou. Messes, exigat creditor pro vsuris vnius anni, nisi octauam partem modij: si pecunia, nè pro quolibet solido, id est aureo, exigatur amplius siliqua. &c. Quærunt interpretes, cur de aridis tantùm, nec verò de liquidis, videlicet, vino, oleo, & similibus non loquatur Iustinianus: rationémque hanc vnam subiungunt, quia nimirùm rustici indigeant magis frumento, quàm liquidis fructibus: ita, inter cæteros, Bartolus, qui proinde addit obiter legem, olei, inf. hoc tit. locum habere in alijs quibuscumque, præterquàm in agricolis; & meritò, cùm vita rustica nihil sit frugalius, parcius, ac vilius. Congerunt enim in horrea, & casas, formicarum in morem, vnde vitam duntaxat tolerent: hinc Titinnius ille apud Nonium, libro de proprietate verborum.

Formica pol persimiles est rusticus homo

Cætera ferè omnia in vrbem deferunt, quam & ex ea ratione *ingratam* dixit Virgilius Eclog. 1. quòd cùm alimenta ciuitatum præstentur ex rusticorum labore, in ijs tamen rustici rideantur à ciuibus, & multa perdant, & aduectarum rerum pretia iniqua suscipiant, ait ad eum locum Seruius. Imò si quid hornum, quod delicias pro temporibus faciat, habeant, afferunt ad maiorem partem dominis vrbicis, quod egregiè admodum exhibet Martialis, in descriptione villæ Faustini, lib. 3. epigr. 58. particulam exscribam:

Nec venit inanis rusticus salutator,
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metámque lactis, Sassynate de sylua,
Somniculosos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hispidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.

Perpetuo denique ferè epitheto vocatur agricolæ pauperes, Horatius noster Ode 35. lib. 1. ad fortunam.

Te pauper ambit sollicita prece,
Ruris colonus.

Rursus verò ille, epist. 1. lib. 2.

Agricolæ prisci, fortes, paruóque beati,
Condita post frumenta, leuantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum, spe finis, dura ferentem,
Cum socijs operum, & pueris, & coniuge fida
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant, &c.

Paucula ex immenso, vt commendetur tantò magis Iustinianea hæc constitutio qua iuuetur in partem durissima agricolarum vita, diuexata, exuctaque indies à delicatis, immitibúsq; fœneratoribus, *comedentibus*, vt sic loquar cũ diuino vate, rusticanã hanc plebẽ, *vt cibum panis*. Nihil in eo, opinor, quasi ex agro, vt in adagio est, id est minus elegans, quodque ad rem non valdè faciat, protuli. Vicem agricolarum quis non in longè plurimis doleat, spectans nõ modò ad perpetuos ipsorum, hyeme, vere, æstate, autumnoque in rebus rusticis labores vnde annuatim fructus vberrimi, solosque esse qui (quod acerrimè queritur Saluianus lib. 5. de gubernatione dei) *In agellis, tabernaculisque suis, diuitum, fortiorumque sarcinas ferunt?* variæ & olim & nunc, vt quoquomodo respirent, constitutiones latæ sunt vt hæc, inter cæteras, fœneratorum, aduersus innocentes tot greges voracem auaritiam. vetuerant verò aliunde Constantinus in l. executores. atque Honorius & Theodos. in l. pignorum. inf. quæ res pignori oblig. poss. ipse quinetiam Fridericus in nou. Agricultores. eod. illo tit. nè boues aratorij, aut instrumentum aratorium in causam pignoris caperentur. Prohibuere præterea apud nos Carolus 9. & Henricus 4. nè non tantùm in boues, equosue aratorios, sed nec in agricolarum corpora, lectosque vlla fieret,

quacumque de causa manus iniectio: & tamen irrita hodie, quod nemo nescit, tot humana, necessariaque ad agrorum culturam edicta. Adeò semper, inque omnes ætates, futura sub technis, superciliisque vrbicis Rustica simplicitas.

IMP. PHILIPPVS.

L. 17.

Si ea lege possessionem mater tua apud creditorem suum obligauit, vt fructus in vicem vsurarum consequeretur: obtentu maioris percepti emolumenti propter incertum fructuum euentum, rescindi placita non possunt. (glo. contrarium quippe non postulaturus si modicum percepisset.)

IDEM. A.

L. 23.

Oleo, vel quibuscumque fructibus mutuò datis incerti pretij ratio additamenta vsurarum eiusdem materiæ suasit admitti.

Vult paucis, ex incertitudine euentus tolerari vsuras: veluti, ait Faber, si vendat quis triticum eo pretio quo posteà per communis commercij sortem, vænierit die dicta ad solutionem. Aut, vt notat glo. ad. d. l. oleo. si ferat stipulatio vt tantumdem olei, cum accessione, in eadem materia reddatur intra modum legitimum. Non enim, docet Baldus, spectatur quod casu contingit: nec modum excedit quicquid modò plus, modóque & minus. scripsit alijs verbis, quæ tamen in hoc ipsum recidant, Salicetus, vt scilicet aduertatur semper ad incertitudinem valoris fructuum, qui maior, & qui minor. seruamus denique decisionem capituli, in ciuitate. & cap. Nauiganti. hoc tit. in antiq. vide cætera ad l. frumenti. sup. eod.

IDEM. A.

L. 21.

Si vsuras præstari, pignore dato, conuenerat; & incontinenti numeratione facta, posteà, vel antè, propter quod debitum solutionem feceras, non designasti: habuit creditor in vsuras tibi acceptò ferendæ solutæ quantitatis facultatem.

Facilius ita Salicetus: simpliciter solutum, creditore volente, cedit in debitum vsurarum, priusque in vsuram, quam in sortem. Atuerò & breuiùs: vsuræ prius solutæ intelliguntur quam sors. Sic in l. 5. ff. de solution. *Quod generaliter constitutum est, prius in vsuras nummum solutum acceptò ferendum: ad eas vsuras videtur pertinere quas debitor exoluere cogitur.* Item & §. vlt. d. l. 5. *Si quis ita cauerit debitori in sortem, & in vsuras eius se accipere: ego non dubito quin hæc cautio in sortem, & in vsuras admittatur: sed priùs in vsuras, & tunc deinde si quid superfuerit, in sortem cedat.* hactenus d. l. 5. hoc & ipsum lex, cùm & fortis. ff. de pignorat. act. Componendos putaui hos textus, vt quod nostra hac constitutione præscriptum est, tantò fiat clarius. Ex vsu enim ita tabelliones, ita nummularij, ita denique quisquis legitimas pecuniarum vsuras nouit.

IDEM.

Idem. A.

Si mater tua maior annis negotia, quæ ad te pertinent, geſſerit, vſuras pecuniæ tuæ, quam adminiſtrauit, præſtare compelli poteſt. Omnem enim diligentiam præſtare debet.

Notandus textus in patres tutores, & cùm nouerca liberis prioris matrimonij ſuperinducta eſt. vide ad l. vlt. de pet. hæred. ad l. Nezennius Apollinaris de neg. geſt. ad l. quæ pater. famil. hercisc. ff. Ibi enim fusè diximus.

Imp. Constantinvs.

L. 25.

Pro auro, & argento, & veſte facto chirographo licitas ſolui, vel promitti vſuras iuſſimus.

Id eſt, ait Salicetus: Species poteſt dari æſtimata, vt eius æſtimatio conuertatur in mutuum: quo caſu poteſt creditor ſtipulari vſuram. Sic ille. Moribus verò noſtris pactum, quoad vſuras, illicitum eſt, vt iam ſcripſi ad l. rogaſti. ſi cert. pet. niſi tamen ſit mercator qui ita pepigerit, nummariúmque reditum, longo poſt merces traditas interuallo, venditori, qui etiam mercaturam faciat, conſtituerit. Eo enim caſu, nempe inter mercatores, & propter vtilitatem promiſcui vſus, ad ſuſtinendáque commercia, ſi merces ſoleret comparare actor, & lucri, & damni ratio habebitur, veniétque quod interfuit, etiam vltra legitimum modum vſurarum, inquit Vlpian. in l. 3. §. vltim. ff. de eo quod certo loco. Vide & Chopinum libr. 3. titul. 2. Conſuetud. Pariſ. Maximè verò id ſi agatur de commercio maritimo, in cuius gratiam ſit creditum: ita ut impoſitum naui aurum, aut argentum fortunam maris ſubeat, quo nihil periculoſius, ac incertius. *Nihil tam capax fortuitorum quàm mare*, Tacit. libr. 14. Annal.

Ventorum eſt quodcúmque paras, haud vlla carina
Conſenuit, fallit portus & ipſe fidem.

Propert. lib. 3. eleg. 5.

Longè autem melius ex vet. Comicò

Ἐπὶ χρήμασ' ἰδὼν ἔμπορος φρονεῖ μέγα,
Ὧν ἐςὶ πάντων ἐνίοτ' ἄνεμος κύριος.

Id eſt, mercator conſpectis pecuniarum ſuarum aceruis, attollit animos, quorum tamen omnium ventus aliquando dominus eſt. plus ſatis. tolerantur enim ex his nauticæ vel vltra legitimum modum vſuræ, vt dixi ad tit. de naut. fœn. ff. attingam verò & rurſus ad tit. ſeq.

Imp. Ivstinianvs.

L. 26.

Eos qui principali actio per exceptionem triginta vel quadraginta

annorum, siue personali, siue hypothecaria ceciderunt, iubemus non posse super vsuris vel fructibus præteriti temporis aliquam mouere quæstionem, dicendo ex ijsdem temporibus eas velle sibi persolui quæ non ad 30. vel 40. præteritos annos referuntur, adserendo singulis annis earum actiones nasci. Principali enim actione non subsistente, satis superuacuum est, super vsuris vel fructibus, adhuc Iudicem cognoscere.

§. *1. Super vsurarum verò quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram, & grauissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideóque iubemus, illustribus quidem personis, siue eas præcedentibus* (gl. vt superillustribus) *non licere vltra tertiam partem centesimæ, in quocúmque contractu, vili, vel maximo stipulari.*

§. *Illos verò qui ergasterijs præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, vsque ad bessem centesimæ, vsurarum nomine, suam stipulationem moderari.*

§. *In traiectitijs contractibus vel specierum fœnori dationibus, vsque ad centesimam tantummodò stipulari licèt, nec eam excedere.*

§. *Cæteros autem omnes dimidiam tantummodò centesimæ, vsurarum nomine, stipulari posse, nec liceat iudici memoratam augere laxationem, occasione consuetudinis in regione obtinentis.* (gl. sed minui possunt occasione consuetudinis.)

Liquidò constat centesimam vsuram fuisse centesimam partem sortis in menses singulos, dictámque ex eo à Græcis ἑκατοστήν, apud Dion. Itaut duodecim aureos quotannis efficeret: quemadmodum & triens quatuor aureos: Semis sex aureos: Bes octo aureos. & sic de cæteris minoribus, pro portione qualibet. Et quia exigebantur calendis singulis, inde calendarium, liber rationum in quem referebantur. Loci de his apud auctores vulgati, Horatiúmque inter cæteros. Fœliciter autem partes illas vsurarum Gallicè reddidit Ioan. Bodinus lib. 6. cap. 6. de rep. in hunc modum; *Les illustres ne prendront que cinq pour cent, les marchands huict pour cent, les corps & colleges dix pour cent, les paysans ne payeront que cinq pour cent, le reste six pour cent.* Mos verò Gallicus longè alius & olim, & nunc. Ante enim Carolum nonum nulla erat de licitis vsuris, multóque minus de earum partibus, constitutio. Itaut à Iac. Choartio, multæ eruditionis, peritiæq; patrono, & qui ad an. vsq; 85. cõsenuit, non semel didicerim dãnationes in id quod interest, fieri nũquam solitas à senatu ante annũ 1560. quo lata est à Car. 9. Aurelianensis constitutio, in hæc verba artic. 60. *Contre les condemnez à payer certaine somme de deniers, deue par scedule ou obligation, seront adiugez les dommages & interests requis pour le retardement du payement, à compter du iour de l'adiournement qui leur aura esté faict. Et ce à raison, à sçauoir entre marchands, du denier douze, entre toutes autres personnes, du denier quinze: exceptez toutesfois les laboureurs, vignerons, & mercenaires, enuers lesquels les detteurs seront condemnez au double de la somme en laquelle ils se trouueront redeuables, sans que nos Iuges la puissent moderer.* Ita edictum Aurelian. obseruatum ab vniuersis Gallis maximè ad rationem denarij duodecimi, vsque ad annum 1602. quo nouum aliud promulgatum est de decimisexti denarij vsura, efficiente scilicèt, ad libellas quasque francicas, denarios 15. & quæ ex Iure, semis est, aut vt ex supputatione Gallica, sex aurei, ad veterem illam

centesimam de qua hæc lex. Penditur verò hodie, atque ab anno, 1602. noua illa decimi sexti vsura indistinctè seu ab illustribus personis, seuà mercatoribus, alijsque in vniuersum reliquis: solique penè dixerim. Normani, qui pro consuetudine regionis, fœnerentur publicè, apud tabelliones, personasque publicas, ad rationem decimi, quæ clancularia fuerat ante d. annum 1560. vsura. Quam religiosum id, & Christianum, viderint, cùm censeat acutissimus iuris interpre. Baldus lib. 3. consil. 133. sub finem, homines subtilioris conscientiæ etiam à licitis annuorum eiusemodi redituum cōtractibus abstinere. vide quæ & in hoc iam anteà explicui ad l. si fideicommissum. §. 2. ff. de Iudic. Quæsitum est de reliquis, seu, vt loquimur, arreragijs, pecuniæ ira ex edicto constitutæ, vtrùm ex eis, id est ex vsurarum vsuris, noua possit fieri reditus pecuniarij constitutio, quippe nulla facta numeratione, pecuniæ, qua vnicè, iureque singulari, opus est vt valeant. vsurarium autem id pronuntiauit ordo ampliss. an. 1602. die 26. Martij, perorante Garnerio pro Car. de refuge, aduersus Lud. Dolæum, patronum præstantissimum, qui postea consistorianus comes. Tanti numeratio ea est, vbi de constituendo emptitio reditu agitur, nè scilicet in ficto illo partu pecuniæ, fraus fiat: vt nisi & enuntietur numeratio, & quæ pecuniarum species, nullius planè momenti fit constitutio: Ita iterum Senatus an. 1610. die 14. decemb. perorantibus, Nic. Richeletio, elegantioris literaturæ patrono, & Iuniore Curtio. litigatorum nomina, Catharina Brulard, & Christoph. Carpentarius. Recitatus ad eam causam est textus huius legis, §. si quis autem. in hæc verba.

Interdicta licentia creditoribus, ex pecunijs fœnori dandis aliquid detrahere, vel retinere, siliquarum nomine, vel sportularum, vel alterius cuiuscumque causæ gratia. Nam si quid huiusmodi factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur: vt tam ipsa minuenda pars, quàm vsuræ eius exigi prohibeantur.

§. *vlt. Machinationes etiam creditorum qui ex hac lege prohibiti maiores vsuras stipulari alios subijciunt quibus hoc non ita interdictum est, resecantes, iubemus, si quid tale fuerit attentatum, ita vsuras computari vt necesse esset, tanquam si ipse qui alium interposuit, fuisset stipulatus.*

Dixi de personis fraudulenter interpositis ad l. vn. sup. de contract. Iudic. & ad l. Alioqui. al. Aliquando. vt in lib. flor. ff ad velleian. atque vt penè semper scisso tandem velamine exoritur larens malum,

——— *Persona erepta manet res*,

dixit Lucretius lib. 3. frustráque vitilitigator *imagines mendacio adiuuat*, quod etiam de pictore Seneca, si apud subtilem, sagacemque cognitorem responsa faciat.

IDEM. A.

L. 37. pen.

De vsuris, quarum modum iam statuimus, prauam quorundam interpretationem penitus remouentes, iubemus etiam eos, qui ante eandem sanctionem ampliores quàm statuta sunt, vsuras stipulati sunt, ad modum eadem sanctione taxatum ex tempore lationis eius suas moderari actiones: scilicèt illius temporis quod ante eam defluxit legem, pro tenore stipulationis vsuras exacturos. Cursum insuper vsurarum vltra duplum minimè procedere concedimus: nec si pigno-

TIT. XXXIII. DE NAVTICO FOENORE

IMPP. DIOCLETIANVS, ET MAXIMIAN.

L. 1.

Traiectitiam pecuniam quæ periculo creditoris datur, tamdiu liberam esse ab obseruatione communium vsurarum, quamdiu nauis ad portum appulerit, manifestum est.

Paucis: Traiectitia, seu, nautica vsura, nullis vsurarum communium regulis subijcitur. Hoc textus. Tamen, ait lex. vlt. inf. hoc tit. conuentione expressa opus est, vt scilicèt periculum subeat creditor: aliàs sine huiusmodi conuentione, infortunio naufragij debitor non liberabitur. Ita Impp. d.l. vlt. dicimus nos Galli, *Risquer*. Proinde cùm & in se periculum susciperet creditor, in quo deterior semper erat illius conditio; *Mare enim iustis quoque nauigijs horrendum*, inquit Marc. Seneca, lib. 7. controuersiar. declamat. 1. credi pecuniam eo casu sub pignoribus, mos erat, vt discitur ex l. Qui Romæ. §. Callimachus, de verb. oblig. præstituebanturque tempora intra quæ nauigatio perfici deberet, quibus exactis desinebat versari in periculo creditor d. §. Callimachus, l. fœnerator. l. pen. & l. 3. ff. hoc tit. Item & dabatur à creditore seruus, vel libertus, qui vsuram non modo suo tempore exigeret, l. 4. §. 1. ff. eod. & l. Traiectitiæ ff. de actionib. sed qui etiam obseruator esset actuum debitoris, vt nè videlicet egrederetur leges dictas nauigationi, quod liquet plus satis ex dd. textib. & d. l. qui Romæ, in princip. Qui enim recipit in se periculum nauigationis, intelligitur in se suscipere periculum fortunæ, non culpæ debitoris, ait lex. pen. inf. hoc tit. Subijciamque in hoc ex Demosthene, aduersus Phormionem, ὑπὲρ τοῦ δανείου, seu, de mutuò data pecunia, quod apprimè notari debeat. Καὶ γὰρ ἐμπορείας τοῖς ἐργαζομένοις οὐκ ἀπὸ τῶν δανειζομένων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν δανειζόντων εἰσί· καὶ οὔτε ναῦν, οὔτε ναύκληρον, οὔτ' ἐπιβάτην ἔστ' ἀναχθῆναι, ὃ τῶν δανειζόντων μέρος ἂν ἀφαιρεθῇ. Id est, mercaturæ enim negotiantibus (sup. in mari) non ab iis qui pecunias mutuas accipiunt, sed ab ijs qui eas credunt, proficiscuntur: & neque nauis, neque nauicularius, neque vector possunt in altum euehi, si pars illa dantium mutuò pecunias sublata sit. Sic ille ad has ipsas de nautico fœnore quæstiones, de quibus toto hoc tit. ff. & cod. cùm frequentissimæ essent Athenis ob commercia maritima. Dixi de vsu Gallico ad eundem hunc tit. ff. In quo nihilominus, ὡς ἐν παρόδῳ, monebo hîc, illicitas eiusceemodi vsuras dici non posse: imò licitas esse omni iure, etiam apud Christianos, sacramque ἀθλοθεσίαν profitentes, vt vitam euangelicam vocat, dominumque nostrum ἀθλοθέτην, Dionysius. Æquissimum enim est, cùm, periculo ipsorum mutuantium, nauigetur, nec verò debitorum, qui persæpe tam immensam pecuniarum vim ex mercibus ita emptis, aut venditis, conficiunt, vt tenuissimum sit, ac vilissimum quicquid periclitanti intereà creditori, vsurarum nomine, pensitarint. Qui alieno periculo adit hæreditatem, meritò omni commodo arcebitur; ita lex 4. quia poterat. ff. ad Trebell. Quantò igitur magis, vbi debitor, periculo ancipitis creditoris, conscendit nauem —— *Impletque lintea ventis.* Tunc enim si quid vel in tantillo peccatum sit, sæpissimè ex eo, facillimèque perit vniuersum nauigium; inde videmus grauissimè irasci proræ magistrum ijs qui in prora sunt; gubernatorem verò ex alia parte cæteris qui in puppi sedeant, si quid illi vel in re leuissima, ad nutum minùs respexerit; ita suis verbis Xenophon, lib.

AAa

5. ἀναβάσιως, in fi. Ab Hellenismis enim tempero, si latinè satis reddi possit quod apud tam eximias, tantæque eruditionis, ac elegantiæ auctores reperio, necesse autem est dialecton ipsam Pindari ex ode 5. Olymp. studiosis, ad perpendendum eò & magis creditoris, in nautica vsura, iustissimum desiderium, proponere, cùm enim proijciatur quasi in profundum maris pecunia eiusce modi mutua, commissa nempè ventis, tempestatibus, scopulis, piratis, qui sæpè & naues mergunt, mille denique maris incerti periculis, quis mutuaturus nũmos nauigaturo non agitet sæpè, ac sæpius apud se, rationéque vulgari, ac populari, quod elegantissimè Pindarus,

——— δαπά·
—— τε μάρναται πρὸς
ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον.

I. Sumptusque pugnat ad opus periculo tectum.

Clarum ergo ex his quàm parùm rectè, quámque præpostero iudicio damnetur à quibusdam lucrum istud, ex mutua pecunia, maritimum, præsertim cùm & in Christianis moribus probetur à Gregorio 9. in cap. Nauiganti. de vsur. & à Soto ipso, acutissimo inter cæteros Theologo, tit. de Iust. & Iu. lib. 6. q. 4. artic. 2. eóque prætereà spectat decisio capituli, In ciuitate. eod. illo tit. de vsur. vbi vsuræ etiam tolerantur ob incertitudinem euentus. Baldus obiter, quasique in transcursu ad hunc titulum, censet ex eadem ratione quæ inuexit nautica fœnora, tolerandas nec minùs insolitas vsuras, si pericula etiam terrâ proficiscentibus immineant æquè fortassis timenda, ac si mare conscenderetur: nititurque argumento legis, periculi. ff. eod. cuius cùm singularis, ad ita sentiendum, sit textus, motus posteà est, ad eundem hunc titulum, Sichardus, Germanus interpres, vt scriberet, idem planè decidendum, ad hanc speciem: Si dedi decem mutuo, inquit, vt Francfordiæ, (sic vocat) vel alio in loco merces emeres, conueniq́ue vt, si quid malè per iter contingeret, illud præstarem, non autem debitor, licitæ eo casu maiores vsuræ, perinde atque in nautica pecunia.

IIDEM AA.

L. 3.

Cùm proponas te nauticum fœnus ea conditione dedisse, vt post nauigium quod in Africam dirigi debitor asseuerabat in Salonitanorum portum naue delata, fœnebris pecunia tibi redderetur, itaut nauigij duntaxat quod in Africam destinabatur, periculum susceperis: perque id vitium debitoris, nec loco quidem nauigij seruato, illicitis comparatis mercibus, ea quæ nauis continebat, fiscum occupasse: amissarum mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis discrimine, sed ex præcipiti auaritia, & inciuili debitoris audacia, accidisse asseueratur, adscribi Iuris publici ratio non permittit.

Vide pro iusto commentario quæ latè ex doctrina interpretum, quotidianisque rerum experimentis explicui ad l. pen. si colonus §. 1. ff. loc. de mercibus commissis, atque vt hodie solæ illicitæ merces cadunt vnà cum nauigio in commissum, licitæ verò non. vetus proinde adagium interpretor, *La robbe de*

l'ennemy confisque celle de l'amy. Censet hîc Salicetus, longisque ac validis rationibus sententiam suam adstruit, vt licita etiam cum illicitis publicari doceat, distinctione tamen facta, vtrùm totũ, quicquid vehitur, sit eius qui vel naue, vel rheda cõuehit, an verò partem duntaxat habeat. In ijs enim quæ aliorum sint, decidit nihil quæri fisco, nisi conscij sint domini. quæ summa etiam ratio est. Cæterùm de præcipiti auaritia, inciuilique debitoris audacia, qui, vt rem faceret, præscriptas nauigationis leges insuperhabuit, vide similem ferè speciem in l. Qui Romæ. §. Callimachus. de verb. obligation.

TIT. XXXIIII DEPOSITI, VEL CONTRA.

Titulus hic finem facit obligationibus quæ re contrahuntur, de quibus à principio libri hucusque. Posthac de obligationibus quæ ex consensu, ad finem vsque libri. vlteriùs non processit Iul. Pacius, cuius tamen inscriptum volumen, quasi librum integrum, cuius sexaginta sex tituli, absoluisset.

IMP. ALEXANDER.

L. i.

Si incursu latronum, vel alio fortuito casu ornamenta deposita apud interfectum perierint, detrimentum ad hæredem eius qui depositum accepit, qui dolum solum, & latam culpam (si non aliud specialiter conuenit) præstare debuit, non pertinet. Quod si prætextu latrocinij commissi, vel alterius fortuiti casus, res quæ in potestate hæredu sunt, vel quas dolo desiit possidere, non restituuntur: tam depositi quam ad exhibendum actio, sed & in rem vendicatio competit.

Primam partem, quæ est de incursu latronum, studiosè exegi ad l. Quæ fortuitis. sup. de pign. act. vide etiam ad l. Argentum ff. commod. Ad secundam autem partem, quæ latrocinium commissum, vt fortuitum quemdam casum excipit, notanda glossa est quæ agit de furto facto à domesticis, vel ab ijs de quibus nè diligentissimus quidem paterfamil. suspicatus vnquam fuisset: adscribendum enim id censet casui fortuito: & optima quidem ratione. quis enim excusationem non mereatur si doceat surreptum sibi depositum à seruo qui per annos 25. aut triginta, fideli semper manu, ac cura seruierit? memini in hoc ipsum sublatam iamdudum supellectilem argenteam furto famuli, qui per annos viginti quinque tam fidum, strenuumque ministerium in diuite vrbis istius domo præstiterat, vt, alter quasi dominus, ordinaret, curaretque de rebus domesticis penè singula, quali imperio mirum suæ ætatis famulum describit in epistolis D. Hieronymus: & cùm inter cætera per æstiuas ferias, vniuersam familiam in amœnum vrbique propinquum secessum dominus duceret, haud alius domi, ad tutelam, manebat: illa adeò erga senem seruum fides. Tandem relictus de more, per Pentecostalem ruri festiuitatem, custos vrbanæ opulentiæ, fractis capsis, atque abacis, vasa argentea, ingentemque auri, & argenti copiam extulit, expilatisque ita herilibus arcanis, fugit, captusque paulò post luctuosum sui, furcæ, ante ædes dominicas spectaculum præbuit. Mirabantur mecum qui in ea tunc vicinia: fatebantur autem suspecta semper oportere esse seruorum ingenia, quæ proinde descripsi paulò fusiùs

ad l. si seruus seruum. §. si fornacarius. ff. ad l. Aquil. Domestica autem furta constituit faber non solùm in seruis, sed & in ipsis etiam filijs, & vxoribus: tradunt sæpius, ait, pecunias patrum, & maritorum. Sic ille ad l. 1. inf. de furt. Vxor, inquit glossa ad l. de ijs. eod. illo tit. tribus temporibus res mariti amouet: quandiu scilicet superstes ille est: quandiu, eo mortuo, iacet hæreditas: atque vbi etiam adita est. Quæ tamen Accursiana obseruatio vix hodie nisi in illiberi, prolisque experte matrimonio, & in regionibus quæ iure Romano, vt patrio, citràque perscriptos vllos alios mores, vtitur, quia nimirùm nulla sit connubialis societas, quæ propterea quanti facienda sit inter coniuges, ostēdo ad principium tituli, pro Soc. ff. A seruis deniq;, quiqui illi sint, cauendum semper docent non modo Auctores Classici, Tacitus, Seneca, & alij, sed & occurrentia indies exempla. Inde vel ob quinque asses domino à seruo surreptos, laqueus est, tit. de pace tenenda. & cùm rescribat Imperator, eo rursus titulo, de furt. quam supra memini, seruile furtum, etiam in re modica spectādum esse, testatur clarissimus Iuris interpres, Iason, ad l. eius. ff. si cert. pet. iuuenem quendam institorem infami vinculo pependisse apud Bononiam, ex doctrina legis, 7. Si is cui. eod. tit. de furtis, quia pecuniam, quam dominus perferendam alicui dederat, parua quantitate numerata, (quæ sunt verba legis) reliquam in vsus suos conuertisset. Mouet hic quæstionem Baldus de incendio, vtrùm & quando inter casus fortuitos habendum sit. Si, inquit, frequenter accidat, culpa est, non curare nè ignis euagetur: si rarò: tunc casus insolitus non adscribitur culpæ. Sed vide quæ in hoc ipsum adieci ad l. si vendita. de per. & comm. rei vend. & ad l. si quis fundum. ff. loc. Ista igitur haud abs re, opinor, ad glossam huius legis, vt sciatur quatenus casibus fortuitis annumerari debeant furta domestica.

IMP. GORDIANVS.

L. 3.

Si depositi experiaris, non immeritò etiam vsuras tibi restitui flagitabis: cum tibi debeat gratulari quòd furti eum actione non facis obnoxium. Siquidem qui rem depositam, inuito domino, sciens, prudensque in vsus suos conuertit, etiam furti delicto succedit.

Præclara in hoc distinctio est, quæst. 168. in decision. cap. Tolos. Si deposita, inquit, penes aliquem per modum numerationis fuerit pecunia, tunc depositarius potest ea vti citra furti vitium. Si verò per modum speciei, nullàque numeratione facta, secus. vide & l. in naue Saufeij. ff. loc. textus enim singularis in argumentum. Eo etiam sensu accipienda videtur lex, si pignore creditor vtatur. ff. de furtis: in creditore vtente pignore.

IDEM A.

L. 4.

Si deposita pecunia is qui eam suscepit vsus est, non dubium est, etiam vsuras debere præstare. Sed si cum depositi actione expertus es, tantummodò sortis condemnatio facta est, vltra non debes propter vsuras experiri. Non enim duæ sunt actiones, alia sortis, alia vsura-

rum, sed vna ex qua, condemnatione facta, iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur.

Ad primam partem quę est de vsu pecunię depositę, vide legis superioris scholium. ad secundam, quæ est de sorte, & vsuris, pro iusto commentario fuerit quod latissimè disserui ad l. 1. sup. de Iudic. vbi & hanc ipsam legem explico.

IMP. DIOCL. ET MAXIMIAN.

L. 6.

Is penes quem vtramque partem, transactionis, vel alia instrumenta commendasse dicis, legem, qua hæc suscepit, seruare necesse habet.

Agit nimirùm de sequestro voluntario, de quo nos Galli dicimus, *mettre en main tierce.* Hoc enim mobilium est. Nec alia procul dubio sequestri acceptio est in l. Sequester. de verb. sign. in l. Interesse puto. de acq. poss. ff. & similibus. In immobilibus autem vt curatores tunc bonis dati dicuntur, tit. de curatore bonis dando. & in l. æquissimum. vt in libris vulg. vel vt in lib. flor. si vsusfructus. §. sed si inter. ff. de vsufr. ita & nos vocamus, *commissaires sequestres.* De quibus cùm multa iam scripserim ad tit. de prohib. sequestr. pecun. sup. & ad d. l. si vsusfructus. tradam nunc certissimas quasdam fori regulas, quibus quotidie, ad eiuscemodi frequentissimas quæstiones, vtimur.

Prima est, constitutionem sequestri, seu commissarij, planè esse irritam, nisi acceptationem subscripserit. Producta enim eò tandem est ex Senatusconsultis edicti Blesensis sententia, artic. 165. quo iubentur notarij, seu tabelliones, curare vt omnes omninò contractus, & acta quælibet subsignent contrahentes, & testes. Certum enim adeò tunc argumentum, testimoniumque consensus præstiti, vt scripsisse & totum instrumentum videatur qui subscripsit, inquit Baldus ad l. Contra qui propriam. sup. de non numer. pecun. citatque in id, legem, Cùm antiquitas. §. vlt. de testam. inf.

Secundò, commissarius sequester nullo liberorum numero excusatur, quia munus temporale, & momentaneum, non autem perpetuum: ita Senatus, an. 1614. die 15. Decemb. aduersus Hilarium fileuil. Aliud in septuagenarijs.

Tertiò, si detur, postulante patrono feudali, nulla patronatus iura, muniáque obire potest, quoad honores, destituendáque officia, aut noua instituenda, quæcumque illa sint. Solius enim patroni illud est, non conquerente vassallo. trado Senatusconsulta, & sententiam Molinei, ad l. in modicis. ff. de contr. empt.

Quartò, si manus inijciatur, postulantibus creditoribus, in feudum, & constituatur siquester, vt perpetuus ille mos: sique posteà feudalis sequatur præhensio, ob fidem à vassallo non præstitam, quam & ipse præstare detrectet, præstabit eo casu sequester, vt tollatur de feudo manus dominica. Ita consuetudo Paris. artic. 34. eóque iure vtitur vniuersa Gallia.

Quintò, nisi soluendo sit, teneri eum, quo vrgente manus iniecta est, ac sequester constitutus, docent quotidiana curiæ placita, nec ita iamdiu, in hanc ipsam speciem iudicatum est an. 1609. Perorantibus. Car. Doleto, Gen. meo, & P. Daguesio. mandati enim est species: obligatur autem qui mandat, l. hoc iure. §. 1. de reg. Iur. quique ad petitionem alterius gerit, pro eo est quasi ipse gereret, l. si secundum. inf. mand. l. quod iussu. de reg. Iur. Patronus tamen feudalis excipitur, vt qui *inijciat dominas in sua iura manus.*

Sextò, quantocumque tempore durent publicationum solemnia, exonerari non potest. Ita enim rursus curiæ placita. condonandumque Conchylio, qui aliud cen-

fuit, cùm in prouincijs, extráque Senatum scriberet, vir alioqui meritissimus.

Septimò, vt in re immobili fit, daturque sequester ad percipiendos fructus, sic & vbi de iudiciali, fiscali, alioue publico munere agitur, cuius certum, statímque in annos stipendium. Ita Consuet. Paris. artic. 354. passimque per vniuersam Galliam.

Octauò, si præhensus, auctionique subiectus sit fundus, tandemque addictus, nullo anteà, statimque atque præhensio facta est, constituto sequestro, irrita procul dubio addictio est, ex Senatusconsultis. Secus si desit locatio, vt perlæpe etiam iudicatum est.

Cætera, vt dixi, reperies locis suprà citatis. Aduertere autem possint ex his qui in didacticis Scholarum Iuris pulpitis consenescunt quàm parum profutura sit, sine experimentis, Schola. Absit enim verbo inuidia, legi, ac perlegi non modò quinquaginta Digestorum libros, librosque duodecim codicis, sed etiam, vt viderunt amici plurimi, manu propria, varijs voluminibus responsa Iuris consultorum, Imperatorumque rescripta seriatim, καὶ κατὰ πόδα, prout ad forum facere pars quæque visa est, exscripsi, multamque veterum, recent orumque interpretum commentationibus operam dedi: Et tamen nisi ætatem in causis orandis, litibusque ex scripto iuuandis attriuissem, (quod per quadraginta penè annos transactum est) operosiore, propè dixerim conatu, ac stylo ad eruenda quasi ex vepretis immensa Romanæ, Gallicæque Iurisprudentiæ arcana, meas istas, easque ni fallor, vtilissimas lucubrationes, decliui iam ætate, ederem.

IDEM. AA.

L. 10.

Qui depositum non restituit, suo nomine conuentus, & condemnatus, ad eius restitutionem cum infamiæ periculo vrgetur.

Infamiam illam, pœnasque diuinas, descripsi ad l. 7. si hominem §. datur actio, atque ad l. si sacculum. ff. hoc tit.

Inuocabant de cœlo eum qui de depositis legem posuit, vt ijs qui deposuerant, ea salua custodiret. Ita textus Machabæorum lib. 2. cap. 3. tria iudicia famosa olim fuisse scribit Tullius, pro Qu. Rab. fiduciæ, (I. depositi) societatis, & tutelę. tantusque horror vbi querela in foro de depositi abnegatione deuoluitur, vt eo casu nec locum esse cessioni bonorum, nec quinquennalibus, alijsue breuioribus inducijs, iudicare soleat ordo amplissimus. singularem in eiusmodi fraudatores pessimos, ac sceleratissimos exscribam subinde textum in l. si quis pecunias, quæ proximè sequitur. Veterem autem in hoc ipsum senatoriæ indignationis notam reperio inter accurati quondam patroni creditas mihi ab amico schidas sanè vtiles. Refert ille studiosissimè actiones de eo habitas in comitijs Augustoriti Pictonum iuridicis, denegatumque, extemporali iudicio, fraudatori simili, & cessionis bonorum, & dilationis cuiuscumque beneficium, an. 1541. die 8. Octobr. Infamia quidem, de qua Imperatores breuissima rescripti istius regula, non iuris est, itavt vel testis posteà, vel iudex esse possit, aut, vt habent hîc Baldus, & Salicetus, tabellio, qui ex depositi abnegati causa damnatus fuerit, quique aliam quamuis in eo fraudem admiserit, sed perpetua nihilominus infamia facti onerabitur apud bonos, præterquàm quod edaci nunquam mentis cruciatu cariturus est, imò & vindicta cælesti, qualem describit Iuuenalis, tota sat. 13. in hæc verba:

Pœna autem vehemens, ac multò sæuior illis,
Quas & Caditius grauis inuenit, & Rhadamantus,
Nocte, diéque suum gestare in pectore testem,
Spartano quondam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando: quærebat enim quæ numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.

Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, verámque probauit:
Extinctus tota pariter cum prole, domóque,
Et quamuis longa deductus gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas, &c.

Dixit in transcursu Seneca lib. 4. cap. 26. de Benefic. *Quis depositum committet ei qui iam pluribus abnegauit?* plura non dicam. anteuertit enim iamdudum Antecess. Tol. lib. 33. cap. 4. vbi varia in id consarcinata quæ proferre hic vetat pudor.

Trado ex me quantum exigat intercurrentis quæstionis, vel ad forum, vel ad ornamentum, necessitas. Ad cæteros qui abundè anteà tractarint, quasi per indicem, facilè remitto.

IVSTINIANVS.

L. II.

Si quis vel pecunias, vel res quasdam, per depositionis acceperit titulum: eas volenti ei qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur: nullámque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi & ipse quasdam contra eum qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens: cùm non sub hoc modo depositum acceperit vt non concessa ei retentio generetur. Et contractus qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Sed & si ex vtraque parte aliquid fuerit depositum, nec in hoc casu compensationis præpeditio oriatur: sed deposita quidem res, vel pecuniæ ab vtraque parte quàm celerrimè sine aliquo obstaculo restituantur, ei videlicet primùm qui primus hoc voluerit: & posteà legitimæ actiones, integræ quoque ei reseruentur, &c. Quod si in scriptis attestatio non per dolum, vel fraudem fuerit ei qui depositum suscepit ab alio transmissa, vt minimè depositum restituat, hocque per iusiurandum affirmauerit; liceat ei qui deposuit, sub defensionis cautela idonea præstita, res depositas quàm ocyssimè recuperare. Iunge Anth. seq.

ANTH. EX NOV. 88.

Sed iam cautum est, nè quis extrinsecus depositario interdicat depositi restitutionem: qua subsecuta depositor possidens pulsari poterit ab eo qui interdixit, &c.

Paucis: in deposito compensationi numquam locus: Tertiaque persona accedens ex transuerso, ait Baldus, non potest extra iudicium prohibere nè reddatur depositũ. Ocyssimè ait lex, restituendum: quod ita rursus explicatur ab eodem, & Bart. paulóque Castr. vt dicant, quasi de plano, summariáque, vt loquuntur, cognitione, & statim atque constiterit depositum esse quod petitur, damnari oportere depositarium, nec quadrimestres inducias aliasue breuiores indulgendas esse. Solum hoc excipit Salicetus, si damnatum ex causa criminis sciat depositorem bonaque eius publicata. Notandum verò est ex Chopino, lib. 3. tit. 3. Consuet. Paris. inter plures deponentes non seruari ordinem in mobilibus depositarij: neque præferri quisquis prior manum iniecerit. locus enim eo casu tributoriæ, nisi tamen liqueat signo, ré-

que indubia hoc vel illud esse alicuius depositorum, vt in l. In naue Saufeij ff. locati. quod ita iterum decidit Baldus ad l. vlt. inf. eod. depositæ enim rei dominium semper penes deponentem. l. licet. §. rei depositæ proprietas. ff. hoc tit. vendicatióque eo casu perpetua est, l. Si in rem. ff. de rei vend. Supersunt tria, aut quatuor. quæ breui animaduersione egeant, vt habeatur purus tam legis, quàm Nouellæ intellectus. Primum est de protestatione, seu denuntiatione: eam scilicet fieri debere ex scripto, nec verbis, aut iureiurando duntaxat, quæ est Bartoli, & Pauli Castr. sententia: quam hoc vno reiicit Baldus, quòd nimirùm frustrà in textu mentio scripturæ fieret, si solum iusiurandum sufficeret. Sequitur Baldum Salicetus: mihi autem perplacet temperamentum Io. Andreæ ad cap. Romana. de censib. in 6. Vbi enim enumerauit trigintaquinque casus quibus scriptura adhiberi debeat: eò tandem desinit vt scribat, pro causis, locis, & personis, scripturam modò necessariam, modóque non. dixi de protestatione ad l. si filius. ff. ad Macedon. Secundum est, vtrùm depositario liceat retinere rem depositam, donec refusæ ei impensæ necessariæ fuerint, putà si equum per dies aliquot, vel menses aluerit: licere enim censet Baldus cõtra Placentinum, singul ari in id l. Actione. ff. eod. cuius verba: *Actione depositi conuentus seruo constituto cibariorum nomine, apud eundem iudicem vtiliter experitur.* Ita & sentit Salicetus, qui apposito etiam textu nititur in l. si necessarias. de pign. act. Ita Sichardus, cuius haud inutiles commentarij ad libros Codicis. Maxime verò omnium Cuiacius ad d. nou. 88. qui laudat in hoc, legem 2. §. frumentariæ, de administrat. tut. ff. cum l. pecuniæ. de Alim. leg. ex qua elegans istud exscribit, causam nempe alimentorum adeò fauorabilem, vt opposita eorum petitioni compẽsatio verecũdiam pulset. probatúrque, vt peroptima illa opinio, cùm saluam ex eo depositarius depositi causam fecerit, vt de prerogatiua pignorum, dixit Vlp. in l. huius enim. ff. qui potior. Tertium fuerit ex Donello: si doceat depositarius rem depositam sibi obligatam pignori ab eo qui deposuerit. Nam hoc ipso quod res pignori traditur creditori, conuenisse intelligitur, nè eam illi ipsi redderet nisi soluta pecunia, l. si rem. §. omnis. ff. de pign. act.

Quartum & in hoc fine Authenticæ constituam,

Quibus pœnis subiacet qui vel inquilino dationem pensionum, vel publicæ personæ panis interdicit administrationem.

Personam enim publicam, de qua textus, glossa & de magistratu intelligit, & de ijs in genere quibus præbenda, Id est, salaria, stipendiaque debentur ex publico quasi dicat, nullas vnquam compensationes in eiusmodi publicarũ personarum alimentis quotidianis admittendas esse: solusque omnium interpretum Salicetus Imperatoris mentem illustrauit exemplis. Notandum hoc, inquit, ad doctores, & similes qui salaria percipiunt è publico. Totidẽ enim vitæ subsidia sunt, l. laudabile de aduoc. diuers. Iud. Notandum præterea ad religiosos mendicantes quibus annuatim pendit Bononiana ciuitas vnde se exhibeant, sic ille. Atque vt rem vtcumque ad quotidiana redigam; clarum fit ex his nolle Iustinianum vt si vel antecessor Academicus, vel persona alia publica, quæ, vt sic loquar cum Vlpiano, de alimentis, stipendijsque annuis pendeat, quippiam apud eum deposuerit qui, quia forsan aliquid à depositore debeatur, reddere detrectet depositum, interdicitque dispensatori stipendiorum, nè soluat, donec ei soluerit depositor pecuniam debitam. Restituendum enim nihilominus depositum Iustinianus statuit, liberumque esse oportere dispensatori vt eroget, de more, annuum seu doctori, seu professori, seu denique alij cuicunque personæ publicæ, necessariaque debitum. Nemo forsan, ante me, tam perspicuè rem obscuram satis aperuit. Viderint qui locum penitiùs inspiciẽt. vt enim ambitiosè nihil vnquam molior, accedam facilè si rectius quicquam ab ipsis animaduersum nouero. Eò faciunt lex, spem præmiorum. Quæ res pignori. lex, stipendia. de executio. rei Iudic. inf. lex, Commodis ff. de re iudic. eò etiam quod scribit Chopinus lib. 3. tit. 3. ad consuet. Paris. de distributionibus, seu erogationibus, canonicorum quotidianis. Hodie, vt finem in obscura interpretatione faciam, nec latrunculatorum stipendia capi possunt pignori, vt sine quibus fungi munere suo non possent, nec alia denique agentium in rebus quæ præstari in annos solita sint, nisi tamen agant Viarchi, seu viuandarij, vt loquuntur: Celtissimus in hoc noster est,

Les appoinctements ne peuuent estre saysis qu'à la requeste des Viuandiers, prouoyeurs, & autres fournisseurs de Viures.

IVSTINIANVS.

L. VLT.

Superuacuam veterum differentiam de medio tollentes, si quis certum pondus auri vel confecti, vel in massa constituti deposuerit, & plures scripserit hæredes, & vnus ex his contingentem sibi portionem à depositario acceperit, alter supersederit, vel aliàs fortuito casu impeditus hoc facere non potuerit, & posteà depositarius in aduersam inciderit fortunam, vel sine dolo depositum perdiderit; sancimus non esse cohæredi eius licentiam venire contra hæredem suum, & ex eius parte auellere quod ipse ex sua parte consequi minimè potuit, quasi eo quod cohæres accepit, communi constituto: cùm si certa pecunia deposita fuerint, & suam partem vnus ex cohæredibus acceperit, nemini veniat in dubium, benè eum accepisse partem suam, & non debere partem aliam attingere. Nobis enim non videtur esse homo obnoxius, neque in massa, neque in specie, neque in pecunia numerata, qui suam partem suscepit, nè industria pœnas desidiæ soluat. Si enim & alius hæres tempora opportuna, quemadmodum cohæres eius, obseruasset: & suum vterque reciperet, & sequentibus altercationibus minimè locus relinqueretur.

Huc omninò spectat decisio, ratioque legis, 24. Pupillus. ff. quæ in fraud. cred. in hæc verba: Si iustè vnus creditorum creditor exegerit, cęteri creditores neglexerint exactionē, & intereà res deterior facta sit, vel mortalitare, vel subductis rebus mobilibus. vel rebus soli ad irritum perductis: id qnod accepit creditor, reuocari nullo pacto potest: quoniā alij creditores suæ negligentiæ expensū ferre debeant. Idem si soluent mihi debitor, cuius bona in eo erāt vt væpirēt, reuocari non debet, si modò nō extorserim, vigilaui enim, & meliorē meā conditionē feci. Ius autē ciuile vigilantibns scriptū est. Sic Scæuola, optimaq; ratione: neq; enim æqū est probū forte cohæredē luerè culpam, contumaciam, insaniam, vltionesque interdum gratuitas cohæredis qui hoc vnum agit, vt & sibi & socijs noceat. Quid si ita iniuriosus & damnosus sit socius, vt non expediat eum pati? ait Vlp. in l. 14. Si conuenerit ff. pro soc. ostendi propterea ad l. liberto. §. vlt. de neg. gest. ex l. his consequenter §. sumptuum l. ex parte. & l. inter. ff. famil. Herciſc. cohæredem qui, cùm vigilantior esset cæteris, sumptus probabiles in litem rei communis fecetat, posse etiam ante iudicium repetere ab alijs pro rata cuiusque portione quod, vel inuitis illis, ita impenderat. Sic & notaui ad l. hæredes §. 13. ff. famil. Herciſc. atque ad l. si vsusfr. ff. de vsufr. posse vnum ex cohæredibus separatim præstare feudali patrono homagium pro ea parte qua hæres sit, patronumque, vt manum pro indiuisa parte feudi, in gratiam eius solius, tollat, cogere, itaut fruatur quatenus ferat hæreditaria portio. Sententiam Molinęi, Senatusconsultumque ad leges supradictas profero, in hoc ipsum nè, quod ait nostra hæc lex, industria, prudentiaque cohęredis pœnas ferat desidię, contumacięque alterius, vt naturale esse vitium dicitur in l. 2. quando & quib. quarta pars lib. 10. negligi quod communiter possidetur; atque vt quis facilè suam quoque partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienę. Ita ferè semper qui in communione sunt.

Ferre iugum pariter dolosi.

Quod dixit Lyricus Attigit ad l.1.ff.famil.Hercisc.quàm exitiosę sint sępissimè ex eo hęreditatum, bonorumque communiones: & cùm connexa adeò, καὶ συνημμένα. (vt in l. rerum mixtura de vsucap.) sunt plurimis iura vt mutuo ferè semper consensu, omnium, inchoari, promoueri, peragique, ac perfici negotia debeāt. Verissimè equidem cecinit, pater ille omnis virtutis, Homerus ἰλ. β.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

I. *Bona res non est, multorum dominium, vnus dominus esto.* Hinc institutionum, substitutionumq; vnius semper heri in familia, apud Romanę Iurisprudētię Gallos, primæ causæ, ne scilicet per varia hæredum, eorumque persæpè dissentientum, capita concidat, vertaturque extremo tandem exitio ingens auitæ forsan, virtutis patrimonium. hinc verò etiam inter nobiles, primigeniorum, in moratis cæteræ Galliæ regionibus, iura: Quin & Majoratus Hispani, filiarúmque à lege ipsa, per vniuersam Italiam, ἀκληρονομίαι, id est nullæ hęreditātis paternę, aut auitæ, participationes, itavt solo fratris primogeniti beneficio habeant quod donat ille, cùm collocantur nuptui, vt iam docui suprà. Durę leges equidem, imò Ethnicas vocat vnus è nostris; sed quibus, vt fit verisimile, causam dedit contumax, iniuriosum, damnosumque, quod penè semper agnitum est, cohęredum, liberorumque nepotantium ingenium. De his hactenus. Auctarij enim vice subiungo, ad proferendam eò magis decisionis nostrę, quę procul dubio ex quinquaginta Iustinianeis est, humanam, benignamque rationem, qua noluit Imperator industrij hæredis vigilantiam necessariæ ieuiculorum forsan, socordium, aut malè secum conuenientium cohæredum subiacere dementiæ, gratuitæque vel iniuriæ, vel inuidiæ. Quotidianum hoc: nec aliud expertura vnquam ætas postera.

TIT. XXXV. MANDATI, VEL CONTRA

IMP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 1.

Aduersus eum, cuius negotia gesta sunt, de pecunia quam de proprijs opibus, vel ab alijs mutuò acceptam, erogasti, mandati actione pro sorte, & vsuris potes experiri. De salario autem quod promisit, apud Præsidem prouinciæ, Cognitio præbebitur.

Duo hîc maximè: vtrùm procuratori ad negotia, debeantur vsuræ expensarum quas fecerit, & à quo die. Deinde apud quem iudicem de salario ipsius agi debeat. Quantum ad primum, deberi vsuras ex mora, vt in bonæ fid. iudiciis, censet indistinctè Donellus hîc, citatque legem, post solutionem. hoc tit. quæ de fideiussore qui soluere pro Reo principali coactus est. Distinxerat verò longè anteà Baldus ad hunc ipsum textum: deberi, scilicet & aliquando vsuras citra moram, prout æquitas suaserit, vt in l. Si verò non remunerandi. §. si mihi. ff. eod. additque, si solitus sit de suo fœnerari, vel non, vt in l. qui semisses. §. vlt. rursus eod. ff. interpolauit hanc Baldi sententiam Sichardus: nec aliud quicquā insuper vmbratiles scholę. Cùm ergo ad vsum reuocari ista debeant: Sic habe. Aut enim agitur de eo qui non in foro, sed in aula forsan Principis, aliisve in locis negotia, mandato alicuius gesserit, vt frequentissimum hoc, variaque exempla reperies toto hoc tit. ff. & Cod. totoque etiam tit. Ex quibus causi maiores, & tunc pro causis, locis, temporibus, ac personis, vsurarum pecuniæ quam per necessitatem officij mutuò acceperit, aut è suo prærogauerit, constituendus modus est. Vocamus eiuscemodi procuratores, sollicitatores, si priuatorum procurent negotia: vel agentes, si vel Principum, vel celebrium societatum, puta cleri Gallici; aut etiam deputatos, si Cathedraticæ cuiusdam Ecclesiæ, Collegij, seu, vt vocant, Capituli.

Aut agitur de procuratore forensi: quo casu proculdubio est, vsuras pecuniæ, quam ille de suo insumpserit, non incipere nisi à die quo ad purum impensæ redactæ sint, vulgò dicimus, *du iour que les despens auront esté taxez & liquidez*: habita scilicet ratione non definiti, adhibitis cognitoribus, calculi, sed iudicij quod interuenerit, aiunt formularij, *l'on considere non la taxe, arrest & liquidation faite par les Procureurs, mais l'executoire qui s'en est obtenu.*

De salario, textus quotidianus in l. 1. ff. de variis & extraordinar. cognition. in hoc vt breui cognitione, atque extra ordinem statuatur. In quo tamen rursus distinguendi procuratores ad negotia ab procuratoribus fori. In his, cognoscere eos oportet qui lites diremerint. In illis, vt personalis actio est, conueniendus debitor apud suum iudicem. plura autem de salariis dicam ad l. salarium. inf. eod.

IMP. GORDIANVS.

L. 7.

Si literas eius secutus qui pecuniæ actor fuerat, ei qui tibi literas tradidit, pecunias credidisti: tam condictio aduersus eum qui à te mutuam sumpsit pecuniam, quàm aduersus eum cuius mandatum secutus es, mandati actio tibi competit.

Ratio fuerit ex l. si quis mihi bona. §. iussum. ff. de acq. hæred. vbi docet Vlpianus iussum, ac mandatum fieri vel per nuntium, vel per epistolam. potestque proinde quiuis conueniri ex epistola quam scripserit, l. vlt. in pr. & §. 1. ff. hoc tit. nec minùs quàm si conscriptum à tabellione instrumentum fuisset l. liberto. in pr. ff. de neg. gest. Sic in l. pen. ff. quod cum eo. pater permisit filio mutuam accipere pecuniam, & per epistolam creditori mandauit vt ei crederet, est in potestate creditoris, ait textus, agere contra hæredes pro hæreditaria portione, vel contra filium in solidum: sed filius condemnatur in quantum facere potest. Componenda & d. lex, liberto. in pr. ff. de neg. gest. qua dicitur creditorem posse agere ex literis quibus mandatum est vt ab eo mutua acciperetur pecunia. Denique longa differentia est inter literas commendatitias, & mandatum. Commendandi magis hominis, quàm mandandi causa, scripta est, inquit lex, si verò non remunerandi. §. cum quidam. ff. eod. Commendatitiæ non obligant, vt ostendo ad d. §. cum quidam, ex iure Romano, & senatusconsultis Gallicis. In mandato autem secus, vt hic, & argum. l. Titius ff. de constituta pecu. quæ docet contrahi obligationem per epistolam in omnibus quæ per eam possent geri. Verba hęc sunt legis vlt. in pr. de leg. 2. *De fide constat, si manu eius, de quo quæritur, scriptam esse epistolam, constet*, l. vlt. in pr. de leg. 2. quò & spectat doctrina Bartoli ad l. obligari. §. vlt ff. de auctor. tutor. vt scilicet quando contractus per epistolam geritur, tunc perfectus censeri debeat, si qui accipit epistolam, consenserit, neq; testationem contrariæ voluntatis interposuerit, vt loquitur, in hoc ipsum, lex, si filius f. ff. ad macedon. amplius reperiq in l. 1. inf. de contr. stipulat. probari videlicet non modò per epistolam actum qui in ea commemoratur, sed & præsumi solemniter celebratum. Quinimò & per epistolam vltima voluntas intelligitur, si ad heredem dirigatur, vt latiùs Nic. Valla, Senator Paris. tractatu 2. de rebus dubiis. Inde fidei cōmissaria epistola, in l. cum quis decedens. §. pater. de leg. 3. *Donationis prædiorum epistolam, ignorante filio, mater in æde sacra, verbis fideicommissi non subnixam deposuit, & literas tales ad æditum misit; instrumentum voluntatis meæ, post mortem meam, filio meo tradi volo. Ita lex, cum pater. §. donationis prædiorum, de leg. 2.*

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 10.

Si pro ea contra quam supplicas, fideiussor seu mandator, intercessisti, & neque condemnatus es, neque bona eam dilapidare posteà cœpisse, comprobare possis, vt tibi iustam metuendi causam præbeat, neque ab initio ita te obligationem suscepisse, vt eam possis & ante solutionem conuenire, nulla iuris ratione, antequàm satis creditori feceris, eam ad solutionem vrgeri certum est, fideiussorem verò, seu mandatorem exceptione munitum, & iniuria iudicis damnatum, & appellatione contra bonam fidem, minimè vsum, non posse mandati agere, manifestum est.

Miserum sæpiùs si agat fideiussor aduersus Reum principalem, vt liberetur, postquàm ipse condemnatus est. Tunc enim aut soluere præsenti pecunia habet necesse, aut pati vt exhaustam domum mobilibus videat quæ pro Rei illius, cuius causa fidem suam adstrinxit, debito væneant: aut si suffectura non sint mobilia, prædia etiam quis nescit, vrgente immani plærumque creditore, publicari, immò & interdum addici vilissimo pretio, vt consequatur à fideiussore quod non possit à Reo? Non semel istud visum est. Neque propterea expectant cautiores donec condemnentur, imò nec vsque dum conueniat eos creditor; sed quia vel diu iam manserint in obligatione, vel quia labi facultatibus discunt debitorem, anteuertunt fœlici, vt sic loquar, diplomate, & vt eximantur cautioni, agunt ocyssimè: querelaque ita placidè semper, tamque benignè admissa est, vt ex his quæ trado suprà, liberati sint, nec expectato condemnationis in ipsos funesto iudicio. Eo sensu accipienda est lex, exceptione. ff. de fideiuss. & cap. vlt. eod. rursus illo tit. vicit enim è contrà huius legis æquitas, Marcellianique responsi in vulg. Lucius ff. hoc tit. at verò & Papiniani in l. In omnibus. ff. de Iudic. quæ excipiunt nisi iusta metuendi sit causa, vergente ex nimirùm debitore ad irreparabilem inopiam, aut viam etiam ineunte qua inuoluta, implicitaque obscuro ære alieno habeat bona. recenseo tritum in hôc anno 1603. Senatusconsultum ad l. his consequenter §. Celsus ff. famil. Herciscd. latum autem est alterum anno. 1611. die 19. Ianuar. quod necessaria hic obseruatione subijciam. Breuis est Hypothesis: Io. Descordes, in præfectura Paris. patronus, conuenerat sororem, mariti defuncti donatariam, vt fideiussione exiret quam, vt ipsa frueretur donatione, apud Iudicem, ex præscripta statuti Paris. formula, fraterno affectu subierat. Aiebat ille graue deinceps imminere sibi ex cautione præstita periculum, quia quatuor post menses à morte defuncti, nouas cum decoctore nuptias contraxisset. frustrà quòd apud acta cauisset, Celtismus noster est, *faire la submission au greffe*, Primum enim acceptatio nulla eorum quorum interesset, interuenerat. Deinde verò metuebat in posterum, iustóque metu, nè nouus ille maritus, cui se se illa tam citò applicuerat, decoqueret. Senatus cautionis vinculum ex his sustulit. Quod notatum proindè à plurimis, ob eam, ex causa omninosi secundi coniugij, tam properè anticipatam actionem. Docet enim Molinæus ad Alexandr. lib. 5. consil. 100. opus esse vt liquidò constet principalem debitorem non esse soluendo.

IDEM. AA.

L. 15.

Mandatum, re integra, domini morte finitur. Dixi quod satis ad l. Eius. ff. si cert. pet.

IIDEM

IIDEM. AA.

L. 17.

Salarium incerta pollicitatione promissum peti non potest.

Sic in l. 56. Qui mutuam §. 3. ff. eod. *Salarium incertæ pollicitationis neque extra ordinem rectè petitur, neque iudicio mandati, vt salarium tibi constituatur. merces est, ait faber,* quando non erat alias facturus. Salarium, quando erat nihilominus facturus. Sic ille. vocatur autem emeritum, in l. 5. non omnes §. pen. ff. de re milit. *Si post multum temporis,* inquit, *redit qui ab hostibus captus est, & captum eum non transfugisse, constiterit; vt veteranus, erit restituendus: & præmia, & emeritum capiet.* Cæterùm vt subtilitas illa Iuris de pollicitationibus sublata iamdiu est apud nos, quippe contraria æquitati, taxatur hodie salarium pro ratione personæ, ac rei cui nauata sit opera. vide Rebuf. tractatu de famulorum salarijs, ad constitutionem Ludoici 12. Glo. 3. vbi plura. Seruamus & hoc in tutoribus maximè alienis, nec tam proximis, licet cùm primùm dati sunt, salarium eis constitutum à iudice non fuerit; quicquid in contrarium respondeat Callistratus in l. 33. A tutoribus §. vlt. de administr. tutor. vbi nec prætermisit Glossa, legi eo loco, in quibusdam exemplaribus, non salarium, sed solatium, quod etiam hodie in libro flor. cernimus. Si primogenitus, ait Tiraquellus q. 89. de Iure primigeniorum, bona communia ex dispositione testatoris administrauit, potest eius rei petere salarium, sequendaque in eo consuetudo regionis. verùm vt de tutore persequar, Boërius equidem, ad consuetud. Bituric. artic. 11. tit 1. censet ex Bartolo ad d. l. A tutoribus, salarium tutori constitui interdum ex causa à Iudice: nec peti, darique posse, si moretur tutor in eodē loco, in quo pupillus: secus si ob negotia proficisci aliò oporteat. Chopinus verò lib. 2. tit. 7. num. 19. ad consuet. Paris. docet inter cætera, constitui & in hoc regno, & passim apud exteros, salaria tutoribus indistinctè: nempe, inquit, in aureo isto seculo, aurique potiùs, quàm humanæ pietatis auido. sic ille. quò & facit veteris Poëtæ, apud Athenæum, indignatio:

Ω χρυσὲ, κάλλιστον ὄμμα βροτοῖς.

I. ò aurum, pulcherrimus aspectus mortalibus.

Vniuersa in id complectitur Plinius, lib. 9. epist. 30. cùm scribit eam inuasisse homines habendi cupidinem, vt possideri magis quàm possidere videantur. Sed vt in genere, perque loci occasionem, nonnulla de salariis, quæ vera equidem laborum solatia, aspergam vnde alleuetur τὸ ἐπίπονον φύσει: notum plus satis versato in Iure, nihil penè apud Imperatores, & Iurisconsultos frequentius, quàm vt nè vlla ratione defraudentur eorum labores qui iugi, indefessáque opera procurarint res nostras, prout mandatum ipsis fuerit. Eò spectat totus ferè titulus, de annuis legatis, ac tit. de variis, & extraordinar. cognit. lex, sed etsi. §. consuluit senatus. de petit. hered. lex, pen. de necess. seruis. Cod. pars denique maxima huius tituli, ff. & Cod. salaria, solatia, mercedes, ἀντίδωρα, quisquis dixerit, priuatam omnium sortem implicat qui hoc agunt vnicè, nè occupati alienis, in angustia postmodùm rei familiaris malè hæreant, quod παχυμερέστερον, mero tamen veriloquio notauit glossa ad l. vlt. inf. de alluuionib. lib. 7. eximiè autem, vt omnia, Pindarus, Ode prima Isthmiorum, στροφ. γ. ἐπῳδ.

Μισθὸς γὰρ ἄλλοις ἄλλος ἐφ' ἔργμασιν ἀνθρώποις γλυκύς,
Μηλοβότᾳ τ' ἀρότᾳ τ' ὀρνι-
χολόχῳ τε, καὶ ὃν πόντος τρέφει.
Γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνων λιμὸν αἰανῆ τιταίνει.

Id est, Merces enim alia aliis hominibus dulcis ob facta, & pastori ouium, & aratori, & auium insidiatori, & illi quem mare educat: sed quilibet contentas habet vires ad propulsandam famem à ventre. sic ille, qui è contrà subiicit, collimari eò duntaxat in certaminibus publicis, vt, lucri in speciem, fruatur fama sui quisquis præclarum, generosumque aliquod certamen publicè ediderit. Verba ex eadem ode iterum, quippe elegantissima, exscribam:

Ος δ' ἀμφ' ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἀρη-

ται κῦδος ἀβρὸν
Εὖ ἀγορηθεὶς κέρδος ὕ-
ψιστον δέχεται, πολια-
τᾶν καὶ ξείνων γλώσσας ἄωτον.

Id eſt, at qui in certaminibus aut prælians, adeptus fuerit decus ſplendidum, laudatus, accipit lucrum ſummum, florem linguæ ciuium, & peregrinorum. Hactenus de priuatis, viriſque militaribus. Togatis autem, de publicoque meritis, ſi quid olim, & nunc vel à rep. vel à principe erogatum, honoris cauſa legimus, factum id præclarè oſtendit Græcus orator, Lesbonax, ἐν τῷ προτρεπτικῷ, ſeu, oratione qua ad virtutes excitantur ingenia, vt per dignitatem publici muneris, quod, liberali dominantium manu, tribuitur egregijs viris, accendantur cæterorum animi, quibus, vt & hoc ipſum pręſtent, haud vulgaris natura dederit. Latè etiam iſtud commendat Demoſthenes contra Timocrat. vbi oſtendit quantum præſtantes illi, quos, eo nomine, præmijs decorat reſpublica differre, internoſcique ſoleant à cæteris quos ſola vel gratia, vel pecunia prouexerit, & *in quibus, tanquam in ſtatus, præter titulum, nihil eſt additamenti*, vt ſic loquar cum Salluſtio, in Catilin. pauca nimirum ex immenſo. Romæ quid non, cùm vel è noſtrà Gallia accepti ſint qui conſulatus, præturaſque obirent? fuerint inſtar omnium, Auſonius, & Rutilius Claudius Numatianus, Nemauſenſes, Narbonenſes, Viennenſes, Maſſilienſéſque plurimi: volumine autem, non pagina, in Romanis, opus foret. Deſinam in verbis Athalarici epiſt. 8. lib. 9. apud Caſſiod. *Propoſiti noſtri eſt, ait, honeſtos labores palma remunerationis ornare, vt viciſſitudine, qua prouecti gaudent, deſides mordeantur, ſibique imputare poſſint quòd clementiſſimis temporibus iudicij noſtri præmia non merentur.* ſic Rex Italiæ. Viderant nec minus ſolatia iſta Galli veteres, quæ vt inter mortua ferè habuit deſinens ſuperius ſeculum, ita &, virides inter imperij ſui lauros, reſtituturum ſe, diuino Rhotomagenſi edicto, profeſſus nuper eſt, Auguſtiſſ. Iuſtiſſ.que Ludoicus noſter XIII. fœlix tanto Principe Gallia, cuius & tanti, ad reip. Gallicę munimenta, Neſtores.

IIDEM. AA.

L. 18.

Poſt ſolutionem à ſe factam, qui dari mutuò mandauit, ab eo pro quo interceſſit, vel ſucceſſoribus eius, quod ſolutum eſt, etiam cum vſuris, poſt moram, rectè poſtulat.

Dixi ad l. 1. ſup. hoc tit. quàm æquum ſit, vt fideiuſſori qui pro debitore ſoluit, pendantur vſuræ à die moræ.

IIDEM. AA.

L. 20.

Si contra licitum, litis incertum redemiſti; interdictæ conuentionis tibi fidem fruſtrà petis. Quòd ſi gratuitum mandatum ſuſcepiſti: ſecundum bonam fidem, ſumptus rectè poſtulas.

Dixi de pacto de quota litis ad l. ſi remunerandi. §. maurus. ff. hoc tit. ad l. ſi qui aduocatorum. ſup. de poſtul. ad l. ſumptus. ff. de pact.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 21.

In re mandata non pecuniæ ſolùm, cuius eſt certiſſimum mandati

iudicium, verùm etiam existimationis periculum est. Nam suæ quidem quisque rei moderator, atque arbiter non omnia negotia, sed pleraque ex proprio animo facit. Aliena verò negotia exacto officio geruntur: nec quicquam in eorum administratione neglectum, ac declinatum, culpa vacuum est.

Iunge l. si quid possessor. §. 1. ff. de pet. hær. & l. etiam. §. 1. ff. sol. matr. Duæ autem cùm sint legis istius partes, vna *cum in mandatis operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur*, quod dixit Tullius in ea pro S. Rab. congessi in hoc longè plurima ad l. Diligenter. ff. hoc tit. Altera, vt libera sit nobis in rebus propriis & administratio, & voluntas: seruamus Molinæi doctrinam ad cōsuet Paris. §. 52. glo. 2. vbi docet censuarium posse ad libitum probè, vel perperàm de re censuaria disponere, domino inuito, siue ædificando, siue demoliendo, siue implantando, siue in stagnum, aut contrà conuertendo, dummodò tamen formam soli non mutet in læsionem partis redituum campi consuetæ, ac debitæ. mera eius verba recenseo, quippe ἐυσιαστικὰ, reique de qua agit, substantiam mirè explicantia. Vide senatusconsulta ad Pandectas, tit. de vsufr. l. 16. Si cuius rei vsufr. §. si forte. Narrabo autem, ad inoffensam illam libertatem dominij quod ad Romani, Gallicique Iuris explicationem, summoperè faciat. Iure Romano, sic Imp. in l. vl. tin f. de Iure reip. lib. 11. tit. 29. *Si secundum legem ciuitatis, respublica, cuius meministi, ruina collapsis ædificijs tuis, distraxit aream: nihil contra tenorem huius legis (I. statuti) rector prouinciæ fieri patietur.* Totum id, nè qua esset vrbi deformitas, de qua in l. Præses. de off. Præs. sententiáque rescripti illius est, vt, promulgato in ciuitate, de qua supplicatum erat, statuto, quo iubebantur ruinosarum ædium domini eas instaurare, ac reficere, comminatione adiecta amissionis dominij, quisquis non ædificasset, areæ dominio excideret, eaque reip. fieret. Iure Gallico, ter istud, per bella impetu continuo sæuientia, Lutetiæ Parisiorum contigit, triáque proinde edicta lata sunt vt formæ semper suæ restituerentur princeps illa Gallicarum vrbium, sublatis ruinis, nouisque in locum cadauerosarum, suffectis domibus. Ferè enim ita constituit Philippus primus, Henrici primi filius, an. 1034. mense Nouemb. Ita Carolus 7. ann. 1441. quæ duo recenset Præses Magister, cap. 30. de bonorum publicationibus: Tandémque Henricus Magnus, ann. 1608. Cùm enim edixisset vt, intra sex menses ædificaretur passim in suburbiis, vbicúmque vacuæ essent areæ, aliàs liberum fore patronis feudalibus recipere iure feudali loca senta, ac inhospita, quæ vel redonaret ædificiis, vt olim, vel publicaret, auctioníque subiiceret sub conditione ædificandi: adorsus est confestim effectum edicti Abbas Victorianus in suo suburbio, litémque eo nomine aduersus plures proprietarios instituit, qui continuò liberè sese habere rerum suarum dominia, contenderunt, neque cogi posse vt, nisi cùm sibi commodum videretur, exstruerent: esse quippe quemlibet rei suæ moderatorem, & arbitrum, quod ait nostra lex, nihilque propterea, quod quereretur, superesse actori, dummodò octo denariorum censum, ac sexaginta assium canonem in annos singulos pro quaque ædium euersarum area, acciperet: nec aliam demum fuisse mentem Principis, cuius edicto proinde non aliena, sed benigna, ac humana expectabatur ex amplissimi ordinis decretis interpretatio. Tantus fauor libertatis qua vnusquisque res suas, in hanc, vel in illam speciem, administrare voluerit, vt eques Romanus obiicienti Augusto, quod patrimonium absumpsisset, meum, inquit, putaui. Ita Fabius lib. 6. cap. 3. non tam delectat libertas, quàm offendit seruitus, dixit alius apud Herodianum in Pertinace, lib. 2. vbi & hoc auctor de eodem, suis verbis, (Græca enim sunt) adiicit, nemo habendam gratiā putat quòd rebus suis vtatur, quippe id sibi deberi iure autumat. Cum hoc in partem perorata apud Propræfectum Paris. fuissent, cuius tamen aduersa proprietariis successerat sententia: infirmauit non modò Senatus, sed & Abbatem impendiis litis mulctauit, an 1608. die 12. Decembr. dicebant in causa Lud. Dolæus, qui posteà consistorianus Comes pro Abbate, & Ægid. Bry, pro proprietariis.

IMP. ANASTASIVS.

L. pen.

Per diuersas interpellationes ad nos factas comperimus quosdam alienis rebus fortunisque inhiantes, cessiones aliis competentium actionum in semetipsos exponi properare. &c. Nec enim dubium est, redemptores litium alienarum videri eos esse qui tales cessiones in se confici cupiunt: ita tamen vt si quis, datis pecuniis huiusmodi cesserit cessionem, vsque ad ipsam tantummodò solutarum pecuniarum quantitatem, & vsurarum eius actiones exercere permittatur, licèt instrumento cessionis venditionis nomen insertum sit: exceptis scilicet cessionibus quas inter cohæredes pro actionibus hæreditariis fieri contingit: & iis quascumque vel creditor, vel is qui res alienas possidet, pro debito, seu rerum apud se constitutarum muninime, ac tuitione accepit; nec non iis quas inter legatarios, seu fideicommissarios, quibus debita, vel actiones, seu res aliæ relictæ sunt, pro his fieri necesse sit. Sin autem per donationem cessio facta est, sciant omnes huiusmodi legi locum non esse. Iunge l. seq.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Ab Anastasio. Nulli licet partem debiti cedere, pecunijs acceptis, & venditione actionum habita, partem autem, donationis titulo, videri transferre: sed si voluerit debitum totum purè donare, & per donationem actiones transferre; non occultè nec per artes clandestinas, pecunias suscipere, publicè autem simulatam donationem celebrare, sed vndique puram, & non simulatam facere donationem, &c. Item, prohibentur suppositæ personæ, & figuratæ donationes.

Notanda & hæc: *cum ijs qui circa lites merantur.* (gl. Id est, qui omnia mala nouerunt: dixerimus nos Galli, *Pilliers de Palais.*

Nihil hodie duabus his cõstitutionibus vsitatius, quas pronuntiatũ est in purpuris an.1586. prid. Assumptionis Virginis, locum habere in hoc regno. cùm tamen ætate Rebuffi nondum admissæ à Iudicibus nostris fuissent, vt ipse testatur. Didicíque iamdiu hoc ipsum ab antiquioribus, consultissimísque patronis. Non autem obtinent aduersus eum cui iam competit Iuris quippiam in re controuersa. Emit enim ille iura cætera, non vt diuexet, sed vt natis iam litibus excrescendi causam præcîdat, paretque sibi deinceps quietem ab ijs quorum iuges in litibus futelas metuit. Ita quondã in deliberatione forensi, Lud. Buissonius, & Franc. Chauuelinus, celeberrimi. Iudicatum verò est an.1605. die 9. Mart. dominum feudi non modò posse cedere iura sua feudalia cui lubuerit, (quæ est vna de opinionibus Molinæi à senatu posthabitis) sed nec vassallum posse agere ex hac l. vt, eodem refuso pretio retrocedatur ei quod dominus feudi cesserit. Causam agebant Gallandius & Martellerius. In cæteris vix est vt, si lis sit sub Iudice, refundi emptori non possit verum, nec simulatum, ex

vtraque hac l. pretium, quod venditori pro re litigiosa numerauerit, quicquid distinguat Io. Faber, hîc, honestiores, litiúmque execrantes homines, à rixosis, & vitilitigatoribus, vt cessio actionis dicatur licita, vel illicita. Cæterùm de simulatis contractibus, de quibus etiam Iustinianeá hæc constitutio, dixi variis locis, ad l. sed etsi quid. §. 1. de vsufr. ad l. Sulpitius. de don. inter vir. & vx. ff. ad l. vn. de contr. Iud. sup. ad l. sicut. §. superuacuum. qui potior. ff.

TIT. XXXVI. SI SERVVS EXTERO SE EMI MANDAVERIT.

Impp. Diocl. et Maximian.

L. vn.

Ex fin.

Sanè in illius (sup. domini) arbitrio relictum est, vtrúmne mancipium, an pretium consequi velit: cùm ex peculio quod eius fuit, solutio celebrata, obligationis vinculo emptorem liberare non potuerit.

Vt factus hic titulus, subiectáque vetusà compositionibus Iustinianeis constitutio in seruos qui se malo more subducebāt dominis, ita & vsui hodie futura nobis est in censuarios qui de compacto rerum suarum ius primarium ac directùm, veris dominis auferunt, quasi nimirùm situm sit quod vendunt in censuali alterius, quem nominant, territorio, cui census proinde in annos pendi debeat. Latè hoc interpretatur ex vsu Molinæus, tit. de censu, & Iuribus dominicalibus, ac censuariis. Fundum eo casu commissum domino dicimus, si tam malè, temeréque sese emptor gesserit, vt diffiteri audeat antiquum, verúmque census dominum. Alibi profero centumuiralia in hoc iudicia. Vtitur & argumento eiusdem constitutionis Baldus ad obseruandam semper conditionem eius qui cum negotium geritur, & an qui contrahit contrahere, obligaríque valeat: quæ etiam Vlpiani regula est in l. qui cum alio contrahit. de reg. Iur. putà si minor, filiúsque famil. si mulier nupta, si monachus, si procurator, si institor. & similes. Ita nempe semper aliquid locis Iuris vel aridis, penéque desertis elicio quod ad fori frequentiora negotia conferat. Gratiam inibo fortassis ab optimis lucubrationum nostrarum arbitris, qui scilicèt non ignorātiâ, vt plurimi, solóve supercilio, & fastu, sed vera, puráque scholæ, ac fori scientia percensuerint. scribo bonis semper pignoribus & interpretum, quos semper anteà consulo, & omnium denique quorum sit de responsis Iurisconsultorum, Imperatorúmque rescriptis, vsúque tandem Gallico, ferre iudicium. Bene eis sit qui me nepotari liberalitates meas dixerint.

TIT. XXXVII. PRO SOCIO.

Impp. Dioclet. et Maximian.

L. 1.

Societatem vno pecuniam conferente, alio operam, magis obtinuit.

Illustraui abundè satis ad l. 4. ff. hoc tit.

IIDEM. AA.

L. 3.

Cùm in societatibus contractis fides exuberet, conueniatque æquitatis rationibus, etiam compendia æqualiter inter socios diuidi: Præses prouinciæ, si patrem tuum salinarum societatem participasse, & non recepta communis compendij portione, rebus humanis exemptum esse perspexerit; commodum societatis, quod deberi, iuxta fidem verè constiterit, restitui tibi præcipiet.

Duo ex hoc textu: Primum est de commodis societatis quæ transeunt ad hæredes: nemo inficias ierit. Vulgata enim decisio legis, si pactum. de probatio. ff. vt scilicèt pactiones nostræ prodesse hæredi semper debeant, nisi, vt nè egrediantur paciscentis personam, nominatim, verbisque conceptis, cautum fuerit. latissimè istud ad d. l. si pactum. persequor: atque inter cętera quid complectantur verba hęc apud nos: *pour luy, les siens, & de son estoc, & ligne.* Dicam, auctarij vice, quasique in transitu, quia iam alibi non semel disserui, quod ambagiosam satis quæstionem præeidat. Si enim bona quædam, tabulis connubialibus, donauerit aliquis sponso, & suis: nihilque prætereà complectatur clausula, donatarij hæredes frustrà sese eo casu substitutos dictum sunt: frustráque agent reuocatoria, si quid donatarius alienauerit, quasi sint substituti. Tantum enim quod in hæreditate supererit, defuncto donatario, consequentur. Vide Ferterij, Patroni Tolos. consultissimi, obseruationem ad q. 230. vidi Papij. Altera pars legis, quæ de salinis est, cùm tractata nondum à me fuerit, attigi enim duntaxat ad. l. 3. ff. de institoria, mereri videtur nonnullam, eamque altiorem, ex priscis, patrijsque legibus, indaginem. Salem diuinum, ἅλα θεῖον, dixit Homerus, ἰλ. ι. id est, manu ceu diuina fictum, porrectumque mortalibus, vt sine quo, quasi quinto velut elemento, viuere non possint, explicat scholiastes. Hinc in commercio haberi: aut vlla salem tributi necessitate incestari, putarunt grande nefas veteres. *Eluuiem maris, arescente vnda*, vocauit eleganter Tacitus lib. 13. in fi. Sed quod insidias eruditis auribus fecerit, ecce Rutilij Claudij Numatiani, Galli, viri consularis, præfectorij vrbis, tribuni militum, præfectique tandem prætorio, carmen, ex lib. 1. Itinerarij.

Subiectas villæ vacat aspectare salinas;
Namque hoc censetur nomine salsa palus,
Qua mare terrenis decliue canalibus intrat,
Multifidosque lacus paruula fossa rigat.
Ast vbi flagrantes admouit Sirius ignes,
Cùm pallent herbæ, cùm sitit omnis ager:
Tum cataractarum claustris excluditur æquor,
Vt fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem natiua coagula phœbum,
Et grauis æstiuo crusta calore coit:
Haud aliter quàm cùm glacie riget horridus Ister,
Grandiaque astricto flumine plaustra vehit.
Rimetur solitus naturæ expendere causas,
Inque pari dispar fomite quærat opus.
Iuncta fluenta gelu, conspecto sole, liquescunt,
Et rursus liquidæ sole gelantur aquæ.

Duo hi extremi versus miram solis in eo diuinitatem arguunt, efficientis videlicèt contrarijs ardoris, geluque iaculis necessarium illud vitæ, ad humana alimenta, subsidium, quod propterea & vitale dixit Manilius in alia, nec tam florida, salis descriptione, lib. 5. Astronom. Ridendæ equidem optimatum veterum deliciæ, quo-

rum mensis olim sal inferri soleret, non merus, & qualem natura edit, verùm aliquo artificio mangonizatus: (quod ita Casaubonus) ἀλασήδυμένον, id est suaue factum, reperies apud Athenæum lib. 9. cap. 1. vbi & miraculum adijcit de sale Tragaseo, qui euanuit statim atque tributum à Lysimacho impositum est, posteáque iterum creuit, ob immunitatem, que sublata fuerat, redditam. Passim verò & perçquè apud omnes gentes, penéque dixerim, à Liuio illo qui Salinator ex Romanis annalibus, dictus, vectigal fere semper ex salaria annona constitutum est. quinimò *& iuuandos mancipes salinarum* (conductores vulgò vocamus) *vt qui splendori, atque vsui patriæ communis inferant*, scripsit Symmachus lib. 9. epist. 96. priuatis quidem iure ciuili salinas (quod & hodie in Gallia) habere licuit, sic enim in l. magis puto. in pr. de reb. eorum. in l. aut dammum. §. 8. de pœnis, l. forma censuali. §. salinæ. de censib. l. 32. Generali. §. vxori. de vsufr. leg. ff. *Qui salinas habent, publicanorum loco sunt*, ait lex, sed & hi. in pr. de publicanis. optimè noster Molineus, ad quæst. 29. Ioannes Galli: *Veteres reges sinebant Gabellam salis æquè liberam, ac pluuiam*. Iure tamen & ipso Romano 4. vectigalia salis non modò inuecta fuisse, fiscalisque patrimonij partem fecisse, docet manifestissimè lex 11. inf. de vectigal. vbi Arcadius & Honorius, in hęc verba: *si quis sine persona mancipum, id est salinarum conductorum, sales emerit, vendereúe tentauerit, siue propria audacia, siue nostro munitus oraculo: sales ipsi vnà cum eorum pretio mancipibus addicantur*. Sic Impp. Indeque proculdubio societates salinarum, de quibus in hac l. & in liber homo §. 1. l. ff. de hęred. instit. vocamus nos Galli, *Fermiers, & associez en la ferme du grand party du sel*. De quorũ fideiussoribus necessarijs, ipsorumque etiam fideiussorum salarijs licitis, dixi, sup. ad tit. mand. putauit Molineus ad Io. Galli, q. 360. primum esse Carolum 5. qui vectigal, seu, gabellam salis imperauerit. Sed aliud ex accurato, ac necessario, de Gabellis Francicis, libello nuper comperi, qui ab experientissimo, in subsidiorum curia, fisci patrono, Car. Liliæo, editus est. primus enim nouæ istius *seruitutis* auctor est Philippus Longus, an. 1318. & cùm paulatim, sensimque irrepsisset in partes Gallię plurimas, inter cætera pacis Bretinianæ capita, apud Carnutes, conuentum est, vt eiuscemodi tributo liberi essent Pictones, Santones, Ecolismenses, aliæque nonullę regni prouinciæ quæ propterea vt in hunc diem appellantur, *Les pays de Franc-sallé*, ita, necquicquam hodie ab ipsis eo nomine penditur. Immensum ferè quàm excreuerit annuus ille regalis reditus. Esse enim quatuor millionum, nongentorumque insuper, ac septuaginta librarum millium, supputat libellus quem dixi suprà. Attigit ex Iure Romano Cuiacius, nonnullisque auctoribus classicis, quod ad salinas, salinarumque vectigalia faceret, lib. 3. cap. 31. obseruationum. suppleo autem hìc ex eodem iure Romano, nostroque præsertim iure Gallico, quod ad hanc l. 3. & ad l. siquis. inf. de vectigal. de salariæ illius annonę progressu, deque mancipum salinarum societatibus, scitu dignissimum. Cæterum miror destitutam esse ab omnibus interpretibus, cùm interpretationam sola ferè cæterarum mereatur.

Imp. Ivstinianvs.

L. vlt.

Sancimus, veterum dubitatione semota, licentiam habere furiosi curatorem dissoluere, si maluerit, societatem furiosi, & socijs licere ei renuntiare: & quemadmodum in omnibus contractibus alijs legitimam auctoritatem ei dedimus, ita & in hac parte eum permittimus competenter commodis furiosi prouidere.

Paucis Baldus: Qui habet auctoritatem legitimam in contractu, habet etiam in distractu. seruamus tamen vt, quemadmodum in minore, nihil agat, promoueatque eiusmodi curator, vbi de aliemando, renuntiandoque iuri, quod iam quesitum sit, agitur, nisi causa cognita, accitisque priùs furiosi consanguineis, & adito, ac sta-

tuente Iudice. Si secus faxit, nihil agit, culpáque illa tandem aut dolus ab ipso, in reddendis rationibus, luitur. notandæ in hoc leges, 1. & 2. inf. de curat. fur. l. non omni titulo. & l. lex quæ tutores. §. vlt. de admin. tut. Sola denique administratio fructuum, rerúmque non magni momenti alienatio eius arbitrio permissa est. d. l. lex quæ. d. §. vlt.

TIT. XXXVIII. DE CONTRAHENDA EMPTIONE ET VENDITIONE.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Si donationis causa venditionis simulatus contractus est, emptio sui deficit substantia. Sanè si in possessione rei, sub specie venditionis, causa donationis vt te aleret, induxisti; sicut perfecta donatio facilè rescindi non potest, ita legi, quam tuis rebus donans, dixisti, parere conuenit.

Componendæ leges plurimæ, l. si quis donationis. ff. hoc tit. l. 5. si sponsus. §. 4. l. sulpitius. de donat. inter vir. & vx. l. sicut. §. superuacuum. quib. mod. pignus. l. 9. sed & Iullianus, ad macedon. ff. agunt enim omnes hæ de simulatis contractibus. De donatione autem facta sub conditione alendi donatoris de qua etiam in textu, componenda necessariò lex. 1. inf. de donationib. quæ sub modo. Agitatæ, decisæq; non semel eiuscemodi causæ in publicis auditorij maioris disceptationibus, at verò & in classibus inquisitionum: Nulla autem (quod à quadraginta annis audierim) incidit, qua donator rescindi donationem à se factam peteret quia donatarij conditionibus datis non parérent, alimentáque forsan, aut aliud, de quo pactum fuisset, non præstarent. Quod mirum, cùm, vt queritur de suis consultissimus ipse Molinæus in commentario ad l. si vnquam. inf. de reuoc. donation. despici, tandémque quasi insuperhaberi soleat donator ab iis quibus bona sua omnia sub sola alimentorum lege reliquerit. nec proinde consulit Regum prudentissimus vt quis vnquã, nè quidẽ apud liberos, abdicet se ab iis quę sua sint, futurus posteà penè iugo seruili obnoxius, iurísq; alieni, excipiens scilicet manu aliena quod per se anteà, suóq; tãtũ ex animo, modò in hanc, modóq; in illam partem tribueret. tractatum à me est alibi fuso satis scholio, & quàm ægrè semper tulerint qui sese tandẽ dominio, imperióque, quo priùs fruebãtur, exuerint. Narrant de Carolo, 5. Imperatore, déque latè famata illo Baiazeto, quod attigisse hîc in hoc ipsum sufficiat. Noui ipse suomæ dignitatis virũ, qui quandiu, deposita primæ suæ purpuræ dignitate, vixit, tabe conficiebatur indies, dolebátque impensissimè quòd priuatus domi, tametsi orbatus vtroque lumine, viueret. Hactenus igitur de bonorum omnium, vt ab aliis alantur, donatoribus. Sciendum verò est donatarium, nè quidem donationes istas posse eierare, ac dimittere, annonísque proinde donatori erogandis liberari, etiamsi bona illius omnia, vel bello, vel casu alio quocumque fortuito, perierint. Ita Ioan. Faber, ex doctrina Interpretum, ad l. 1. inf. de Iu. Emphyt. Imò & summoti sunt Iosephi Carlotij, viri Audensis, liberi impetrato ab iis aduersus donationem rescripto, qua, vt ipsi quotãnis quadringentos aureos, alimentorum nomine, penderent, bonis suis omnibus cesserat: atque id licèt quererentur celatam ab eo tantam æris alieni molem, vt nec suffectura viderentur bona creditoribus. perorabant Aug. Gallandius, & p. *le tay*. an. 1598. die 17. Febr. Depulsos præterea etiam donatoris hæredes Cænomanos, quicquid ex lege prouinciali agerent interdicente vniuersi patrimonij donationem, tradit ex alio etiam auditorij maioris iudicio, an. 1581. die 5. Ianuar. Anneus Robertus, lib. 4. rer. Iudicat. cap. 2. Quod & idem Loëtianus Libellus, lit. D. num. 22. ex quinta inquisitionum decuria, aduersus

ciuilis donatoris hæredes, qui irritam similem donationem contendebant, quòd insinuatio deesset, quódque, vetante omni iure Romano, & Gallico, bonorum omnium, nec parte quidem leuissima excepta, facta fuisset, pronuntiatum est an. 1587. die 8. April. optimum in hoc consilium scripsit Baldus lib. 3. consil. 250.

IIDEM. AA.

L. 5.

Cùm ipse tutor nihil ex bonis pupilli quæ distrahi possunt, comparare palàm, & bona fide, prohibetur; multò magis uxor eius hoc facere potest.

Glossa, in verb. comparare. negat tutorem posse emere pupilli immobilia: sed sola mobilia. Seruamus autem contrarium, vulgatissimáque in id lex, non existimo. de administr. tutor. cui & iunge l. 5. §. sane. ff. de auctor. tutorum. Satis enim si palam, publicáque auctione hoc fecerit, quoniam, ait Molinæus consil. 20. vbi & hanc l. allegat; quod palam factum est, præsumitur bona fide, licitéq; factum, quamuis à persona prohibita factum sit. Iudicauit hoc ipsum non ita diu senatus an. 1610. die 12. Ianuar. dicentibus Arragonio, & Alemano, in catalogo causarum Ambianensium. Perfidia tamen tutorum sæpissimè ea est, vt & in eo, per huius publicæ emptionis speciem, pupillare patrimonium sibi vili pretio auferant, vt vidi agitatum non semel inter primæ famæ patronos, vtrùm è re minorum sit, admitti ad eiuscemodi emptiones tutorem qui idonea legens tempora, perque artes tacitas, euadat sensim rerum pupillarium iniquus dominus. Verè equidem Celsus ille adolescens, cùm dixit plærúmque sub auctoritate Iurisprudentiæ perniciosè errari. Cogitabunt forsan qui mea hæc olim lecturi sunt, nùm infrunitum esse oporteat quod per occasionem loci, hîc illino.

IIDEM. AA.

L. 7.

Si ancillam exemptione sibi quæsitam, mater tua donatione à secundo maritò posteà simulauit se accepisse: tituli falsi figmentum donationis dominium ei duplicare, vel auferre non potuit.

Dixi variis locis, quæ, ad l. 3. sup. eod. enumero in partem, quibus notis, ac signis retegi soleat ac debeat contractuum simulatorum calliditas. Vno verbo hîc Baldus, figmentum non præstat veritati impedimentum. Cùm autem pelluceat facilè mendacium, si propiùs aduerteris, quod ait Seneca, memini & in hoc quampræclarè Plato comparet sophistas suæ ætatis statuis ligneis quæ auro, argentóve, aut alio quouis figmento ita infici, conuelari, interpolaríque solerent, vt extrinsecus quasi aurum, argentúmve solidum videretur, atque illud solum denique quod pictori, qui finxerat, lubuisset. Tamen, at ille, qui vel summo vngue fucum contigerit, introspiciet nulla operâ, subesse nihil aliud quàm lignum vilissimum. Platonicum hoc quis non iure optimo de figmentis istis contractuum dixerit? Primo enim vultu occurrit mera venditionis species, in d. l. 3. & tamen si penitiùs inspiciatur quod latet, fallit visum forma extera quam induerit tabellio, non enim venditio, sed vera donatio est. Sic & in nostro hoc textu fucatur donatio titulo emptionis. Sic verò, quod frequentissimum est, inducuntur contractus emptionum fallaci permutationis tectorio, vt fraudentur seu consanguinei redhibitione gentilitia, seu etiam patroni feudales iure dominico. Eæ sunt personatæ species quas vel numeratio pecuniæ, vel possessio, vicinitasue contractuum, domesticæque etiam interdum cautiones, facilè

eduntnihilhominus in publicũ, si vigilantior paulò adhibeatur ab industrijs opera.

Idem AA.

L. 11.

Inuitum comparare, vel distrahere postulantis desiderium iustam causam non continet.

Titulus 7. libri 3. sup. vt nemo inuitus agere, vel accusare cogatur: pertinet, vt constat plus satis, ad actiones, & accusationes, quas pro causis, & personis institui interdum ab inuito necesse est. dixi ad eam partem quatenus mihi è re, citráque scholij longioris tædium, visum est. Iam verò de emptione, aut venditione: vtrum, & quibus casibus ab inuitis fieri debeat, sic disquiro, vt primùm occurrat ex aduerso naturalis illa æquitas legis, in re mandata. sup. mand. quę neminem in rebus nostris admittit arbitrum, nisi in quantum placeat. In quo nec prætermittam quod apud d. Dionysium, (quem malè vel literati quidam Areopagitam nuncupant, vt clarissimè ostendo ad lib. 1. cod.) libro de Diuinis nominibus, cap. 12. Docet enim Diuinus ille auctor κύριον. (I. dominum) dici παρὰ τὸ κῦρος. quia, & ratum sit, & esse debeat quod vult dominus. *In venditionibus non contristabis proximum tuum*, cap. 25. Leuit. vers. 14. fallit tamen id vbi de publico, vel religione agitur, aut etiam quia commune mihi sit quippiam cum aliquo quod separatim possideri, per naturam loci, non valeat: de quo notaui sat multa ad l. ad officium. sup. communi diuid. miror morem interpretum, qui in se libri huius quarti interpretationem receperint: sunt duodecim, & amplius; percurro quid scripserint, antequàm exarerurã me quippiam: video autem inane mihi esse sæpius, euoluisse tot rudes paginas, vnumque hoc superesse quod ex me solo moliar. Si quid vnquam alibi, at maximè ad hoc rescriptum, seu thesim potius. desertus enim ager vsque adeò vt præteritus sit omninò, vel, leui vt planta, citráque moram, transinissus. Res clara est, ait Paulus Castrensis. Explicui igitur accurato satis studio ad l. 12. si quis sepulchrum. ff. de religios. vrgebat enim locus. sed quia & ex prima illa mea commentatione, noua quædam insuper didici vnde adiuuetur tantò & magis regulæ istius interpretatio, addam primùm ex cap. 1. ext. de reb. permutatio. Principem posse rem Ecclesiæ immobilem comparare etiam ab inuitis, ex causa permutationis, data re meliori, vel æquali. pluraque in hoc reperies apud Boërium decisio. 322. Molin. ad consuetud. Paris. §. 16. num. 98. fornerium, Aurelian. lib. t. cap. 9. selectionum. Tiraquell. tract. de pœnis temperand. in præfatio. num. 35. ferronum, ad consuetud. Burdigal. tit. de feudo. §. 10. Speculatorem, ad rubricam tituli de executione sententiæ: & Albericum tam ad l. 3. de precib. Imperato. offer. quam ad l. vlt. si contra Ius, vel vtilit. publ. sup Ol dradum, consil. 161. verùm vt ex auditorijs nostris, quippe ex agro multùm semper fertili, proferam quod & in hoc ipsum valde faciat; narrabo speciem ex veris quæ in maiori auditorio, me audiente, agitata, iudicioque extemporali decisa est. Proprietarius quidam spatiosarũ ædium præfractè semper obstiterat aduersus Victriacenses, (qui ad Matronam fluuium) vt nè eas vendere cogeretur etiam ex causa religionis, atque ad instituendum in ipsis *Minimorum* fratrum cœnobium. Duodecim verò librarum millia accipere, in pretium, damnatus est, partem videlicet quæ iam obsignata erat, & partem anno insequenti. ostensum enim est non modò quantoperè oppidi illius interesset, vt in quo vna sit duntaxat paræciana Ecclesia: at verò & proprietarium procul inde constituisse fortunarum sedem cum vxore, & liberis: itaut ceu gratuitò oppidanis illis officeret: præferendum denique semper id in quo antistaret religionis causa, publicáue vtilitas, argum. d. l. si sepulchrum. & legis, sunt personæ, de religios. ff. maximéque si de eo Princeps rescripserit, vt præstitum in ea causa fuerat: quo & sensu accipiendæ sunt, lex, si quando. inf. de oper. publ. lex, lucius, ff. de euiction. & lex, Item si verberatum. ff. de rei vendic. perorabant Heraldus, Cornualius, Iunior, & pet. Manguinius. an. 1616. die 3. Maij. Sic verò & ad

nobilitatis Francicæ equestres exercitationes, stadiúmque, seu hippodromum, (vocant *Manege*) alienare damnatus est vicinus auitas ædes, applicitamque eis aream, postulante Benjaminio, Hippodromi Præside. perorabant Mauguinius, & Martellerius. Narrátque Loetius, ad lit. A. num. 6. obtinuisse hoc ipsum æditùos d. Martini de Lestrée, in Sandionysiano oppido, (cui nomen olim, Catulliacus) aduersus horti inuitum dominum, vt ampliaretur sacra cæmeterij area. plura similia.

IMPP. VALENTINIAN. THEODOS. ET ARCAD.

L. 14.

Dudum proximis, consortibúsque concessum erat vt extraneos ab emptione remouerent, neque homines suo arbitratu vendenda distraherent. Sed quia grauis hæc videtur iniuria, quæ inani honestatis colore velatur, vt homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti: superiore lege cassata, vnusquisque suo arbitratu vel probare possit emptorem: nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit.

Textus quotidianus in actione redhibitionis gentilitiæ, seu, *retractus, iure sanguinis*, vt ei neutiquam faueatur, nisi in quantum ferant præscriptæ à legibus patrijs formulæ. Dabo autem Ius Romanum id est, quid de eo senserint prisci, recentioresque Iuris interpretes. Posteà delineabo vsitatiores quasdam Iuris Francici regulas, & in quibus maximè ferri Senatusconsulta à quadraginta annis viderim. Quæstiones enim longiores vtilissimis, acceptissimisque Tiraquelli commentationibus meritò relinquendæ sunt.

Primùm igitur abrogant hîc proculdubio Imperatores ignotam hactenus nobis legem, quæ retractus lineares inuexerat, sanciuntque nè propinqui, & socij venditoris præferantur deinceps extraneis emptoribus. Et cùm putet Cuiacius ad tit. 55. *non licere habitatoribus metrocomiæ loca sua ad extraneum transferre. lib.* 11. Tribonianum verba hæc adiecisse, *nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit*: vt quæ non sint in Codice Theodosiano: Romanus tandem Lacapenus, nouella, *περὶ ἐκποιήσεως κτημάτων*, seu de alienatione possessionum, constituit vt, iure *προτιμήσεως*, vocentur in emptionem primùm cognati consortes, veluti fratres qui paterna prædia indiuisa possident: tùm socij quilibet quos ad societatem coniunxit voluntas: deinde extranei, quos ad societatem coniunxit fortuna; pòst qui eidem domino canonem pensitant: ad extremum, confines. Cæterum de conuicanis solis intelligenda d. lex, vn. vt docet idem Cuiacius, nec verò producenda ad metæcos, seu Albinos, regnique nostri extraneos, (dicimus, *Aulbains*) vt scripsit non satis peritè Bacquetius, cap. 2. 27. & 37. tractatu, de iure metœciæ, seu Albinatus. Nihil planè Bartolus, & alij, præter Baldum, Paulum. Castr. & Salic. qui de solis statutis Italiæ, vt quibus nec derogatum velint Imperatores in hæc verba: *nisi lex specialiter quasdam personas, &c.* Apud nos autem testatur Molinæus ad l. fœminæ. de reg. Iur. frequentem adeò, ante annos trecentos, fuisse legis istius vsum vbique ditionum Imperij Gallici, quod & Faber scripsit, vt alienare non liceret bona gentilitia sine consensu proximiorum alienantis, seu alienaret fœmina, seu masculus. Posteà hoc ipsum Chopinus lib. 3. tit. 23. de domanio, & alijs locis. Níque intercæpissent bella ciuilia an. 1589. Magnus ille Brissonius, futurus quasi alter Tribonianus apud Herricum. 3. redegerat in codicem Herricianum (de quo alibi dixi ad lib. 1. cod. constitutio. 2.) caput speciale, tit. de retractu, quo admitteretur deinceps ex edicto redhibitio gētilitia per vniuersam Galliam. In quo, & alijs plurimis noui illius Codicis locis, vt euertebat ille mores hinc illinc antiquissimos, atq; adeò in Romana Gallia (patriam Iuris scripti aliàs dicimus) in qua seruatur vnicè lex hæc, dudum: nisi in retractu feudali, ob originem feudorum, verè Francicam, vt docet Ferrerius, ad vid. pap. q. 508. ita & reiectum fuisse tanti viri laborem ab omnibus regni supremis tribunalibus, didici sæpius inter sermones à clariss. dom. Harlæo, Senatus nostri

Principe, & à dom. Forgetio, etiam infulato Præside. nominatim verò confirmata est à senatu, an. 1609. mens. Augusto, in Romana, quam dixi, Gallia.

Superest nunc vt tradam quæ ex Senatusconsultis.

Primùm, dici dies noctu, id est post solis occasum, à viatore, ex causa retractus gentilitij, non potest, quicquid Chassaneus, & alij quidam scripserint. Ita enim senatus. vide ad l. non minorem: sup. de transactionib. vbi latè interpretor.

Deinde mouenda hæc actio est apud iudicem domicilij, non rei, cuius causa agitur. quia in rem scripta est, non mixta. Ita senatus, an. 1606. 10. April. Petræo, seniore, & Tubæo, dicentibus. Litigatorum alter vocabatur, *Comes virtutum*. Iudicatúmque id contra sententiam Io. Fabri, ad l. 1. de summa trinit. Tiraquelli, ac ipsius Molinæi.

Tertiò, quisquis agit redhibitione gentilitia, paratas semper habere debet pecunias quas emptori numeret statim atque iudex ita statuerit, aut certè intra octiduum. Ita sen. an 1598. die 10. Februar. contra Francisc. Sauuage, qui cùm actionem, eo nomine, apud Iuridicum Ambaquiensem instituisset, &, causa ad recuperatores Basilicanos remissa ex priuilegio emptoris, damnatus esset refundere emptori, intra octo dies, pretium, vt emptor ipse postulauerat: frustrà appellauit Saluagius à breuiori dilatione, distante nimirùm Lutetia septuaginta leucis Francicis ab Ambaquio: confirmata enim sententia est. dicebam in causa aduersus Nauarrotum. Summo equidem iure istud, sed in odium actionis, sensitque hoc ipsum Molinæus ad consuet. Cænom. art. 390. rursusque ad consuet. Arthesiam.

Quartò, competit hæc actio filio ratione fundi etiam qui ante eius conceptionem vænierit. habetur enim ratio non personæ, sed familiæ. vide ad l. qui in vtero. de sta. hom. vbi hoc latè explico.

Quintò, senatus Paris. apparitores obseruare debent in suis denuntiationibus consuetudinem, in quo actio instituta sit, licet in ordinanda lite sit secus. vide etiam ad l. 1. de in ius voc.

Sextò, retractus linearis computandus non est inter acquæstus, feudalis autem secus. vide ad l. si vnus. §. quod in specie. ff. de pact.

Septimò, vt agatur speciali procuratione opus est. ad l. 2. ff. de procurator.

Octauò, annus currit contrà absentes, & ignorantes; qui casus ille vnicus. ad l. Annus. ff. de calumniatorib. Nonò, tempus currit de momento ad momentum, nisi in minore qui maior factus ratum habet quod vendidit ante ætatē legitimam. Tunc enim annus à die tantùm ratihabitionis computandus est, vt in gratiosis contractibus, à die quo gratia redimendi, seu retrahendi, desierit. ad l. 3. §. minorem. ff. de minorib.

Decimò, stylus seruandus iurisdictionis in qua lis est, non à qua lis translata est. ad l. Et tertium. ff. de iudic.

Vndecimò, diuidi non potest, parte nimirùm redempta, altera verò non, nisi tamen concurrant, vno, eodémque die, duo redemptores æquè proximi. Tunc enim admittetur vterque in dimidiam. ad l. Tutor vrgentibus. §. 1. ff. de minorib. & ad l. cùm eiusdem ff. de æd. ed. Id verò si vno pretio venditares fuerit, sique emptor postulet. quod & idem in feudali iudicatum à senatu Tolosano refert Ferrerius, experientiss. patronus ad vid. Pap. q. 411.

Duodecimò, tempus quadraginta dierum currit in feudali retractu, pendente lite inter contendentes de patronatu, vt docent vid. Papius q. 157. & Molinæus, §. 41. num. 70. consuet. Paris. quod & idem iudicatum fuisse in lineari, si ad aliam quæstionem rei quæ possit redimi, iure sanguinis, litigauerit anno amplius, qui postea, lite illa decisa, actionem eo nomine instituat. tradit Marionius, fisci patronus, in edito in lucem litis Castrobriantianæ inuentario, quod pro eximio fori commentario esse debeat.

Decimotertiò, qui cessit linearis retractus actionem extraneo, non potest amplius regredi, ex eo quod inutilis cessio fuerit: ad l. per fundum. ff. de seruit. rustic. præd.

Decimoquartò, si duo consanguinei vnà, & simul agant, mutuo concursu sese impediunt, omníque actione gentilitia excidunt, nisi intra annum deponatur apud acta

acta integrum rei venditæ pretium, Ita senatus an. 1568. die 14. Augusti, quod integrum iudicium reperies in barn. Vesti, patroni sua ætate, accurati, catalectis rerum iudicatarum.

Decimo quintò, si consanguineus rem quam iure sanguinis emptori abstulit, eam ipsam post annum extraneo reuendat, (verbum est Vlpiani) potest emptor intra annum, à die reuenditionis, repetere, argum. artic. 50. consuetud. Senonum, ex quo proinde petenda interpretatio Cænomanæ consuetud. art. 408. Trado autem istud pro axiomate, quia & ita sentire video primæ famæ patronos.

Decimosextò, si domus empta combusta sit intra annum retractus, consanguineus qui sese offert vt redimat, refundere debet non solius areæ æstimationem, sed vniuersum emptionis pretium, ex sententia Ferroni, ad consuet. Burdigal. & aliorum plurium, contra quàm senserit Tiraquellus, vide ad l. domum. de contr. empt.

Decimo septimò, durat hæc actio vsque ad 30. annos nisi emptor à domino feudali possessionem ciuilem acceperit, vel, vt nos Galli loquimur, *s'il ne se fait ensaisiner par le seigneur de fief*. vide ad l. 6. Ciuitas Rhodiorum. de offic. rectoris prouinc.

Decimooctauò, admittitur aduersus fiscum in iis quæ ex contractu ad ipsum transeunt; secus si per crimen: quod latiùs explicant Boërius, q. 179. & Molinæus ad consuetud. Paris. §. 13. glo. 4. num. 3. ac parte 7. arestorum Paris num. 80. Attigi paucis ad l. quod principi. ff. de constitutio. Princip.

Decimo nonò, quisquis agit hac actione, renuntiare redhibitioni non potest, simul atque emptor accepto tali redhibitionem, professúsque est paratum se accipere pretium, quod in causam rei à se emptæ numerauerit: fusiùs hoc ad l. postquam liti. sup. de pact.

Vicesimò, si res obuenerit fratri ex successione fratris qui priùs emerat, posteáque frater iste, vt hæres, illam ipsam distrahat, soror eius, vel frater, si quem habet, non potest, eo nomine, vt redimat, aduersus emptorem agere, quoniam à latere, nec verò à summa parentum linea, res accesserit: profert in hanc quæstionem celebre Arestum Pythæus ad consuetud. Tricass. artic VIIXXIIII.

In cæteris vulgata prætermitto: veluti, consanguineum indistinctè semper præferri patrono feudali, nec enim id sola consuetudo Paris. art. 159. sed passim ita seruatur. Item, Retractum linearem cedi extraneo non posse: de quo Molin. ad consuet. Marchiens. art. 122. & Iulliodunensem, art. 20. Attingo enim quasi per indicem quæ incidunt sæpius, cùm longè aliæ, minúsque frequentes quæstiones à Tiraquello, Chassaneo, Ferrono, Argentræo, & aliis qui de his ex professo scripserunt, petendæ sint.

IVSTINIANVS.

L. vlt.

Vna est proculdubio ex quinquaginta Iustiniani decisionibus, cuius solam hanc partem exscribo.

Si quis ita rem comparauerit, vt vendita esset quanti Titius æstimauerit, &c. sancimus omnimodò secundum eius æstimationem, & pretia persolui, & venditionem ad effectum peruenire, siue in scriptis, siue sine scriptis cõtractus celebretur. Sin autem vel ipse noluerit, vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo esse venditionem quasi nullo pretio statuto, &c. quod etiam in huiusmodi locatione locum habere censemus.

Vide omninò ad l. societatem. & tres sequentes. ff. pro socio. Ibi enim congestæ sunt leges omnes, istáque inter cæteras, quæ de boni viri arbitrio, ff. & Cod. Cæterùm indecisam reliquit Paulus Castrensis quęstionem, quam solus hîc, in extremo fine, attigit: vtrùm scilicet Tertius, in cuius arbitrium testator aliquid contulerit, com-

pelli possit vt sensa animi exprimat seu apud hæredes, seu apud quosuis alios, quorum intersit: ait quidem glossam ad l. 1. de leg. 2. ambigere, sed ita vt tacitè illa annuat sibi non videri vt vlla sit aduersus nominatum à testatore arbitrum necessitas. tamen nec audet ipse vestigia figere, remittitque ad cæteros interpretes. Puto ego partes in eo esse Iudicis, vt pro causis, & personis adigat, vel non, eiuscemodi arbitrum, vt testatoris voluntati pareat, dicátque rei hæreditariæ, de qua rogatus sit, qualecunque lubuerit, pretium: aut saltem enuntiet, cur non possit. Eò fecerit singularis textus in l. Quintus. de annuis leg. ff. præter vulg. l. Theopompus. de do. præl. latè de his arbitriis Bart. ad l. si quis arbitratu. de verb. oblig. nec prætermittendum arbitror quod hîc docet Faber, posse nimirùm admitti arbitrium boni viri vsque ad 30. annos.

TIT. XXXIX. DE HÆREDITATE, VEL ACTIONE VENDITA.

IMPP. ANTONINVS.

L. 2.

Ratio Iuris postulat vt hæres creditoribus hæreditarijs, & legatarijs eum conuenire volentibus respondeat; & cum eo cui hæreditatem vanundedit, experiatur suo ordine. quamuis enim eâ lege emerit vt creditoribus hæreditariis satisfaciat: excipere tamen actiones hæreditarias inuitus cogi non potest. (gl. à creditoribus.

Iunge omninò l. debitorum pactionibus. sup. de pact. & quæ ad eam notaui. tota enim hæc lex in hoc, vt venditor hæreditatis teneri non desinat creditoribus hæreditariis, quæcumque inter eum, & alium quemlibet, de luendis hęreditariis debitis pactio intercesserit. possunt enim creditores eo casu conuenire actione semper personali hęredem; alterum verò qui hęreditatem emerit, actione hypothecaria, quippe possessorem: & eo iure vtimur.

IMP. ALEXANDER.

L. 4.

Qui nondum certus de quantitate hæreditatis, persuadente emptore quasi exiguam quantitatem, eam vendidit: bonæ fidei iudicio conueniri vt res tradat, vel actiones mandet, non compellitur: nam suo quoque iure eorum persecutionem habet.

Vulgata hęc ad hęredes vendentes hęrêditatem delatam, dolo emptoris. vide in hoc notandam hypothesin in l. vlt. ff. de constit. pecun. Sic Bacquetius, nec prætermissa eadem hac l. 4. scribit, cap. 15. num. 34. de Iustitia & iure, non modò hęredem beneficiarium, sed & simplicem, posse aduersus aditionem hęreditatis restitui, si per dolum, ac fallaciam, quasique, vt errans nauta deceptus noctu fallaci ostenso lumine à piscatoribus, de quibus Vlp. in l. 10. ff. de incendio, ruina, & naufr. hęreditatem vendiderit, ostenso ei forsan insidioso exiguæ quantitatis inuentario, falsisque, quasi de re nihili, locationum instrumentis. Tritissima in foro ea via est, in ποικιλομήτας istos *fictores fandi*, fraudatorésque Vlysseos, de quibus & iam dixi ad l. si hęreditatem. ff. hoc tit.. Æquissima proinde exceptio est, si quæ vniuersitatis hæreditariæ ven-

ditio facta sit; in ea enim iudicare solet senatus locum non esse legi 2. inf. de rescind. vend. traditque singulare in id senatusconsultum Barn, Vestus, patronus, inter Rob. Pingard, & Io. *de Beau-fort*, &c. in senatusconsultorum suę ętatis catalectis num. 143. & 166. nempe ob incertitudinem, & quia quasi iactus retis venditus sit. Dicam postremò, distinguendum esse in venditione illa vniuersitatis hęreditarię, vt, si mobilia cum immobilibus vęnierint, locus sit eo casu redhibitioni gentilitię, seu retractui lineari, vt loquimur: secus verò est si nihil in hæreditate præter mobilia: Ita Tiraquell. §. 1. glo. 7. à num. 81. vsque ad num. 88. de retractu. Distinctio hæc non tam nota omnibus, & tamen scitu dignissima. Frequens enim in experimentis forensibus.

IDEM. AA.

L. 6.

Qui tibi hæreditatem vendidit, antequàm res hæreditarias traderet dominus earum perseuerarit: & ideò vendendo eas aliis dominium transferre potuit. Sed quoniam contractus fidem fregit, ex empto actione conuentus, quanti tua interest præstare cogetur.

Hoc ipsum in l. Alienatum de verb. signif. vide autem pro iusto commentario quæ abundè, καὶ ἐξαιρέτως, conieci ad l. Traditionibus. de pact. & ad l. quoties. de rei vendicatio. sup.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 8. quæ penult.

Ex nominis emptione dominium rerum obilgatarum ad emptorem non transit, sed vel in rem suam procuratore facto, exemplo creditoris persecutio tribuitur.

Rationem ex subtilitate Iuris, vide ad l. 1. sup. per quas personas. cur nimirùm actiones personales numquam exeant à persona eius cui semel competere cæperint, sed habeat tantùm cessionarius vtiles. Inde optimè consuetudo Parisiensis docet, art. 108. cessionem actionis nihil operari, manereque adeò illius dominium penes cedentem, vt si debitor ei soluerit ante cessionis denuntiationem, iure se, ac omninò liberatum possit dicere. verba consuetudinis illius, verè cæterarum totius regni dominæ, ac magistræ, hæc sunt: *Vn simple transport ne saisit point, & faut le signifier à la partie, & en bailler coppie auparauant que de l'executer.* singularem in id textum, & à quo expressus videtur ille artic. 108, reperies in l. 3. si delegatio. inf. de Nouation. Dixi autem fusiùs ad l. si nomen. & l. seq. ff. hoc tit.

IVSTINIANVS.

L. vlt.

Certi & indubitati iuris est, ad similitudinem eius qui personalem redemerit actionem, & vtiliter eam mouere suo nomine conceditur, etiã eum qui eam actionem comparauerit, eadem vti posse facultate. Cum enim actionis nomen generale sit, omnium siue in rem, siue in personam actionum, & apud omnes veteris iuris conditores, hoc nomen in omnibus

pateat: nihil est tale quod differentiam in huiusmodi vtilibus actionibus possit introducere.

Ita in genere de cessionibus actionum tam realium quàm personalium, itaut vtiles moueri, instituique possint à cessionario. Supererat quæstio de ijs quæ ex causa iniuriarum competunt. glossa, quam sequuntur omnes interpretes, censet cedi eiusmodi actiones non posse ante litis contestationem, cùm, inquit, non sint in bonis. l. iniuriarum. ff. de iniur. nihil vlteriùs apud interpretes, quod rem apertiùs explicet. verbum vnum habet Baldus, illudque quasi in transcursu. Actio iniuriarum, ait, non nascitur ex pacto, sed ex contumelia. Solus igitur Sichardus hîc planè, atque ex professo interpretationem tritæ istius, parumque intellectæ regulæ, assumit, docétque & optimè actionem illam ideò dici non esse in bonis nostris quia transmitti ad hæredes non possit. Itaque, vt subijcit, si ego, cui illata iniuria, conquestus numquam, contestatusue fuerim, & sic decessero, nihil quicquam eo nomine hæreditarium. Quid enim hæredis interest si iniuriam, seu, vt inquit Baldus, contumeliam, quæ mihi illata est, remittere, certis ex causis mihi soli repostis, ac notis, voluero? variæ sunt hominum voluntates, ait Vlp. in l. 4. ad Trebell. hæres verò censor esse non debet morum defuncti, l. rei Iudicatæ. §. 1. ff. sol. matrimon. eò & facit quod dici solet ex §. vlt. de iniur. lib. 4. Instit. tolli iniuriam annali dissimulatione. In quo propterea necessaria hæc distinctio est. Aut enim qui iniuriam accepit diu postea vixit, neque contestatus est, & tunc nihil ex ea causa hæreditarium; Aut statim, vel aliquanto pòst, mors contigit, iniuriáque defuncto non solùm, sed & familiæ ipsi notam inurit, itaut fiat verisimile, remissurum numquam fuisse, si per longiorem vitam licuisset: & eo casu putarim, liberos, quorum aliàs vel ipsa pulsaretur verecundia, meritò, iustaque ex causa conquesturos apud Iudices, facitque eò maximè lex, Quintus. ff. de annuis leg. præter titulum, de ijs quæ vt indignis. ff. & Cod. hæc igitur de iniuria. Sin autem de vlciscenda nece agatur, iam non hæreditaria causa est, nec quæritur an sit hæres, sed an filius, gener, frater, soror, viduaque, cuius ea sit persecutio. non enim hęreditati illud, sed honori, familiæ, affectuique naturali, ac necessario adscribitur: itaut quicquid, Vvirgildi nomine, (reparationem vulgò dicimus) addictum fuerit, seu filio vlciscenti mortem patris, seu viduæ mortem mariti, nec ille propterea hæres patris dici debeat, neque ista societatis conuubialis particeps. Ita Senatus de more: sique plura in hoc ipsum cupias, vide Chopin. lib. 2. tit 1. ad consuetud. Paris. & rursus lib. 2. parte 3. cap. 2. tit. 3. consuetud. Andens. Eo sensu accipienda lex, Quæsitum. de sepul. viol. ff. cuius verba: *Licet necessarius hæres egerit, non tamen hæreditarios creditores timebit: cùm & si per hæreditatem obtingit hæc actio, nihil tamen ex defuncti capitur voluntate: neque id capitur quod in rei persecutione, sed in sola vindicta sit constitutum.* vbi & istud glossa: Ad liberos enim transeunt hęc iura, non ad hęredes. latè autem Tiraquell. §. 26. glo. 1. num. 68. & seqq. de retractu, vbi docet ex varijs interpretibus Ius vltionis cedi alteri non posse. Quinimò ex ratione d. legis, quæsitum. & legis, 3. Amplius. ff. de liber. causa. Spuria quædam, nomine, *Morlet*, admissa est ad vlciscendam necem matris suæ naturalis. quod & Boërius denegandum non esse scribit q. 121.

TIT. XL. QVÆ RES VENDI POSSVNT: ET QVI VENDERE, VEL MERCARI VETANTVR.

IMPP. GRATIANVS, VALENTINIAN. ET THEODOS.

L. 1.

Fucandæ, atque distrahendæ purpuræ, vel in serico, vel in lana, quæ blatta, vel exobapta, atque hiacynthina dicitur, facultatem nullus

possit habere priuatus. Sinautem aliquis supradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum suarum capitis sciat se subiturum esse discrimen.

Collegit Gotbofredus hîc quæ ex Cuiacio,& alijs animum explicant ad veterem vsum imperatoriæ purpuræ, ad serici originem, ad blattæ, & exobaptæ atque hyacyntinæ lanę intelligentiam. Grammatica hæc, sed quę ignorare patronus fori Paris. (cui, toto in orbe, nihil par, vetusque à trecentis annis, quibus immotus Lutetię Senatus sedit, ea gloria) ignorare non debeat cùm origines rerum præstent quæ olim auro contrà vendebantur, solisque Imperatoribus vsum sui prębebant, randem verò, procedente ætate, adeò ferè omnibus, per inuersos mores, vsitata, vt quasi nec magis Pannus Biturigum. Plura Cuiacius ad tit. de vestibus holoueris, & auratis, & de intinctione sacri muricis. & tit. de murireguilis, & gynęciarijs &c. lib. 11. Primus ille docuit vnde Gallica vox, *veloux*. Serica, inquit, veteres dixere, βήρους: Galli, *verouх*. Plura etiam Brissonius in verb. bombycinæ. in verb. metaxam. (qui sunt loci, sylua in illa dictionum, fugitiui) atque in verb. sericum. Obseruaui ego iamdudum locum apprimè singularem apud Pausaniam, lib. 2. Eliacorum, in fi. de sere, vermi, & more conficiendi serica. non immorabor longiùs. digitum intendisse ad fontes, sufficiat. narrabo de simplicitate veteris nostrorum seculi, quod non auersentur elegantiores. Pannis laneis, vndulatísque vestibus, quæ nimirùm ex camelorum & hircorum pilis contextæ essent (dicimus, *Camelots*) ita quondam pro serico induti erant vel ipsi aulici, vt cùm aliud nihil quicquam dici posset in mores Roberti Sorbonæ, S. Ludoici confessarij, quique auctor sanctę illius Theologorum familię, cui & ab ipso nomen est, tradit Ioinuillius cap. 94. ex typ. Pictauens. exprobrasse se, neminem esse in aula Principis quem vestiret vndulata vestis purior. vernaculus tunc sermo placeat: *Vous estes vestu de plus fin camelin que le Roy n'est.* ἐπιπόδιον hoc, atque in transcursu; nec alienum tamen, seu ἄπιπον. Itali Interpretes attingunt & hîc quod faciat rursus ad historiam. Sericum, ait Baldus, emunt Pisani à Barbaris, Salicetus: *non poterant priuati olim emere sericum à Barbaris. Hodie Veneti & Genuenses. Olim copia erat modica, hodie magna.* sic ille. Apud nos pretiosissima ista, penéque inusitata, vsque ad Ludouicum XI. Deuocauit enim ex Italia Serifices Cæsarodunum Turonum, vbi & hactenus opificium hoc ingens per loci amænitatem, perqne opportunum, aqua sericorum coctrice, ligerim. habent collegium, auctore semper principe, habent statuta, & leges, quas si eorum quispiam læserit, senatus, apud quem plures de collegij illius statutis agitari causas vidimus, modum semper adhibet deprauati interdum opificij vindicem. addam & istud: tantę nimirùm curę fuisse Carolo 8. Ludoici XI. filio, vt quod de sericis instituerat pater, effectum acciperet, vt vetuerit, artic. 8. de excess. offic. nè quis sericum quicquam gestaret quod in Gallia manufactum, textumque non esset: fiscoque applicari voluit si exoticum eiusmodi quippiam aduectum fuisset.

IIDEM. AA.

L. 2.

Comparandi serici à Barbaris facultatem omnibus, præter Comitem commerciorum, iubemus auferri.

Barbaros interpretatur Cuiacius in paratit. Persas, vt iam alibi moneo. De comite commerciorum dixi quãtum satis ad l. vn. de annonis, & capitu. sup. Imaginem prisci illius Comitis aliquãdiu prætulit qui apud nos vocabatur, *le Roy des merciers.* Sublatus verò est tandem à senatu ob iuges mercatorum dinundinantium querelas, vexataque passim ab eo per sordes, ac rapacem, in nundinis, manum, commercia.

IMPP. ARCAD. ET HONOR.

L. 3.

Quia nonnumquam in diuersis littoribus distrahi publici canonis frumenta dicuntur, vendentes, & ementes sciant capitali pœnæ se esse subdendos.

Saliceti hæc summa placeat: non licet frumentum publici canonis alibi quàm in locis ordinarijs emere. publicus vero canon hîc intelligitur de tributo frumentario quod à prouincialibus pendebatur quotannis Romano populo. Princeps enim alebat populum præbitis panibus, qui cur dicerentur gradiles, explicui ad l. Iubemus. in verb. annonas ciuiles. de sacros. Eccles. proponitur in l. 3. ait hîc Cuiacius in postumis, pœna capitis si quis annonam populi Rom. emerit, aut vendiderit, dum in littoribus nauibus vehitur. temperauit autem leo pœna quadrupli, nou. 62. fecerit verò imperialis hæc constitutio ad politica annonarum, cuiuscunque speciei sint, varia, videlicèt frumenta quæ terra, fluuijsque conuehuntur Lutetiam, vt nè emantur à mercatoribus extra vrbem, sed in locis designatis ac publicis; quod & idem in vino, in panibus, in armentis, in pecoribus, in pecudibus; Item & in ligno, in carbone, in fœno, in auibus, cuiuscunque speciei sint, at verò & in torrendis, assandisque per Lutetiam carnibus. Singula enim hæc omnia certas habent vrbis regiones, certasque horas, quibus væneant, edictaque sigillatim, quid cuiusque sit, præscribunt, atque, vt hoc textu, & seq. mulctas non pœnales quidem, sed pecuniarias aduersus præcipitem, audacemque delinquentium auaritiam, adijciunt, quæ omnes in arbitrio vel propræfecti Paris. vel ædilium, in certis generibus, id est præfecti mercatorum, Scabineorumque, vt loquimur. Collecta hodie edicta illa omnia sunt in collatione legum regiarum, lib. 12. tit. 16.

IMPP. HONORIVS ET THEODOS.

L. vlt.

Nè frumentum quod deuotissimo exercitui mittitur, in prædam, lucrúmq; vertatur, hac sanctione decernimus, vt quicumque hoc fuerint mercati; honestiores quidem proscriptionis stylum, & omnium bonorum amißionem incurrant: Inferiores autem, vilioré sque personæ, capitali supplicio subiaceant.

Primùm de pœnis irrogandis ex persona eius qui deliquit, si nimirum sit honestior, aut vilior, nobilis, aut plebeius, iunge l. milites. & l. diuo Marco. inf. de quæstion. l. sacrilegij. ff. peculatus. l. moris. §. istæ feræ. & §. seq. ff. de pœn. Seruamus hoc. aliter enim plebeius, aliter nobilis plectitur; Hic capite, ille laqueo, aut crurifragio, si atrocius sit maleficium. quamuis tamen pœnæ apud nos sint arbitrariæ, neque ex legum Romanarum præscripto.

Quantum autem ad frumenta militaria, quæ aliàs dicimus, *bleds, & pains de munition*, capitale etiam est si quis, emptione, alióve quouis modo auerterit. nec verò sine optima ratione. In perniciem enim istud reip. destituto annonis quotidianis exercitu. itaut crimen ferè haud aliud grauius. Variáque proinde in hoc edicta, lib. 12. tit. 5. collationis constitutionum. Totus enim ille titulus 5. est de politia illa militari.

TIT. XLI. QVÆ RES EXPORTARI NON DEBEANT.

IMPP. VALENS, ET GRATIANVS.

L. I.

Ad barbaricum transferendi vini, olei, & liquaminis, nullam quisquam habeat facultatem, nec gustus quidem causa, aut vsus commerciorum.

Nemo mihi succenseat, si in Grammaticis, quæ occurrunt interdum apud Iurisconsultos, & Imperatores, grammatico etiam more, ad faciliorem responsi, rescriptive interpretationem progredior. Ita enim & Iurisconsulti, vt in l. 1. ff. depos. Ita & Imperatores, vt in l. 3. & 4. de verb. sign. inf. Barbari in hoc textu, ait in paratitl. Cuiacius, intelliguntur de Persis Sed cur Romani appellarent & Persas, & cæteros non suæ gentis homines, Græcis exceptis, Barbaros, non aperit.

Sciendum ergo est Græcos primùm, quippe elegantioris, cultiorísque ingenij homines, vocasse per contumeliam βαρβάρους, exteros omnes qui diuerso ab illis sermone vterentur, quasi crassilingues, vel, durilingues; neque denominationem, nisi à ficta asperitate illorum vocis, quam ex eo τεραχυφωνίας nuncupat Herricus Steph. promanasse. Τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω. I. Barbaram enim linguam non exaudio: inquit Agamemnon, apud Sophocl. in Aiace: Romanis etiam posteà familiare adeò id fuit, vt qui Imperio Romano non parérent, vel qui immanes essent natura, & moribus, nominarent illos confestim Barbaros: cùm tamen & Romanos ipsos dixerit nec alio nomine diuinus Christi tibicen, in hæc verba: ἕλλησί τε, καὶ βαρβάροις ὀφειλέτης εἰμί. I. Græcísque, & Barbaris debitor sum (sup. Euangelij) quamuis haud ignorem Græcorum appellatione comprehensos esse à sacris Interpretibus. Barbarus denique, Christianis màximè, est Imperator Turcicus, ad quem propterea, cùm adolescerent primùm ipsius immensæ vires, vetabant Christiani vndequaque Principes, ipséque Rom. Pontifex, vt patet ex Bulla cœnæ Domini, an. 1536. Paulo 3. sedente, nè exportarentur *equi, arma, ferrum, filum, stannum, calybs, vlláque metallorum genera, atque bellica instrumenta, liquamina, canabus, funes*, quæcumque adessent exportandi priuilegia: damnatíque priuati quidam qui secus fecissent, vt dicam ad l. seq. Excommunicantur quotannis Romæ, qui secus fecerint, Bula illa cœnæ domini, quæ in S. Petri Ecclesia legitur, die magni Veneris. De hoc plus satis. Argumento autem esse possit hæc constitutio, vt nisi sint Barbari, id est Persæ, vt explicat Cuiacius, concedant Imperatores vini, olei, & cuiuscunque liquaminis euectionem. soli enim excipiuntur Barbari. Aliud verò seruatur nostris moribus. Frumenta enim, vina, aut alias quasuis annonas, exportare ad exteros non licet, nisi cognoscente, ac sinente Principe, vulgo dicimus, *les traictes foraines, les trespas de Loyre du pays d'Anjou*. de quibus varia edicta. Transituras valde propriè vocant Caroli Magni Capitularia, vt transitorium tributum quod eo nomine penditur, vt apud Pithæi glossarium. Dicámque obiter quàm fœdè, per literatæ antiquitatis ignorantiam, errarit Bartolus, ac post eum reliqui veteres interpretes, ad tit. 51. de Tractoriis, & statiuis, inf. lib. 12. cùm enim Tractoriæ sint diplomata quæ dantur missis, vel euocatis à Principe, cursu publico vtentibus, adscriptis etiam statiuis, id est diuersoriis, & mansionibus quibus alantur sumptu publico, vt præclarè ibi interpretatur Cuiacius: pulcráque in id Hieronymi nota est in vita S. Hilarionis: accepit tamen Bartolus Tractoria illa pro euectionibus de quibus edicta nostra Gallica.

Vnum de degustatione vini superest quod nec præteriri debeat. tractaui in eam partem quæstiones fori ad l. 4. ff. de peric. & commod. rei vend. Ad speciem verò

nostræ huius legis, quæ vetat nè transferatur vinum, vel gustus quidem causa, fuerit liuianum hoc, ex lib. 5. *Gentem Gallorum tradit fama dulcedine frugum, maximéque vini, noua cum voluptate, captam, Alpes transisse, & inuexisse in Galliam vinum, illiciendæ gentis causa* Quod ipsum Plutarchus in Camillo. veróque longè antea rumore Diodorus scripserat ignotum Gallis vini visum, quem & verisimile est non cœpisse in Gallia nisi per Cæsaris, Romanique populi decennalem consuetudinem. Plura non dicam. vulgatum enim de magnitudine illa vuæ quæ illata ex solo hostili in Israëlitarum exercitum, fecit ignauis animos vt terræ, quæ tam dulces potiones funderet, ferro, armisque sibi quærerent.

IMP. MARTIANVS.

L. 2. quæ & vlt.

Nemo alienigenis barbaris cuiuscumque gentis, ad hanc vrbem sacratissimam sub legationis specie, vel sub quocumque alio colore venientibus aut in diuersis alijs ciuitatibus, vel locis, loricas, scuta & arcus, sagittas, & spathas, & gladios, vel alterius cuiuscumque generis arma audeat venundare: nulla prorsus ijsdem tela, nihil penitus ferri vel facti iam, vel adhuc infecti, ab aliquo distrahatur: perniciosum namque Romano imperio, & proditioni proximum est, barbaros, quos indigere conuenit telis, eos vt validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquod armorum genus quarumcumque nationum, barbaris alienigenis, contra pietatis nostra interdicta, vbicumque vendiderit; bona eius vniuersa protinus fisco addici ipsum quoque capitalem pœnam subire decernimus.

Istud hodie de barbaro illo Constantinopolitano portento, cui frustrà aduersatæ olim Christianæ acies, potissimúmque Francicæ. succrescebat enim & tunc cùm ante annos trecentos, effunderet vndequaque milites suos trans æquora, in Africam, & Asiam, vniuersa cum varijs alijs Europæ populis Gallia. Varia aduersus eiuscemodi exportationes edicta, quibus vetatur exportari è Gallia aurum, ferrum, lapillos, arma, equos, ac lanas. mercesque ita illicitæ vocantur de more à peritis, *Marchandises de contrebande*. Vt autem ad Constantinopolitanum barbarissimum redeam, Anno 1453. intra feriale sex hebdomadarum spatium, per commotas, turbatasque bellis ex tiosissimis Christianissimi penè omnes plagas, Reginam tandem vrbium Constantinopolim centum barbarorum millia, intonantibus centum tormentis æneis, ipsáque (quod omnes notarunt) Pentecostes die, cùm tamdiu in S. paracleti processum peccasset, subacta est. Posteà autem & rursus, dum miscerent maria, & terras Franciscus primus, & Imperator Carolus quintus, itaut libera essent, peruiáque inuadenti omnia, expugnauit Rhodum, an. 1525. quam aduenìens vel parua Christianorum manus iuuare, tuerique poterat. Sic nempe ex Europæorum Principum ignauia, perque ambitiones impias, votis, quasi ad sanctæ Sedis portas, potitus est tyrannus omnium hodie potentissimus. Commiserunt in nostram hanc Imperialem legem haud pauci negotiatores Christiani lucris immanibus allecti. Non alia enim ex causa condemnatus est an. 1455. die 29. Martij Iacobus Cueur, sacrarum largitionum Comes, seu, vt tunc vocabant vernaculo nostro, argentarius Caroli VII. quòd scilicèt arma, & monetam argenteam exportari eò curaret. Tamen capitis gratia facta est ob intercessionem Romani Pôtificis, additq; iudicium, (quod legi) factum hoc propter nonnulla ipsius merita. quæ illa vnquam fuerint, nemo scripsit. Cæterùm vt frequentissimæ eiusmodi euectiones, vide dom. Seruin. actione 11. volum. 2. & dom. Bretium, actione 33. ad prohibitam auri, argentique exporta-

tionem, atque vt nè quis negotietur cum hostibus exteris. profert vtérque territantia iudicia, sed vana.

—Nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri. sed quæ reuerentia legum?
Quis metus aut pudor est vnquam properantis auari?

TIT. XLII. DE EVNVCHIS.

Imp. Constantinvs.

L. I.

Siquis, post hanc sanctionem, in orbe Romano eunuchos fecerit, capite puniatur: mancipio tali, necnon etiam loco, vbi hoc commissum fuerit, domino sciente, & dissimulante, confiscando, Iunge l. seq.

Imp. Leo.

Romanæ gentis homines, siue in barbaro, siue in Romano solo eunuchos factos nullatenus quolibet modo ad dominium cuiusquam transferri iubemus: pœna grauissima statuenda aduersus eos qui hoc perpetrare ausi fuerint: tabellione videlicet, qui huiusmodi emptionis, siue cuiuslibet alienationis instrumenta conscripserit, & eo qui octauã, vel aliquid vectigalis causa, pro his susceperit, eidem pœnæ subijciendo. Barbaræ autem gentis eunuchos extra loca nostro imperio subiecta factos, cunctis negotiatoribus, vel quibuscumque alijs emendi in commercijs, & vendendi, vbi voluerint, tribuimus facultatem.

Lex prima prohibet Eunuchos fieri pœna capitis, locumque fisco applicari vult in quo admissum id, domino sciente, fuerit. lex secunda aufert eunuchi facti dominium domino, & tabellionem, qui instrumentum eiuscemodi emptionis conscripserit, pœnæ grauissimæ subijcit: imò & publicanum qui vectigal ex causa eunuchi facti acceperit. Barbaris tandem qui extra imperium, vel ipso in imperio, negotiandi de his facultas tribuitur. De Tabellione qui dat operam rei illicitæ, dixi ad l. Iubemus. sup. de sacros. Eccles. De publicatione loci, in quo factus sit eunuchus, pœna hæc Imperatoribus frequens vbi de graui aliquo crimine agitur, vt inter cætera in l. 1. de fals. mon inf. nos autem ferè hoc tantùm in crimine læsæ majestatis, vt ostendo ad tit. de religios. ff. De iure octauæ, quod & in vernaculo nostro, *droict de huictiesme*, dicam ad l. 7. inf. de vectigalib. vt autem statuere se omnia hæc ait Leo Imperator in solos eos qui Romano Imperio pareant, non in cæteros, hoc ipsum Gratianus, Valentinian. & Theodos. in l. 1. de summa trinit. ad quam interpretes omnes de territorij cuiusque non egrediendis finibus. dixique propterea ad eum locum quod è re, vsque Gallico visum est.

De comminatione autem in eos qui Eunuchos fecerint, notanda primùm verba hæc legis primæ arbitror, *post hanc sanctionem*. Arguunt enim quanta indignatione pœnas auxerit in quoscunque qui tale quicquam deinceps ausuri sint: quantáque esset, & sua ætate, criminis illius frequentia. Reperio ante Constantinum duos tantùm Imperatores leges in hoc promulgasse, Domitianum scilicet, nec verò ex laudabili vlla causa quæ illum moueret, vt reuera nihil eo Imper. impurius, & sceleratius, sed vt scribit Xiphilinus in eius vita, quia Titus Imp. eius frater, exectos dilexerat,

vetuit in eius contumeliam, nè quis postea intra fines Rom. imperij excîderetur. Suetonius causam edicti prætermisit, in Domit. cap. 7. Reperio autem Hadrianum statuisse vt capitale esset medico qui excîdisset, imò & ei qui se sponte excîdendum præbuisset: ita Vlpian. in l. 4. de sicar. ff. dixerat in genere Martianus in l. 3. §. 4. eod. illo tit. pœna legis corneliæ teneri quisquis hoc libidinis, vel promercij causa, patrasset. Reperio etiam inter scriptores Gallicos, testari Iuonem epist. 160. detracta fuisse arma militi, & quatuordecim annorum pœnitentiam indictam, quia monacho virilitatem exemisset. Verba eius sunt: *Miles iste præsentium portitor, in obsidione Hierosolymitana strenuè militauit. Vnde reuersus ad propria, diabolico instinctu, & impetu iræ subuersus, quemdam monachum, & Presbyterum, Bonauallensis monasterij, quia quosdam eius seruientes herbam furantes verberari fecerat, castrari fecit. Quod quia inauditum apud nos fuerat, coacto rigore Ecclesiastico, arma ei abstulimus, & quatuordecim annorum pœnitentiam indiximus, vt diebus sibi præscriptis, à cibis lantioribus abstineret, & tam immane facinus eleemosynis, ac ieiuniis excipiaret, &c.* Morem denique refert Io. Gorræus in definitionibus medicis, quo, citra ferrum, fierent pueri θλιβίαι, seu θλασίαι: elisa nimirùm, compressa, dissolutáve, ac tandem funerata ea parte qua libido. Pueri, ait ille, adhuc infantes in aquæ calidæ solium collocantur. deinde vbi eorum corpora eodem solio fuerint relaxata, digitis testiculi comprimuntur vsque dũ aboleantur, & euanescant, & dissoluti non amplius ad tactum sublabantur. Mos ille hodie apud eoum Principem, Barbarósque id genus optimates. Placent ad annos vsque viriles, placet & vox maximè ad amænitatem musicam, vt quosdam in hoc ipsum, seu in Gallia, seu alibi, satdudum exectos ferunt. quod execrandum Christianis. Sed vbi statæ ætatis fiunt, maximè autem si consenescant, verè *tertium genus hominum*, eos vocabat Alexander Imper. apud Lamprid. Ideóque nec in consilijs, nec in ministerijs habuit, vt iterum Lampridius. Egregiè equidem Claudianus in Eutropium Eunuch. lib. 1.

—Numquam spado consul in orbe,
Nec Iudex, ductórve fuit.
—Tenero tractari pectore nescit
Publica maiestas.
—Quibus vnquam secula terris
Eunuchi videre forum?
—Trabeata per vrbes
Ostentatur anus, titulúmque effœminat anni.

Appellat nempe rugosum, imberbem, ac senem Eutropium, *anum*, quòd anus vetula, magis quàm vir, videretur. & quia erat consul, subiungit ingeniosè annos quasi denominari ex fœmina consule. Recensebo & hîc quod fallere possit vel eruditos. Legitur enim apud Gratianum, distinct. 55. can. 8. in hæc verba: *Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione eius sunt amputata virilia; vel si ita natus est, & est dignus, fiat Episcopus.* Sic in vulgatis codicibus plurimis, in quibus cùm subodorarer mendi quippiam ob vocem, *Episcopus*, consului canonẽ Apostolorum vicesimum primum; reperi autem in Græco exemplari deesse dictionem illam; *Episcopus*. Imò obseruauit vir doctus in notis ad eum canonem, videri subintelligendum, κληρικός. Imberbis enim Eunuchorum deformitas vix est vt docentem, incedentémque apud suos Episcopum tantò minùs gratum, multóque contemptibiliorem ipsum non efficiat. Nihil ex his quod ad legis vtriusque huius tituli interpretationem, ac illustrationem optimè non faciat. Plura in genere Annæus Robertus, lib. 4. cap. 10. rerum Iudicat. quem vide ex alijs enim vix est vt exscribam quod iam ipsi exarauerint.

TIT. XLIII. DE PATRIBVS QVI FILIOS SVOS DISTRAXERVNT.

Imp. Constantinvs.

L. 2.

Si quis propter nimiam paupertatem, egeſtatemuè, victus cauſa, filium, filiamue, ſanguinolentos vendiderit; venditione in hoc tantummodò caſu valente: emptor obtinendi eius ſeruitij habeat facultatem; liceat autem ipſi qui vendidit, vel qui alienatus eſt, aut cuilibet alij, ad ingenuitatem eum propriam repetere: modò ſi aut pretium afferat, quod poteſt valere: aut mancipium pro eiuſmodi præſtet.

Pro iuſto commentario vide Tiraquell. §. 26. glo. 1. num. 17. & ſeqq. de retractu, vbi longè multa de neceſſitate, & fame. lex 2. Cod. de patrib. qui filios diſtrax. inquit, non tam aliena à paterna pietate videri debet: quandoquidem Nehemiæ 5. cap. populus fame oppreſſus in hæc verba prorũpit: *Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis. accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.* hoc & idem factitatum tempore Maximini Imperatoris, tradit Euſebius, lib. 9. cap. 8. hiſtor. Eccleſ. Ouid. lib. 8. Metamorph. de Eriſictone, cùm præ fame patrias opes penè abſumpſiſſet, poſtremò & filiam vendidit.

——Et tandem demiſſo in viſcera cenſu,
Filia reſtabat non illo digna parente:
Hanc quoque vendit inops.

Reperio prætereà apud Saluianum Maſſilienſ. lib. 4. de gubernatio. Dei, quod & hîc valdè faciat: *Culpam ipſam*, ait, *inopia minus culpabilem facit. quia excuſabilis furti reus eſt, qui ad furtum cogi videtur inuitus.* Prudentiſſimè ex hac inopiæ miſerabilis cauſa, an 1602. in Panegerycis S. Martini, dom. Harlæus, tunc Senatus Princeps, auctor apud ampliſſ. ordinem fuit condemnandi mitiùs fortuiti furis, qui in mèdio, apertóque cauſarum auditorio, cùm diſſerentis verba ſpiſſus, pro more, togatorum numerus,

Denſúmque humeris vulgus aure biberet,

Quæ maxima ſæpius balantiotomorũ, ſeu, crumeniſecarum ſeges, crumenã ſecuerat. Depræhenſus enim cùm eſſet ἐπαυτοφόρῳ, & penè iam omnes eũ arbori infelici deputaremus, vt ſolita illa ſors in eiuſmodi furtorũ genere, interrogauit tantus Præſes miſerũ, cuias eſſet, & vnde accederet: Reſpõdit ille voce tremula, & habere ſe domicilium Lutetiæ in via S. Dionyſij, & cũ nõ haberet vnde panẽ vxori, ac liberis poſſet porrigere, extrema tandẽ deſperatione in turba forẽſi, vt cõmodũ putauit, luctuoſo ſeſe huiuſcemodi furto applicuerat. Erat deinde quadragenario maior, nec vultu ganeonis. Senatus ergo amplius deliberandum cenſuit, atq; hominẽ intereà in carcerem perduci iuſſit. Quod cùm omnes miraremur, & cauſam quiſq; tam lenis iudicij quæreret, poſtridiè inter ſermones circumſpectus, experientiſſimúſque fori ille dux, motum mihi iudicum, ex perſona, & cauſis quas iam profero, aperuit. Similem magni illius Pet. Liſetij, olim etiã ſenatus primarij Præſidis, prudentiam, in condemnatis duobus zonarijs ſectoribus, qui depræhenſi in eodem maiore auditorio, dum cauſæ agerentur, fuerant, & quorum alter luit laqueo, alter autem paulò poſt, ex furto ſimili, perpetui dumtaxat exilij iudicium ſortitus eſt, vide apud Conchylium, tit. de Iure fiſci. artic. 1. vbi notat monuiſſe Liſetium patronorum adſtantium ordinem, ſeruatam in vtraque condemnatione deciſionem legis, 1. §. diuus. & §. ſi quis. de quæſtion. laqueus alterum habuit, quia conuictus teſtibus, ſpectatáque maximè religione loci;

alterius lenita pœna est exilio, quia nulli testes, sed sola illius confessio. legis autem nostræ vt cætera persequar, dari obsides filios pro patre iure glossa adnotat, cùm visum hoc sit sæpius, notúmque de illustrissimis duobus Francisci primi filiis, qui dati sunt Carolo quinto, Imperatori, obsides, ad patris liberationem, & donec à patre liberato, suámque in Galliam remisso, adimpleta essent singula capita luitionis regiæ. Quinimò & nobilissimi interdum vassalli dantur à Rege obsides vt quæ inter ipsum, exterúmque alium Principem de publico conuenta sunt, effectum accipiant: Hoc in Marchione Allegrio, Comite Escarsio, qui eo nomine in Ducis Casimiri manum transierunt anno 1576. mens. Maio, futuri videlicet tantisper captiui, dum ab Herrico III. persolutum esset quod ad liberandam Germano exercitu Galliã promiserat: luculentam de Marchionis illius donatione facta nepoti ex fratre, vt miserã pro se vicẽ illam subiret, orationẽ, quę duodecima est, Marsonius edidit. licere verò & istud Abbati in monachis, constat ex cap. ex rescripto. ext. de Iureiur. quod tamen intellige, vt glossa ibi explicat, & ad cap. 2. de pignorib. dummodò ita consentiat qui in pignus istud militare traditus est. In quo singulare Baldi consilium 159. lib. 3. vbi sic ille: Regis præceptum seruandum est, dummodò non sit planè iniustum: Veluti si imperaret subdito vt sibi mortem consciscat: vel vt filium, Sarracenis, crudelíve alicui tyranno, det obsidem. Desinam in non illaudato more Commodi, praui alioquin Principis, cùm magistratus prouinciis præficeret. solitum enim illum retinere apud se liberos eorum, qui cum imperio ad regendas prouincias proficiscerentur, quasi obsides quosdam fidei, beneuolentiæque paternæ, scribit Herodianus lib. 3. Quantum ad vocem, *sanguinolentos*, quæ est in d. l. 2. Titulus est integer. Cod. Theodos. nempe tit. 8. lib. 5. cuius hæc verba: De his qui sanguinolentos emptos, vel nutriendos acceperint: Id est, recens natos, sanguinéque adhuc menstruo rubentes, vt Iuuenalis dixit saty. 7. versu, 196. ——*Distat enim, quæ*

Sidera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Vbi interpres, *Ob partum recentem*, inquit. Sic proinde lex 1. d. tit. 8. Cod. Theodos. *Si quis à sanguine quoquomodo legitimè comparauerit, vel nutriendum putauerit, &c.* Dixi de Infantibus illis expositis quid ferant leges Gallicæ, ad l. 19. Nemini licere. de Episcop. aud. sup. vbi quia agitatam recenseo de alendis illis quæstionem inter Ducem Tremulium, quippe feudalẽ oppidi, Monleonis, patronum, & monasterij S. Leonis Abbatem: nec vltimum indicium adjicio, quia amplius deliberandum censuisset ordo amplissimus: moneo iam damnatum secunda vltimáque cognitione Ducem, vt aleret, dom. Perfecto, litis interprete, anno 1615. die 7. Septemb. At verò & similis iterum quæstio orta est anno inseq. inter Ducem Meduanum, & Curionem parœcum, ob infantem expositum in oppidi, *Meduanæ, Ecclesia apud Cænomanos. auditi enim* cùm essent longa oratione patroni in maiore auditorio, nutricandum à Duce, quippe Iurisdictionis domino, pronuntiatum rursus ex vindicijs, prouisionalíque, vt loquimur, iudicio. Cuius vindiciarij Iudicij rationem hanc etiam posteà didici, quod in ea parte oppidi, in qua Ecclesia sita est, feudum quidem patronus alter habeat, Ducis autem vniuersa sit Iurisdictio, qui proinde spurij istius infantuli alimentis onerari debuit, cùm ex perscriptis Cænomanorum moribus, art. 48. bona spuriorum mobilia, qui decedunt sine liberis, ad locorum dominos spectent: In idiotismo est: *les biens meubles des bastards, &c. qui decedent sans hoyrs, appartiennent aux seigneurs.* quod Molinæus ad eam partem consuetudinis, de dynastis intelligit quorum sit Iurisdictio, nec verò de feudalibus. Idem & in consuetud. Picton. art. 299. & art. 302. Ad quos nimirum commoda, ad eos & incommoda, ex vulg. Iuris reg. dicebant in causa Lud. Sammarthanus, militiæ Gallicanæ hodie Iuridicus, & Io. *du Saulzay*, ann. 1616. die 27. Iunij.

TIT. XLIV.

TIT. XLIV. DE RESCINDENDA VENDITIONE.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 2.

Rem maioris pretij ſi tu, vel pater tuus, minoris diſtraxit: humanum eſt, vt vel pretium te reſtituente emptoribus, fundum vanundatem recipias, auctoritate iudicis intercedente, vel, ſi emptor elegerit, quod deeſt iuſto pretio, recipias. mimus autem pretium eſſe videtur, ſi nec dimidia pars veri pretij ſoluta ſit.

Nominatiſſima eſt in foro, vultque hoc paucis: Reſcindi poteſt emptio ſi ſit læſio vltra dimidiam iuſti pretij: poteſt tamen emptor ſupplere quod deeſt iuſto pretio. Iuſti autem pretij æſtimatio ſpectatur, quale fuerit tempore venditionis, l. ſi voluntate. inf. hoc. tit. & cap. cum cauſa. ext. de empt. & vendit. læſioque vltra dimidiam iuſti pretij intelligitur ſi æſtimatio facta à peritis egrediatur vel tantillũ geminatum pretiũ quod tẽpore venditionis conuentũ fuerit. Ita enim ſeruamus, & iure, quicquid ſubtili, aut inani potius ſupputatione exquirant Baldus hîc, inter cæteros, & Gloſſa ad d. cap. cum cauſa redigentes quippe æſtimationem iuſti pretij non ad integrum illud quo res prima venditione vænierit, ſed ad dimidiam; putà ſi res valeat decem aureis, & vendita ſit quatuor. Verè hoc quidem, *difficiles habere nugas*, cum diſerto legis iſtius textu verum rei pretium non referatur ad dimidiam eius quo res alienata eſt, ſed ad integrum, vt dixi; veluti, vendidit aliquis fundum mille aureis, & conſtat, peritorum æſtimatione, valuiſſe tempore ipſo venditionis bis mille viginti aureis. memini allegatum olim in deliberatione forenſi à venerabili ſene Iac. Hamelio, qui nonagenario maior deuixit, Gloſſam illam d. cap. cum cauſſa. vt quaſi tueretur ſupputationem Baldi, ſed contrà ſenſerunt Pet. du Iac. Iud. Buiſſon. alijque conſultiſſimi: nec ſanè certius, vulgatiuſque hodie quicquã eſt. Quantum ad probationem æſtimationis rei, prudentiſſimè equidem confirmata tandem eſt edicto, ſententia Bartoli ad hunc textum, vt nempe non per teſtes, ſed per probos, peritóſque æſtimatores pretium acciperet res vendita. Verba illius in totum, cùm ſint οὐσιώδη, atque ſubſtantialia, vt ſic loquar, nec prætermittenda hîc arbitror: *Aduerte*, inquit, *practica vera, clara, & indubitabilis eſſet, vt iudex ipſe inſpiceret, vel mitteret duos bonos æſtimatores qui hoc æſtimarent, & referrent &c. dico igitur quod in omnibus iſtis, in quibus eſt magis iudicium, quàm teſtimonium, iudex debet conſtituere probos quoſdam viros qui æſtimationem illam conficiant, ad proferendum poſteà illud iudicium &c. quantum enim res valeat non poteſt videri per oculum, ſed intelligitur per intellectum.* Hactenus verba Bartoli, quæ vt ſtrigoſa ſint, ac incondita, rem tamen oculis ſubijciunt. ferè dixerim de priſcis illis interpretibus, maximè autem de Bartolo, cùm rem in Iure planè intelligunt, ſic benè ſentire ſæpius, vt adornent tantùm elegantia ſermonis Cuiacius, alijque recentiores quod illi, rudi tanquam maſſa, congeſſerint. nec proinde alienum ſi & huc protulero vetus dictum Varronis in Bimargo: *Aui, & ataui noſtri, cùm allium, ac cepe eorum verba olerent, tamen optimè erant animati.* Debetur denique Iacobo Mangotio, magni illius Mangotij, fiſci patroni, patri, conſultiſſimóque ſuæ ætatis patrono, quod doctrina illa Bartoli tranſierit in mores, vſitatiſſimáque hodie ſit ex edicto Blæſenſi artic. 162. cuius hæc verba: *dornauant en toutes matieres, où il ſera queſtion d'informer, & faire preuue par teſmoins de la valeur de quelque choſe, ſeront tenues les parties d'vne part & d'autre, conuenir de gens experts, & à ce cognoiſſants: & à faute d'en conuenir, en ſeront nommez d'office par les Iuges pour eſtimer & eualuer leſdites choſes, & en rendre raiſon, ſans autrement les appointer à informer, & faire enqueſte, &c.* non quieuit Mangotius ille, vir alioquin argutiſſimus, Iuris Romani ſciens, Gallicique ex-

DDd

periçntissimus, acerrimus, virque vno verbo, censorius, quin constitutioui, quæ circa annum 1579. redigebatur, totus ille insereretur articulus, *Processus enim, aiebat, qui in æstimatione versantur, sunt diabolici, nec facile est, imò impossibile sæpius, se expedire labyrintho æstimationum quæ fiunt per testes.*

Superest iam vt excutiamus in quibus locum habeat secunda hæc lex, & in quibus non. Primùm enim rata, pilatáque omnium interpretum sententia ea est, vt in transactione locum non habeat, nisi sit dolus personalis, nisi vis, nisi metus. Satis enim lucratur qui à lite discedit l. in summa. de cond. indeb. dolus realis, id est deceptio, re ipsa, nunquàm spectatur, l. Lucius, §. vlt. ad Trebell. ff. vnde accepta est cõstitutio nostra, de Transactionibus, lata anno 1560. Deinde locum nõ habet in emptore: quicquid Glossa, Bartolus, Baldus, Paul. Castr. Salic. hîc: at verò & Panormitanus ad d. cap. cum causa. de empt. contrarium sentiant ex ratione quam aperit Baldus hic, num. 48. seruandam namque æqualitatem in iudicijs, neque propter eà concedendum quicquam venditori quod non & emptori, & è contrà, in quo & citat. l. 1. de cupressis ex luco Daphnes, &c. inf. lib. 12. Primus hunc errorem notauit Carolus Molinæus ad consuetud. Paris. §. 22. num. 46. & in tractatu de vsuris, quod & agnoscit Cuiacius lib. 16. cap. 18. salebrosa, ait, & incondita oratione nimis. atque cap. 13. in mercatore. Æquum erat, vt differit d. cap. 18. Cuiacius, subuenire venditori qui minoris vendidit, quem plærumque necessitas rei familiaris compellit vendere pretio minore, citátque hanc l. cùm l. 12. & 16. hoc tit. l. 1. cod. de præd. decur. l. 2. cod. sine censu, vel reliq. l. Ita ut omnes §. 1. ff. mand. non etiam emptori vltrò accedenti ad emptionem prædij, sæpè fraudandi causa, & plærumque ementi impenso, ac immodico, affectione opportunitatis, vel vicinitatis, vel cœli, vel quòd illic educatus sit, vel parentes sepulti, vt in l. 1. §. sed si rem ff. si quid in fraud. patro. vel quòd maiorum eius fuerit, vt l. si in emptionem, ff. de minorib. qua cupiditate incensus sæpè proijcit ingentia, & immensa pretia: quod calorem vocat lex, licitatio, de publican. ff. alij insaniam. (locum in hoc seligit ex Cic. ad Attic.) alij stultitiam, vt in l. 3. ad l. falcid. locum verò incomparabilem subijcit ex Saluiano, lib. 5. de prouidentia Dei: qui hodie vulgatus: placeant tamen & hîc verba ipsa, quippe necessaria ad confirmandam aduersus interpretes veteres de emptore non admittendo, sententiam: *Inuidiam penes emptorem: inopiam penes venditorem esse, quod emptor emat vt substantiam suam augeat, venditor, vt minuat.* Censet insuper Chopinus hoc ipsum lib. 1. tit. 2. consuet. Paris. Id verò ita Senatus, causa plenissimè cognita, an 1592. die 8. Ianuar. reperies exscriptum ex tabulario, seu ex actis curiæ, vt loqui mos est, apud Chanutium, quæst. 35. meminit Donellus ad hunc textum, contrariæ veteribus huius sententiæ, sed tam oscitanter, tamque ignaua opera, vt pœnituerit me euoluisse. *Quod primùm*, inquit, *benè animaduertit Molinæus in libro de retract. in qua sententia & doctos omnes interpretes animaduerto postea fuisse.* Sic ille: qui plus satis ostendit dictasse se ex relatu, quasique ex fama, quod scribit, neque vnquam obseruasse vbinam Molinæus istud, libro de retractu, iait: At Molinæus nihil vnquam de retractu edidit, sed solus Tiraquellus. Sed non eo tantùm loco inanitatem illius interpretis, seu ad Iuris scientiam, seuque ad ornamenta ex auctoribus classicis, quibus renident scripta recentiorum, comperi. Magnum tamen vt quemdam Papinianum audiebam anteà, & putabam, priusquàm legissem. Vnum de aresto anni 1592. quod memini suprà, adijciendum arbitror. Quamuis enim magnus ille Brissonius causæ peroratæ præfuisset, & Pet. Mestræus, qui tunc fisci causas agebat, vir in Iurisconsultorum schola versatissimus, quæstionem eruditè agitasset, ferè tamen insuper habebatur quod pronuntiatum fuerat, vt latum, rebellante Lutetia, quasíque à non Iudicibus, iudicium. Quæstio igitur eadem cùm incidisset an. 1603. disceptata est denuò in publicis causarum actionibus à Philb. Choarrio, & Aug. Gallandio, fortissimis patronis, prolatique textus quibus nitebatur emptor, nempe. l. 3. cod. commun. vtr. Iudic. l. 1. si quid in fraud. patro. l. si circumuenta. sol. matrim. l. patri. §. 1. de minorib. ostensum verò est intelligẽdos esse illos textus secundũ suam rubricam, redigendósq; ad materiam de qua agunt, videlicet ad causam minoris ætatis, ad causam dotis, & ad ius patronatus, nec ad alia denique quorum iura nulla singularia. Ita ut anno, quem dixi, 1603. die 18. Mart. summotus iterum à pleno, indubióque senatu fuerit animosus,

ille emptor qui ceu a non iudicibus diremptum hoc veteris, ac nouæ scholæ Iuris iurgium audacter, acerrimeque contenderat. Cætera igitur persequor. Neque enim admitti læsionem vltra dimidiam iusti pretij in vsufr. nempè propter incertitudinem, censuit senatus apud Turones an 1593. die 7. Ianuar. Docuit in ea causa Illustriss. dom. Ant. Seguerius, tunc orator regius, hodie infulatus Præses eminentiss. vsumfr. modò esse mobilem, modò immobilem. modò & quid tertium: mobilem, quia fit in sola perceptione fructuum: immobilem, quia pars fundi dicitur, l. rectè. de verb. signif. Tertium quid, quia participat vtrumque.

In cæteris vix est vt, si egrediatur deceptio dimidiam veri pretij, non restituatur ex hac l. venditor. Quinimò & habet locum in emphyteusi, vt docet Speculator, tit. de Emphyteusi, num. 113. ad plures enim Emphyteutarum vitas aut in annos 99. quod frequentius, vbi res exigit, concedi solita est; dicámque de eo fusiùs Deo ita bene iuuante, ad tit. de Iure emphyt. qui libri huius quarti vltimus.

Defendi deinde possit, summáque, dixerim, ratione, habere etiam locum hodie in militijs, muneribúsque Iudicialibus, quia loco immobilium. Scio enim equidem alium iudicandi morem ante funestum dissensionum nostrarum anni 1589. quinquennium, quo euersum pene est imperium Gallicum: causæque interfui, cum perorare-tur, ann. 1586. ad meram, nudámque hanc quæstionem, vtrùm scilicèt in venditione magistratus, Iudicialisque muneris, nostræ huic legi secundæ esset locus: pronunciatum autem est, non esse, dicentibus Io. Tronconio, & Ant. Arnaldo: tum quia annumerata mobilibus eiusmodi munera, tum verò quia vt incertum quanto tempore frueretur qui emisset, ita & accedente morte, haud magis quàm in vsufructu, transitura erat ad hæredem proprietas. Sed alia iam est ætas, aliique mores. Quamuis enim Pauletanam militiarum, munerumque iudicialium dinundinationem sustulerit augustiss. iustissimusque Ludoicus noster XIII. anno 1616. Rhotomagi, tamen anno 1618. die 24. Iulij in publicis causarum actionibus, cùm hoc vnum quæreretur an vænales essent militiæ, muneraque iudicialia, & an inter immobilia, immò inter patrimonij bona, itaut & percipi oporteret dotalitium ex eo, quo emptorem inuenirent, pretio, pronuntiauit, disertè, indistinctéque senatus competere viduæ dotalitium, seu doarium, vt loquimur, illúdque statutarium, in pecunia quæ reficeretur ex venditione præfecturæ militaris Perticensis, vernaculum senatusconsulti, quò magis inclarescat decisio, sic habet: *La Cour a mis & met l'appellation & ce dont a esté appellé au neant sans amende, & en emendant, a ordonné que l'appellante aura son douaire coustumier sur les deniers procedants de l'office de Lieutenant en la Mareschaussée du Perche, qu'auoit son defunct mary, ou sur l'employ d'iceux, & a condemné les intimez és despens.* Perorabant Heudonius, & Monhay. Litigatorum nomina, Ioanna Loches, vidua Michaelis Crestot, &c. & Andreas Oliuier. Paulò autem antea, nempe die 30. Iunij, eiusdem anni 1618. inter Nicol. le Moyne, &c. & Mariam Roinet, viduam Ricardi Fourmentin, Vicecomitis, seu iuridici Perticensis, Iudicatum ex scripto fuerat, decem & quinque librarum millia, quibus munus illud vænierat, censenda esse inter quæstus immobiles: denegataque viduæ actio qua petierat vniuersam pecuniam, ex causa donationis inter se & maritum, vt mobilem.

Si igitur munera illa iudicialia, ceu prædialia sunt, atque immobilia, non video cur, si longè infra commune pretium vænierint, locus legi nostræ esse non debeat, cùm & in mobili pretioso, & quod vice sit rei immobilis, locum ei esse iudicauerit sat diu senatus ex ratione legis, Emptori. ff. de euiction. ad quam plura in hoc disserui. Accedat quod & anno 1607. die 6. Septemb. pronuntiatum est in purpuris, quæstoris ærarij munus, apud Aurelianenses, esse immobile, exemptumque propterea societati coniugali. quæ erat vnica inter viduam, & hæredes mariti disceptatio. Quæsitum est an, 1596. in causa domus Chaliotiæ, circa Lutetiam, quæ tribus tantùm aureorum millibus distracta Vvischianæ dominæ fuerat, cùm liquidò constaret impensa fuisse in ædificijs ab Illustri Catharina Medicea, quinquaginta aureorum millia, vtrùm ex ædificij, an ex reditu accipienda esset læsio. Creditores Mediceani contendebant ex ædificijs: Emptrix ex reditu. Disceptatum id ab Ant. Arnaldo, pro creditoribus, & ab Aug. Gallandio pro Emptrice. Placuit, ex solo reditu, non ex ædificijs. textus in eo elegans in l. si quos. inf. hoc tit. ad quam tamen vide distinctio.

nem triplicem. Quęsitum etiam in edictali auditorio, an in permutatione obtineat. Placuit autem obtinere, an. 1607. die 17. Ianuar. ad instar nempè venditionis, atque ex ijsdē rationibus, & modis quibus in venditione vti solitum est. Quærit Bartolus hîc, si nuntiatum sit instrumēto venditionis, donatā esse Hyperocham (dicimus, *la plus-value*) emptori, tantáque nihilominus detegatur postmodum deceptio vt egrediatur dimidiam iusti pretij, vtrùm tollatur ex eo legis istius beneficium: Decîdit autem non tolli, quoniam donatio Hyperochæ intelligi semper debeat de modico, disertus in id textus in l. hęc adiectio. de verb. sign. quam & citat. Notat postremò hîc Faber quod quotidiano ex vsu est: ita scilicèt obtinere hanc l. in re fisci vendita, vt, si vel minima depręhendatur lęsio, rescindatur contractus, resque de nouo væneat. Frequentissimum hoc in venditione patrimonij fiscalis, in venditione scribatuum, (vulgò dicimus, *la reuente des greffes*) & similibus. Quantum ad renuntiationem, distinguit etiam optimè Paulus Castrensis, aut scit venditor verum rei venditę pretium, aut ignorat: si scit, valet renuntiatio: si ignorat, secus. Aut deinde renuntiatio est generalis, aut specialis. specialis nocet: generalis non, eóque sensu accipiendum quod de renuntiatione facta beneficio huius legis scribit Mathęus Affl. decis. 220. hactenus ergo de prima parte legis quę ad læsionem vltra dimidiam. Nec abs re autem fuerit modum agendi hîc addere qualem describit ex veris Rebuffus, tractatu de restitutionibus, num. 34. verba eius sunt: Nos Galli in praxi solemus impetrare literas contra vtrumque, nempe contra primum venditorem, vt veniat ad videndum rescindi venditionem: contra emptorem verò, & rei possessorem, vt rescissa venditione restituat rem: sicque vno, eodemque iudicio cumulantur rescindens, & rescissorium, vt vitetur circuitus. Sic ille, qui & rursus hoc idem in summa repetit, artic. vn. glo. 21. & 23. vbi in hunc modum distinguit ex praxi: In iudicio rescindenti, inquit, ita concludunt: *le conclus à l'enterinement des lettres, &c. & icelles enterinant, que ledit contract soit cassé, & annulé, &c.* In iudicio autem rescisorio verba hæc sunt: *& en ce faisant que l'acheteur sera contraint rendre & restituer ladicte maison vendue, en laisser iouyr ledit vendeur, comme de son propre, offrant rendre audit defendeur le fort principal, & loyaux consts, si mieux n'ayme le defendeur suppleer le iuste prix.* Ista nempe nè quid ad celebritatem legis desit, eóque præterea iure vtimur.

Quantum ad alteram legis partem, quæ est de supplemento iusti pretij, vtrùm ex eo debeantur laudemia: nemo bene fori peritus ambigit quin debeantur. doctrinaque in id Molinæi clara est, §. 55. glo. 5. ad consuetud. Parisi. & Argentræi ad consuetud. Armoric. tractatu, de laudemijs, §. 19.

IIDEM. AA.

L. 9.

Pretij causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.

Componenda omninò lex 6. In solutum. sup. de actionib. ad quam dixi quod in hoc ipsum sit satis.

IIDEM. AA.

L. 11.

Venditor factum emptoris quod eum tempore contractus latuit, pòst arguendo, non quod eo tempore scierit, quo id ageretur, & consensit, de dolo queri potest. Igitur cùm patrem tuum, vt maius comprehenderetur pretium, quàm rei quæ distrahebatur, esse conuenerat, consensisse profitearis: propter hoc solùm de circumscriptione frustrà queritur, &c.

Paucissima interpretes: ſoluſque Salicetus notat quod ad noſtros mores fecerit. De partium conſenſu, inquit, maius pretium quandóque ſcribitur in inſtrumento quàm verè res empta fuerit. Sic ille. frequentiſſimum verò id apud nos in emptionibus rerum, quarum redhibitionem gentilitiam, ſeu retractum timet emptor. Vt enim auertat, quaſique deterreat conſanguineos picta ceu imagine ingentis pecuniæ quam pro rei emptæ pretio numeraſſe videatur, cauet apud venditorem vt conuentam non modò, ſed & numeratam ſcribat Tabellio, qui inſtrumentum emptionis conficit. Cui fraudi ierunt obuiam plures prouinciales conſuetudines: atque inter cæteras Melodunenſis, artic. 157. cuius verba: *Si l'acheteur fait mettre és lettres de ſon contract plus grande ſomme que celle qui a eſté conuenuë, & l'afferme par ſerment: & apres le retrayant prouue euidemment le contraire, ledit acheteur perdra ſes deniers, qui ſeront appliquez au ſeigneur, en la iuſtice duquel le pariure aura eſté aueré; & outre ſera emendable à la diſcretion de iuſtice.* Hoc & ipſum conſuetudo Turonenſ. artic. 172. ſed mitiori in emptoris periurium pœna. Sic & Antiſiodorenſ. art. 156. & Cathalaunenſ. artic. 233. Verſatur hoc denique in arbitrio iudicantium.

IIDEM. AA.

L. 13.

Si maior annis 25. fundum diſtraxiſti: propter hoc ſolum, quod ementi, ne compararet ſocer tuus, denuntiaſti: emptionem factam à te reſcindi bona fides non patitur.

Id eſt, aiunt hîc Bartolus, ceteriq; interpretes. Proteſtatio facta ab eo qui ius proteſtandi non habeat, non officit contractui. Cauſa autē cognita æſtimandū illud eſt, vt docet ad eam ipſam quæſtionē, Scæuola in l. Tutor vrgentibus creditoribus, in princip. ff. De minor. Inde excipit gloſſa, ſi Ius vel modicum qui denuntiat, ac proteſtatur, ſeu ratione rei, ſeu ratione perſonæ, habeat: in quo verè forenſis lex, ſi fundum. ſup. de rei vendic. ad quam dixi. fusè autem de proteſtationibus vide ad l. ſi filiusfamil. ff. ad Macedon. Valent maximè ſi aduerſus potentiorem factæ ſint, cui denuntiatio fieri niſi cum periculo non poſſit: textus in hoc præ cæteris notandus, in l. Si præſens. cod. de Epiſcop. aud. At verò & coniectura coactæ voluntatis, nec liberæ, inducitur, ſi ſcribatur quippiam, ſeu ſit contractus, ſeu teſtamentum, in loco ſuſpecto, & adiiciatur clauſula inſolita, non metu ſcilicèt, ſed ſponte, actum id fuiſſe: Plura Menochius, lib. 4. præſ, cap. 11. & Gratus, conſil. 2. lib. 2. & conſil. 395.

IMPP. VALENTINIAN. THEODOS. ET ARCAD.

L. 16.

Si quos debitorum mole depreſſos neceſſitas publica rationis adſtringat proprias diſtrahere facultates: rei qualitas, & redituum quantitas æſtimetur, nec, ſub nomine ſubhaſtationis publicæ, locus fraudibus relinquatur, vt, poſſeſſionibus viliore pretio diſtractis, plus exactor ex gratia, quam debitor ex pretio conſequatur. Hi poſtremò ſub empti titulo, perpetuo dominij titulo potiantur, qui tantum adnumerauerint fiſco quantum exegerit vtilitas priuatorum. Etenim periniquum eſt, vt alienis bonis ſub gratioſa auctione diſtractis, parum accedat publico nomini cùm totum pereat debitori.

Præclara certè constitutio, vt in decretis auctionalibus nihil fiat per gratiam, & sordes, nihil præcipiti audacia, itaut vili, nec suo pretio, bona infœlicis debitoris væneant. Habemus verò & nos Galli edicta in hoc singularia, quæ seruantur religiossimè, atque illud, inter cætera, quod ab Herrico 2. latum est anno 1551. Tamen vix est, vt si potentior rei alicui inhiet, quæ auctioni publicæ subiecta sit, non auferat malis artibus, paruóque ære, vt sæpe visum est, quod voto latenti expetit. Nihil equidem ad solennia addictionis desiderabitur. narrabit enim egregiè auctionalis codex libellum petitionis, posteáque præhensionem bonorum debitoris, domicilij electionem, constitutionem sequestri iudicialis, vela regia, locationem publicã, publicationes quatuor, aut minus tempus, prout ita ex legibus prouincialibus earumque probationem, seu certificationem, vt loquimur: citationem deinde factam debitori, vt probationi publicationum intersit, posteáque vt vitia publicationum, si qua sint, proferat, (dicimus *bailler moyens de nullité*) aliam & factam creditoribus, vt qui intercesserunt apud viatorem publicantem, causas intercessionis quisque expromat. narrabit verò etiam consignatas esse intercessiones, seu oppositiones, apud acta, quod necesse est: addicendi licentiam, pretij adiectiones, plura sustinendæ addictionis tempora, (vocant, *remises*) tandemque addictionem ipsam, non ex confessu interiore, (quod vitium addictionis damnauit sæpè ordo amplissimus) sed palam, iudicéque sedente pro tribunali, interpositam: Auersi autem sunt interimqui verũ rei publicatæ pretium adiecissent: itaut, tot inter fucata ex publico solennia, plorarit sæpissimè cadauerosus, per ærumnas familiares, debitor, cernens addictum, vel infra dimidiam iusti pretij, auitum, pretiosissimum, multique reditus, fundum, potenti cuidam vulturi, tedempto personæ vulgaris, sæpéque procuratoris forensis, nomine, qui intra octiduum profitebitur apud acta, non sibi, sed huic, vel illi ex optimatibus emisse qui ipsum in id procuratorem constituerat. in hos proinde & notabitur, auctarij vice, l. vn. de contractib. Iudic. lib. 1. ad quam, longo in hoc ipsum scholio, disserui. Opus fuit varijs, per longa tempora, senatusconsultis, vt sisterentur artes iuridicorum, magistratuum, dynastarumque prouincialium: nec nisi post iteratas sæpius eiusmodi emptionum, aut ereptionum potius, rescissiones, subsedit infrænis ipsorum auctoritas. Plura de bonorum publicationibus dixi ad tit. de in diem addictio.. Cæterùm quod adijcit textus de æstimatione possessionum ex rei qualitate, & quantitate reditus, intelligendum id distinctione triplici. Aut enim de ædificijs vrbanis agitur: & tunc status eorum, amplitudo, situsque opportunus, & commodus æstimationem constituent, non solùm, ex reditu, sed ex lapide, cæmento materiaué alia qua constent, vt toto tit. de seruitut. vrb. præd. Aut deinde sola ruri, ad amænitatem, domus est cuius nullus planè reditus, vt plura eiusmodi pausilypa sunt circa Lutetiam: & eo casu materiarum ferè sola habebitur ratio, deductisque ætatibus, vt in l. domus. De leg. 1. iudicauítque ita senatus ad Chaliotiæ domus controuersiam, de qua suprà ad l. 2. Aut denique domus exstructa est qua diues alioqui fundus fiat pretiosior, & amænior, vt in l. si quis mihi. ff. mand. & tunc qua ratione totum id æstimari debeat, dixi ad l. In fundo. ff. de rei vendic. & ad l. domum eod. illo tit. sup.

IMPP. ARCAD. ET HONOR.

L. 17. quæ penult.

Hi qui imposita munera ciuitatum fuga destituunt, vel ineundos furtim existimant esse contractus: intelligant sibi nihil hac profutura esse commenta, & pretio emptorem fugæ conscium mulctandum esse quod dederit.

Clarum fieri possit quantùm è priscis constitutio hæc, & lex vn. si curialis relicta ciuitate, &c. lib. 10. ad mores nostros conferant. Quod enim agit de decurionibus ciuitatum, qui, nè obire cogerentur munera publica, malebant fuga sibi quærere in

rebus ſuis quietem, bonáque ſua vendebant, quas venditiones proinde reſcindi volunt Imperatores: Ratio eſt quòd quiſquis decurio, curialiſve fieret, tenebatur cum cætero omni ordine hoc agere vt in tuto eſſent tributa publica: quorum ſi vel tantilla pars deeſſet, præſtare cogebantur ex fortunis ſuis præſtare reſiduum. Eorum enim cenſus erat centum millium, vt conſtat ex Plinio lib. 1. epiſt. 18. Inde nerui vocabantur ciuitatum, apud Caſſiodor. lib. 9. cap. 2. Nec alia ratione indulta illis erat ſumma quælibet dignitatum prouincialium prærogatiua, vt videlicèt decurionum ordo diceretur Minor ſenatus, apud Maiorian. Nou. 1. Item, coniugiorum ſordibus maculari decurionum dignitatem vetabant leges, d. Nou. 1. Maioriani. & cod. Theodoſ. de decurion. l. nulla. At verò & per oblationem curiæ, quiſquis naturalis foret, fiebat legitimus, Nou. quib. mod. natur. fiant legit. Sed nihil tanti iſta, præ oneribus quæ tam grauia, ponderoſáque fuerunt, vt non modò de tributis obligati eſſent fiſco in ſolidum, bonáque eorum vænirent ſi ad manum non haberent vnde liberarentur ære illo publico. Aliunde autem tanta erat ſeruitus, vt aliò migrare, relicta curia, non liceret. Eò igitur ſpectat titulus, de decurionib. ff. & cod. lib. 10. vt obuiam iretur, quandiu ſtetit imperium, effugijs quibus auerſari omnes ſolerent tam exitioſa, ſeruiliáque munera, renidentia extrà, intra autem meri compedes, meráque ſeruitutum iuga. Verus ille intellectus legis, Quidam. & legis, Quamuis. d. tit. de decurio. in eos nempe qui vitandæ ſeruitutis illius curialis gratia, malebant, abiectis omnibus ſuis bonis, fieri monachi. Quidam, inquiunt Valentinianus, & Valens, ignauiæ ſectatores, deſertis ciuitatum muneribus, captant ſolitudines, ac ſecreta, & ſub ſpecie religionis, cum cætibus μοναζόντων congregantur. Hos igitur, atque eiuſmodi deprehenſos erui latebris, conſulta præceptione, mandanus, atque ad munia patriarum ſubeunda reuocari; aut, pro tenore noſtræ ſanctionis, familiarium rerum carere illecebris, quas per eos cenſuimus vendicandas qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum. ſic illi. Nè autem tam nouum iſtud videatur imperitis, ſubiungo iam leges Francicas. Ita enim prorſus capitularia Caroli Magni, lib. 1. cap. 120. & cap. 114. Vbi dicitur, licentiam impetrari oportere à principe vt quis fiat monachus. *quia audiuimus*, ait Car. Magnus, *aliquos ex illis non tam deuotionis cauſa hoc feciſſe, quàm pro exercitu, ſeu alia functione regali fugienda.* Nec verò ſola iſtud Capitularia. reperio enim in perſcriptis Caluimontis moribus hæc verba, art. 3. *Ceux qui ſont de main-morte ne ſe peuuent faire clercs au preiudice de leur ſeigneur, quand ils ſont de pourſuitte.* Rurſus verò hoc ipſum conſuetudo Meldenſis, artic. 79. Priſcum autem & hodie iſtud noſtris. nihilque in quo applicari poſſit legis huius deciſio, præter infœlices illos parœciarum ærarios, quorum ſi quis proſpiciat fore vt procurator paræcianus fiat, id eſt obligatus Principi, vt veteres ferè illi decuriones, pro ſupplendis tributorum, ſeu talearum, vt loquimur, reſiduis, malit penè ille carere patriis laribus, boniſque omnibus cedere, quàm oneri tam ſæuo ſubijci. ex quo & plures de more mancipati vinclis, iiſque diutiſſimis carcerum. cauſas illas audit ſæpius ſubſidiorum curia.

IMPP. ARCAD. HONORIVS, ET THEODOS.
Noſtri Comiti rerum priuat.
L. vlt.

Veſtium auri, & argenti, ſeu mancipiorum coëmendorum, ſi quando à priuatis noſtris ea contigerit vænundari, palatini ſciant ſibi copiam denegatam, pœna in eos amiſſionis pretij exercenda.

Planè neſcierunt Doctores Itali quid velit iſta Comiti rerum priuatarum inſcripta conſtitutio. Priuatos enim Principis putarunt eſſe ſubditos: Palatinos, proceres, conſiliarióſque Principis: aut, vt ruditate ſemper nimia ſermonis Baldus, magnos Conſiliarios magnorum dominorum qui tenent locum Principum. Optimè, eruditiſſiméque Cuiacius in poſtumis, verba, *priuatis noſtris*, non refert ad homines, ſed ad negotia priuata Principis quæ adminiſtrabat Comes rerum priuatarum, (adminiſtratio hæc hodie ſpectat, inter cætera, ad *Magadomeſticum* Principis, ſeu vt in verna-

culo nostro est, *au grand maistre*, cuiusmodi est, illustriss. Comes Suessonius.) In his ergo priuatis, ait Cuiacius, cùm essent mancipia, (legendum enim in textu non, *Municipiorum*, sed, *Mancipiorum*) aurum, argentum, vestes, *Palatini*, id est apparitores Comitis, emere ea vetantur; sicut tutori interdictum est, nè emat rem pupillarem, nisi auctione publica. Quod si emerint, rescindi vult constitutio & venditionem, & rei pretiũ amitti: putarim nè fiat fraus in emendo, prætextũq; & colore quæsito emptionis. Siq; vtcúmq; ad res nostras referre istud in partẽ liceat, vestes regiæ, qualescumque illæ sint, quæruntur apud nos, pleno iure, ei qui synthesis regiæ, seu refugij vestiarij, præfectus fuerit: vocamus nos Galli, *le maistre de la garde-robbe*: quod munus nisi gratissimo cuiq; apud Principẽ aulico. Fateor deniqẽ abstrusissimũ, qui quasi in calce, ac angulo delitescit hũc textũ. Nullus omniũ interpretũ præter Cuiaciũ sententiã attigit, de qua tamen vix est vt mihi ad vsum aliquem satisfaciam. Qui mihi meliora, accepto lubens ferã, herbámque, quod aiunt, porrigã. Sagacitatẽ verò hîc ingenij, non supercilium, quale in plurimis, requiro. Donellus explicare & paucis ausus est, sed sese, verè λαθιβούμενος quasi in vepreto, locóque auio, implicuit: peccauit enim in sacræ eruditæque antiquitatis vestigia, peccauit etiam in sensum legis. Malo ego profiteri me ignorare quid sit, quàm exhibere quod non sit. prudenter Duarenus, Sichardus, penéque alij omnes prætermiserunt. Ipse attingo, vt à doctioribus, in re à nemine hactenus intellecta, docear.

TIT. XLV. QVANDO LICEAT AB EMPTIONE DISCEDERE.

IMP. GORDIANVS.

L. 1.

Re quidem integra ab emptione & venditione, vtriusque partis consensu, recedi potest. Etenim quod consensu contractum, contrariæ voluntatis adminiculo dissoluitur. At enim post traditionem interpositam nuda voluntas non resoluit emptionem, si non actus quoque priori similis retroagens venditionem intercesserit. Iunge l. 2.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.

L. 2.

Perfectam emptionem, atque venditionem, re integra, tantùm pacto, & consensu posse dissolui constat. Ergo si quidem, arrhæ nomine, aurum datum sit, potes hoc solum, secundum fidem pacti, recuperare. Si verò partem pretij persoluisti, ad ea quæ venditorem ex venditione oportet præstare, magis actionem, quàm ad pretij quantitatem, quam te dedisse significas, habes.

Componenda omninò lex. Ab emptione. de pact. ff. ad quam dixi. lex, nihil tam naturale. & l. ferè quibuscumque modis. de reg. Iur. lex, prout. de solution. ff. Quantum ad arrhas, de quibus etiam lex, quod sæpe. de contrah. empt. congessi, castigato sermone, ferè quod satis, ad l. 5. §. si ei quem. ff. De Institor. Quod igitur notandum ex vtroque hoc textu: per arrhæ dationem non desinit res esse integra, sed tantùm per solutionem partis pretij. Nisi tamen data fuerit arrha loco pretij, & arrhæ, vt rectè hîc interpretes: licèt tamen rarissimum hoc: neque vnquam accidisse didici: vt scilicet in anticipationem pretij, & arrhæ, emptor pecunias vllas dederit. Hæc ὡς πάρεργα. Iam quæstiones ingredior quæ ad laudemia. Magnam enim earum partem huc

reieci, vt sanè allegatur ferè hac sola ratione hic titulus in foro, etiam ab imperitis, quasique ab ipsis formularijs, quòd nimirum Io. Faber Laudemia hîc meminerit, quandò debeantur, necnè, post resolutum contractum. Non deberi vult si contrahentes recedant ab emptione, re integra, vel si contractus iudicetur nullus ex aliqua præcedenti causa, ex causa antiqua, inquit vulgus pragmaticorũ, quorum pars paulò scilicèt doctior, citat & Fabrum adhunc tit. Vno verbo: Laudemia debẽtur si ex causa voluntaria resoluatur contractus: Non debentur, si ex necessaria. atque ille est vsus. Laudemia sunt odiosa, scribit Molinæus ad art. 109. consuetud. Aurelianens. morémque, ad art. 64. consuet. Armoric. improbat quo seruamus, maximè apud Cænom. Andes, & Turones, vt præstentur ex contractu pignoratitio vltra nonem annos. optimáque in id ratione vsusfr. vtitur. Censet verò in summa, ad consuet. Paris. §. 22. num. 2. & seqq. nihil peti posse ex contractu simplici, seu ex laudemiorum causa, seu etiam ex iure ἀναχάρήσεως, (releuium vocant) petitio fiat: imò etiamsi ad expressam demissionem fidei processum sit nisi sequatur vera, vel ficta traditio, itaut, mutatione manus facta, feudum à veteri vassallo in nouum acquirentem (sunt eius verba) transierit. Docet Tiraquellus §. 29. glo. 2. liberum laudemiorum præstatione emptorem qui ex statuto cedere coactus est rem emptam retrahenti consanguineo. Si quis enim dicat, vt subijcit, posse emptorem repetere eadem laudemia à consanguineo qui retraxit, dixeris etiam tu è contrà satius multò esse non soluere, quàm solutum ab aliquo repetere, tum quia forsan consanguineus non erit soluendo, tum quia litigiosus, &c. plura ille, glo. 2. num. 3. & 4. Tamen quæstio hæc cùm sat dudum inter patronos incidisset, diuisit experientiores. multum enim mouet quod contractus emptionis perfectus sit, & possessio apprehensa à primo emptore, & quòd denique primus ille contractus maneat, subrogato tantum consanguineo in locum emptoris, contra quem propterea actio personalis domino quæsita est, nec vllo casu perempta. mouet hanc quæstionem Chopinus ad Consuetud. Andens. lib. 2. tit. 2. parte 2. cap. 2. Si fundus venijt sub conditione addictionis Iudicialis, stipulatione adiecta, vt nisi hoc fit, irritus maneat cõtractus, (vulgò dicimus, *A la charge du decret, à peine de nullité du contract*) sique lapso tempore resoluitur de voluntate contrahentium, citráque ministerium Iudicis: vtrùm debeantur laudemia: decîdit autem non deberi, quia ob causam necessariam resolutio illa contigerit, nec admittimus, nisi cum distinctione, opinionem Tiraquelli, in tractatu, de Iure constituti, limitatione 27. partis 3. vbi scribit in quæstione laudemiorum, in hæc verba: Scio, inquit, seruari in hac nostra Gallia, vt confestim quàm contractus factus est, etiam sine constituto, aut precario, quæsitum sit domino Ius laudemiorum, etiam antequàm emptor accipiat realem possessionem. Sic ille. Vidus enim Papius, quem citat, & Molineus, ad consuetud. Paris. censent contrarium, locis citatis. Addam hoc ex eodem Vido Papio, q. 48. laudemia nempe solui pro re donata, ex consuetudine generali Delphinatus: sunt eius verba, in quibus & desinam.

TIT. XLVI. SI PROPTER PVBLICAS PENSITATIONES VENDITIO FVERIT celebrata.

IMP. ANTONINVS.

L. I.

Venditionem, ob tributorum cessationem, factam, reuocari non oportet, neque priore domino pretium offerente, neque creditore eius iura hypotheca, siue pignoris, prætendente, potior est enim causa tributorum, quibus priore loco omnia bona cessantis obligata sunt.

Iunge l. 9. fundus. ff. de rescind. vend. cuius verba: *fundus, qui l. Titij erat, ob vectigal. reip. venijt. &c.* Dixi ad eam quod ex edictis, moribúsque Gallicis. Sola enim mobilia auctioni subijciuntur, ad tributorum solutionem, numquam immobilia. Cur autem contrarium seruarint Romani, vt paret ex duobus his textibus, atque ex l. 3. inf. de Iure fisci, lib. 10. cur & Græci, vt docet manifestissimè Demosthenes oratio. contra Androtionem, & oratio contra Timocratem: petenda longiùs vel aliunde ratio haud fuerit, quàm quia εἰσφορὰς vt vocat Demosthenes, id est tributa, & realia sint apud nos, & capitales simul illationes, seu, vt loquimur, mixtæ taleæ (vernaculum enim istud nostrum est) partim scilicèt ex rebus, & partim ex personis: quod inuexit regni Caroli septimi, exhausti nimirùm prælijs Anglorum, Burgundionúmque longissimis: aliúsque penè hodie Regum nostrorum, nisi ex sudore isto populi, nullus certior reditus, diffusus quippe in omnes Galliæ totius plagas, nisi trans Garumnam, atq; apud Allobroges, vbi tributa penduntur tantūmodò ex rebus, seu fundis popularibus, quæ omnia proinde, vt seruantur in eis Romanæ leges, vænire etiam posse, nemo non dixerit, nisi soluatur vectigal annuum: dixit Demosthenes in hoc ipsum, χωρία δημεύων κατὰ τὰς οἰκίας. I. prædia publicare per quasque familias. Glossa hîc notat prædia illa tacitè obligata Principi ratione vectigalium: notátque creditorem priorem tempore præferri. quod tamen negat Masuerius. tit. de Iure emphyteut. Princeps enim instar est primæui, directique domini, quem constat præferri omnibus anterioribus creditoribus etiam expressam habentibus, in quo & citat hanc legem, cum qua iunge l. si is qui. ff. de iu. fisci. ad prærogatiuas iurium fiscalium. at verò & orationem 15. dom. Bretij, solertissimi fisci patroni, in senatu, cùm anteà primam illam oratoris regij personam sustineret in subsidiorum curia. Docet enim & quemlibet ex parœciæ alicuius ærariis, prehendi posse, claudique carcere, donec pro cæteris omnibus conuicanis exoluerit tributum quod ab vniuersitate debetur, postquam varijs actis susceptor probarit iussisse vt soluerent, iusque prehendendi ab Electis, vt vocant, seu tributarijs loci cuiúsque iudicibus, ritè, ac rectè, citraq; calumniam, & fucū postulauerit. Sunt nempe iura illa regia, quæ in suos habere Principem voluit Deus maximus, vt vulgatum plus satis ex libris Regum.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 2.

Si deserta prædia ob cessationem collationum, vel reliqua tributorum, ex permissu Præsidis, ab ijs quibus periculum exactionis tributorum imminet, distracta syncera fide, iusto pretio solemniter comparasti, venditio, ob solemnes præstationes, necessitate facta, conuelli non debet. Sin autem venditio nulla iusta authoritate Præsidis præcedente, facta est: hanc ratam haberi iura non concedunt. Id itaque quod frustra gestum est, reuocari oportet, itaut indemnitati tributorum omnibus modis consulatur.

Sic in l. 3. ff. de Iure fisci, inf. lib. 10. *Si propter tributa*, inquit, *sub hasta venierint bona debitoris, per ambitionem, & gratiam, minùs iusto pretio in debitoris fraudem, venditio nec quicquam coit, & rescinditur, fisco oblata pensione debita.* Cæterum cessationem collationum hîc intellige, cum glossa, qui cessarent, id est, pro more non penderent vectigal annuum ad reficiendas vias. reliqua etiam tributorum, ea sunt quæ arreragia vulgò nos Galli dicimus. denique vt lex hæc secunda verè hypothesim subijcit ad regulam quam præfert in tributis lex prima, vide quæ ad illum necessario, breuísque scholio subieci.

TIT. XLVII. SINE CENSV, VEL RELIQVIS FVNDVM COMPARARI NON POSSE.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Ex conuentione quidem quâ pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis cùm fundum in dotem daret, vt ipsa tributa agnosceret; actio tibi aduersus eam competere non potest, etiam si pactum in stipulatione deductum probetur. Sed & si fundus æstimatus, ita vt pars instrumenti significat in dotem datus est, ex vendito actio, vt placitis stetur, non competit.

Idem ferè textus in l. ex conuentione. sup. de pact. quem proinde hîc nec exscribendum rursus putaueram. Vide quid eò contulerim, maximè quoad detractionem negatiuæ in d.l. ex conuentione: cùm hîc tamẽ adiecta sit: in quo antinomia, seu potiùs ἐναντιοφανὴς, cuius conciliatio varia apud Interpretes. De publico autem hîc agitur: de priuato, in l. contraria priuata verò conuentione, atq; inter priuatos, nihil religiosius & quod magis adstringere debeat fidẽ, vulg. l. 1. de pact. tantúmq; excipitur, si modò nihil intersit Principis: quod fusiùs apud Frossartum, variásq; imperij Frãcici perscriptas consuetudines, vbi de debito Principi homagio ligio. Semper enim id tacitè excipitur in conuentionibus, vt reuerà optimè Molinæus ad consuetud. Paris. §. 55. glo. 1. num. 50. docet totum hunc tit. loqui de fiscali censu, & tributo publico Imperij, ac coronæ: titulum autem de censualibus, & Iuribus dominicis, in consuetudine Paris. & alijs cuiusque prouinciæ, spectare ad Ius priuatum, & ad patrimonialem priuatorum censum. Sic deinde intelligitur titulus, de censibus. ff. Sic lex, census. de prob. & lex, quæ quisque aliena in censum. de acq. rer. dom. ff. sic solemnes pensiones, in l. solemnibus sup. de rei vendic. ad quam & hoc ipsum, notaui post Brisson. lib. 1. Antiq. Iur. Latè etiam discutit Car. Loyseau, cum duas has leges conciliat, tractatu, de cessione in iure, seu, de deguerpissamento. Masuerius, tit. de Iure emphyteutico, argumento etiam huius legis vtitur, vt dicat dominum primarium, seu directum, posse petere reliqua census priuati, seu arreragia, vt loquitur, etiam à 29. annis contra nouum dominum, quia res vt domino affecta, ac obligata perpetuo, immotóque pignori, ita & fructus tacitè obligati sunt pro solutione census. Nihil tamen deberi, dispendij, eiúsque quod interest nomine, in reliquis annui reditus tritici, placuit, ann. 1592. die 5. Mart. me causam agente, in senatu Turonum, pro Ioanne Frete. Aliud præterea priuilegium census est, vt nec redimi vnquam possit primus à censu reditus, vulgò dicimus, *le premier deuoir apres le cens.* Ita Senatus an. 1572. die 10. Februar. inter Thesaurarium, & Canonicos Palatini Sacelli Paris. & Vvil. Baronium. Prætereo legem vlt. quia eiusdem prorsus decisionis est.

TIT. XLVIII. DE PERICVLO, ET COMMODO REI VENDITÆ.

IMP. ALEXANDER.

L. 2.

Cùm conuenit vt singula amphora vini certo pretio veneant, peri-

culum vini mutati, emptoris non est antequam tradantur, & mensura vini facta sit. Cum autem vniuersum quod erat in horreis positum, (dicimus, vin vendu en gros) venijsse sine mensura, & claues emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod, vino mutato, damnum accidit, ad emptorem pertinet: hæc omnia locum habent, non solùm si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel similia venierint, & ea aut deteriorata, aut penitus corrupta fuerint.

Componendæ omninò lex 1. 3. & 15. Si vina ff. hoc tit. & lex, clauibus. de contrah. empt. ff. l. 12. Sicu. t. inf. tit. seq. Vide quæ ad eas collegerim. Singula enim legis istius capita de vino vendito per amphoras, certo in vnamquamque pretio, de mensura vini, de vini mutati periculo, de clauibus emptori traditis, cùm hîc quasi per iudicem, ceuq; in pugnum contracta videas, fusa interpretatione reperies in supradictis legibus, ad quas sigillatam subnotaui quod ex iure Rom. moribusq; Gallicis.

TIT. XLIX. DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENDITI.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 5.

Curabit Præses prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretij quam penes se habet, cum vsuris restituere: quas & perceptorum fructuũ ratio, & minoris ætatis fauor, licèt nulla mora intercesserit, generauit.

Vulgatissima hæc in foro, ad quam rectissimè Bartolus docet moram reipsa contrahi aduersus eum per quem stat quominus impleatur contractus, quãdo alter contrahentium impleuit: vsurásque legitimas eo casu potissimum admitti etiam iure canonico: quod & idem Baldus: cuius tamen sententiæ haud accedunt alij interpretes, iudicatúrque iure nostro Gallico in contrarium, in eo quod adijcit, planum fieri ex hoc textu moram duplicem irregularem contrahi quoad vsuras, alteram ratione perceptorum fructuum, alteram verò ratione minoris ætatis. Nam rescribunt quidem Imperatores fauorem minoris ætatis eò concurrere: sed quòd minori debeãtur vsurę ex mora re ipsa, numquam admittimus, & sane optima ratione. In constituendis, seu generandis (vt lex hæc loquitur) vsuris spectatur sola debitoris & perfidia, & contumacia, vt qui interpellatus opportuno tempore, & loco, moram contrahat: eóque vsu accipimus legem, in minorum. sup. in quib. caus. restitut. in integr. non est necessar. ad quam & hoc ipsum ex senatusconsultis monui. Ceterum iunge similes textus in l. Iulianus. §. ex vendito. ff. de action. empti. & l. 2. sup. de vsur. ex quibus scilicèt, quemadmodum & hîc ex æquitate, vt ait d. lex. 2. vsuras deberi constat ab emptore, qui re empta fruitur, nec soluit tamen pretium. eoque proinde sensu intelligenda etiam est lex, 5. initio. inf. de pact. inter emptor. & venditor. cum ait ex mora vsuras pendi oportere ab emptore fruente, nec soluente. moram enim reipsa, perque suam perfidiam plus æquo contrahit, nec interpellatione vlla opus est, cùm eum satis interpellet mala illa fides qua fructus quotidie absumit quos perciperet venditor, nisi vendidisset, & tradidisset: æquitásque illa tantò fiet tibi clarior ex textu legis, socium. ff. pro socio, quam vide. Explicant prætereà fusè hoc ipsum Chopinus ad consuet. Andens. lib. 3. cap. 3. tit. 4. & Couarruuias lib. 3. cap. 4. resolutionum. Vnum moneo quod omissum ab eis est, quotidianum verò nostris moribus:

vsuras

vsuras nempè pretij eo casu, non præstari quasi ex edicto anni 1602. quo emptitij prouentus ad rationem decimæ sextæ redacti sunt: sed habita ratione fructuum fundi venditi, putà ad rationem vicesimæ.

IIDEM A A.

L. 8.

Si pater tuus vaenundedit portionem suam, nec induxit in vacuam possessionem prædij, ius omne penes se eum retinuisse certum est. neque enim velut traditionis facta vectigal exolutum, si simulatum factum intercessit, veritatem mutare potuit. Quapropter aditus præses prouinciæ si animaduerterit in vacuam possessionem neque patrem tuum, neque successores eius emptorem, vel heredes ipsius quocumque loco factos induxisse: non dubitabit nihil esse translatum pronuntiare. Et si te ex empto ad inducendum eum in possessionem vacuam prædij perspexerit conueniri: æstimabit an pretium sit solutum: ac si repererit non esse pretio satisfactum, hoc restitui tibi prouidebit.

Paucis ita Bald. Emptor, re non tradita, non efficitur dominus, etiamsi gerat se pro domino, soluendo tributa, & onera realia. Dixi autem de effectrice dominij traditione, possessionisque prehensione, ad l. Traditionibus. sup. de pact. tamque longo, laboratóque scholio: rursúsque ad l. 2. §. 1. ff. de action. empti. vt solùm penè mihi superesse hîc videam quod pro regula Iuris Romani est ex l. 5. ff. de acq. possess. prædonem nimirùm esse qui non traditam possessionem nactus sit: *Si ex stipulatione*, (ait d. lex, 5.) *tibi Stichum debeam, & non tradam eum, tu autem nactus fueris possessionem, prædo es. Æquè si vendidero rem tibi, nec tradidero, & sine voluntate mea nactus sis possessionem: non pro emptore possides.* sic ille textus: ex quo perpetuus mos nostris emptoribus, donatarijs, alijsve quibuslibet, quibus quæsitum sit rei alicuius, quocumque titulo, dominium, vt ab actu aliquo solemni captæ possessionis incipiant, (vulgo vocitant, *l'acte de prise de possession*) à quo actu, citraque vlla elogia testium, initium sumat præscriptio, nisi aliud statuat consuetudo, vt inter cæteras, Monsargica, cap. 21. art 1. & Aurelianens. art. 486. quæ solam fruitionem annalem exigunt, in hæc verba: *On acquiert possession d'heritage, droict corporel, ou incorporel, en iouyssant par an & iour.* addit Monsargica etiam verbis Latinis, *non vi, non clam, non precariò ab aduersario.* Longè plures verò manum tabellionis, qui in rem præsentem veniat, exposcunt: nempe Borbonia duobus locis, art 422. & art. 209. verba adscribam, quia conuenientissima nostræ huic legi Diocletianæ: *Quand aucun a vendu, & transporté son propre heritage à personne estrange de son costé & ligne, &c. Il est loisible au parent lignager dudit vendeur de demander, & auoir par retraict lignagier icelluy heritage, dans trois mois apres que l'acquereur aura esté inuesty, s'il est tenu en censiue, ou qu'il ait esté receu en foy & hommage, s'il est tenu en fief, &c. du iour de la possession reelle prise par l'acquereur en la presence d'vn Notaire & deux tesmoings, &c.* Quinimò cautum est consuetudine Syluanectensi. art. 235. vt nè quis emptor ingrediatur possessionem rei venditæ nisi in eam inducatur à patrono feudali, si in feudum, vel censuali, si in censum habeatur prædium. Verba in partem sunt: *Et si ne se peut l'acquesteur mettre en tel heritage, sinon par la main du seigneur, &c.* Inde proculdubio possessiones ciuiles dominicæ, quas vulgò dicimus, *ensaisinements*, vt à quibus solis incipiat præscriptio, maximè quoad redhibitiones gentilitias, seu retractus lineares, cum intra annum concessi sint, nec vltrà: tamen si emptor reijciat in annos forsan 29. possessionis illius ciuilis, quam dixi suprà, initium: Itaut post annos 29. nec priùs, à die cæptæ fruitionis, illud faciat, patebit ex momento illo vltimo aditus consanguineo ad auferendum iure sanguinis quod per tot annorum continuam seriem penes emptorem

fuerat. Hoc ipsum in procuratore præfecturæ Parisiensis vidimus, cuius vicem ex infœlici ea mora doluerunt vicini, spectantes depelli ipsum à consanguineo ædibus emptis, instauratis, exstructisque ad maiorem partem, possessis vero per annos ferè triginta, sed in quarum possessionem, à domino censuali, nisi paulò ante excessum, inductus, seu, vt loquimur, insaisinitus, fuerat. Alibi recenseo lugubrem eam casum longiùs. Videmus prætereà possessionis ipsius solemnem necessitatem in beneficijs Ecclesiasticis. Intrusus enim dicitur quisquis propria auctoritate beneficium quod ipsi, per electionem, collatum est, administrare, ante confirmationem Episcopi, cæperit, ita ex curiæ placitis, atque ex vsu, singularisque in id decisio est, nempe sexta, apud Capycium, senatorem Neapolit. in decisionib. Neapolitan. Sic & prohibet constitutio Blæsens. art. 12. nè quis beneficij, quod à Pontifice Rom. impetrauerit, in *forma dignum*, ingrediatur possessionem, priusquàm Archiepiscopo, vel Episcopo diæcesano, aut eorum Vicarijs generalibus sese obtulerit approbandum, & *Visa* ab illis collatio fuerit: in quo tamen exceptio est, nisi videlicet contulerit Pontifex in forma gratiosa. Tunc enim nullo Episcopi ministerio opus est, potéstque eo casu Clericus possessionem ingredi, seruatis tamen solemnibus adipiscendæ possessionis, qualia quotidie sacro, publicóque in more sunt.

IIDEM. AA.

L. 9.

Si minor à venditore (siue sciente, siue ignorante) dicebatur capitatio prædij venditi, & maior inuenta sit: in tantum conuenitur, in quantum, si scißet emptor ab initio, minus daret pretij. Sin verò eiusmodi onus, & grauamen functionis cognouisset: nullam aduersus venditorem habet actionem.

Tria huius legis sunt capita. primum est de emptore decepto à venditore in oneribus rei venditæ quæ ignorabat. Secundum de eodem emptore scientie omnia illa onera. Tertium, quæ onera illa sint, grauia, necne: ita ut si sciuisset, numquam emisset. Quantum ad primum, dixi ad l. Iulianus. §. 1. ff. hoc tit. ad l. qui fundum vendebat. §. Qui agrum vendebat. de contrah. empt. & ad l. pen. de euiction. ff. præsertim enim id si seruitutes quædam grauiores tacitæ, suppressæque sint à venditore, que libertati ædium, vel nitori, & amænitati plus æquo officiant. quas tamen seruitutes in occulto, subtusque esse oportet, aut denique quæ fallant visum, vt earum habeatur ratio: Secus enim si in aperto sint, atque in promptu, quod dixit Tullius, cuiusmodi sunt stilicidia, fenestræ non obturatæ, sed patentes. (vulgò vocitant, *veues droictes*) De his enim conquereretur in cassum emptor, quòd forsan eas, venditor non enuntiauerit, atque ita semper iudicari moris est: tantùmque, vt ad modum legis Parisiensis redigerentur lumina, adiectum est. vel si etiam dicat celatum sibi esse vitium à venditore, quem si audijsset, empturus non esset: querelam enim hanc vt inanem reijciendam nemo non dixerit, quicquid respondeat in contrarium Caius, in l. Quod sæpè §. Si quis. de contrah. empt. ff. Quantum ad secundum, quod de emptore sciente est, dixi pariter ad l. ea quæ commendandi eod. illo tit. ff. eóque præclarè fecerit lex, si fundum Athenocles sciens. inf. de euict. Ad tertium, quod de leui onere, singularia sunt verba hæc d. legis pen. de euiction. *Nec euictionis nomine quisquam tenetur in eo iure quod tacitè solet accedere*, agit eo loco de seruitutibus tacitè secutis. Attingam de his rursus ad l. vlt. inf. de commun. rer. alienatio. Præteriri autem non debet quid sit in hoc textu: *capitatio prædij venditi*. Non enim intelligitur de solario, id est tributo, quod pro solo, seu prædio penditur, vt quasi innuit textus. doctioré sque eò facilè impingerent. sed capitatio prædij hîc nihil aliud est, quàm tributum capitis, præstari solitum colonorum, ac mancipiorum nomine quæ in prædijs sunt, planéque ad eos vsus qui latiùs explicantur toto tit. de instructo. ff.

IIDEM. AA.
L. vlt.

Expulsos vos de fundo per violentiam à Nerone, quem habere ius in eo negatis, profitentes: nullam vobis aduersus eum, ex cuius venditione fundum possidetis, actionem competere probatis. Igitur ad instar interdicti, seu actionis permissæ, experiendum esse perspicitis.

Dixerimus nos Galli hunc finem legis: *Il faut sur le faict de force par vous allegué, intenter vne reintegrande contre celuy qui vous à expulsez de l'heritage que vous auez acquis.* Vulgatus deinde & in scholis, & in foro hic textus vt venditor non teneatur præstare euictionem facti, seu violentiæ emptori, si modò rite, rectéque fundum vendiderit verus dominus, nec adhibitæ violentiæ sit particeps. Ad iura enim, non ad facta, euictio est, vt pluribus interpretor ad tit. de euiction. ff. oportet, ait hîc Cynus, amitti prædium via iuris, non via iniuriæ, seu, violentiæ. Quærit insuper vtrùm teneatur venditor si promiserit defensurum se emptorem non modò in ijs quæ ex Iure venditionis fuerint, sed etiam quæ ex facto: Sed quicquid implicet, ad decisionem, vt tandem nihilominus suam, de non protegendo vi & armis emptore, sententiam, planè, citráque ambigendi modum, explicet. operatur potius eiuscemodi promissio, inquit, ea quæ sint facti venditoris, vt scilicet defendat personaliter emptorem, suísque expensis in iudicio. sunt eius verba, vero equidem Iurisconsulto dignissima.

TIT. L. SI QVIS ALTERI, VEL SIBI SVB ALTERIVS NOMINE, VEL ALIA PECVNIA EMERIT.

Huc spectat maximè emendi mos in addictionibus publicis nomine alterius qui intra octiduum profitetur apud acta, in cuius gratiam emerit. Eiusmodi est quem consuetudo Ambianensis art. vlt. nuncupat, *Command*: & Lugdunenses amicum, de quo more congessi necessaria ad l. vlt. de alien. Iudic. mut. causa facta. ff. Cæterùm quantum ad l. 1. & pen. quæ agunt de re empta pecunia mea, quòd videlicet ex eo res illa non fiat mea: dixi ferè quantum sit satis ad l. Res quæ ex pecunia dotali. ff de Iu. dot. vt & de simulatione contractus, de qua in l. 4. & 5. hoc tit. ad l. sicut. §. superuacuum. quib. mod. hypoth. solu. ad l. Sulpitius. de iu. dot ff. & varijs alijs locis. ad pandectas.

IMPP. DIOCLET. ET MAXIMIAN.
L. 6.

Multum interest, vtrumve vxore tua comparante pecuniam numerasti, eique possessio tradita est, an contractu emptionis à te nomine tuo habito, tantùm vxoris nomen post instrumentis inscribi feceris. Nam si quidem vxor tua nomine suo emit, eiquè res traditæ sunt, nec in te quicquam de his processit; non nisi de pretio aduersus eam, in quantum tu pauperior, & illa locupletior facta est, habes actionem. Quod si tu quidem emisti, & tibi tradita est possessio, tantùm autem nomen vxoris quondam tuæ instrumento inscriptum est, res gesta potior quàm scriptura habetur. Si verò ab initio negotium vxoris gerens, compara-

sti nomine ipsius empti actionem nec illi, nec tibi quæsisti, dúmque tibi non vis, nec illi potes: quare in dominij quæstione ille potior habetur cui possessio à domino tradita est.

Immensum quicquid conferri possit ad vulgatum quod eliciunt interpretes ex hoc textu: *potuit quod noluit: voluit quod non potuit*. Exempla tria hîc sunt: primum est de vxore que comparauit suo nomine, & cui possessio tradita est, cum tamen pecuniam maritus solus numerauerit. Secundum est de marito qui emit primùm suo nomine, postea autem, ceu mutato consilio, nomen vxoris instrumentis emptionum inseri fecerit. primo casu maritus solam de pretio quod numerauit, habet actionem. Res enim penitus vxori quæsita est tum quia concepta sit emptio suo nomine, tum verò quia possessio ei tradita. Secundo etiam casu maritus factus est dominus & quia emerit suo nomine, & quia deinde possessionem solus nactus sit. nec mutat quod post perfectam emptionem, nomen vxoris instrumento emptionis adiectum sit. facta enim sunt potiora verbis. Tertium exemplum est de eodem marito qui emit non sibi, sed vxori. nihil enim tunc egit, quoniam doctrina Iuris est, neminem posse stipulari alteri. Dat exemplum aliud glossa in nuntio qui cùm deberet verba contractus in persona sua concipere, posteáque actionem domino cedere, concepit tamen in persona domini: tunc enim nec sibi quæsiit, quia noluit: nec domino quia non potuit, ex regula nimirùm quæ supra dicta est: Alteri scilicet stipulari posse neminem. Ista ex textu & glossa. prætermitto interpretes qui longioribus paginis adornant quod in pauca contraho. Percucurri scripta omniũ, sed nihil profeci Io. Faber clarè distinguit nuncium à procuratore. nuncius, inquit, debet concipere verba in persona domini, procurator autem in persona sua, in hæc verba: promittis mihi nomine domini. Tunc enim sibi acquiret, ita tamen vt posteà cedere debeat domino actionem. Paucula hæc denique delibanda esse censui, nè qui in scholis versantur, eam sibi fortassis de negotiosa, veréque scholastica, (vt loquitur Constantinus in l. 2. de lucris aduocator. lib. 12.) aduocatione Parisiensi opinionem induant, vt, præ illis, manum admouere discutiendis subtilitatibus Iuris non liceat. Videant an cæcutierim seu ad l. Transigere. de transact. seu ad auth. sacramenta puberum. si aduersus venditio. ad l. filium quem. famil. bercisc. ad l. 1. de consortib. eiusdem litis. ad l. 2. de noxalib. ad l. 1. de iudic. aliasque complures quibus, per instituti mei necessitatem, egredi coactus sum metas fori, & quasi, è pulpitis Academicis, rem tradere. Scribo hodie, solutus causis orãdis, quibus occupatũ me habuerũt anni 34. & quæ per plures vigilias domi, forísq; ad forẽsia experimẽta, didici, chartis hisce publicismãdo, non ita etiam, in quotidianis de Iure Romano, & Gallico, responsis, vltimus. vt igitur ad forensia redeam, eximium equidem Diocletiani, Maximianique hoc nostrum rescriptum, nerisque ex Iurisprudentiæ Romanæ regulis petitum; sed vt sola vniuersalia docent interpretes, patroni autem sese potissimum ad specialia applicant, & hypothesis legis, & ea quam glossa subijcit, tam à foro, rebusque agendis absunt, vt non *tribacissimus*, (quod apud Sidonium,) id est tritissimus patronus, sed ferè vel formularius nemo qui optimè, atque ex rato, iugique iudiciorum ordine non exploserit subtilitatem illam regulæ qua alterum alteri stipulari non posse tradunt leges: at verò & longè magis distinctionem glossæ inter procuratorem, & nuntium, quoad acquirendum dominis. Admittimus enim & rectissima ratione vt quis seu præsenti, seu absenti possit quærere, emere, donare: valetque totum id quicquid est, dummodò acceptò ferat is in cuius gratiam liberalitas ipsa fuerit: ita ex iure ipso, l. Absenti. de donation. l. vlt. de legation. l. pen. §. si vir. ff. sol. matr. & simil. Ita etiam ex Senatuscõsultis. Casus verò quibus conueniẽtissima erit legis istius regula, & qui in quotidiano vsu, sunt, veluti si quis cum posset pleno iure donare aliquid sponsæ, inter sponsalia, quibus donationes illæ licitæ, l. si à sponso. de sponsal. cod. cauerit tamen vt donatio effectum non accipiat nisi constante matrimonio. nullius enim momenti donatio illa est, l. quod sponsæ, de donationib. ante nup. cod. potuit ergo verè quod noluit, nec potest velle posteà, secutis videlicet nuptiis, quod valiturum sit. Item potest quis in consuetudine Parisiensi, donare quincuncem

patrimonij. cuicumque voluerit, ex testamento: at verò non quincuncem donauit pleno iure, ac dominio, sed bonorum suorum omnium vsumfr. Donatio illa pariter irrita est, ex senatusconsultis, vt notaui ad l. omnium. ff. de vsufr. noluit enim donator quod potuit. Quin & eò percommodè referri possit fiducia illa testatoris nimia de qua Scæuola in l. pen. §. Lucius. de legat. 2. *Lucius titius, hoc meum testamentum scripsi sine vllo iurisperito, rationem animi mei potius secutus, quàm nimiam & miseram diligentiam*, &c. ferè enim voluntas illa audacioris testatoris intercidit, nec nisi ex causa fideicommissi conualuit. Tamen Accursius vocat ad illum textum eiusmodi testatorem stultum, vt qui vellet quod per leges, atque ex mero iure non posset. Similes sunt plures Epimethei, qui numquam scilicet in rebus suis sapiunt, nisi tunc cùm ampliùs non possunt. de quibus proinde nec immerito Lucianus, ἐπεὶ τόγε μεταβουλεύεσθαι, Ἐπιμηθέως ἔργον, οὐ προμηθέως, ἐστί. I. quoniam illud quidem post rem consulere, Epimethei est non Promethei. Bellissimè Pindarus in Pythijs, istiusmodi despectores consiliorum, sibique suo, inani sæpius ex cerebro, consulentes, appellat ὀψινόους id est, sero sapientes, qui, rebus scilicèt malè peractis, ac insecutis, volunt enixissimè quod ampliùs non possint. Transeo ad tit. seq.

TIT. LI. DE REBVS ALIENIS NON ALIENANDIS ET DE PROHIBITA RERVM ALIENATIONE, vel hypotheca.

IMP. GORDIANVS.

L. 2.

Distrahente marito rem tui iuris, si consensum ei non accommodasti: licet sigillo tuo venditionis instrumentum, fraude conquisita, signaueris: huiusmodi tamen commentum emptori, vsucapione non subsecuta, vel temporis præscriptione minimè munito, nullam præstitisse securitatem potest.

Glossa in verb. *fraude conquisita*. quia, inquit, dicebat maritus esse epistolam. putauit verò solus Baldus maritum subsignasse sigillo vxoris. censent cæteri, & meliùs, vxorem subsignasse per imprudentiam, & cùm, vt dixit glossa, aliud esse fingeretur quàm quod ipsa crederet. tractaui hoc ipsum ad l. vlt. sup. plus valere quod agitur. De auctoritate etiam maritorum in vxores, vide ad l. maritus. sup. de procuratorib.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Venditrici succedenti hæreditario iure, perfectam rectè venditionem rescindere, ac dominium reuocare non licèt. Sed & si hæc ex persona sua vendicet: vel exceptione doli mali, si hanc viam elegeris, tueri: vel, euicta re, si defensione monstrata vti nolueris, quanti tua interest, poteris experiri.

Vide quæ adieci ad similem vulg. l. Cum à matre. sup. de rei vendic. nota autem

intelligendum ex his verbis, *Sed etsi hæc, &c.* quod tam obscurum putant, in l. vlt. inf. de euiction. atque hoc ita Nic. Valla, senator Paris. quicquid ad illum textum scribat Baldus. Et quia fallere possint incautos verba hæc: *venditrici succedenti*: glossa optimè, cùm interpretatur: id est, hæredi venditricis qui ei succedit iure hæreditario.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Sancimus, siue lex alienationem inhibuerit, siue testator hoc fecerit, siue pactio contrahentium hoc admiserit: non solùm dominij alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam: sed etiam vsusfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi. Similique modo & seruitutes minimè imponi, nec emphyteuseos contractum: nisi in ijs tantummodò casibus, in quibus constitutionum auctoritas, vel testatoris voluntas, vel pactionum tenor, qui alienationem interdixit, aliquid tale fieri permiserit.

Glo. hæc lex loquitur ex interpretatione: vt scilicèt appellatione alienationis, prohibeatur pignus: sed appellatione venditionis, non. Addit Bartolus, alienatione prohibita, videri prohibitum omnem actum: per quem fit trãslatio dominij directi, vtilis, vel alicuius iuris in re. explicat & in hunc modum Haloander: prohibitione scilicèt tam alienationis quàm venditionis, prohiberi etiam obligationem, quia per obligationem peruenitur ad venditionem pignoris. Sicut ergo prohibetur venditio, ita & quicquid eã antecedit. sunt penè eius verba. Textus deniq; quotidianus ad prohibitiones alienationum, pignorúmq; obligationes. Secus verò si prohibitum sit vænundari, donari, pignorari: tunc enim alienatio quin fieri possit testamento, prohibitum non est. l. 36. pater filium. §. fundum. de leg. 3. textus ille valde celebris in foro, atque ita iudicatur. plura vide ad l. 3. Ea lege. sup. de condictio. ob caus. dator. & ad l. In quorum finibus. ff. de pignorib. ad quas, prætermissis interpretum disceptationibus, ostendi ex vera distinctione vltimarum voluntatum, & contractuum, quid seruent peritissimi nostri Iudices. Quærunt Paulus Castrensis, & Salicetus, hîc, vtrùm prohibita alienatione, prohibeatur vsusfructus, vel emphyteusis: atque, vt nè in re haud ita difficili longior videar, rectissimè vsumfructum ambo excipiunt, manet enim semper proprietas: quemadmodum & in pignore, vt Salicetus adijcit. In emphyteusi autem secus, quia per eam transfertur vtile dominium: quæ proinde alienationis species.

TIT. LII. DE COMMVNIVM RERVM ALIENATIONE.

IMP. ANTONINVS.

L. 1.

Si nulla, &c.

Arbitrium tibi liberum est conueniendi eos qui pro portione tua satis illicitam venditionem celebrauerunt. Iunge l. 3.

Falsò tibi persuasum est, communis prædij portionem pro indiuiso, antequàm communi diuidundo iudicium dictetur, tantùm socio, non etiam extraneo distrahi.

Paucis: Portio rei commmunis pro indiuiso vendi potest: præferendúsque eo casu socius extraneis: maximéque, vt docet hîc Sichardus, si agatur de arce communi, cuius partem pro indiuiso socius alter inimico socij velit vendere. aut si res sit communis duobus non vt singulis, sed pro indiuiso, vt hîc. Speciem autem breuissimam exhibeat lex vlt. ff. commun. diuid. in hæc verba: *Bina mancipia, quæ ex hæreditate paterna, iussu prætoris pupillis iussu prætoris reseruata essent, diuisa nō videri, sed omnium cōmunia permansisse.* Vide cætera ex vsu, ac senatusconsultis ad l. 1. & l. 3. ad officium. sup. commun. diuid. atque ad l. si communem. ff. quemadm. seruit. amitt. & ad l. communis seruus. §. vlt. ff. communi diuid. Adde autem indubitatam exceptionem in fisco, de quo lex seq.

IDEM. IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Multum interest, vtrùm cohæredes tui possessionem communem distraxerunt: an verus fiscus, cùm partu dominus esset, soliditatē, iuxta proprium priuilegium, vendidit. Etenim si à fisco facta sit vēditio: fidem eius infringi, minimè rationis est. Si verò cohæredes vendiderunt: licèt emptor ab his delegatus partem pretij fisco soluerit, alterámque in cautionem deduxerit, tamen portioni suæ ea venditio non potest obsistere.

Componendus omninò titulus 4. lib 10. inf. de venditione rerum fiscalium cum priuatis communium. Ratione communionis, ait Baldus, potest fiscus totam rem efficaciter vendere: secus in priuato, etsi pretium in fisci vtilitatem conuertat. sic ille: cui & adijcio singulare aliud: posse nimirùm fiscum & rem sibi alijsque coniunctim, & communiter obligatam vendere, l. res quæ §. res autem. ff. de in. fisci. vide autem ad plenissimam priuilegiorum fisci cognitionem, quid latè de his effundat Chopinus. lib. 3. tit. 28. de domanio. Quinquaginta enumerat: decimoque tertio adscribit quod legis istius est: A fisco nempe rei communis dominium, vel alienæ non aminùs transferri quàm propriæ: imò & quemuis posse communem causam sibi cum fisco deferre, nec per hoc famosum fieri, licet in causa non obtinuerit, in quo & citat l. deferre. §, sed communem. ff. de iu. fisci. notat etiam ad priuilegium 21. quid nec omittendum hîc arbitror, venditorem scilicet hæreditatis fiscum creditoribus, negotijsque hæreditarijs non implicari, sed emptorem. prætermisit tamen quod apud Lucam Pennatum, tametsi ineptiarum amaxarium, vt vocat Cuiacius, reperio: accedere videlicet & hoc ex societate cum fisco solatium quòd non præscribatur res communis nisi eo solo tempore quo & aduersus fiscum: quod ipsum scribit Innocentius ad cap. ad audientiam. ext. de præscription. Cæterùm plurimi facienda hæc constitutio, vt quæ confirmari à senatu soleat, vbicumque fiscalis ista societas incidit: meminique, cùm primùm in forum veni, allegatam sæpius in publicis causarum actionibus à dom. Brissonio, cùm regij oratoris personam ageret.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. vlt.

Si maior annis 25. veluti propria nescienti communia cum fratribus tuis prædia distraxisti: licèt nullum instrumentum intercesserit: nec quicquam specialiter conuenerit; alienæ portionis euictione secuta, quanti interest, emptori solues.

Iungo similem textum in l. 9. Si minor. sup. de act. empt. Bald. vbi res pro parte euincitur, pro parte etiam debetur euictio. sic ille: notabitur tamen eo casu empto-

rem posse à toto contractu discedere, per rationem legis, Tutor vrgentibus creditoribus. §. 1. de minor. ad quam notaui quæ hîc proinde recîdo.

TIT. LIII. REM ALIENAM GERENTIBVS NON INTERDICI RERVM SVARVM ALIENATIONEM.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. vn.

Non est interdictum tutoribus, vel curatoribus, etsi ex eo titulo iudicati debitores sunt constituti, cum sua causa res suas alienare. Potuit ergo curator tuus fundum suum cum suo onere, obligare fisco nostro, nam & priuato potuisset.

Huc spectat omnioò lex, si defunctus. inf. arbitr. tut. Ratio autem legis istius fuerit, quòd quemcúmque contractum ineat tutor, vel curator cum fisco, nihil tamen propterea pupillo decedit, vt cui bona ipsorum ei obligata sint ex eo die quo iusiurandum, tutorio, curatorióue noo:ine iudici præstiterint. In quo & adijciaio obiter iudicasse aliquandiu senatum, bona pupillaria tacitè etiam esse obligata tutorià die eiusdem sacramenti præstiti, vt sit par, eademque hinc illinc ratio: textumque in hoc notat, saoè eximium in l. 1. de contrar. & vtili actio. tut. Bacquetius, cap. 21. oum. 413. & 414. de iustitia, & iure, cui & addi possit finis legis vltimæ, inf. de duob. Reis quinimò & citant senatusconsulta Chopious, ex anno 1574. lib. 1. cap. 5. de priuileg rusticor. & Loëtius, ad tit. 5. oum. 22. Tamen desitus iudicandi ille mos, quia vt hypothecæ numquam locus est antequàm liqueat de debito, iocertum semper est vtrum debiturus sit tutor, minori, aut tutori mioor, priusquàm rationes ad purum redactæ sint, dicimus nos Galli, *deuant que le compte soit rendu, clos, & appuré.* Deinde verò, vt tutorum plurium audax, præcepsque auaritia, animaduersum est nasciturum facillimè ex eo grassandi in re pupillari licentiam. Addam verbum quod contrarium nescio quid implicat inter hanc l. vn. & l. οἱ ἐπίτροποι, seu, Tutores. ff. locati. licet eoim hîc tutori cootrahere cum fisco, & tamen lex illa, Tutores. vetat. Arceri enim tutores respondet Modestinus à locatione prædiorum Cæsaris, priusquàm rationes reddiderint. Qui conciliet, vidi de interpretibus oeminem; imò nec qui textum proferat. putarim ipse obseruandum, non negari à Modestino quio minores, quatenus anteriores fuerint, præferantur fisco, nec prohiberi etiao ipsos ex alia ratione, quàm quia periculum sit contrahere cum eo cuius bona iam alij obligata sint.

TIT. LIV. DE PACTIS INTER EMPTOREM, ET VENDITOREM COMPOSITIS.

IMP. ALEXANDER.

L. 1.

Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, vt siue ipsi, siue heredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora, obtulissent, restitueretur, téque parato satisfacere conditioni dictæ, heres em-

ptoris non paret vt contractus fides seruetur: actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, quæ, post oblatam ex pacto quantitatem, ex eo fundo ad aduersarium peruenerunt.

Hoc ad redhibitiones, seu retractus conuentionales, (dicimus, *vendre à grace*, & *reemeré*) in quibus si venditor redimat quod vendidit intra tempus conuentum, (id est, *dedans le temps de la grace*) iudicatum est, deberi laudemia. Vide Chopin. lib. 1. tit. 3. num. 12. ad consuet. Paris. vbi censet, deberi eo casu & duplex laudemium. vide & Loëtiana posthuma, aresto pen. in l. V. vbi latè. prætermitto quæstiones varias quæ apud Tiraq. cùm tractatum in id & longissimum, & vtilissimum scripserit, nempe, de retractu conuentionali. Tantum adscribam quod apprimè ad eiusmodi pacta frequentissima, vt nè tam facilè frangatur fides debitori misero quem pignori opponere, magis quam vendere fundum fortè auitum, impulit pudenda interdum rei familiaris angustia, domesticáque vno verbo necessitas. Ita enim Dominus Filijs Israël, Leuitici 25. *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.* Scripsit eo modo Boëtius in Topica: *Fiduciam accepisse dicitur cuicumque aliqua res ea lege mancipatur, vt mancipanti aliquando remancipet, veluti si quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, vt cùm tempus suspectum præterierit, reddat. hæc mancipatio dicitur, quòd restituendi fides interponatur.*

IDEM. A.

L. 4.

Commissoriæ venditionis legem exercere non potest, qui post præstitutum pretij soluendi diem, non vendicationem eligere, sed vsurarum pretij petitionem sequi maluit.

Glo. Qui enim elegit vnum ex contrarijs, alij renuntiare videtur: nec licitum est variare. Dixi, quando liceat variare, vel non, ad l. 4 ff. de lege Commissor. & ad l. Sed & si §. Item si plures. ff. de Institor. ad quas proinde te remitto, nè molestus in rebus repetitis videar.

IMP. GORDIANVS.

L. 5.

Initio venditionis si pactus es vt is cui vendidisti possessionem, pretij tardiùs exsoluti tibi vsuras pensitaret: non immeritò existimas, etiam eas tibi, adito Præside prouinciæ, præstari debere. nam etsi initio contractus non es pactus: si cœperis experiri, deberi ex mora duntaxat vsuras tam ab ipso debitore, quàm ab eo qui in omnem causam empti, suam fidem adstrinxit, de iure postulabis.

Explicui quantum satis, in quo pugnare hæc videatur cum l. 5. Curabit. sup. de action. empti.

IMPP. CARVS, CARINVS, ET NVMERIANVS.

L.

Cùm te fundum tuum, certæ rei contemplatione (glo. dante cau-

ſam contractui) inter vos habita, exiguo pretio in alium transtuliſſe commemores: poterit tibi ea non eſſe fraudi, quando non impleta promiſſi fide, dominij tui ius in ſuam cauſam reuerti conueniat. & ideò aditus cōpetens iudex, fundum, cuius mentionem facis, reſtitui tibi cū fructibus ſuis ſine vlla ludificatione, ſua auctoritate perficiet: præcipuè cùm & aduerſa pars, receptis nummis ſuis, nullam paſſa videri poſſit iniuriam.

Gloſſa rationem ſubijcit: quia ſcilicet cauſam dederit contractui hæc conuentio: Aliàs enim contracturus non erat. Speciem ita fingit: Dabo tibi pro centum, ſi dederis mihi equum. plurimi hanc l. facit Loetius, & l. ſi creditor. inf. de fideiuſſor. ad lit. P. num. 19. collegitque eo loco ſenatuſconſulta duo ex annis 1581. & 1585. quorum alterum, interprete dom. Thurinio, in quinta inquiſitionum claſſe latum eſt: in altero ſpeciem ipſemet non modò in eadem decuria recenſuit, ſed & cæteras etiam conſuluit, vt fit de more, cùm difficiles quædam iuris quæſtiones incidunt: iudicatúmq; ait tādem maximè ex hoc textu, & d. l. ſi creditor. vt prælationē habeat venditor in pretio rei ſuę venditæ, quamdiu penes emptorem fuerit, & quæcumque ab alio manus in eam iniecta ſit. De quo cùm fuſè iam dixerim ad l. procuratoris. §. plane. ff. de Tributoria, vbi & explico artic. 176. & 177. conſuetud. Pariſienſis, ſtylum præcîdam.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Si quis ita paciſcatur in venditionis, vel alienationis contractu, vt nouo domino, nullo modo liceat in loco vendito, vel alio modo ſibi conceſſo, monumētum exſtruere, vel alio modo ſibi humano iuri eum eximere: ſancimus, licèt hoc apud veteres dubitabatur, tale pactum ex noſtra lege eſſe fouendum, & immutilatum permanere. forſitan enim multum eius intererat, nè ei vicinus non ſolùm quem nollet, aggregaretur, ſed etiam pro quo ſpecialiter interdictum eſt. Eum etenim venditor, vel alius alienator non alia lege ius ſuum transferre paſſus eſt, niſi tali fretus conuentione: quomodò ferendum eſt, aliquam captionem ex varia pati eum interpretatione.

Duo genera eius quod intereſt complectitur, alterum pecuniarium; tantò enim minoris res vendita, vt nè in loco vendito monumentum exſtrueretur, dedicando videlicet, ait gloſſa, vel, vt ſupplet Baldus, Capellam ædificando: de quibus pactis, conſtituentibus nimirùm partem pretij, dixi iam ad l. 79. fundi partem. ff. de contrah. empt. Alterum verò quod venditoris intereſt, ex affectu viciniæ, ſpectauit adeò in hoc textu Iuſtinianus, vt emptori, nec alij cuilibet qui ab eo ius habeat, licere velit pactum poſteà violare, ac infringere. cur hoc, rationem ipſemet Imperator ſubijcit: *forſitan enim*, ait, *multum eius intererat, nè ei vicinus, quem nollet, aggregaretur* Tanti verò iſtud, vt & Caius reſponderit in l. quod ſæpè. §. vlt. de contrah. empt. ff. *Si quis in vendendo prædio confinem celauerit, quem emptor ſi audiſſet, empturus non eſſet, teneri venditorem.* Plura iam in hoc ipſum ad d. l. quod ſæpè. diſſerui. ſuccurrit autem & hæc inſuper ex claſſicis iterum ſcriptoribus addere, vt loco valdè idoneo. Primùm enim ſcribit Plinius, lib. 18. cap. 5. in hæc verba: *Agrum empturus ante omnia intueri oportet aquarum vim, & vicinum.* Demoſthenes, oratio. contra Calliclem, περὶ χωρίου, ſeu, de agro. οὐκ ἦν χαλεπώτερον οὐδὲν, ἢ γείτονος πονηροῦ, καὶ πλεονέκτου τυχεῖν. I. nihil moleſtius

malo vicino, habendique cupido. Latiùs hoc explicat Plato, lib. 8. de legibus: βλάβαι πολλαὶ, καὶ σμικραὶ γειτόνων γιγνόμεναι, διὰ τὸ θαμίζειν, ἔχθρας ὄγκον μέγαν ἐντίκτουσαι, χαλεπὴν, καὶ σφόδρα πικρὰν γειτονίαν ἀπεργάζονται. διὸ χρὴ πάντως εὐλαβεῖσθαι γείτονα γείτονι μηδὲν ποιεῖν διάφορον, τῶν τε ἄλλων πέρι, καὶ δὴ καὶ ἐπεργασίας ξυμπάσης, σφόδρα ἀεὶ διευλαβούμενοι. τὸ μὲν γὰρ βλάπτειν, οὐδὲν χαλεπὸν, ἀλλ' ἀνθρώπου παντός. τὸ δ' ἐπωφελεῖν, οὐδαμῇ ἅπαντος. Id est, multa, & exigua quidem damna, quòd frequenquenter fiant, magnam inter vicinos pariunt simultatum quasi molem, ac turbam: proindeque difficilem, & amaram viciniam reddunt. Vicinus igitur in re qualibet cauere debet nè controuersiæ, rixæque occasionem ferat apud vicinum, & cùm in alijs omnibus rebus, tum verò maximè in vniuersa agrorum cultura, id valdè semper caueat. Nocere enim haud difficile est, sed cuiuslibet hominis. Vtilitatem verò afferre, & benedealiis mereri, non est cuiuslibet. pauca hæc ex priscis. prætereo lubens Vernanculum Italicum quod in hoc ipsum Salicetus. de triuio enim est. habet verò Baldus quod perpendi haud parum debeat. Quærit enim de Castro, vt loqui mos est, cuius si venditor exceperit domum aliquam & certam, neque remotam longiùs, vtrùm in domo illa arcem possit, ante traditionem, exstruere. videbatur enim posse, cùm in sua liceat vnicuique facere quicquid voluerit, licèt vicino noceat, l. fluminum, in fi. de damno inf. ff. Censet tamen Baldus, argumento nostræ huius legis, arcem in domo excepta ab emptione, támque vicina, exstrui non posse: cùm intersit emptoris tutò, citraque periculi metum, possidere quod emerit, teneatúrque aliunde venditor non solùm pleno iure tradere rem venditam, sed tutò ac liberè. Verum quidem est, spectari numquam vanum illum affectum, quo quis dixerit sua interesse vt hoc vel illud fiat, vel non, vt hoc sit, vel non sit, l. 1. §. & aliàs ff. si quid in fraud. patroni. singulare illud vocant interpretes, modóque personale, vt Baldus, inter cæteros, ad l. si seruum. ad l. Aquil. & ad l. pretia. ad l. falcid. Item & *formale*, quod ita nominatim lex, in lege falcidia. ff. ad l. falcid. Sed hoc quando nihil aliud nostra interest, quàm ex solo affectu. Secus enim si ita conuentum sit vt hîc, & in l. si venditor. & l. seruus ea lege. de seruis export. ff. Deinde verò docet Cuiacius ad l. seruus. illo tit. de seruis export. lib. 10. quæstio. Papin. affectionis rationem haberi in contractibus bonæ fidei, cuiusmodi est potissimùm emptio, venditio. Videndus & in hoc Bart. ad l. vn. inf. de sentent. quæ pro eo quod interest, vbi ita distinguit. Cæterum lex hæc vlt. vna est ex 50. decisionibus Iustiniani, qua proinde controuersias Iurisconsultorum, quos quæstio ille diuiserat, diremit.

TIT. LV. SI SERVVS EXPORTANDVS VÆNEAT.

IMPP. SEVERVS ET ANTON.

L. 1.

Pars hæc notanda: *quæ tamen à fisco post manumissionem vindicantur.* Rectè enim ex eo Baldus notat, omne delictum habere fiscum vltorem. Sic & apud nos delictorum vltioni semper interest procurator Regius, neque vnquam ei aditus quacunque ratione, contractu, aut transactione; obstruitur, vt latiùs ostendo ad l. Transigere. sup. de transactio. iuncta & l. Ita vulneratus. ff. ad l. Aquil..

IMP. ALEXANDER.

L. 4.

Moueor quòd te à seruis tuis dominum eorum venisse affirmas, sub ea lege, nè in patria moreris, & ab eo cui te emptor prior vendiderat, manumissum esse dicis. Quare competens iudex aduersus eum

quem præsentem esse dicis, cognitionem suam præbebit: & si veritas accusationi aderit, execrabile delictum, in exemplum, capitali pœna vindicabit, sed quoadusque probaueris quæ intendis, status tuus esse is videtur, qui in te post manumissionem deprehenditur.

Hæc species proponitur, ait Cuiacius in postumis: Serui dominum vendiderunt, facta coniuratione ea lege, vt exportaretur. post exportationem manumissus est ab emptore. Tunc accusat seruos coniurationis in sese, eorum dominum: lex vult eos capite puniri: pendente autem accusatione haberi pro liberto accusatorem, non pro ingenuo: glossa, cæterique interpretes vulgatum hoc ex textu eliciunt: *quo statu te inuenero, eo tenebo donec contrarium videam. sic glo.* cui & adiunge cap. 13. Si iudex de sent. excommunicat. in 6. notanda autem apprimè constitutio insuspecta, perfida, hostiliaque ferè semper seruorum ingenia, de quibus quis literarum sciens nescit quid scripserint Tacitus lib. 14. & lib. 15. Seneca, Plinij duo, Athenæus, varijs locis? monet propterea Plato lib. 6. de legibus, nè vnquam eos in vlteriorem familiaritatem admittant domini, néue cum illis iocentur. initium enim dominorum, (inquit Plinius lib. 6. epist. 4.) exolescit apud seruos metus ipsa consuetudine: nouitatibusque excitantur. sic ille. Atque vt præsertim hîc agitur de execrabili adeò seruorum delicto, (sic enim vocat textus) vt ipsum suum dominum, coniuratione facta vendiderint, atque exportandum pacti sint, conuenientius nihil fuerit quàm quod Suetonius scribit de Augusto, in eius vita, cap. 21. in hæc verba: neque aut crebriùs, aut perfidiosiùs rebellantes grauiore vnquam mulctatus est pœna, quàm vt captiuos sub lege vænundaret, nè in vicina regione seruirent, néue intra tricesimum annum liberarentur. Verissimè equidem Iurisc. in l. 1. ff. si familia furt. fec. dic. semper prospectum est dominis aduersus maleficia seruorum: sed quod eorum malitia, (qua vincere solent, ait Iustinus lib. 18.) eò vnquam processerit, vt dominum ipsum & vendendum, & exportandum curauerint, quæ hîc apud Alexandrum Imper. querela est, vix vt simile aliud maleficium vetustas viderit: nec immeritò proinde vocatur execrabile. Conferet autem hodie hic textus in vassalli felonias; quinimò & in rebelliones subditorum in legitimos Principes. dixi de pœna feloniæ vassalli aduersus patronum feudalem, ex senatusconsultis ad l. 2. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.

TIT. LVI. SI MANCIPIVM ITA VÆNIERIT NE PROSTITVATVR.

IMP. ALEXANDER.

L. vlt.

Eam, quæ ita vaniјt, ne corpore quæstum faceret: nec in caupona, sub specie ministrandi, nè fraus legi dicta fiat, oportet.

Iunge omninò legem, palam. ff. de ritu nupt. *palam quæstum facere dicimus*, ait ibi Vlp. *non tantùm eam quæ in lupanario se prostituit; verùm etiam si qua, (vt assolet,) in taberna, & caupona*, &c. & pòst, *Si qua cauponam exercens, in ea corpora quæstuaria habeat, vt multæ assolent sub pretextu instrumenti cauponij*, &c. Sic Vlp. *consecratas* vocant Hebræi meretrices, id est, execrabiles. In solemni autem illo iudicio Salomonis, quod inter duas meretrices reddidit anno ætatis 12. Chaldaica lectio habet non, *meretrices*, sed, *mulieres cauponias*, seu, tabernarias, vt loquimur. Dictio, *Zonach*, cap. 2. Iosue significat cauponiam, & meretricem. numquam denique prætermittitur à patronis hîc textus vbi de eiusmodi corporibus quæstuarijs quæstio incidit: veluti si prægnantes fiant agantque

gantque de promissis connubialibus aduersus aliquem. Duæ causæ non ita diu in hoc ipsum agitatæ sunt in criminali auditorio: qua vtráque ducenti tantummodò aurei addicti sunt à senatu filiabus matris cauponiæ quæ grauidæ factæ fuerant, pacto priùs fœdere matrimonij. Altera erat filia Iacobi Preuost, cauponis Bononiæ maritimi, apud secundum Belgium, oppidi, quæ gestabat vterum ex procuratore eiusdem oppidi, cui nomen Oudard Dauuergne. Causa enim, anno 1616. 7. Maij, ab Augusto Gallando, & Nic. Richelletio, dicta est. Altera dicebatur, Maria Goguelin, cuius mater cauponia etiam, in suburbijs Cæsaroduni Turonum. Agebat scilicet mater illa ex raptu aduersus Petrum Girardin quòd ei vitium obtulisset. perorabant Pet. Chamillart, & Car. Doletus, gener meus.

TIT. LVII. SI MANCIPIVM FVERIT ALIENATVM, VT MANVMITTATVR VEL CONTRA.

IMP. ALEXANDER PATRICENSI.

L. 1.

Tantùm istud notabitur: *Lege dicta, vt si, quindecim annis continuis seruijsses, ad libertatem perducereris, &c.*

Prætereundum quasi in via nec putem quod necessarium ministerium serui, de quo agitur, perspicuè arguit, ac prudentiã simul domini, qui agnita, vt verisimile est, & industria, & fide non adeò solita in seruis, Patricensem, de quo hîc, hermiæ, donatario (quem fortè per ætatem, aut facilitatem nimiam, infirmitatémue animi, superesse suis negotijs non posse, aduerterat) seruire per quindecim annos voluit, legemque hãc donationi dixit, priusquàm manumitti posset. Vide quæ adieci ad l. 54. cũ seruus extero. ff. mandati, de prudentia solertiorum olim Romæ diuitum, qui si quem sagacem, industrium, fidelem, commodum denique seruum agnouissent, numquam nisi serò manumittebant: qua imitatione, scio, & noui summę dignitatis viros nulla vnquam, nisi permodica conferre voluisse in seruos, quos ex animo haberent, beneficia, vt nè, (quod ait lex, Thais. de fid. lib.) ab ipsis ditioribus factis relinquerentur, nec sortirentur posteà qui æque fideliter, suauiter, opportunéque ministrarent, ditaruntque tantùm testamentis, vt egregiè dixit Ecclesiast. cap. 7. *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum in libertate, neque derelinquas illum.* Serui plures reperiuntur, ait Plato lib. 6. de legib. tam probi, ac solertes, tamque egregia voluntate erga dominos, vt ipsos, & bona, familiasque penitus conseruarint, longè & filijs & fratribus meliores. verba eius sunt: πολλοὶ ἀδελφῶν δοῦλοι, καὶ υἱέων τισὶ κρείττους πρὸς ἀρετὴν πᾶσαν γενόμενοι, σεσώκασι δεσπότας, καὶ κτήματα, τάς τε οἰκήσεις αὐτῶν ὅλας. Aliò spectat quod de S. Patriarchæ geminato septennio tradunt sacræ paginæ. Aliò etiam quod, in l. 14. Seruus. §. 1. de statulib. & in l. Paulus. de lib. causa, ff. de seruo, qui liber esse iussus est, cum annorum septem operas hæredi dederit. Id enim non ad ministeria domestica, sed ad fabriles operas referendum est, putà sutorias, pictorias, textorias, & similes, quæ locatæ à dominis, pecunias, in dies singulos, comparabant. qui mos quondam Gentilium, vt passim ex auctoribus classicis.

TIT. LVIII. DE ÆDILITIIS ACTIONIBVS.

Agit potissimùm de redhibitoria, de qua plus satis ego ad totum tit. de ædit. ed. ff.

rum placuisset, vt probaretur hoc ipsum omnibus. Monopolium denique vsitatum adeo fuit Romæ, etiam apud vulgus, maximè ætate Tyberij, vt in senatu cùm esset, nec aliud ex vocibus Romanis succederet, veniam postularit, quod verbo peregrino vti cogeretur, inquit Suetonius. Μονοπωλίαν tamen dicebant Græci, aliosque in vsus vt apud Aristotelem legitur lib. 1. politic. cap. 11. in hæc verba: Ἐστὶ δὲ καθόλου τὸ τοιοῦτον χρηματιστικὸν, ἐάν τις δύνηται μονοπωλίαν αὐτῷ κατασκευάζειν. Διὸ καὶ τῶν πόλεων ἔνιαι τοιοῦτον ποιοῦνται τὸν πόρον, ὅταν ἀπορῶσι χρημάτων· μονοπωλίαν τῶν ὠνίων ποιοῦσι. Id est, In vniuersũ est genus istud ad pecuniam faciendam. Si quis possit sibi vni singularem vendendi facultatẽ comparare. Iccirco & nonnullæ ciuitates hanc viam ineunt: cùm pecunijs indigẽt. Statuũt enim vt solæ rerũ venaliũ ius habeant: sic ille. Hac autẽ proculdubio imitatione dynastæ, Regulique nostræ Galliæ, per stata tempora, mensem, aut hebdomadas sibi eligunt quibus vinum suum publice distrahant, interdicto omnibus suis popularibus simili per totum id tempus, vini commercio: vt nè vindemias legant donec ipsi planè legerint, ac sustulerint. De his vide, si lubet Chopin. ad consuetud. Andens. lib 1. tit. 4. cap. 45. & lib. 1. tit. 4. consuet. Paris. Bacquetium, cap. 29. de Iustitia, & iure, Loëtiana postuma, ad lit. m. numer. 17. Singularis ad prærogatiuas illas statæ dominicorum fructuum venditionis, fuerit textus in l. Cæsar. (al. & meliùs, Censor. vt obseru. Fornerius lib. 1. cap 25. selectionum) de publican. ff. vbi Iurisc. de cotorijs, in hæc verba loquitur: Censor cùm insulæ Cretæ cotorias locaret, legem ita dixerat: nè quis, præter redemptorem, post idus martias cotem ex insula Creta fodito, néve eximito, néve auellito. Verè nimirùm his solis licebat toto eo tempore fodere cotes, eximere & auellere: quemadmodũ & per leges municipales soli dynastæ Gallici sibi certis anni temporibus, iure suo vendunt vina sua maximè, priuati verò interim expectant. Factúmque, vt verisimile est, vt verbo, & vsu accepto sensim à negoitatoribus, priuata illa, quæ dixi, conuenticula de vendendis, pacto pretio, suis mercibus, prodierint, quia soli sese illarum negotiatores, ac venditores, id est, μονοπωλοῦντες, viderint: sartores maximè in hoc meminit Salicetus; hîc. scribit Cassiodorus epist. 26. & 30. lib 1. concessum id fuisse mercatoribus Apuliæ seu Calabriæ, pensione Siliquatario præstita. Verba Polydori Virgilij lib. 22. historiæ Anglicæ hæc sunt: Omnis quasi populus per artificum collegia diuiditur. exempli gratia, lanifici emunt à Rege priuilegium quo sibi liceat inter se societatem coire, suum habere collegium, suas condere leges quibus monopolia instituant, pretium panno laneo constituant, prohibeántque nè alij in vrbe vendant, &c. quod reip. vt ait Iustinianus, (sic ille) semper detrimentum affert. Ita igitur veteres, quique postcà successerunt, exteri. Bartolus notat vidisse se obseruari hanc l. vn. contra eiuscemodi artifices. emendaturque perpetuò apud nos à cognitoribus publicis, vbicumque occasio incidit, si quid in hoc peccent nostri: tolletur autem numquam, quicquid acri stylo vetent leges Francicæ, ac vulgatum, inter cætera, edictum anni 1539 art. penult. Confratrias, aut potius, vt mauult Budæus, φρατρίας vocant: de ijsque Sacella in Templis priuata, quò in singulos menses conueniunt, cùm tamen conspirationes, seu coniurationes dixerit Concilium Chalcedonense, de quo in can. 21. causa 11. q. 1. apud Gratianum. Concil. Constantinopol. cap. 34. Concil. Vvorm. vet. cap. 74. Quantum ad primates professionum, atque ergolabos, de quibus etiam in textu, egregie Vitruuius in procemio lib. 10. librum denique eruditiss. cum de tuendis confratrijs scripserit Io. Sauaronius, non potuit ille quin damnaret exitiosum in ipsis & artificum, & mercatorum morem; cap. 11. & cap. 16. Solæ enim licet vestes, pisces, pectines, echini, vel, vt mauult Cuiacius, herinacei, numerentur hîc inter merces quarum monopolium exerceri soleret: omnium hodie, nullis exceptis, artificum illud est: tenax que, quod nulla vnquam, vt dixi, censura moueat, mechanicarum artium inquinamentum. Pectines esse ait idem Cuiacius quibus comuntur, diducunturque capilli: Herinacei autem, quorum cute expoliuntur vestes. Plura non dicam.

TIT. LX. DE NVNDINIS, ET MERCATIONIBVS.

L. vn.

IMPP. VALENS ET VALENTINIAN.

Qui exercendorum mercatuum, aut nundinarum licentiam vel veterum indulto, vel nostra auctoritate meruerunt; ita beneficio rescripti potiantur, vt nullum in mercatibus, atque nundinis, ex negotiatorum mercibus conueniant, vel in venalitijs, aut locorum temporali quæstu, & commodo, priuata exactione sectentur, vel sub prætextu priuati debiti, aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre.

Duo complectitur: alterum, vt ius nundinarum obtineri debeat à Principe: Alterum, vt mercatores qui sese ad nundinas, negotiandi causa conferunt, nec conueniant, nec conueniantur. qua imitatione consuetudo Aruerna statuit art 62 cap. 24. in hæc verba. *Les allants, & venants ès foyres & marchez publics, ou en Cour pour expedition de leurs causes, dont ils seront creuz par leur serment, ne doiuent estre pris, arrestez, ny detenus en corps, n'en biens, pour aucune depte, ou matiere ciuile.* Quod licèt intra fines Aruernos admittat, eo loco, Molinæus, & excipiat si executio sit ex causa quæ speciale habeat priuilegium de Iure, vel de consuetudine, subijcit tamen renuntiari priuilegio illi non posse, fauore nundinarum, Iurisque publici, cuius præcipua in id causa, De Lugdunensibus, & Campanis, imò & de Hispanis, tradit Chopinus, lib. 1. tit. XI. de doman. religiosissimum immunitatis morem, num. 23. & 24. notat inter cætera de Lugdunensibus, vt quisquis exterus ad eas commeet, omni ciuium iure gaudeat, itaut res mobiles, nomina, emptitiosque reditus transmittat ad hæredes, etiam non regnicolas, cæterosque in genere quibus aliquid testamento reliquerit. sic ille ex Carolo 9. At verò vt tantò arctius sit fidei inter negotiantes vinculum, refert eodem loco verus anni 1548. die 7. Sept. Arestum, vt nè pro obligatione inita apud Lugdunenses nundinas cessioni bonorum sit locus. quod tamen intellige ex recentioribus iudicijs, dummodò celebratus sit in ipsis nundinis contractus, vel ob merces in eis traditas. Secus si sola sit soluendi destinatio in nundinis. Ita Senatus, an. 1605. die 14. Iunij, inter Benedictum Voysin, & Pet. Camuzat. habent denique conseruatorem specialem Iuridicum cuius præcipua hæc cognitio est, vtrùm sit pro re nundinarum, debitum: vtrùm contractum sit inter mercatores quorum assiduum in nundinis illis commercium: atque vtrùm destinata ad nundinas solutio: quod nec prætermisit Rebufus, tractatu de mercatoribus minutatim vendentibus. Et cùm anno 1584. die 12. Iul. mercatores postulassent ambitiosissimè vt duo ei adijcerentur biennales, suoque è collegio allecti: summouit eiusce modi effrænæ turbandi studium ordo ampliss. quod fusius apud Ann. Robert. lib. 2. cap. 16. Varias pariter Dionysiani emporij, atque Indicti (vocant *le Landit*) immunitates vide apud Bacquetium, cap. 31. de Iust. & Iure. Nullum apud nos, post Lugdunense, de quo Strabo, lib. 4 & Euseb. lib 5. cap. 1. & 3. antiquius. Reperio enim apud Vincentium Bellouacensem, lib. 25. cap. 43. vbi & citat Sigebertum, institutum fuisse à Carolo Magno. Et cùm circa ann. 1599. die 7. Octobr. contendissent publicani in senatu pannarios mercatores obligari tributo, panni cuiusuis nomine qui in emporio illo distraheretur, depulsa est extemporali iudicio publicana illa rapacitas, inimica libertatis, immunitatisque vetustissimæ. perorabant Philb. Choartius, & Phil. Girardus. Notum de Sangermanico apud dominatricem, regni, Lutetiam.

Illius auctor Ludoicus XI. Immune est præ cæteris. Deliciæ Principis, optimatumque, ac vrbis totius, per dies Februarij, verè genialis, quindecim. Aulæ duæ spatijs longissimis, latissimisque ingentes, vijsque hinc illinc, instar oppidi, distermінatæ, ac distinctæ; Si pretiosum, ingeniosumque habeat quippiam Europa, conuehit illuc negotiator externus: rarumque vt per miratores tam varios, opulentos, cirrhatos, otiosos, vnguētatos, reuehat. Ceterùm vt nundinarū Ius à solo Principe, quod & statuit nostra hæc constitutio, ita & seruamus legem 1. ff. hoc tit. qua dicitur amitti istud non vtendo per decennium. Et cùm de agricolis non modò, sed & de piscatoribus agat lex 2. illo eod. tit. vt scilicet confestim, vbi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera sua reuerti debeant, quod ipsum etiam latissiméque, Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16. spectatur id maximè in mercatoribus Deppæis, qui marinos pisces, ac in cæteris qui annonas vndequaque humeris, equis, vehiculis, terra, *Regeque fluuiorum* Sequana, inferunt, important, vehuntque indies, agminibus factis, amœnam, incomparabilémq; Lutetiam, de qua haud abs re vnus è nostris:

--------Roseus quà denique Titan
Emicat, hic celebri natus locus incremento,
Cætera quò confert auidè sua munera tellus,
Sit licèt extremis mundi vel dissita metis.

Dixi iam de nundinis ad l. cum societas. ff. pro socio. prisca autem hîc facilè prætermitto, nè in schola magis, quàm in foro sciolis quibusdam, quorum exurdatum palatum, versari forsan videar. videat studiosus, si lubet, quid de Græcis emporijs Isocrates in panegyr. quid de Romanis, Macrobius, de quo suprà, Columella, lib. 1. in procemio, de re rust. Sueton. in Claud. cap. 12. Plin. lib. 5. Epist. 4. Plutarch. in quest. Rom. Cassiodor. lib. 8.

TIT. LXI. DE VECTIGALIBVS, ET COMMISSIS.

IMPP. SEVERVS, ET ANTONINVS.

L. 2.

Neque commissum, quod ante quinquennium factum dicitur, si lite res anticipata non est, neque pro re, quæ in commissi causam cecidit, si ipsa non existat, nec dolo supprimatur, pretium peti potest.

Commissum, seu, quæsitum fisco intelligitur, quicquid transuehitur improfessum, vectigalique non soluto, etiamsi res quæ ita contegitur, sit licita: aut si merx exporteturillicita. Committere enim, delinquere est, sic passim toto hoc tit. & tit. de publican. ff. Quod igitur commissum est, statim desinit esse eius qui crimen commisit, persecutióque aduersus quemlibet possessorem, maximéque aduersus hæredem competit, l. Commissa. d. tit. de public. Tempus verò agendi quia præfinitum non esset à Iurisconsultis, quinquennium hîc statuunt Imperatores: quod tamen nescio cur & obtinere scribat Sichardus ad hunc textum, in cæteris quæ fisco quæruntur: nullo enim auctore id asserit: cùm econtrà quadriennali præscriptione nihil ferè in eo sit vulgatius, l. Bene à Zenone. de quadr. præscript. inf. Censuram longè meliùs quinquennalem vocat Cuiacius, quod olim locationes vectigalium fierent in quinquennium. Sed de iure Romano hactenus. distinguendæ sunt, iure Gallico, impositiones, quas dicimus, à subsidijs. (vernaculus enim sermo est, *impost & ayde.*) In primo peti potest commissum vsque ad quinquennium, si tandiu durat locatio: vel intra sex menses à die locationis finitæ: ita enim ex edicto. In subsidijs, indubitati iuris est, peti non posse nisi prætereà duret locatio. Aliud si desierit. Ratio quam accepi ab experientissimo fisci, in subsidiorum curia, patrono, Car. Liliæo, ea est, quòd subsidium ex consensu mero populi: Impositio iussu, edictóque Principis.

IMP. CONSTANTINVS.

L. 4.

Penes illum vectigalia manere oportet qui superior in licitatione extiterit: itaut non minus quàm triennij fine locatio concludatur, nec vllo modo interrumpatur tempus exigendis vectigalibus præstitutum. Quo peracto tempore, licitationum iura, conductionúmque recreari oportet, ac simili modo alijs collocari.

Paucis: vectigalium locatio debet ad minus esse triennalis. Edictis autem Regum nostrorum vetustissimis annum egredi non poterat. vt fisco tantò consuleretur vberiùs, ac frequentiùs, adauctis quippe semper in annos locationum pretijs, prout foret copia maior fructuum. Nouissimè autem, vt versamur in deposito seculo, peccatum est duabus artibus, eisque pessimis, in publicum, de quibus etiam grauissimè nec semel conquesti sunt patroni fisci, sed frustrà. Cùm enim, si non annales, at triennales, saltem, aut quinquennales in summa, locationes illas esse oporteret, ne quid vbertatum intercurrentium decederet publico: quæ semper apud administratores optimos suprema lex: factæ sunt econtrà nouennales, imò & decennales interdum: Sed & quod peius fuit, conuentionales sæpius, summotis videlicet qui anteà, laudabili, vtilissimóque de more, pretium adijcere consueuerant, remque fisci ex eo, nec verò administratorum, quorum occultæ pactiones, auctiorem, melioremque facere. Solitę nimirum, damnosissimæque πλεονεξίαι τῶν πολιτευομένων, de quibus tam acriter queritur Aristoteles, lib. 4. politic. cap. 12. in fr. at verò & Demosthenes ἐν τῷ περὶ συντάξεως.

IDEM. A.

L. 5.

Vniuersi prouinciales pro ijs rebus quas ad vsum proprium, vel ad fiscum inferunt, vel exercendi ruris gratia reuehunt, nullum vectigal à stationarijs exigantur. Ea verò quæ extra prædictas causas, vel negotiationis gratia portantur: solitæ præstationi, vel pensitationi subiugamus, capitali pœna proposita stationarijs, & vrbanis militibus, & cæteris personis, quarum auaritia id tentari firmatur.

Vult hîc Io. Faber Ecclesiam, & clericos, etiam in ijs quæ ad negotiationem spectent, esse immunes, nisi tamen emant, vehantque in hoc ipsum vt totum quicquid est quod emerint, vendant: In quo & hoc excipit, nisi emant primùm in vsus proprios, ac vendant posteà quod sit residuum. Sic ille: parumque ad vsum, quem sequamur, nisi adiuuetur quod scribit obseruatione ista quę ex quotidianis. Sciendum enim est duas esse tributi species, alteram quę olim ex consensu populi: & hæc vocatur subsidium, aut, vt in vernaculo nostro est, *vn droict d'ayde*. Cuius subsidijs tres etiam sunt species: duę ex vino: nempe *Vicesima*, si væneat vinum per auersionem, aut ἐν ὁμάδι, vt in Basilicis, (dicimus, *en gros*) Deinde verò *Quarta* est, videlicet si minutatim (vocant, *en detail*) vendatur. conuersa autem fuit quarta illa in octauam, ex priuilegio, vt infrà explicabo fusiùs. Secunda subsidij species, vocatur vicesima cuiusque libræ Francicæ, aut vt rursum vulgus, *le sol pour liure*, ex omni re, & merce quę venditur, nec verò quę ad quotidianos vsus vehitur. Hoc dicimus, *de ce qu'on faict voicturer pour sa prouision*. Imò & excepta sunt pedamenta vitium, an. 1616.

die 2. Decembr. in subsidiorum curia: perorantibus Grenetio, pro Iac. Castillon, publicano, conductoréque focalis ligni, al. *fermier de la busche, & bois a brusler*. & Fr. Cossinio, pro Catar. *Closier*, vidua mercatoris lignarij, al. *Marchand de bois*, apud Lutetiam, quòd scilicet pedamenta non vt foco, sed vt vineæ fulciendæ applicentur, fieri consueuerint. hæc de subsidio, quod vt consensit olim sponte populus Gallicus, nihil in eo pensitans nisi pro ratione seu vini, seu frumenti, aliorúmque fructuum quos venderet, ita & successit sub Carolo 7. tributum aliud verè Regium, vt in quo non spectetur venditio sit necne, an sola ad vsus domesticos vectura. Quacunque enim ex causa vehantur fructus, vinumque maximè, indixit, imposuitque Princeps vectigal necessarium, vt scilicèt pendantur, in ingressu vrbis, vel quinque asses, vt olim, pro quoque Dolio, vel vt hodie, nimiúmque sexaginta quinque asses, sedenti ad portas publicano, veréque stationario, vt vocat hæc constitutio. Stationarios enim, quos meminit, Brissonius explicat, octauarios: Cuiacius non de octauarijs tantùm, sed & de apparitoribus, militibusque ad portas dispositis intelligit. Præclarè istud D. Chrysostomus, de pœnit. Achab. τί δὲ χεῖρον τελώνου τοῦ καθεζομένου κατὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἀλλοτρίων πόνων τοὺς καρποὺς τρυγῶντος: Id est, quid peius publicano sedente in via, & alienorum laborum fructus vindemiante? sic & Macar. homil. 43. ὥσπερ εἰσὶν οἱ τελῶναι καθεζόμενοι εἰς τὰς στενὰς ὁδοὺς, καὶ κατέχοντες παριόντας, καὶ διασείοντες. Id est, quemadmodum publicani qui sedent ad angustas vias, & retinent prætereuntes, ac discutiunt. sic nihil ferè hodie quod factum, tentatúmque non sit priùs. Adeò pessima ferè semper administrantium, in vile, ignobiléque vulgus, nummaria, exlex, effrænis, impotensque licẽtia.

IMPP. VALENS ET VALENTINIANVS.

L. 6.

Omnium rerum ac personarum quæ priuatam degunt vitam, in publicis functionibus æqua debet esse inspectio. Hoc ideò dicimus, quia nonnulli priuatorum elicitas suffragio proferunt sanctiones, quibus vectigalia, vel cætera huiusmodi quæ inferri fisco moris est, sibi adserant esse concessa. Si quis ergo priuatorum huiusmodi rescriptione nitatur: cassa eadem sit, vectigalium enim non parua functio est, quæ debet ab omnibus qui negotiationis seu transferendarum mercium habent curam, æqua ratione dependi: exceptis nauicularijs, cùm sibi gerere rem probabuntur.

Agit potissimùm in eos qui, vt hodie, pecuniâ, importunísque efflagitationibus, & per artes quascumque tacitas, ac nefarias, priuilegia, ex aulicorum redempto suffragio, eliciunt: nec solùm apud Principem, sed (quæ nunc haud parua in plebem ærariam pernicies) apud illustriss. fratres, sororesve Principis. dinundinantur enim nihilominus, mercésque huc illuc opertis fraudibus transferunt; & cùm sint ditiores, exedantque vsuris scelestissimis patrimonia impotentis, ac inaudacis plebeculæ, (vt noui vnum præ cæteris qui, ex empto centum solis aureis imaginario priuilegio, populatur regionem in qua eminet) dici vix possit quot vbique scateat edacibus istis vlceribus infœlix Gallia. Vt igitur verbis nostræ huius constitutionis immorer, vsumque ad res hodiernas applicem, quod Imperatores de negotiationibus, ac commercijs in ratione priuilegiorum excipiunt, seruamus istud nulla, quæcumque illa sit, distinctione admissa. Nihil enim apud nos aduersatur magis priuilegio, ac immunitati vectigalium, quàm detecta, inter artes, quibus delitescunt sæpius, commercia. Admittimus verò numquam quod in extremo fine legis de nauicularijs additur, eos scilicèt immunitatem consequi *cùm sibi rem gerere probabuntur*: id est, vt loquimur, *quand ils feront voicturer quelque chose par eau ou par terre pour la prouision de leur maison seulement*. Sublata enim in omnibus ferè priuilegiarijs, distinctio illa est, maximè vbi de vino inuehendo in vrbem agitur. solosque, quod sciam, Franciscanos, Iaco-

bitasque Parisienses audio qui immunitate illa fruantur. Qui essent nauicularij & Romæ, & in prouincijs, interpretatur Cuiacius ad tit. 1. de Nauicular. lib. 11. inf. seruiebant hi vehendis annonis vrbicis: nullos autem istiusmodi necessitatum publicarum adiuuas agnoscit vberrima passim, ditissimaque rerum omnium nostra Gallia.

IIDEM. AA. ET GRATIANVS.

L. 7.

Ex prestatione vectigalium, nullius omninò nomine quicquam minuatur, quin octauas more solito constitutas omne hominum genus, quod commercijs voluerit interesse, dependat: nulla super hoc militarium personarum exceptione facienda.

Iunge l. 2. de Eunuchis, sup. Octaua, ait Cuiacius in postumis, est octaua pars mercium. Sic ille. Sed hoc longè alio more apud nos, quàm ex iure Romano. Octaua enim (vocant *le huictiesme*) non omnium fructuum, & mercium, vt Romæ, sed solius vini est. In cæteris verò mercibus, non octaua, sed vicesima cuiusque libræ penditur (dicimus, *le sol pour liure*) quæ vicesima cùm ex omnibus fructibus, ac mercibus, quæ minutatim venduntur, exigi soleret, gratiam illius fecit Ludoicus XI. edicto singulari, an. 1465. die 3. Aug. quia nimirùm ei, in pugna Monleterica, auxiliares copias tulissent Parisienses. Quatuor tantùm excepit, quorum & in hunc diem frequentissimus vsus est: primum est de animalibus pedis bifidi. (vocant *le pied fourché*) Secundum est de piscibus recèns captis, vel salitis: (Gallicismus est, *poisson de mer, fraix & salé*) Tertium de lignis focalibus. (I. *bois à brusler*) Quartum, de pannis per auersionem, ϰ̀ ἐνόμαδι, (I. *en gros*) venditis. Et quoniam *Quarta* priùs soluebatur pro vniuersis fructibus, ac mercibus minutatim tota Gallia distractis, redacta etiam eodem rescripto *Quarta* illa est ad vinum, mutatáque passim in *Octauam*, nisi apud Neustrinos, Belgas secundæ Belgicæ, seu Picardos, & alijs quibusdam regionibus, in quibus & nunc *Quarta* vini particulatim venditi penditur. Si mansit Tolosæ istud, nondum audio, testatur tamen Tullius in ea, pro Fonteio, grauissimum adeò illic tributum vini fuisse, vt, quaterni denarij, in singulas vini amphoras, portorij nomine, exigerentur: Octauámque cùm ex re qualibet promercali publicani Romani acciperent, vnicum apud auctores locum puto, quo, non pace in media, sed per dissensiones ciuiles, medijsque in ciuium proscriptionibus, ingenui quadrantem annui sui reditus: liberti, qui ducenta HS. vel amplius, possidebant, octauam suorum bonorum partem dederint: hoc Dio Cass. lib. 50. Pacato Imperio Augustus tributum vicesimæ hæreditatum instituit, necessarium, inquit, Paulus tit. 6. lib. 4. sententiar. tolerabiléque ac facile hæredibus extraneis, domesticis verò graue, vt scribit Plinius in Panegyr. dolentibus quippe distracta, atque abrasa quæ sanguine, gentilitate sacrorum, denique societate meruissent. sic ille. vicesimam enim partem hæreditatum, & donationum, quas quis moriens legaret alijs quàm qui proximi agnati essent, aut pauperes, applicari fisco Augustus voluit, vt apud Dion. fusius, lib. 55. Quàm autem alienum istud à tributo vicesimę, quod in commercijs Gallicis, vt scilicèt solidus in libras pretij singulas præstetur, (vocant, vt dixi, *le sol pour liure*) nemo non viderit: cauentque proinde eruditiores nè in graue hoc mendum impingere videãtur, si perorent in publico, maximéque in subsidiorum curia, vbi quæstiones in hoc frequentissimæ. Vidi etiam qui Octauam, de qua hæc lex, facilè, audacterque in orandis illic causis, ad vini promercalis, particulatimque diuenditi, referrent, cùm tamen, vt ostendo, fructuum, merciumque omnium esset, iure Romano, quæ hodie vera vicesima, nostris moribus: Octauámque in vino solo seruamus, si de fisco agitur: aut Decimam (al. *droict d'appetissement de pinte*) si de ciuitate, oppido, vel vniuersitate aliqua, concessum ius illud fuerit. Vtrumque denique tributum, verè hodie *χαπηλιατιϰόν*, I. cauponatorium, vt in glossario Meursij.

in quo proinde notabitur, vt immunis tributi Octaui nemo est, quisquis ille sit,) vult enim Princeps exigi tam à priuilegiarijs quàm à cæteris omnibus, (ita & decima hæc, nullo passim excepto, soluitur: qualecumque proferatur ex iure militari, bellicisque exercitationibus priuilegium, hoc anno 1619. die 27. Februar. causa celebris in subsidiorum curia acta est inter Rectorem, antecessoresque Academiæ Andensis, conductoremque Decimæ istius, Academiæ illi concessæ, Claudium Mestreau, & Mathurinum Bressoneau, variosque alios consortes litis qui Psitaci Reges in ludis Arcus, Arcubalistæ, & Arcubusij: aut, vt vulgus, *Roys de Papegault, aux ieux de l'arc, arbaleste, & arquebouze.* Defendebant hi immunitatem suam vsque ad viginti quinque Dolia, varijs Regum rescriptis, quibus tamen deerat noua Illustriss. Ludoici nostri XIII. auctoritas, seu confirmatio, vt loquimur. Defendebant etiam varijs sententijs, à quibus propterea Rector, Antecessoresque, & publicanus, quem dixi, appellauerant. Prolatus à patronis in medium Græcus, Romanusque Academiarum decor, quantáque olim, & nunc in alendis doctoribus publicis cura. Decima enim hæc vinaria indulta in eam causam fuerat. oppositæ autem ex aduerso exercitationes bellicæ veterum, in Olympicis, Pyth. Nem. Circensib. passimque in Gallia, & quàm integra semper, illibataque consertoribus priscis præmia. Tamen infirmarunt iudicia omnia à quibus appellatum esset, supremæ illius Curiæ Iudices, abrogatisque rescriptis, quibus nitebatur Regia ista Psitacici certaminis societas, damnata est soluendæ vini, de qua agebatur, decimæ: adiectáque etiam impensarum iudicialium condemnatio. Perorata causa est eruditè à Franc. Cossinio, & Claud. Guerinio, apud clariss. & doctiss. dom. Cheualerium, primarium curiæ illius Præsidem.

IMPP. GRAT. VALENTIN. ET THEODOS.

L. 8.

A legatis gentium deuotarum, ex ijs tantùm speciebus quas de locis proprijs vnde conueniunt, huc deportant, Octauarij vectigal accipiant. Quas verò ex Romano solo (quæ sunt tamen lege concessa) ad propria deferunt, has habeant à præstatione immunes, ac liberas.

Rectè equidem glossa deuotas gentes hîc intelligit quæ pareant pop. Romano: dixerimus, *qui sont de l'obeissance de l'Empire.* Quod etiam dicitur in fi. *ad propria deferunt:* id est, vsus sui gratia: distinguimus legatos exteros ab ijs quos mittit modo hæc, modò illa ciuitas, aut prouincia ad Principem. Illi nihil soluunt omninò vectigalis nomine quicquid secum deferant: hi autem, nulla præstatione sunt immunes. faciunt hæc ad duos titulos pandectarum, tit. Quibus ex caus. maiores. & tit. de legationibus. at verò maximè ad l. 2. ff. de Iudic. Tribus enim illis locis agitur de legatis municipalibus, quos vulgò deputatos vocant: dixique de omnibus legatis fusissimè ad d. l. 2.

IIDEM. AA.

L. 9.

Vsurpationem totius licentiæ submouemus circa vectigal Arabarchiæ per Ægyptum, atque Augustaneam constitutum: nihilque super traductione animalium, quæ sine prohibitione solita, minimè permittenda est, temerariè per licentiam vindicari concedimus.

Legit Cuiacius, *Alabarchiæ*; Alabarches enim fuit magister scripturæ, quæ fie-

bat pascendi pecoris causa: pastoresque in saltibus publicis pecora pascentes, numerum capitum sui pecoris apud publicanos profitebantur. Itaut Alabarchiæ vectigal fuerit quod præstaretur pro transductione pecorum, vel cæterarum rerum. *Alaba*, ait iterum Cuiacius, ex Fauorino, est, scriptura, seu attramentum quo scribimus. Sic latinè dicitur ratio vectigalium, id est, scriptura: & quæ post vectigalia soluta, scripturæ, Alabarchiæ dicebantur. Qui vectigalibus illic exigendis præerat, vocabatur Alabarcha, quo nomine & vocat Tullius Antonium, quia multa vectigalia ex Ægypto exegisset, essetque quasi præpositus vectigalium. Reponit & rursum idem Cuiacius, sanéque fæliciter, vt omnia, *Sine præbitione solita*, pro, *sine prohibitione*, vt sit, *sine præbitione solita*, sine vectigalis soliti solutione. Præterire ista ex tanto interprete non potui. Subiungo autem quod magis magisque explicet veteris illius tributi, verè pecorini, rationem. Primùm enim scripturarij dicebantur, ex Lucilio, quos suprà magistros scripturæ dixi. Scribebant enim numerum pecorum, pecudúmue, quæ pascebantur. Et vt in capita singula pendebatur vectigal à pastoribus, ita nec poterat pecus ob scripturam à magistro illo scripturæ, seu scripturario, accipi, quo sensu eruditè equidem intellexit Iul. Bulengerus hunc versum Plauti, Trucul:

Nam aduersum legem à me, ob meam scripturam,
Pecudem accepisset.

Plura ille lib. de Vectigal. cap. 10. Adscribo enim hæc ad illustrationem legis potius, quàm quòd ad mores nostros faciat. Planè enim nullum vectigal, qualecumque illud sit ex pecoribus pasci solitis, in pascuis publicis, penditur. Quæ libertas non ita diu infringi ferè cæpta est à Consistorianis in hunc modum. Quæsitũ enim est circa annum 1615. in sacro Consistorio, vtrùm compascuorum, communiúmque nomine, debeatur à conuicanis vlla immunitatis feudalis, quęstuúmque nouorum redemptio. vulgus ait, *droict de francs fiefs, & nouueaux acquests*. Ratióque mouendæ quæstionis hæc fuit, quòd scilicèt, cùm vniuersitates illæ immotæ semper, ac eædem, subrogationibus in perpetuum factis, permaneant, innumeræ per totã Galliam, agrorum, pratorumque vastitates nulla vnquam tributi, vectigalisque pensitatione agnoscant Principem, cui proinde præstanda est non minus indemnitas, quàm pactionis feudalibus, quibus in hoc semper vbique cauetur, Gallicis moribus. Agitatum hoc, vt dixi, inter Consistorianos Comites, libellorumque supplicum magistros, alijs pro libertate agraria, & pratensi, alijs pro fisco sentientibus: remissaque tandem disceptatio est in senatum, vbi nec vlteriùs processêre publicanorum cæpta, vt certò didici. vide, si lubet, quæ de compascuis, & communibus inter conuicanos, collegi ad l. 3. ff. de seruitut. rustic. pręd.

IMPP. ARCAD. ET HONOR.

L. 10.

Vectigalia quæcumque quælibet ciuitates sibi, ac suis curijs, ad angustiarum suarum solatia quæsierunt: siue illa functionibus curialium ordinum profutura sunt, siue quibuscumque alijs earumdem ciuitatum vsibus designantur: firma his, neque ad habendum perpetua manere præcipimus, neque vllam contrariam supplicantium super his molestiam formidari.

Notat hanc legem Baldus ad necessitates & priuilegia ciuitatum. quò spectat apprimè locus Aristot. lib. 1. cap. 11. & lib. 8. cap. 8. politic. verba eius sunt: πολλαῖς γὰρ πόλεσι δεῖ χρηματισμοῦ, καὶ τοιούτων πόρων, ὥσπερ οἰκίᾳ, μᾶλλον δέ. Id est, multis ciuitatibus opus est pecunijs, & his tributis, quemadmodum in domo, sed & magis. plura pręterea. Duo autem hîc ex vsu obseruari necesse est: Primum est, non licere ciuitatibus vlla sibi habere, ac vendicare vectigalia, nisi princeps concesserit; atque inde vocantur idiotismo nostro Gallico, denarij concessionum, al. *deniers d'o-*

ctroy, additque proinde glossa optimè ad verb. *quæsierunt*, putà, à Principe. Alterum, concessiones illas vectigalium fieri ferè semper ex imminutis vini mensuris, (melius in vernaculo est, *sur l'appetissement des mesures du vin, du dix, du douze, & quelquefois du seize*) Quo vectigali ciuitatum nemo liberatur, nè quidem ipsi ecclesiastici. Sunt enim pecuniç verè publicç, & quas, ad instaurandas vrbes, viasque, impendi moris est. Iunge etiam l. vlt. infr. eod.

IIDEM. AA.

L. I.

Si quis sine persona mancipum, id est salinarum conductorum, sales emerit, venderéue tentauerit; siue propria audacia, siue nostro munitus oraculo: sales ipsi, vnà cum eorum pretio, mancipibus addicantur.

Tota hæc aduersus Pseudosalinarios, (vulgò vocitant, *faux saulniers*) de quorum effręni, nullisque vnquam edictis, mulctis, ac pœnis coërcita satis & auaritia, & audacia, cùm nemo non audierit, vlterius non persequar, quippe in re lippis, ac tonsoribus nota, quod dicitur. Transeunt de more à finibus Pictonicis (vbi immunitas salis est, publicéque, frumenti instar, sal venditur) in confines omnes prouincias: Institutique stationarij hinc illinc milites qui illos coërceant, quotidianáque hæc Iudicum vectigalium, seu, *Electorum*, vt loqui mos est, disquisitio. Singularia in hoc Henrici II. edicta, an. 1547. & 156. Quanta autem vectigalis istius sit vetustas, constabit vel ex Iudæis, qui Dei populus: Verba enim libri primi Machabæorum hæc sunt, Demetrio nimirùm ita scribente Iudæis: Ἀφίημι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῶν φόρων, καὶ τῆς τιμῆς τοῦ ἁλὸς, &c. Id est, libero omnes Iudæos tributis, & pretio salis, & cæt. Notum, de Salinatore, apud Liuium, qui scilicèt primus illud instituit. vt alibi differui fusiùs. *Sub Imperatoribus vectigal salis reuocatum est*: ait Symmachus, lib. 10. epist. 58. Apud nos nescierant maiores nostri vsque ad annum 1318. sub Philippo Longo. Salinarum reditus est de reseruatis Principi, ait Decius consil. 292. Dixi de his latissimè ad l. 3. sup. pro soc. ad quam proinde te remitto. Ago enim præcipuè de Salinarum mancipibus, de quibus hîc.

IMPP. THEODOS. ET VALENTIN.

L. vlt.

Exceptis ijs vectigalibus quæ ad sacrum patrimonium nostrum quocumque tempore peruenerunt: cætera reip. ciuitatum, atque ordinum, æstimatis dispendijs quæ pro publicis necessitatibus tolerare non desinunt: cùm duas portiones ærario nostro conferri prisca institutio disposuerat, atque hanc tertiam iubemus adeò in dispositione vrbium, municipúmque consistere, vt proprij compendij curam non in alieno potiùs quàm in suo arbitrio nouerint constitutam. Designatè igitur consortium portionis eatenus iuri ordinum, ciuitatúmque obnoxium maneat, vt etiam locandi quanti sua interest, licentiam sibi nouerint contributam.

Componenda omninò lex 10. Vectigalia. sup. eod. Notabitur verò temperatum adeò à nostris Theodosianum hoc rescriptum, vt non duæ portiones, quas olim Ro-

mani Imperatores, sed tertia duntaxat pridem inferretur fisco regio. atque hoc, quamdiu nec subsidia, nec tributa à populo exacta sunt. Hodie, longisque ex seculis, nihil omninò detrahitur de ciuitatum reditu. habent enim Reges aliunde vectigalia, pondúsque ingens capitalium illationum, sub quo gemit, æraria ad maiorem partem, Gallia. Dixi varijs locis suprà de cultu, ornamentísque vrbium, passimque ostendit titulus, de decurionib. inf. lib. 10. summum hoc, præcipuúmque insedisse animis Imperatorum vt vrbes laudati nominis haberent semper vnde statu, cultuque antiquo inclarescerent. πολιοῦχους, tutelaresque ipsis Deos finxit vetustas. *nemo proprijs ornamentis priuandas existimet ciuitates. Fas siquidem non est acceptum à Veteribus decus perdere ciuitatem, &c.* Ita lex 1. cod. Theod. de operib. public. differui in hoc varijs locis suprà, & ad pandectas.

TIT. LXII. VECTIGALIA NOVA INSTITVI NON POSSE.

IMPP. SEVERVS ET ANTONINVS.

L. 1.

Non quidem temerè permittenda est nouorū vectigalium exactio. sed si adeò tenuis est patria tua, vt extraordinario auxilio iuuari debeat: allega Præsidi prouinciæ quæ in libellum contulisti: qui, re diligenter inspecta, vtilitatem communem intuitus, scribet nobis quæ compererit: & an habenda sit ratio vestri, & quatenus, existimabimus.

Seruamus efficacissimè. Nihil enim quod magis ad fastigium maiestatis Regiæ: cùm vectigalia & tributa penè cum Regibus nata sint: scripsit vir eruditiss. citans in id, cap. 47. Genes. cap. 5. lib. 3. Regum, Aristot. in œconom. Liuium lib. 1. cùm agit de decimarum iure quod exigere primùm cœperunt Reges. quò & facit locus Diodori lib. 1. cap. 10. de Indis qui quartam fructuum regibus in annos pendebant. Et Strabonis lib. 11. de Cappadocibus, qui annua etiam quinquaginta ouium millia, Persarum Regi præstabant, milléque quingentos equos, ac mulorum duo millia. *Probatio denique est subiectionis*, ait d. Augustinus in epist. ad Roman. Sic d. Ambros. contra Auxentium, oratione, de tradendis Basilicis: *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Ecclesiæ soluant tributum.* sic illi. vtque in causis tituli nostri desinam: mare enim immensum: constat Galeacium primum, Mediolani Vicecomitem, damnatum fuisse maiestatis ab Imperatore, quia noua vectigalia iniussu eius instituisset. Nota etiam in hoc ipsum edicta Diui Ludouici duodecimi, & Francisci II, Excipiunt quidem Vvid. Papius, q. 144. & Chassan. ad consuet. Burgund. rubr. 13. §. 6. in verb. de poete: si de puteo vicinali reficiendo agitur, sique de instauratione aliqua murorum, aut rerum similium: sed aliud hodie, nisi forsan, quod notat Faber, inter eos qui sint eiusdem collegij, ac vniuersitatis, collatitiaque domesticatim, ac inuicem, pecunia. Diplomate enim regio in cæteris semper opus est, nisi exactio illa sit intra 50. libellas Francicas: In quo nihilominus & auctoritate *Electorum iudicum* opus est, nè quid malè exigatur in populum: Aut nisi nitatur qui exigit, lege prouinciali, seu consuetudine, vt loquimur, qua sibi, per causam patroni, dominiue feudalis, id liceat, veluti si collocanda sit nuptui filia ipsius primogenita: potest enim eo casu, qui feudalis dominus est, indicere tributum subditis suis, & vassallis, ex varijs Galliæ consuetudinibus, Pictauensi, Turonensi, Ambian. Monstrol. Artes. Tamen primæ nuptiæ intelliguntur, non secundæ. argum. l. boues. §. hoc sermone. de verb. signif. ad quam Tiraq. cum quæst. 69. & 70. de Iure primigenior.

nior. Doctrináque eadem Boërij est, q. 126. vbi fusè, ac liberè in regulorum istorum tyrannidem. agit etiam ille ipse de Charitatiuo Episcoporum subsidio, q. 133. vsque ad q. 137.

IMP. CONSTANTINVS.

L. vlt.

Si prouincialium nostrorum querela de conductorum auiditate extiterit, & probatum fuerit vltra antiquam consuetudinem, & nostræ terminos iussionis, aliquid eos profligasse; rei tanti criminis perpetuo exilio puniantur: sub conspectibus autem tuis, vel eorum qui tuæ grauitati succedunt, licitationis cura seruetur.

Duo complectitur: Primum est de audacia, auaritiáque publicanorum, ac pœna exactę, vltra antiquam consuetudinem, pecuniæ. Alterum, vt licitationes fiant apud iudicem. Ad primum notanda lex, 2. de publican. ff. cuius verba: *Quantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat. iccirco prætor ad compescendam eorum audaciam hoc edictum proposuit*, vulgata deinde est eorum execratio ex sacris codicibus, nempè ex cap. 18. Mathæi.

Τίς δὲ τελωνέως ἀμέτρου χερὸς ἐπὶ χέρειον.

Idest, Quis nequior Publicani manu cuius nulla mensura est? Ita Gregor. Nazianz. in Carm. ad Vitalianum. Sic & D. Chrysostomus, de pœnitent. Achab: οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἐστὶ τελώνης, ἢ πεπαῤῥησιασμένη βία, ἔννομος ἁμαρτία, εὐπρόσωπος πλεονεξία. Idest, nihil est aliud publicanus, quàm liberè, ac licenter loquens violentia, legitima offensio, honesti vultus auaritia, habendique plusquàm liceat libido. hactenus Chrysostom. qui multò plura.

Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.

Idest, omnes publicani, omnes sunt raptores: scripsit Xeno de Oropijs. Persępe quæstiones de eiuscemodi harpiarum maleficijs, in curiæ subsidiorum auditorio incidunt, ad quas Tulliana, ad Q. fratrem, censura non semel à proscindentibus tam audacem in publico licentiam patronis accepta est; profero autem quę non ita de triuio. Quantum ad perpetui exilij pœnam, de qua etiam in textu, norunt in hunc diem plures, laqueo, ante annos circiter viginti, luisse quemdam publicanum, ex supremo curiæ subsidiorum iudicio, quia illicitum tributum apud Catulliacum, (qui hodie d. Dionysij fanum est) licentia, audaciaque nimia exegisset. Secunda legis pars interpretatione prorsus nulla indiget, cùm & vulgatius hodie nihil sit quàm irritas esse licitationes, addictionesque quaslibet, & cuiuscumque rei nisi fiant apud Iudicem. Quantò ergò magis vbi de vectigalium iure agitur.

TIT. LXIII. DE COMMERCIIS ET MERCATORIBVS.

IMPP. VALENS ET VALENTINIANVS.

L. I.

Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, potentiorum quoque homines, necessitatem debitam pensionum, (vt honestas postulat) agnoscere moueantur; vt per cunctos qui emolumenta negotiatio-

nibus captant, tolerabilis fiat agnoscendæ deuotionis effectus.

Vide l. 1. sup. de Episcop. aud. quam concinnatam à Triboniano, notat hîc Cuiacius. Duarenúsque anteà, vt ad illam monui. Vult hæc paucis, benignè agendum cùm negotiatoribus, seu mercatoribus aulicis, cúmque hominibus, id est actoribus, procuratoribus, seu, conductoribus, potentiorum, vt pendant tributa. Distinguendi autem negotiatores, mercatores, alijque similes à Biarchis, id est, prouisoribus aulicis, vt iam explicui ad tit. de offic. magist. offic. (vocant, *prouuoyeurs de Court*) Illis enim nulla immunitas, vt quæ nunquam in commercijs obtineat, trado ad pandectas, inter cætera, vetus anni 1559. arestum, latum ex ea ipsa negotiandi ratione, postulantéque procuratore Catholico, aduersus priuilegiarios Eudonis Maioris, (al. *de Chasto S. Mars*) nepotes, qui priuilegio suo, etiam ad commercia, vti audebant. hi verò, id est, Biarchi, catenus sunt quatenus in sacro agunt comitatu, & annonas Palatinas curant (valdè propriè dicimus nos Galli, *pource qu'ils sont obligez de suiure, & fournir*) suntque propterea intra certum numerum.

Potentiorum quoque homines.

Sic & in l. 4. inf. de dignitatib. lib. 12. *Senatorum substantias, quas in diuersis locis, & prouincijs possident, & homines eorum, &c.* Iure Cuiacius, *homines*, eo loco de clientibus, actoribus, & procuratoribus prædiorum, quæ potentiorum erant, intelligit. Irrepsitque loquendi ille mos in idiotismum nostrum Gallicum, nec tantùm inter vulgares, sed præsertim si de fero, actoréque alicuius potentioris verba facimus. quò propterea nec tam abs re referri dixerim quod apud Cæsarem lib. 6. de bello Gall. vbi notat plebem in Gallia semper fuisse, penè seruorum loco, atque sub nobilibus, seu potentioribus. Addam verò ex tanto interprete, producere eum vocē illam, *homines*, ad vassallos indéque dici *hominum*, (in vernaculo nostro est, *homage*) docet ex historia Helmodij. Vassalli autem, seu gentiles, (dicimus, *Gentils-hommes*) cœperunt tantùm sub Iustiniano, & Iuliano, nepote suo ex sorore, docetque Argentræus, quæst. 14. *en l'aduis sur les partages des nobles*, fuisse tunc scholam gentilium, id est, *bandes d'hommes de guerre, qu'on appellent Gentils*, quia ex eadem gente, vel ex alia causa. Ante eos erant scutati, quos dicimus, *Escuyers*, qui scilicèt ex equis pugnarent cum scuto, & hasta, vel conto. Plura ille loco. in quo tamen nec aduertit locum Ciceronis in Topicis, vbi gentiles dicuntur qui ab ingenuis oriundi, & quorum maiorum nemo seruitutem seruierit, vera enim illa ratio Gallici nominis. Gentiléśque illi, seu vasalli, non vocabantur, *homines*, eo sensu quo in hoc textu, & in d. l. 4. de dign. atque apud Cuiac. Nemo ex qui & hodie nomen hoc sibi applicari non horruerit: imò & quasi districto ense non vlciscatur vt quid insolens, indignúmque suo genere. vocantur à potentioribus, patronis, ve feudalibus, eleganti, honestóque nomine, nec seruili, vt sonat vox, *homines*, licèt statuta, consuetudinésque prouinciarū plurimæ & hoc nomen, in re feudali, habeant, videmúsque appellari, *homines Papæ*, id est subditi, iureiurandóque ad stricti, (eiusmodi sunt Cardinales) sed alio id ex fonte, putà feudali, vt dixi suprà, nec proinde verisimile est feudalium hominum denominationem ex hoc textu, multóque minus ex d. l. 4. promanasse. Vassalli dicti semper, modo Gentiles, modò & Comites, ἢ στρατιῶται, de quibus propterea, vt animum expleas vide Chopin. lib. 3. tit. 5. de dom. atq; Hotomanum in verbis feudalib. at verò & ipsum Rag. in Ind.

IMPP. GRAT. VALENTIN. ET THEODOS.

L. 2.

Non solùm Barbaris aurum minimè præbeatur, sed etiamsi apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio. Sed si vlterius aurum pro mancipijs, vel quibuscumque speciebus, ad Barbaricum fuerit translatum à mercatoribus. non iam damnis, sed supplicijs subgugen-

tur, & si id iudex repertum non vindicat: tegere, vt conscius, criminosa festinat.

Abundè iam dixi ad l. 1. & 2. sup. *quæ res exportari non debeant.* vbi sedes præcipua. itaut nihil aliunde adijciendum videatur, nisi in quo iubeant Imperatores aurum subtili ingenio auferendum esse Barbaris. Dolemus enim in hunc diem nos Galli quod anno, 1492. oblatam à Christophoro Columbo, Genuensi, nauigationem spreuerit olim Carolus Octauus qua nobis quæreretur Imperium Indicum: quemadmodum & Anglus pessimo nec minùs suorum consilio. Admisit verò tandem, iuuitque tanti nautæ incomparabilem operam solus Ferdinandus cui postea potentissimisque, ad nostram ætatem, posteris aduectæ ingentes, supra humanam fidem, moles auri barbarici. Ingenio igitur magis quam graui vllo Marte, ablatum istud inertibus populis: tulitque ita sors, præter spem, Hispanica. Græcus olim Rhetor Fritinnijt, sermone verè otioso, ac vmbratili in eiusmodi, aduersus Barbaros, rapta aurea. Delibo autem, in transcursu, flebilem nobis Gallis, vulgatam, verámque, ex orbis noui scriptoribus, historiam.

IMPP. HONORIVS, ET THEODOS.

L. 3.

Nobiliores, natalibus, & bonorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores pernitiosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios, & negotiatores, facilius sit emendi, vendendique commercium.

Duo igitur peroptimè quibus abstinere oporteret, iure Romano, nobiles à commercijs: claritas opulenta natalium, suspectaque vis in eos quibuscum vel emendo, vel vendẽdo res ageretur. Prisca enim, ab omniq; æuo, nobilitas in his semper eminuit. *Atrium plenum fumosis imaginibus.* ait Sen. Epist. 43. & apud Tacit. lib. Annal. *Dites olim familiæ nobilium, & claritudine insignes studio magnificẽtiæ probabantur*, &c. Virgil. lib. 4. Georg.

At genus immortale manet, multosque per annos,
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

Xiphilinus denique, in Augusto, causam insolentiæ, superbiæque nobilium, clarissimè velut oculis subijcit, cùm ait dignitatem generis, copiam diuitiarum, amplitudinemque dignitatum, ac potentiæ, insidere adeò animis nobilium, vt sibi permittant ferè semper quod non liceat. hinc istud apud Senecam in herc. Fur. act. 2.

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos victor à tergo deus.

At verò & apud Sophocl. in Aiace, sic Agamemnon:

Ει πού τραφεὶς ἂν μητρὸς εὐγενοῦς ἄπο,
Ὑψηλ' ἐφώνεις, κ' ἀπ' ἄκρων ὡδοιπόρεις.

I. Si te mater nobilis peperisset, quàm superbè loquereris, & quàm altè incederes: vetùs poëta anonymus apud Stob.

Ἀλλ' ὑπεροπλίῃσι, καὶ ἀμαρτωλῇσι Νόοιο,
Ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει.
Καίπερ ἐὼν ὀλίγος.

I. sed arrogans, & animo peccãs, instar Iouis tonat, & caput supra ceruicẽ tollit, quamuis paruus homo. miror scripsisse & ipsum, à tot seculis, Aristotelem, lib. 5. politic. cap. 1. Εὐγενεῖς καὶ ἀγαθοὶ οὐδαμοῦ ἑκατόν. Id est, nobiles & viros bonos nusquã gentium centum reperias. pauca hæc, & quãtum ferat nostra lex, ex græcis, Romanisq; nobilitatum apicibus, innataque velut, in plebeios tyrannide, qua verisimile est permotos fuisse Imperatores vt nè deinceps nigotiarentur nobiliores, rescriptumque istud promulgasse vt soli inter se plebeij liberrima, nullisque negotiantium minis, ac terroribus onerata commercia agerent. Inde Sidonius dum rerum omnium legem peruerti conqueritur: *Vigilant fures (ait lib. 1.) dormiunt potestates, fænerantur clerici, student pilæ senes, armis eunuchi,*

negotiatores militant, *milites negotiantur*. titulus in hoc disertus inf. lib. 12. negotiatores ne militent. cui conuenientissimum hoc ex d. Ambrosio, lib. 1. de offic. *Si is qui imperatori militat, à susceptionibus litium, actu, negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quantò magis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negotiationis abstinere debet*. sic ille. Quantò autem magis, vt ex eodem persequar, Galliæ nostræ nobiles negotiationes vitare æquum est, cùm, seposita terroris causa quæ Romanos nobiles commercijs arcuit, nihil apud nos tam aduersetur dignitati natalium, quàm negotiationis, mercaturæque quæstuariæ vilitas? Sic Cæsar lib. 6. de bello Gallico, *In Gallia eorum hominum qui in aliquo sunt numero, & honore, genera sunt duo, equites, & Druydæ. nam plebs penè seruorum habetur loco*. Aristot. lib. 7. cap. 2. politic. Ζελτοὶ ἐδύναντο πλουτεχνεῖν, καὶ ἡ τοιαύτη τετίμηται δύναμις ἐν αὐτοῖς. I. Galli poterant augere quicquid anteà habuerant, & eiusmodi procedendi libido honoratur inter ipsos. hinc ergo mercaturas exercere ignominiosum fuit semper nobilitati Gallicæ, secernenti suos vsque adeò plebeijs quibuslibet, etiam generosissimis, vt si quem non nobilem dicere voluerint, *villanum*, quasi villa, rusticáque casa ortùm dictitent. fastus nempe illorum est. *Ita natalibus turgent*, quod & de cis olim Sidonius. tamque ambitiosè mechanicas artes fugiunt, proindeque mercaturam, quam & vocat Baldus artem mechanicam, ex cuius sententia loquitur Tiraquellus cap. 33. de Nobilit. in hæc verba: Quæcumque sit consuetudo, vel statutum in contrarium, quo scilicet nobilibus mercaturam facere liceat, aliquid tamen propter naturam ipsam nobilitati eorum detrahi. Taceo de conductionibus, quæcumque illæ sint. Si enim comperiatur nobilem conduxisse agrorum culturam, proculdubio fit ærarius cui sola sua prædia colere arareque liceat. de quo tamen & lis olim fuit in senatu Gratianopolitano quam recenset paucis vidus Papius quæst. 41. vide & in hoc ipsum, si lubet, Argentræum ad consuet. Armor. artic. 222. glo. 5.

IIDEM AA.

L. 4.

Mercatores tam imperio nostro, quàm Persarum Regi subiectos, vltra ea loca, in quibus, fœderis tempore, cum memorata natione nobis conuenit, nundinas exercere minimè oportet, nè alieni regni (quod non conuenit) scrutentur arcana. Nullus igitur post hac imperio nostro subiectus vltra Nisibin, Callinicum, & Artaxatan, emendi, seu vendendi species causa proficisci audeat: nec præter memoratas ciuitates cum Persa merces existimet commutandas: &c. exceptis videlicet ijs qui legatorum Persarum quolibet tempore ad nostram clementiam mittendorum iter comitati, merces duxerint commutandas, quibus humanitatis & legationis intuitu extra præfinita ètiam loca mercandi copiam non negamus: nisi sub specie legationis, diutiùs in qualibet prouincia residentes nec legati reditum ad propria comitentur. hos enim mercaturæ insistentes non immeritò vnà cum ijs cum quibus contraxerint, seu resederint, pœna huius sanctionis persequetur.

Componenda omninò lex vlt. quæ eorumdem Impp. est, atque in hoc ipsum. Constat autẽ ex auctoribus Romanis, liberum fuisse mercatoribus, ante hãc Honorij, Theodosijque constitutionem, commercium in vuiuersa Perside, quàmuis omnium Romani Imperij hostium grauissimi essent Persæ.

Audiet cives acuisse ferrum.
Quo graues Persæ melius perirent
ait Horat. & alibi
——————*Præsens diuus habebitur*
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusque Persis.

Notissima clades Crassi. Cur ergo coërcituum sit ab Imperatoribus mercatorũ iter ad tres vrbes de quibus in textu, id est, vt obseruat Cuiacius, ad totidem insulas quæ sunt in limite Persidis, quarum in vna, nempe Artaxare, ictum à Theodosio fœdus cum Persis: & an conuentionis illius publicæ partem hoc fecerit. Cuiacius ipse, qui Stephanũ citat ex libro, περὶ πόλεων, non docet: vt vtut, prima legis istius vtilitas fuerit, vt discamus, arcanum semper fuisse scrutandi, quid in alienis Imperijs, modum, per crebros euntium, redeuntiúmque mercatorum cum exteris conuentus. Hinc, antequàm paciscereturFranciscus primus, circa annum 1519. cum hoste Christianorum Imperatore Mahumatano, (de quo fœdere plures conquesti sunt) nemo seu ex Eois populis ad nos, seu è nostris ad illos, per quamcunque commerciorum occasionem, aut imaginem, commeabat. Cæteri, Hispano excepto, Christiani Principes, eandem posteà cùm Barbaro illo inierunt fœderis viam, vt necessariam: Nihilque hodie commercijs eiusmodi Turcicis toto orbe frequentius: In quibus & prærogatiua gentis nostræ illa est, vt, Consulis nomine controuersias mercatorum Iudex Gallus Iudicio supremo dirimat, Tripoli, Alexandriæ, Carthagini, (Thunas vocant) Alapij, (vulgò etiam, Alepum) & Argeriæ. Quinimo nec alius quàm Rex noster, Iuridicinas illas, tametsi in ditionibus Mahumetanis, confert. Dicam quod mirum, verissimúmque est. Argerianus consulatus cùm non ita diu vacasset, illata sunt fisco regio duo aureorum millia: collatioque ab Herrico magno facta: Scio cui: vir est nobilis, generosus, & cuius meritis debet plurimum Gallia. habet ille Argeriæ vicarium Iudicem, hominem Gallum, ac presbyterum, qui pendit in annos sponte, gratoque animo, octo aureorum millia domino.

IIDEM. AA.

L. pen.

Cessante omni ambitione, omni licentia, quingentorum sexaginta trium collegiatorum numerus maneat, nullique his addendi, mutandive, vel in defuncti locum substituendi pateat copia: Itaut iudicio, tuæ sedis subipsorum presentia corporatorum, in eorum locum quas humani sub traxerint casus, ex eodem, quo illi fuerant corpore, subrogentur: nulli alij corporatorum, præter dictum numerum, per patrocinia immunitate concessa.

Certus hodie mercatorum aulicorum non est numerus, qui etiam nulla immunitate fruuntur, quæ proculdubio in solis biarchis, seu prouisoribus, vt loquimur, quod iam notaui ad l. 1. hoc tit. Sunt hi proinde intra numerum, vt & mercatores Academici, seu vniuersitatum celebrium, quas vocamus, cùm aliàs abitura essent in infinitum priuilegia. Obices denique, finesque intermedios esse necesse est, quos non liceat egredi: imò & notas singulares, quæ dederint causam priuilegio. Sic in subsidiorum curia iudicatum est an. 1600. mens. Augusto, immunes esse solos ex ciuitatibus Imperialibus mercatores, vt nè scilicet εἰσαγωγικὸν. vt vocat Suidas, id est, nouum illud ius inuectionis (dicimus, *droict d'entrée*) quod anno 1597. institutum est, penderent qui in illis ipsis ciuitatibus nati essent, & actis Lugdunensis tribunalis inscripti: non autem qui, aliunde oriundi, sedem in eis fortunarum suarum constituissent. eruditam ad Imperiale istud Germanorum, qui verè Gallorum fratres, actionem

habuit dom. Bretius, cum fisci patronum in eadem curia ageret, editamque, num. 28. cum elegantissimis alijs plurimis reperies, vide & ad l. hæres absens. §. proinde. ff. de Iudic. Sic verò & immunitas cuiuscumque portorij, vectigalisque mercium, concessa olim à Carolo 7. an. 1448, mercatoribus Gallis fluuium legerim frequentantibus ex causa tam laudabili, vt duret, nullaque ex parte recisa, in hunc diem: quia nempe communem mercatoriæ societatis pecuniam officiosè contulissent ad expeditionem bellicam contra Britannos, & Burgundos, atque id tam opportunè vt fœlix exinde Monarchiæ Gallicæ restitutio consecuta sit: testatur Chopinus lib. 3. tit 8. de sacra politia.

IIDEM. AA.

L. vlt.

Si qui inclytas nominatim vetustis legibus ciuitates transgredientes ipsi, vel peregrinos negotiatores, sine Comite commerciorum, suscipientes fuerint deprehensi: nec proscriptionem bonorum, nec pœnam perennis exilij vlteriùs euadent, &c.

Verisimile fit plus satis ex toto textu, prohibuisse ideò Imperatores nè mercator vllus vel tres ciuitates de quibus in l. 4. sup. transiret sine commerciorum Comite, vel, quod magis est peregrinum vllum negotiatorem, sine eodem rursus Comite, susciperet, quia testem illum esse vellent eorum omnium quæ ipsi in Perside agerent. Visque adeò sibi à priscis illis Crassi triumphatoribus metuebat Romana potestas. Notaui haud abs re ad d. l. 4. arcana exterarum gentium ferè semper detegi à mercatoribus aduenis: quod ipsum scripsit Tullius lib. 1. offic. cauetur autem hoc textu nè addiscant quippiam hostes exteri à Romanis ipsis mercatoribus, quasi patriæ suæ proditoribus, quibus proinde Comitem hûc commerciorum, velut assèclam perpetuum, aut etiam, ἀμφίπολον, esse oporteat. Narrant in hoc mira de institutis solertissimæ reip. Venetæ. prætermittam morem Gallicũ: si tamen dixero, alia ex causa prohiberi statutis Parisiens. nè adeat Lutetiam mercator exterus, mercésq; vllas venales deferat, nisi comitatus Gallis, aut saltem Gallo aliquo famulo, vulgò dicimus, *sans estre hansez, ou auoir compagnie Françoise, ou vn valet François.* Fit enim hoc vt facilitas commercij sit maior, agantque mutuis interpretibus mercatores & indigenæ, & exteri. Cæterùm de Comite commerciorum, cuius quandam apud nos imaginem aliquandiu præstitit Rex mercatorum, dixi ad l. vn. in verb. Comiti commerciorum. sup. de Annonis, & capitu administrantium. Vide & Rag. in Ind. atque Car. Loys. libro, de dominijs, cap. 9. num. 30.

TIT. LXIV. DE RERVM PERMVTATIONE, ET PRÆSCRIPTIS VERBIS.

IMP. GORDIANVS.

L. 1.

Si cùm patruus tuus vanalem possessionem haberet, pater tuus, pretij nomine, licèt non taxata quantitate, aliam possessionem dedit: idque quod comparauit, non iniuria Iudicis, nec patris tui culpa euictum est: ad exemplum ex empto actionis, non immeritò id quod tua interest, si in patris iura successisti, consequi desideras. At enim si cùm vanalis

possessio non esset permutatio facta est, id quod ab aduersario præstitum est, euictum est: quod datum est, si hoc elegeris, cum ratione restitui postulabis.

Rectè glos. Aut species incerta datur pro incerta: vt bos pro asino: aut incerta pro certa, aut certa pro incerta: vt, oleum pro frumento, in genere. His tribus casibus est contractus innominatus generalis. aut certa pro certa, & tunc est permutatio. Allegatur autem de more hæc lex aduersus eos qui vt fraudent patronos feudales, contrahunt imaginaria, fictaque permutatione, cùm reuera sit emptio. Latè istud Molinæus ad consuet. Paris. §. 23. num. 93. & 94. vbi & egregiè has fraudes describit. Attingit Faber vtrùm in beneficijs Ecclesiasticis agi possit de euictione, altero quod ex permutatione datum est, euicto: Decidit autem non posse: eámque esse inter res sacras, & profanas permutationes differentiam. atque ita iure optimo seruamus: sacris nempe non admittentibus commercium. Inde hodie nihil nisi furtiuis conuentionibus agitur. dixi de his alibi plura, & varijs locis. Cæterùm de fictitijs illis permutationibus vt irrita sint dominis feudalibus laudemia, vide cætera ad l. Quæritur. ff. de sta. hom.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 3.

Ex placito permutationis, nulla re secuta, nemini actio competit: nisi stipulatio subiecta (gl. pacto) ex verborum obligatione quæsierit partibus actionem. Iunge l. seq.

IDEM. A A.

L. 6.

Rebus certa lege traditis, si huic non pareatur, præscriptis verbis incertam ciuilem dandam actionem, Iuris auctoritas commonstrat.

Ambas ideò commisi, quia vt permutationem ait in genere, lex 3. dare actionem ex solo implemento: ita & lex hæc sexta nomen actionis designat, putà, præscriptis verbis incertam ciuilem. Cur ita hoc nomen, glossa explanat. Incerta, inquit, dicitur, quia continet id quod nostra interest, seu, *interesse*, vt loquimur. Incertum verò illud est prima fronte, licet certum posteà fiat. Item, *ciuilis*, dicitur illa eadem actio, vt persequitur eodem loco Accursius, quia ex æquitate ciuili dari soleat: in idem autem recidere & in factum, & præscriptis verbis actionem, rectissimè adijcit. Vide ad l. Iurisg. ff. de pact. ad rubric. de præscrip. verb. & ad l. naturalis. eodem illo tit. quid ad faciliorem intellectum contulerim. Si propiùs enim inspicias, pellucet quod obscurum putat vulgaris imperitorum inertia. Vide etiam de beneficiorum permutatione ad l. 1. ff. hoc tit. déque regressibus ad l. 14. §. vlt. de æd ed ff. & nota, ad supplementum eorum quæ iam anteà ad pandectas edidi, non peti quidem de more, nouam collationem, si facta permutatione irrita per culpam, aut perfidiam alterutrius permutantium, qui vel prorsus non dat beneficium, vel dat alienum, aut litigiosum, regrediatur qui satisfecit ad suum ipsius quod dederit: Ita enim Molin. num. 154. de infirm. resign. atque Rebuf. tit. de permutatione. Sed si qui fallit fidem moriatur, aliusque beneficium datum ex causa permutationis, impetrauerit, vt vacans per obitum, nullus tunc regressus, vacatque adeò beneficium per mortem, vt nec noua collatione recuperare illud possit qui cum defuncto permutauerat: atq; in hoc serua-

ri summo iure clementinam vn. vt lite pend. accepi non semel à scientissimo rei beneficiariæ, dion. Butillerio. Secus, si resignasset defunctus, tunc enim teneretur resignatarius ex facto defuncti, quo more & locationes resignantis seruantur necessariò à resignatarijs, quasi quibusdam hæredibus, vt censuit sæpe ordo ampliss. monebo insuper quod & peritos fefellerit. Regula enim est, eáque certissima, permutationes in beneficijs Ecclesiasticis, fieri oportere de beneficio pacifico ad beneficium etiam pacificum, vt loqui mos est, proceditque eo casu doctrina Molinæi, ac Rebufi, de qua supra. Proinde si detur beneficium ad cuius compensationem promittatur ex causa permutationis aliud similis, eiusdemque reditus, tunc non permutatio est, sed nuda, simplexque pollicitatio, quam numquam confirmat Rom. Pontifex: sique alter cui resignatum ex ea causa fuerit beneficium, moriatur, vacat proculdubio per obitum. Ita est vsus, cuius ratio & in ipsis permutationum indubitatis regulis, confirmanturque mihi trapezitæ post Butilerium.

TIT. LXV. DE LOCATO ET CONDVCTO.

IMP. ANTONINVS.

L. 2.

Aduersus eos à quibus exstruenda ædificia conduxisti, ex conducto actione contendens, eo iudicio, quod est bonæ fidei, debitum cum vsuris consequeris.

Populariter Baldus: Faber, qui præstitit suam operam, nec promissam mercem recipit, petet cum vsuris. Sed hoc non ad mentem omninò textus, qui agit de prærogatis ab Architecto pecunijs in ædificium quod extruxit. Itaut nec verear & istud è nostro Celtismo petere, vt quod magis videatur rem tradere in hunc modum: *L'artisan peut demander l'interest de ses deniers aduancez.* Eò fertur proculdubio Imperatoriæ constitutionis sententia, cuius non alia etiam maior æquitas, quàm si dixerimus cum Vlpiano, in l. si seruus communis. §. 1. de furt. iustissimè allegaturum eum, non fuisse se id damnū passurū, si ædificia illa ex truenda non conduxisset, sumptusque in id necessarios non fecisset. Eadem etiam prorsus ratione fideiussor qui soluit de suo quod à Reo, cuius causa fidem adstrinxit, debetur: Eadem & procurator qui pecunias impendit in negotia domini, arg. l. inter causas. §. non omnia. iuncta glo. quam sequimur. ff. mand. solusque cohæres, qui impensas fecit in litem communem, excipitur, vt notaui ad l. liberto. sup. de neg. gest. Vidimus, vt ad architectorum quæstionem redeam, addictas in simili vsuras ἐργολάβῳ, celebrique non ita diu redemptori operis, Iac. Mercatori, ob exstructum suis nummis, Illustriss. Cardinalis Borbonij iussu, ingens illud palatium quod hodie monasterium S. Germani Pratensis, partem ad maximam, diuidit. Sic & in arce egregia circa Cæzaroduum Turonum. Sic denique varijs alijs in litibus eo nomine institutis, quibus legis istius disceptata quæstio est. Quærunt post glossam, Bartolus, Baldus, Salicetus, & Sichardus, an qui opus extruendum certo pretio redemit, possit agere, opere in medio, vt soluatur pretium. distinguunt autem optimè cerdones, sartores, pellipærios, & similes qui operas in paucos dies locant, à cæteris artificibus, & architectis qui faciendum, ædificandúmque aliquid in plures menses, aut annos etiam, susceperunt. Hi enim possunt interim non totum conuentum pretium, sed partes varijs temporibus, prout que efficiunt, petere. Quid enim, ait Bartolus, si de palatio construendo agatur? vtiturque haud abs re, argum. l. si verò non remunerandi. §. vlt. ff. mand. & l. qui insulam. §. 1. & §. qui edem. ff. loc. textus enim in id sūt singulares: quos & aliis de probāt quotidiana experiēta, cùm ita visum sit in varijs illis ædificiorum molibus quas & Lutetiæ, & Callirhoæ, seu, Bellaquæ, alijsq; passim regni regionibus, cōposuit: Maximéque hodie in instauranda

celeberrima illa fori Parisiensis Basiliqua, quæ arsit anno superiore, 1618. vt describo latiùs ad leg. vltim. de ferijs. & ad l. prim. de l. Aquil. supr. Cæterùm cauendum semper, quà fieri possit, nè in æstimandis operum partibus, aut operibus etiam integris, deueniatur ad peritos. Fallunt enim sæpius, conspirantibus inter se animis, ipsi mechanici artifices. ferè semper ita comprobatum ex vsu vidimus: id verò non tantùm in ædificijs, de quibus hîc textus, sed in re alia qualibet, cuius necessaria sit æstimatio. videatur, instar omnium, tota nou. 60. quæ est de hortulanis. nulla maior Iustiniani, in cæteris ipsius edictis, rescriptisque, querela. & quotiescumque causæ in hoc actæ sunt, deliberandum semper amplius censuit ordo amplissimus. memini inter sexcenta, cùm aduersus hortulanum prætorij sui, quod in suburbijs Marcellinis, causam egit dom. Memius, Roissinius, tunc libellorum supplicum in regia magister: Nullæ artes, technæ, fraudesque callidiores quàm quæ inter hortulanos Parisienses, si de herbis hortorum, quos conduxerunt, æstimandis aduersus dominos, qui eos expellere conantur, agi oporteat. Quod ad plenam legis interpretationem superest, succedit tandem ex interpretationibus, habenda semper operarij mercedis ratio, postquam opera functus sit. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque ad mane. Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, ne clamet contra te ad dominum, & reputetur tibi in peccatum.* leuit. cap. 19. Deu. 24. Item, *quicumque tibi aliquid operatus fuerit. statim ei mercedem restitue. & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.* Tob. 4. iunge & Eccles. 34. vers. 27. atque Iaco. 1. Sic & Phocylid. Μισθὸν μοχθήσαντι δίδου. l. mercedem laboranti da. Longéque anteà Hesiod. Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω. l. merces homini pauperi amico dicta, & promissa, sufficiens esto. Tota lex 1. de extraordin. cognitionib. in hoc ipsum, passimq; ff. & cod. merces appellatur solatium maximè in lib. flor. Merces denique dari solita pauperibus, vt ex ea victitent, famemque arceat; quod eleganter Pindarus, od. 1. Isthm. Alibique iam, ni fallor, Græcos versus exscripsi. Auctarium hoc gratum veniat studiosis, cum & ipsi interpretes legis mentem & eò proferant, vt ab initio monui.

IMPP. ANTONINVS.

L. 4.

Æde, quam à te conductam habere dicis, si pensionem domino insolidum soluisti, inuitam te expelli non oportet: nisi proprijs vsibus dominus eam necessariam esse probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu male in re locata versata es.

Iam dixi ad l. quæro. §. si conuenit. ff. hoc tit. & ad l. 2. ff. in quib. caus. pignus. preclarè autem quod habet Molineus ad consil. 667. Decij, vbi annotat falsum esse quod in eo consilio docet Decius, non posse videlicet dominum expellere conductis ædibus inquilinum, quem in contractu locationis, non expulsurum se promiserit, quamuis posteà probet dominus necessariam esse proprijs vsibus domum. Dixi prætereà ad l. 3. si mater sup. de inof. testam. de clausula illa, *proprijs vsibus*, produci nimirum illam ex senatusconsultis non posse ad nepotes locatoris, quod sibi, filijsque suis, in eam causam receperit, reseruaritue, vt loquimur: dictionem enim, *Enfants*, non produci ad nepotes, vt cùm de liberis fit mentio, in l. liberorum. de verb. sign. & alijs locis in iure quamplurimis, sed coërceri ad primum gradum, putà ad filios. Ren. Chopinus, tamen Iuris Romani, Gallicique scientissimus, causa propria in hoc vnum cecidit, vt ibi ostendo. De corrigendæ etiam domus necessitate, vide l. habitatores. l. cùm in plures. ff. & cap. propter. ext. hoc tit. frequentissimus verò expulsionis casus est, si pensionem non soluat inquilinus. Tunc enim docet Faber hîc, posse eum post biennium expelli à domino, imò & propria authoritate, citráque ministerium Iudicis. in quo & citat l. si duo. §. cum inquilinus. ff. vti possid. Aliud tamen seruamus: agendumque auctore Iudice, qui temperet dila-

tionibus, proüt viderit, repetitis, vsque ad sex menses, aut aunum; raróque vsque ad biennium, quicquid velint, interpretes, si modo inuecta & illata inquilini suffectura sint pensionibus debitis: vulgate, Iudiciorum est, *que ledict preneur garnira dans tel temps ladicte maison de meubles exploictables iusques a la concurrance des louages qui porront estre deubs, autrement & a faute de ce faire, & ledit temps passé, condemné à sortir, &c.* Censet deinde idem Faber locum esse expulsioni, si lupanar inquilinus exerceat dummodò tamen dominus, cum locauit, illud nescierit. Item, si non inquilinus, seu colonus, sed inimicus ipsius, meroque odio habitatoris, seu ædibus, seu ruri conducto damnum inferat.

Imp. Alexander.

L. 4.

Ex diui Antonini pÿ literis certa forma est, vt domini horreorum effractorum eiusmodi querelas deferentibus custodes exhibere necesse habeant, nec vltrà periculo subiecti sint, quod vos quoque adito Præside prouinciæ impetrabitis. Qui si maiorem animaduersionem exigere rem deprehenderit; ad Domitium vlpianum præfectum prætorio, & parentem meum reos remittere curabit. sed quia domini horreorum nominatim etiam ipsi custodiam repromiserint, idem exhibere debent.

Componenda lex 1. suprà. quam exscribendam non censui, cùm suppleatur hoc textu quod concisiùs ibi rescriptum est. Componenda etiam lex, dominus horreorum. ad quam de horreis veterum dixi. ff. hoc tit. liquet autem ex l. 60. Titius. ff. de acq. rer. domin. fuisse illa non modò in domibus, sed & per agros medios, tabulisque ex ligneis, itaut alia modo in hanc, modòque in illam partem mouerentur; Alia in terram defigerentur: quod ostendit plus satis d. lex, Titius. cum glo. Quia igitur non solùm frumenta, sed quæcumque alia, vt res, opportunitasque loci ferebat, recōdebantur in eiusmodi horreis parum tutis per se, quippe ligneis, itaut fortuira quasi tabularum compage cohærerent, horrearij, id est custodes in hoc vnum conducebantur vt aduersus prædones tuerentur: qui custodes si peccasse in eo comperti fuissent, liberabatur dominus si exhiberet; Ita noster textus, cuius proinde argumentum conuenientissimum fuerit aduersus quoscumque seu ædium priuatarum, seu emporiorum custodes qui vel perfidè, vel segniter, adeò egerint, vt prædonibus ad res eorum fidei creditas patuerit via. maximè equidem istud fecerit ad vastissimam illam contignationem, quæ, per dies quindecim, quibus stare consueuit emporium Sangermanicum mense Februario, tot vasa argentea, aureáque etiam, ac inaurata, tot gemmas, vniones, lapillos, tot merces vndequaque aduectas, tot denique pretiosa orbis vniuersi mobilia, complectitur. Custodes propterea diu, noctuque multo numero circumstant aduersus prædonias manus, nec alleguntur nisi quorum maximè antea innotuerit fides. Nihilque in eo peccatum vnquam constat in hunc diem, de fama, aut scriptoribus. Dixi iam de emporij illius celebritate ad tit de Nundinis hoc lib. 4. Quantum ad commendationem Vlpiani; vide similem textum in l. 4. inf. de contrah. & committ. stip. Erat Syrus, proindéq, Iudæo haud absimilis, ipsomet teste, in l. 1. ff. de Censib. erat, (quod peius eum habuit Christianorum hostis infestissimus, vt arguit lex 1. de extraord. cognit. vide plura ad l. Cæteræ. ff. famil. hercisc.

IDEM. A.

L. 1.

Certi iuris est ea quæ voluntate dominorum, (l. cum hypotheca expressa) *coloni in fundum conductum induxerint, pignoris iure dominis prædiorum teneri. quando autem locatur domus, non est necessaria in rebus inductis scientia domini: nam ea quoque pignoris iure tenentur.*

Iunge l. si non inducta. inf. & l. In prædijs. ff. in quib. caus. pign. Paucis verò istud nostra hæc lex: Scientia & pactione domini ad hypothecam opus est in fundis conductis: sed non in locatione ædium. Ratio, inquiunt Faber, & Salicetus, quia in ædes arcana mobilia, si qua habeant inquilini, de more. inferunt. solique ipsi norunt quid plus, quid minus. Secus, vbi de prædijs agitur, vt in quibus pateat quicquid agricolarum est. Sæpissimè in vrbanis intima ne pandantur, quæcumque illa sint, multùm cuiusque interest, ob contemptum scilicèt, priorisque existimationis labem, si qua agnoscatur paupertatis vilitas: at verò & propter inuidiam, si nimiæ aduertantur diuitiæ, meritóque in id laudat Salicetus vulg. l. 2. quando & quib. quarta pars. inf. lib. 10. vide plura in hoc ipsum ad l. 1. sup. de ed. & ad l. 1. de seru. fugitiu. atq; ad l. Census. de probation. ff. nil verius trito hoc versu Iuuenalis:

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

Prudens quisque experit dissimulatas opes, quod de Sichæo scripsit Iustinus. lib. 18. aut, vt hoc dicam, cum Pindaro, od. 1. Neueor. *πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαι.* I. multas in ædibus diuitias abscondere. Sunt etiam qui lucro apponunt, si amplis de ipsorum facultatibus, quàm in eis sit sperent homines, quod apud Iurisc. l. in fraudem. quæ in fr. cred. cauent vero accuratissimè quibus pro oblectamento est splendere in publico, fucumque facere, (quæ hodie ingens turba) nè recluso capsarum inanium recessu, patiantur famæ derimentum, quale olim risit Iuuenalis versu quem mihi recensuit non semel de plærisque suis popularibus vir ingeniosus, cui infœlix tandem fatum:

———*sic viuimus ambitiosa*
Paupertate omnes.

Politica denique verè hæc constitutio, nec patitur vt vilescat quis inter suos. Eximiè Euripid. in Medéa:

Πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.
I. Pauperem fugit quiuis longè amicus.

Vide, si lubet ad d. l. Census. de prob. ff. cur abrogauerit constitutio Aurelianensis, art. 86. edictum aliud quo profiteri iubebat Princeps vnumquemque apud acta (dicimus, *le Greffe des insinuations*) pacta, obligationésque singulas quibus hypotheca contraheretur. sublatum enim est ea prorsus ratione quam hîc profero. & tamen reuocatum hoc rursus edicto nupero.

Hæc igitur de causis secundæ partis legis quæ ad ciues. Obligari autem à colono nominatim quæcumque induxerit in fundum conductum, Imperatoribus visum est, quia præter frumenta, hordeaque, ac auenas, prætéque boum, ouiúmque errantes greges, & personantem pullis, gallinis, anseribúsque, ac similibus, cortem, nihil ferè domi cætera. Horatius:

Claudit textus cratibus lætum pecus,
Videt fessos vomerem inuersum boues
Collo trahentes languido.

Martialis:

Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pauones, &c.
Rhodias superbi fœminas premunt Galli,

Sonantque turres plausibus columbarum,
Audi sequuntur villicæ sinum porci,
Matremque plenam mollis agnus exspectat.

Patrimonium istud verè rusticum quod nec veretur palam fieri colonus innocens, veréque ἀπόπτολις, quod apud Sophocl. in Oedip. Colon. id est vrbibus adeò exulans, vt calliditates vrbicas omninò nesciat: quod pluribus explico ad l. 1. & ad l. 3. sup. de defensor. Ciuitat. secus longè in nostris circa reginam vrbium Lutetiam vt scribo fusiùs ad l. 25. & l. 33. inf. de loc. At verò nec expressa tantùm contrahitur hodie in eiusmodi inductis hypotheca à domino: sed vt eximatur litigandi, controuertendiq; ansa quælibet, addit etiam instrumentum publicum quo sua esse, suisque nummis empta omnia aduersus quoscumq; coloni creditores doceat dominus. Ni hoc faxit, hypothecam in solis frumentis, cæterisque locati agri hornis fructibus, nec verò annorum præcedentium habiturus est.

IDEM. A.

L. 6.

Nemo prohibetur rem quam conduxit fruendam alij locare, si nihil aliud conuenit.

Compone l. vlt inf. de Iu. emphyt. & l. lex quæ vectigali fundo. ff. de pignorib. Tres hi textus interpretationem acceperunt à senatu in hac facti specie: Summus scholæ Nauarreæ præfectus, atque alimentarij (bursarios vocant) eiusdem scholæ, locauerant domum Guijonio, canonistæ doctori, quæ Nauaræi dominij est, cum clausula, *ne ei liceret conductionem, sine ipsorum consensu, alij transferre*. Nihilominus cedit ille ad libitum, nec explorato dominorum arbitrio, qui etiam cùm gratum nouum inquilinum non haberent, litem mouent apud præfectum Paris. aduersus eum, vt exeat, agitátque in id hanc l. & l. vlt. de Iur. emph. adiecta regula Iuris, qua dicitur ex l. lex quæ vectigali fundo. de pign. conuentiones initas coram tabellionibus publicis, legum instar seueriorum haberi oportere. Guijonius qui causam, vt auctor ab inquilino laudatus, in se receperat, ait seruari ex vsu, vt, dum æquè idoneo locata sit domus ab inquilino priore, nihil possit dominus conqueri. atque id ex facto propræfectus Paris. pronũtiauerat. Infirmauit autem senatus, iussitq; cessionarium ad Ioannilia egredi. perorabant Daguesius, Brodæus, & Ant. Amaritonius, an. 1611. die 15. Mart.

IDEM. A.

L. 7.

Si cùm hermes vectigal octauarium in quinquennium continuum conduceret, fidem tuam obligasti: posteáque spatio eius temporis expleto, cum idem hermes in conductione detineretur, non consensisti, sed cautionem tibi reddi postulasti; non oportere te de posterioris temporis periculo adstringi, competens iudex non ignorabit.

Iunge omninò l. vlt. ff. de pact. ad quam dixi.

IDEM.

IDEM. A.

L. 8.

Licet annuis quantitatibus fundum conduxeris: si tamen expressum non est in locatione (vt mos regionis postulabat) vt si qua lue tempestatis, vel alio cœli vitio damna accidissent, ad onus tuum pertinerent: & quæ euenerunt sterilitates, vbertate aliorum annorum repensata non probabuntur: rationem tui, iuxta bonam fidem, haberi rectè postulabis, eámque formam, qui ex appellatione cognoscet, sequetur. Iunge l. 19. Circa.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 19.

Circa locationes, atque conductiones maximè fides contractus seruanda est: si nihil specialiter exprimatur contra consuetudinem regionis. Quod si alij remiserint contra legem contractus, atque regionis consuetudinem, pensiones: hoc alijs præiudicium afferre non potest.

Duobus his textibus vtitur, inter cæteros, Molinæus, vt doceat, non debere attendi consuetudinem loci dominantis, sed loci feudi seruientis. quia, inquit, dominus dans in feudum, non censetur in dubio concedere secundum consuetudinem suam, vel loci in quo commoratur, aut situm est feudum dominans: sed secundum consuetudinem loci in quo sita est res in feudum concessa. Indubitati enim iuris est, vt in ijs quæ rem, onusúe rei spectant, inspiciatur consuetudo loci vbi res sita est &c. mera eius verba exscribo ad consuet. Paris. §.7. num. 35. 36. & 37. Sic & docet Rebufus, tractatu, de consuetudinibus. pag. 657. sequendam semper consuetudinem loci executionis: maximè verò id cùm de executione sententiarum criminalium agitur in locis vbi consuetudo aliud statuit quàm altera eius regionis in qua latum sit iudicium. vidi qui dissentirent, sed imperitè. Ita enim est vsus, & dominantis cuiusque intra suos fines, consuetudinis Princeps, perpetuaque apud omnes ratio, qua & nititur Baldus ad l. 1. sup. nè filius pro patre dixi ad l. vlt. ff. de Iurisd. omn. iud. vide etiam, ni molestum est, agitatã hinc inde de consuetudinibus Francicis controuersiam apud Annæum Robertum, lib. 2. cap. 1. rer. iudicat. & nota perpetuò, nouam consuetudinem non obligare prouinciales nisi promulgata sit, edita, typisque excusa. tractat ille eodem loco; obseruauique ad tit. de Iustit. & iu. ff. Cæterùm explicat optimè Io. Faber hîc quid sterilitas, quidque vbertas, de quibus hoc textu. Sterilitas, inquit, est quando nec semen ipsum colligitur. Vbertas autem, cùm duplo maiores sunt fructus, quàm superioribus annis percipi ex fundo consueuerint. Sciendum & istud ad faciliorem intellectum legis. Si vno. ff. hoc tit. quæ eiusdem cum his duabus argumenti est. vnum superest ad d. Circa. in verbis, *si nihil specialiter exprimatur contra consuetudinem regionis*. Seruamus enim quod animaduertit ex eo Baldus: *Consuetudini nimirùm ac statuto renunciari posse expressè*. Frequentissimum hoc in tabulis connubialibus, ob diuersas ferè vbique Consuetudinum prouincialium constitutiones. Sola omnium, quod sciam, Consuetudo Nenstrina tollit eiuscemodi renuntiationes, factas legi patriæ, art. 330. & 371.

IDEM. AA.

L. 9.

Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono cui prior dominus locauit, nisi ea lege emit. verùm si probetur aliquo pacto consensisse vt in eadem conductione maneat, quamuis sine scripto, bonæ fidei iudicio ei quod placuit, parére cogitur.

Tritissima lex, & cuius vsus frequentissimus, distinctione tamen adhibita quę apud Fabrum hîc. Aut enim successor est singularis, aut vniuersalis. Singularis nullo iure obligatur colono, vt eum sinat deinceps frui, nisi ita inter venditorem, & emptorem conuenerit, quicquid distinguat Bartolus, an ad modicum tempus, putà tres, aut quinque annos, vt explicat Sichardus: an verò ad non modicum, id est vltra quinquennium. libera enim emptori, vtroque eo casu, depulsio est, si modò nihil in contrarium, emendo spoponderit. hoc iure vtimur, neq; verò in colonis, aut inquilinis duntaxat. vidimus enim sępius, si nobilissima quædam, vberrimique reditus ditio vænijsset, & cuius Iuridicina varijs, lucrosisque officijs constaret, mutatum esse à nouo domino vel seniorem Iudicem, cæteraque & simul tribunalis totius dominici officia, quia vel casu, vel consilio, tabulis venditionis cautum non esset nè possessione sua decederent. solis illis denique consulitur qui κατ' ἀντίδωρον, remunerandi animo, causaque in id expressa, beneficium à venditore, priorue alio quouis domino consecuti sint: Aut cùm de ditione ecclesiastica agitur, si scripto, nec solis testibus probentur præstita non Beneficiario, sed Ecclesiæ ministeria. Ita semper senatus, cuius decreta suprà alijs locis protuli. Recte autem Molinæus ad consuet. Paris. §. 30. num. 108 & 109. cùm ad hanc ipsam quæstionem de singulari successore, censet nouum dominum refundere duntaxat oportere seu colono, seu inquilino, quod sua interest. sic enim ex vsu, ac senatusconsultis; cùm ea ratione nihil habeant de quo conquerantur aduersus nouum dominum, cui inuideri non possit libera in rebus suis administratio, arg. l. fluminum. §. vlt. & l. proculus. de damno inf. ff. & tamen didici olim à Franc. Chauuelino, consultiss. patrono, nec teneri eo casu dominum refundere *sata læta, boúmque labores*, quod nos Galli, *Labours & semances*: totumque illud reijci in venditorem qui legem apertiùs non dixerit, ex vulg. l. veteribus. de pact. ff. nisi tamen colonus sibi ab initio, specialique locationis clausula sibi prospexerit, vt iam dixi: vnicum enim hoc excipit ex leg. nostra Vid. Papius, q. 480. vbi controuersiam agitat. frustra Boërius consil. 37. antiquiorem, seu colonum, seu inquilinum præferri autumat oblato eodem pretio. seruamus quippe contrarium ex nouis curiæ iudiciis, quibus sublata est vulg. l. congruit. de locatione præd. ciuil. &c. tit. 70. lib. 11. inf. *Gallicis moribus antiquata est indistinctè lex, Congruit. &c.* Ita Chopinus libr. 3. tit. 13. de doman. num. 10. quod & ipsum iudicatum sua ætate Neapoli, docet Math. Affl. senator Neapolitan. decis. 238. distinguit quidem ille rustica ab vrbanis: sed vtrumque àpud nos eiusdem Iuris est. Disceptatum est an. 1581. die vlt. Iun. in publicis causarum actionibus, vtrùm mortuo marito sine liberis, vidua quæ stat societati connubiali, ac statutariæ, stare etiam teneatur vnà cum hæredibus mariti à latere, conductioni factæ à marito in nouennium, antequàm nuptias contraheret, & cuius cùm decessit, septem anni supererant. videbatur renuntiari ab ea non posse, cùm societatem coniugalem admisisset. vt enim quæstuum, ac mobilium eiusmodi societates esse soleant, conductio prædiorum inter iura mobilia est, diciturque quippiam mobile. nec propterea legi secundæ de rescind. vend. ad rescindendam conductionem fit locus, quæcumque sit vltra dimidiam læsio, ex doctrina Masuer tit. de empt. & vend. §. Item pro re mobili. contrarium tamen censuit senatus, viduamque conductionis residuo perinde liberauit, ac si de obligatione hypothecarij reditus à coniugeante matrimonium debiti, ageretur. Quæstionem disserit Chopinus ad consue-

tud. And. lib. 3. tit. 2. num. 20. hactenus de successore singulari, in cuius discussione immoratus sum paulò longiùs ob quæstiones ad hanc partem quotidianas, easque multò frequentiores quàm vbi vniuersalis successor est, vt notatum rursus ab eodem Chopino lib. 3. tit. 13 de doman. quem vide, atque à Tiraquello §. 3. glo. 1. num. 14. vsque ad 18. de retractu conuention. vnum adijciam ex Cyno: vult enim ille & hîc, & ad l. 2. inf. de Iu. emphyt. num. 3. expelli posse colonum à singulari successore propria auctoritate, nullóque accedente Iudicis ministerio: quod interpretor fusiùs ad d. l. 2. Singulare autem in fisco scribit Albericus, vt scilicet, nè conueniatur à colono in id quod interest, teneatur seruare locationes factas quisquis à fisco emerit. fauor ille fisci est: ait, atque in hoc desinam.

IMP. GORDIANVS POMPONIO.

L. 10.

Viam veritatis ignoras, in conductionibus non succedere hæredes existimans: cùm siue perpetua conductio est, etiam ad hæredes transmittatur: siue temporalis, intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat.

Fuerit hæc hypothesis, inter innumeras, ad l. si pactum. ff. de probationib. vt pacta scilicet nostra ad hæredes nostros transeant, eorúmque lucro, & commodo cedant, quemadmodum & in eos ipsos hæredes onera, quippe successores vniuersales, de quibus ad legem superiorem commemoraui necessaria. Cicero in orat. pro Cecinna, timidum, imperitúmque eum vocat, neque animi, neque consilij satis habentem, quòd hæres cùm esset Cesenniæ ex testamento, tamen in eo iure hæredis acerrimè ab initio contra Ebutium, aduersarium suum, non perstitisset, qui ipsum per cauillationem, ausus erat dicere deteriore iure esse quàm cæteros ciues, propter incommodum volaterranorum, aiebat, calamitatémque eum ciuilem, qua Sylla, proscriptionis tempore, Volaterranis, vbi morabatur Cecinna, ius ciuitatis ademerat. ridet enim eam rationem Cicero, quippe alienam adeo, vt Cecinnæ & animum, & consilium, omnémque defuisse peritiam dicat, in eo quod ex tam leui causa timuerit, fucúmque sibi fieri ab Ebulio passus sit: Iura quippe Cesenniæ omnia in eum, vt ipsius hæredem, transijsse. Iure igitur Imperator hîc increpat Pomponium istum ad quem rescribit, quasi viam veritatis ignoret, existimans hæredes non succedere in omnia iura quæ habuerit defunctus seu ex causa conductionis, seu ex alia qualibet. Lex hæc denique de fori quotidianis, allegaturque sępissimè, ac vbicumq; de transmisso ad hæredem iure aliquo quæritur.

IMP. PHILIPPVS.

L. 12.

Damnum, quod per aggressuram latronum in possessionibus locatis rei tuæ illatum esse proponis, à domina earundem possessionum, quam nullius criminis ream facere te dicis, resarciri tibi nulla ratione desideras.

Id est, dominus nihil tenetur remittere colono, si vel per aggressuram latronum, vel alio quouis modo, damnum colono in rebus proprijs contigerit: secus si in fructibus, vel in re locata: Ita Bartol. Baldus, Salicetus, Angelus, hîc. rationem vide in l. quæ fortuitis casibus accidunt, (in quibus etiam est aggressura latronum) &c. sup. de pign. actio. separata est enim causa locationis à coloni ipsius patrimonio. A separa-

tis autem numquam arguitur, l. vlt. ff. de calumniator. Gratiamque partis pretij si fecerit eo casu dominus, vt Plinius Iunior pluribus locis scribit se colonorum suorum querelis aliquid semper indulgere solitum, (ita enim lib. 8. epist. 2. lib. 10. epistol. 24. lib. 7. epist. 30.) totum id gratiæ fuerit, non necessitatis.

IMPP. VALERIANVS, ET GALIEN. AA. ET Valerian. Cæs.

L. 16.

Legem quidem conductionis seruari oportet, nec pensionum nomine amplius quàm conuenit, reposci. Si autem tempus in quo fundus locatus fuerat, sit exactum, & eadem locatione conductor permanserit: tacito consensu eandem locationem vnà cum vinculo pignoris renouare videtur.

Componendus omninò §. qui impleto. l. 13. Item quæritur. ff. loc. ad quem §. qui impleto. trado veram, æquissimámque acceptionem vtriusque textus ex curiæ nostræ Senatusconsultis. Notabis obiter tacitas eiuscemodi, ex continuatis fruitionibus colonorum, post impleta conductionum tempora, appellari valde propriè à Græcis, ἐχομένας προτέρων, dixerimus nos Galli, *elles tiennent aux premieres*, quasique aliæ ex alijs necti videntur, vt *catenatos labores* dixit Martialis. haud abs re istud, licet Grammaticum, quod nec proinde damnare debeant cirrhati scioli. sciant Iurisconsultis & hoc familiare in locis plurimis.

IMPP. DIOCLETIAN. ET MAXIMIAN.

L. 17.

Præses prouinciæ ea quæ ex locatione debentur, exolui sine mora curabit: non ignarus ex locato & conducto actionem, cùm sit bonæ fidei, post moram, vsuras legitimas admittere.

Moram nempe quæ re ipsa contrahitur, seu irregularem, intelligit, quam tamen non seruamus, nisi ad speciem legis, curabit. de action. empti. sup. in qua tamen ad solam vicesimæ rationem; vsuram reipsa admittimus: & in causa dotis non solutæ, vt alibi explicui. In cæteris, petitione iudiciali opus est, ex edicto, toleramusque sæpius ex die libelli petitionis: ita iudicatum fatdudum secundum Champlesium, nobilissimum litium Athletam, aut Catenam potiùs: perorabat pro Lud. Buissonius, ego pro Oliu. Dagoetio, ratiociniorum magistro.

IIDEM AA.

L. 18.

Excepto tempore, quo, edaci locustarum pernicie, sterilitatis vitium intercessit, sequentis temporis fructus, quos tibi, iuxta præteritam consuetudinem deberi constiterit, reddi tibi Præses prouinciæ iubebit.

Clariùs glossa, & Baldus: propter edacitatem vermium fit remissio mercedum: obseruandaque est in pensionibus consuetudo, quando certa merces non exprimitur: vt scilicèt detur quantum ex consuetudine dari soleat. sufficit probare quid solitum, si de

modo soluendi non constet, inquit Faber hîc, citãs cap. peruenit. de Censib. nihil amplius apud interpretes, putà Cynum, Albericum, Baldum, Salicet. Fabr. Sichardum, quod huc referendũ duxerim. Enumeraui singulos, quia cæteri omnes legẽ hanc prætererunt, ipséque, quod miror, Cuiacius, in postumis. Dixi iam fusè satis de sterilitate ex edacibus locustarũ numeris, deq; remissione quæ tã ex ea causa, quàm ex populatione bellica fieri à senatu soleat, ad l. ex conducto. §. 1. & ad l. si merces. §. vis maior. ff. hoc tit. Addo & nunc quod, primis meis ad eas leges annotationibus, prætermiseram: remissionem videlicèt trientis præteritarum pensionum quinquennalis illius incendij quo vniuersa conflagrauit, ad exitium ferè vltimum, Gallia, an. 1589. Edictum de remissione illa promulgatum est an. 1594. & 1595. factúmque id olim tractatu fœderis Atrebatici, an. 1438. sub Carolo 7. narrat Monstreletus. Obseruaui etiam non ita diu de locustarum varia acceptione, quod, per occasionem loci, non ingratũ fore literati fori studiosis spero. Vulgatius enim nihil quàm quotidianus locustarum esus quo beatus Domini nostri Præcursor victitauit in eremo. Putauit Cuiacius ad tit. de glande legenda, in paratitl. esitasse illum τὰ ἀκρόδρυα, id est summitates arborum, non autem ἀκρίδας, vt habet textus Euangelicus, id est locustas ipsas. docet verò Casaubonus exercitatione 13. ad Annales Baronij cap. 7. manifestissimis auctorum, in quos dici nihil possit, testimonijs, locustas in Iudæa, & alijs regionibus Orientis, imò & in Græcia, oppositáque Asia, fuisse edules: solitúmque vilissimæ plebeculæ victum. Ita Nicophon. antiquiss. Poëta, & Theophylactus, in epistola, cui initium, ὦ πόμη. Et quia potissimùm quæritur, an & in Iudæa, subijcit idem Casaubonus non solùm Rabinos testari istud de locustis, sed & auctorem non ineruditum, Iacobum de Vitriaco, cap. 53. historiæ Hierosolymitanæ, scribentem locustas in Iudæa, & recentes edi solitas, & seruatas: refellitque Isidorum Pelusiotam qui negare id sustinuit, lib. 1. epist. 132. Res enim diuersissimæ, ἀκρίδες &, ἀκρόδρυα, quas duas voces confundit Isidorus, ait ille, cuius certè sententiam, ac iudicium, vt laudatissimum in eo, verissimumq; summoperè amplector. vir erat eruditissimus, & candidissimus: Εἴθε δὲ ὄντα ἀληθῶς, ἀσφαλῶς τι εἶχεν τῆς γνώμης περὶ οἰκουμενικῆς τῆς πίστεως τὰ λοιπά. Σχεδὸν δὲ ἐν τούτῳ τῇ ὀρθῇ ἐγένετο, εἰ μὴ αὖ, κατὰ τὸ ἀτοπ τῷ ἐγχειριδίῳ Ἐρρίκου τοῦ μεγάλου θανόντος, παιδευτὸς, καὶ παιδευτὴς σπουδαῖος, ὁ Μεγάλης τῆς Βρεταννίας βασιλεὺς Κελτὸς, τηλίκον τὸν ἄνδρα φίλης αὐτοῦ τῆς πατρίδος, καθήκοντι, καὶ ἰκανωτάτῳ τῷ σιτηρεσίῳ, ἀφῃρήκει.

IIDEM. AA.

L. 23.

Ad probationem rei propriæ, siue defensionem non sufficit locatio ei facta qui pòst de dominio cæperit contendere: cùm inscientia domini proprij, & errantis nullum habeat consensum: sed ex euentu, si victus fuerit, contractus locationis non constitisse magis declaratur. nemo enim sibi iure possessionem mutare potest.

Componenda lex. cùm nemo. infr. de acq. poss. l. neque pignus. de reg. Iur. & l. cùm manu fata. §. nemo. ff. de contrah. empt. quam & in hoc citat Baldus. Dissentiunt Bartolus & Baldus inter se ad hanc breuissimam speciem: Titius cùm esset fundi, putà, Tusculani dominus, conduxit tamen per decem annos, & amplius à Mæuio, quasi esset Mæuij, ac nesciens ipse esse suum, posteà discit reuerà esse suum. Refert igitur quæstionem dominij aduersus Mæuium, docetque obsignatis, verissimisque tabulis, se esse solum dominum, cùm anteà semper ignorasset. Censet Bartolus possessionem nihilominus fuisse penes Titium, ex qua secuta sit præscriptio. quam decisionem adeò commendat vt desinat in hæc verba: *Tene menti perpetuò.* Baldus contra defendit non nocere conductionem in causa dominij, quia natura conductionis non sit, mutare dominium, in quo & citat l. cùm

manu fata. §. nemo. qui est vlt. ff. de contrah. empt. commemoraui iam suprà. Sic magni illi duo interpretes. Putarim ego aduertendum an mala fides, id est, scientia rei alienæ, in locatore vlla sit, citráque possidendi titulum: an etiam error coloni planè sit innocens, nec fictitius, ac veteratorius, itaut toto decennio durauerit: veluti si hæres forsan, vt sæpe accidit, suppresserit quamdiu vixit, testamentum quo legatus esset Mæuio fundus, ipsi vel iam tempore testamenti locatus, vel pòst. quid enim tam contrarium consensui quàm error? ait l. si per errorem. ff. de iurisd. Æquum equidē eo casu videatur, vt, quod censuit Baldus, incipiat præscriptio à die sola detecti testamenti, iuxta vulg. l. annus. de calumniatorib. ff. valituraque semper haud parum illa Scæuolæ ratio, *veritati locus debet superfore*, l. pen. ff. de probation. in cæteris, sique liqueat euidentissimè, colonum alioqui vafrum, & callidum, & cui pro ludo sit fatua forsan simplicitas locatoris, cuius pater fundum à non domino emerit, nemo est cui placere plurimum non debeat opinio Bartoli, dicentis præscriptionem decennalem eo casu obtinere aduersus colonum, aut inquilinum, ex l. vlt. inf. de præscr. longi temp. quam vbique prouinciarum nostræ Galliæ seruamus. facit eò maxime lex 25. si quis conductionis, & lex, pen. quas mox explicabo. arguunt enim perspicuè quantopere fauendum semper sit aduersus colonos, inquilinósue dominis, quorum iura, & possessiones isti impetant. Vide etiam ad l. Solemnibus. sup. de rei vindic. de descriptione in censum, & quatenus rei descriptæ dominium parere ei debeat cui per decennium immota, pacatáque possessione, data sit.

IIDEM. AA.

L. 25.

Si quis conductionis titulo agrum, vel aliam quamcumque rem accepit: possessionem priùs restituere debet, & tunc de proprietate litigare. Iunge t. pen.

IMPP. THEODOS. ET VALENTIN.

L. 33. quæ penult.

Conductores alienarum rerum seu alienam cuiuslibet rei possessionem precariò detinentes, seu hæredes eorum, si non eam dominis recuperare volentibus restituerint, sed litem vsque ad difinitiuam sententium expectauerint, non solùm rem locatam, sed etiam æstimationem victrici parti, ad similitudinem inuasoris alienæ possessionis, præbere compellantur.

Coniuncta vtriusque interpretatione opus est, vt percipiatur eò magis meritum aduersus colonorum, inquilinorumúe perfidiam, odium. vide & glo. in verb. locatio. ad cap. Inter dilectos. de fid. Instrum. lib. 2. decret. Sufficit semiplena locationis probatio, vt sit legi, *si quis conductionis*, locus, ait Math. Affl. senator Neapolit. decis. 12. post eúmque Boërius, consil. 13. Ita autem & censuit iampridem senatus, an. 1541. die 19. Mart. perorantibus Reburfio, & Iacquelotio, vt ex veteribus accurati tunc patroni schedis reperio. verè *inuasores alienarum possessionum* eiusce modi conductores vocant secundo hoc textu Theodosius, & Valentinian. censetque iure optimo Bartolus ad l. si rem alienan. de pignor. act. ff. obtinere vtriusque huius legis decisionem in cæteris similibus, nec tantùm in contractu locationis. Colono enim referente quæstionem dominij, (quod alibi apud Iurisconsultos) quis non perfidiam, temeritatem, dignámque mulcta publica nequitiam, prima fronte dixerit? Vtile sanè consilium est scriptoris nuperi, *de vita rustica*, monentis, nimirùm nè diuturniores colonos habea-

inus in fundis rusticis. Machinantur enim sæpissimè in damna dominica, maximéque in hęredes, ignaros plerũq; iuris paterni, quod multũ officiat. *frequens colonorum cognitio peccandi locum non præbet*, inquit Colum. lib. 2. Florus in epitome libri 18. *Attilium Regulum primo bello punico, cùm aliquot prælijs aduersus Carthaginenses pugnasset, inter causas petendi successoris, addebat, quòd agellus eius à mercenarijs deuastaretur.* Sic ille. Quantò autem iustior, conuenientiórque querela hodie in rusticanarum fraudum quotidianam frequentiam: præsertimque in ciuitatum maximarum, cuiusmodi nostra hæc Lutetia, vicinos. Iure equidem muratas in ipsis rerum vices, decliui hoc nequitiarum seculo, queritur vir antiquis moribus, Galliæque nostræ ornamentum, Ren. Chopinus, lib. 1. cap. 6. de priuileg. rustic. vbi perstringit proculdubio Rusticanam vniuersi agri Parisiensis vafritiem, quæ tanta est, vt, quia potentibus ferè indies fruuntur beatæ vrbis dominis, deludant ipsorum humanitatem sæpissimè cauponan res velut amœnissima quæque ruris dominici, cuius si quid eximium, negotiantur illi, exportantque clanculum in compita vrbica ac plurimam inde, quasi ex suo, pecuniam, per artes tota æstate varias, conficiunt. Imò & per hyemem, reuellunt, de more, vires generosissimas, pretiosaque arbuscula, quæ percarè, delusis dominis, diuēdere, distraheteque ausint intrepidi. At verò insidias & auribus, & animis filiorumfamil. faciunt, iuuenilesque plærumque æstus in deterrima promouent. Illáne apud veteres laudata tantoperè Rusticitas?

IMP. LEO.

L. 31.

Milites alienarum rerum conductores, seu procuratores, aut fideiussores, vel mandatores conductorum fieri prohibemus: nè omisso armorum vsu, ad opus rurestre se conferant, & vicinis graues, præsumptione singuli militaris, existant. Armis autem non priuatis negotijs, occupentur: vt numeris, & signis suis iugiter inhærentes, remp. à qua alantur, ab omni bellorum necessitate defendant.

IMP. IVSTINIANVS.

L. vlt.

Licèt retrò Principes multa de militibus qui alienas possessiones, vel domos conductionis titulo procurandas suscipiunt, sanxisse manifestum est: tamen quia res sic est contempta, vt neque interminationis sacratißimæ constitutionis milites memores, ad huiusmodi sordida audeant venire ministeria, & relictis studijs publicis, signisque victricibus, ad conductiones alienarum rerum prosilire, & armorum atrocitatem non in hostes ostendere, sed contra vicinos, & forsitan aduersus ipsos miseros colonos, quos procurandos susceperint, conuertere: necessarium diximus ad hanc sacratißimam venire constitutionem, altiùs & pleniùs huiusmodi causam corrigentes. Iubemus itaque omnes omninò qui sub armis militant, siue maiores, siue minores (milites autem appellamus eos qui tam sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quàm qui in vndecim de notißimis scholis taxati sunt, necnon eos qui sub diuersis optionibus fœderatorum nomine sunt decorati) saltem in

posterum ab omni conductione alienarum rerum temperare: scituros quod ex ipso contractu ab initio, sine aliquo facto, vel aliqua sententia, cadant militia, & non sit regressus eis ad pristinum gradum, neque beneficio imperiali, neque consensu, vel permissu iudicis sub quo tolerandam sortiti sunt militiam; nè dum alienas res conductionis titulo gubernandas existimant, suas militias, suámque opinionem amittant, ex militibus pagani, ex decoratis infames constituti: &c.

Duobus his textibus qui componi necessariò debuerunt, cùm sese inuicem explicent, quatuor obseruanda sunt; primum est, vt milites nec sint conductores, nec procuratores, aut fideiussores conductorum. Secundum caput rationes duas prohibitionis ita factæ complectitur: prima est, nè ab armorum vsu deficiant; Secunda, nè graues sint vicinis: Tertium caput explicat qui appellandi milites. Tandem comminationes pœnales subijcit, ni pareant. Ordine igitur singula persequar. Quantum enim ad primum, tractaui quidem ad l. 1. negotiatores. & ad l. 3. nobiliores, sup. de Commercijs, quod huc faciat: sed quia de conductione ipsis interdicta, nominatim hîc agitur, notari ad mores nostros necesse est, spoliari militem, qui id faciat, non modò prærogatiuis militaribus, si quas, vt veteranus, habeat, sed & redigi in ærariorum ordinem, capitationésque illationes, seu, taleas, vt loquimur, cum plebeijs cæteris, pendere. Plura deinde edicta promulgata sunt in nobiles qui, personis interpositis, conducunt decimas, Campipartes, (ita vocat l. 5. de agric. & cens. dicimus nos Galli, *Champarts*) & cætera quæ in accessionem veniant. Sic enim edictum S. Mauri, an. 1566. & 1568. Edictum Ambaquianum, art. 8. an 1572. Edictum Blæsense, art. 48. an. 1579. Edictum Paris. art. 24. an. 1606. Quæ omnia vt causas, ex vi, ac terrore, sufficiunt, ita & arguunt plus satis quantum sibi in plebeios permittat Gallica, vel inuitis patrijs, tegijsque legibus, nobilitas, quasi prorsus indignatione de suæ ætatis militibus testatum hac vltima constitutione reliquit Iustinianus, & quantoperè peccarent hi in edicta Imperialia, vt quo iure, quáque iniuria, fundos, ad vicinorum molestiam ex applicita conductionis imagine, possiderent. Familiare militaribus viris hoc malum describit Cassiodorus, libr. prim. variar. epist. 11. & libr. 12. epist. secund. *ciuilitatem premunt armati*, ait ille; & rursus: *Iustitiam minus diligunt qui frequenter prælia tractauerũt*. Tacit. libr. secund. . histor. *Dispersi per municipia, & colonias, spoliare, rapere, vi polluere, in omne fas, nefasque, auidi, aut venales, non sacro, non profano abstinebant*. Sic ille. Eò prorupit vis ista militum, Gallorumque nobilium, vt nec tantum in decimis, & campipartibus, sed & in cæteris quibuscumque locationibus publicis admittendos sese contenderent. Anno enim 1605. die 2. Martij disceptatio illa agitata est inter Ioachimum de ferrieres, Plastrierium apud Carnutes, dynastam, & Hadrianam de Dailly, Vulpergianam, dominam, in eo quod Ioachimius ille Iuridici Carnutum sententia conductionem ditionis Villebonæ, circa Autricum Carnutum, abstulerat. Causa à me pro Hadriana de Dailly, perorata est aduersus Aud. Talæum, & Io. Monstrolium, in edictali auditorio, infirmatúque prouinciale istud iudicium. Quæsitum etiam de Clericis, quippe Christi militibus, vt passim eos vocant d. Ambrosius d. Hieronymus, cæterique scriptores Ecclesiastici, vtrùm & eis liceat esse colonis: non licere autem constat vndequaque ex decretis Ecclesiæ; titulusque in id vulgatissimus apud Gregorium lib. 3. decretal. Nè clerici, vel monachi secularibus negotijs se immisceant; vbi cap. 2. 4. & 6. disertè prohibent nè ministri, procuratoresue laicorum existant. quod & ipsum ex cap. vlt. de vita & honest. cleric. Atverò & quod hîc Iustinianus vetat nè milites sint fideiussores, eadem prorsus Lucij tertij, Rom. pontificis sanctio est aduersus clericos, in cap. 2. ext. de fideiussorib. Ostendo ad l. 2. sup. de Episcop. & cler. quàm ignominiosum sit clericis, vt se potentiorum actores, dispensatores, procuratoresque palam exhibeant, hoc enim vetat, exhorretque Christiana omnis veterum pietas, vt constabit cuiuis facilè ex his quæ ad eam partem colligo. Sed quis vnquam, inter tot depositi nostri seculi maculas, credat scripsisse d. Hieronymum, quæ impellit locus vt hîc subijciam? sic enim tantus legis diuinæ interpres

epistola ad Rusticum monachum, de viuendi forma: *plerique clerici artibus, & negotiationibus pristinis carere cum numquam possint, mutatis nominibus institorum eadem exercent commercia, non victum, & vestitum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quàm seculi homines, emolumenta sectantes. Nunc sub religionis titulo exercentur iniusta compendia, & honor nominis Christiani fraudem magis facit quàm patitur, Quodque pudet dicere sed necesse est, vt saltem ad nostrum erubescamus dedecus, publice extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem, plenis sacculis morimur diuites qui quasi pauperes viximus.* Hactenus d. Hieronymus. Adipatus ferè in hoc ipsum Io. Fabri sermo est ad hanc l. milites, cùm attingens nec minus ætatis suæ deprauatos in clericis mores, scribit eos non posse seu villas, seu Iuridicinas, aliáue vlla loca secularium conducere. posse tamen, quasi alimenti vice, agrum aliquem ex conducto accipere quem per se, nec per alios colant. quò & spectant quinquennales illæ precariæ, de quibus in cap. 1. totoque tit. De precarijs, lib. 3. decretal. Sunt villæ ecclesiarum quæ modò in quinquennium, modóque ad vitam, vtendæ fruendæ dantur ab vniuerso ecclesiæ collegio, ad annuum reditum, atque vt sit quoddam ipsis inter se, pausilypum, postquàm sacris vacarunt, vt egregiè Paul. Iurisc. in l. non distinguemus. de arbitr. aut, vt Imper. in l. generaliter. de Episc. & cler. *Postquam Dei omnipotentis ministerijs inseruiunt*. verè enim gleba Clericorũ illa est. Precariæ eiuscemodi in hunc diem frequentissimæ in maioribus metropoleon Ecclesijs: meminiq; vocari ab antiquissimæ Carnutũ Ecclesiæ canonicis, *prestrieres*. Verbum superest de optionibus, & militibus fœderatis: qui nempe illi sint. Notissimum vnum est, optionis verbum scilicet, vt quod intelligi soleat de adiutoribus quos sibi eligerent, optarentque duces ad diuidendas annonas, obeundaque faciliùs per eos cætera militaria munera. dicimus nos Galli, Alterum verò solus, quod sciam, Brissonius tam ex Nouellis, quàm ex Suida, explicuit: fuisséque autumat militum genus ex fœderatis populis conscriptum: quales hodie Heluetij. Addo in calce istud, quia non superciliosos modo; sed & longè eruditiores facilè falleret. Plura de re militari dixi ad l. licet. sup. de pact.

TIT. LXVI. DE IVRE EMPHYTEVTICO.

IMP. ZENO. SEBASTIANO.

L. 1.

Ius emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adijciendum, sed hoc ius tertium esse constituimus, ab vtriusque memoratorum contractuum societate, seu similitudine separatum: conceptionem item, definitionemque habere propriam, & iustum esse, validúmque contractum, in quo cuncta quæ inter vtrasque contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus, pactionibus, scriptura interueniente habitis, placuerint firma, illibatáque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri. Ita ut si interdum ea quæ fortuitis casibus eueniunt, pactorum non fuerint conuentione concepta; si quidem tanta emerserit clades quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusim data est, faciat interitum; hoc non emphiteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu, habiturus fuerat, imputetur. Sin verò particulare, vel aliud leue contigerit damnum, ex quo non

ipsa rei penitus lædatur substantia: hoc emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.

Vult in summa, si res emphyteuticaria in totum perierit, liberari emphyteutam canone: Ratioque eadem prorsus in textu quæ in l si plures §. 1. ff. depos. quia res nimirùm æquè semper penes dominum perijsset. Secus verò si in partem perempta sit. censentque Io. Faber, Baldus, & Salic. hîc, atque Specularor, ti. de emphyteus. nouissiméque Chopinus, lib. 2. cap. 3. de priuileg. in fi, non posse eo casu emphyteutam emphyteusi cedere, seu, *deguerpire* (quod vocant) vt liberetur canone, nè quidem ob clades bellicas. Quæsitum est de instauratione. Placuit autem nec vlla emphyteutam, deiectarum, crematarúmue à militibus ædium, refectione onerandum. Senatusconsulta reperies in Loër. postumis, lit. d. num. 41. quorum alterum est anni 1597. die 9. Aug secundum dom. de la Vau, senatorem; alterum an. 1601. mens. Ianuar. secundum emphyteutæ hæredem. diminutionem verò canonis ex ea causa non fieri, omnes consentiunt. quod nec prætermisit Car. Loyseau, lib. 5. cap. 12. de cessione in Iure, seu deguerpissam. Iudicari hoc ipsum, post quinquennalem Galliæ nostræ motum semper vidimus. qui motus vt imagine religionis conuelatus est, incendiáque interim, cædes, direptionesque exitiosissimas passim, per quinque annos, vniuersis Gallis intulit: ita & verissimè vnus ex obseruatione veterum:

Concordes animos insana rebellio numquam
Seruat: & vt subitum molitur cæca furorem,
Vindice sic cælo sibi vires ipsa resoluit.

De motu autem cometalis huius anni. 1619. tacendum, vel monente Lyrico, cùm ait in Epod.

——— *Non mouenda Numina.*

De his hactenus. cætera persequor. Notandum distinctos olim fuisse agros fertiles à sterilibus, cùm scilicet Byzantij veteres, dicti posteà Constantinopolitani, (quibus primam emphyteuseωn originem tribuit Aristoteles lib. 2. Oeconomic. circa princip.) publicos suos agros, per inopiam, conferendos, seu in emphyteusin, priuatis dederunt. Steriles enim in perpetuum, plenóque dominio dati sunt; fertiles ad tempus, nullóque, seu ex hac, seu ex illa concessione, conuento canone annuo. nullum enim memorat Aristoteles, qui solus omnium primam illam originem tradidit. Romani, vsque ad Pertinacem, Imperatorem, nescierunt prorsus, quæ esset emphyteusis; noménque admitti nec cæpit nisi ætate Zenonis Imperatoris, qui nostræ huius legis auctor est. Sicque vtrumque ostendo. Solus enim Herodianus de agris ad conferendum datis ita meminit, lib. 2. vbi de Pertinace agit, in hæc verba: Πρῶτον μὲν γὰρ πᾶσαν τήν τε Ἰταλίαν, καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν ἀγεώργητόν τε καὶ παντάπασιν οὖσαν ἀργὸν, ἐπέτρεψεν ὁπόσην τις βούλεται, καὶ δύναται, εἰ καὶ βασιλέως κτῆμα εἴη, καταλαμβάνειν, ἐπιμεληθέντι τε, καὶ γεωργήσαντι, δεσπότην εἶναι. ἔδωκέ τε γεωργοῦσιν ἀτέλειαν πάντων εἰς δέκα ἔτη, καὶ παντὸς διαπαντὸς δεσποτείας ἀμεριμνίαν. Id est, Primùm quidem omnem Italiam, & in reliquis gentibus, quicquid esset omninò incultum, mandauit, quantum quis vellet, ac posset, vt omnes, etiamsi Regia, seu Imperatoria esset possessio, acciperent, & quisque eius partis quam curæ suæ faceret, & coleret, dominium consequeretur. deditque cultoribus rerum omnium immunitatem ad annos decem vsque, & cuiuscumque dominij securitatem. Sic ille, qui, vt videre est, τὴν γεωργίαν, dicit, non autem, ἐμφύτευσιν, vsitatam quidem hanc apud Theophrastum, cæterosque rei rusticæ scriptores, sed ignotam veteribus Iurisconsultis. Itaut duo ex his animaduerti, mea quidem sententia, debeant: alterum, quòd, ad Zenoniana vsque tempora, pluribusque, post Pertinacem, seculis, vox illa, ἐμφύτευσις, (quæ propriè insitio est) inusitata, ignoratáque in eum vsum Romanis fuerit. Alterum verò est, quòd & Pertinax ipse non ad tempus, vt olim Byzantij, agros in fertiles, sed in perpetuum, plenoque dominij iure colendos, conferendósque, adiecto, post decennium, annuo canone dederit: quod & ita ab omnibus præstandum, Aristoteles ipsemet, de quo suprà, scripsit, cap. 3. Rhetoric. ad Alexandr. Formam igitur imò & nomen, vt fit verisimile, eiusccmodi contractibus Zeno Imp. primus induit, ac indi-

dit, quod & perfecit posteà Iustinianus, vt infrà ad duas alias leges persequar. Si tamen prius monuero, obseruatum fuisse à peritis fori ferè omnibus, factas olim fuisse à longè plurimis vniuersæ Galliæ monasterijs, Ecclesijsque cæteris, emphyteuses, post bella Anglica, eadem prorsus ratione, qua de Byzantijs scripsit Aristoteles. hoc quasi per indicem. Explicandæ enim iam mihi sunt plures quæstiones multùm necessariæ, & quæ quotidiè incidunt. Primùm quod remissiones pensionum, vtrùm ex causa immanis alicuius belli, faciendæ sint, non videò qua ratione dubitari de eo amplius possit, maximè post tot nec contemnendæ auctoritatis interpretum sententias, qui ita passim. at verò & post Senatusconsulta nostra Gallica, quæ tanto cognitionis pondere, & in interiore consessu, & in publicis causarum actionibus lata sunt. Suprà iam attigi. Molinæus equidem ad consuet. Paris. §. 62. num. 54. vsque ad num. 75. docet, si bellum, vel sterilitas longa fuerit, id est, ait, quinque continuorum annorum, fieri oportere remissionem totius pensionis emphyteutæ: nisi tamen pensio sit valde modica, vt quæ soluatur in meram recognitionem dominij tantùm. Sed cùm disceptata esset illa ipsa non de clade bellica, sed de sola sterilitate, quęstio, an. 1599. die 27. Iull. in deaurato auditorio, inter religiosos *Fontanæ*, circa *Montem regium*, & viduam emphyteutæ, nomine, Annam Dumez, quæ tertiam partem pensionis frumentariæ sibi minui poscebat, ex eo quod annis 594. & 595. grandine & gelu fructus omnes consumpti fuissent: senatus, apud quem, inter cætera, agitata plurimum legis istius quæstio est, in eis verbis, *Cui nihil reliquum permansit*, infirmauit prouincialis Iuridici sententiam, qua vis illius maioris probationem admiserat, & quia datus, de omni decîdenda controuersia, libellus fuerat, viduam ad totius pensionis solutionem, litisque impensas, damnauit. Pensio illa erat 4. modiorum in annos singulos. Perorabant Io. Constantius, hodie fisci, apud Augustoritum Pictonum, patronus laudatissimus, & Pet. Daguesius. Hactenus de pensione, ac cessione, seu deguerpissamento, in re emphyteutica, optiméque Iason hîc, num. 84. cùm eiuscemodi remissiones non admittendas scripsit, ex l. quicumque. de fundis patrimonialibus, lib. 11. & Tiraq. ad §. 34. glo. 1. de retractu. Quæsitum est de impensis vtilibus, ac necessarijs quæ ab emphyteuta in ædificia emphyteutica factæ sint, vtrùm refundi debeant, etiam contractu, ob solemnia ritè, rectéque, ac ex moribus, non adhibita, rescisso, factóque irrito. Distinctio autem in eo necessaria. aut enim plus impensum, quàm dictum, ac conuentum: & tunc quicquid excurrit, ampliusque est, deperditum sibiipsi emphyteuta imputet, maximè in vrbicis ædibus. recensui bis aut ter in hoc ipsum ad pandectas, & suprà, celebre pro Vicarijs Passianis, in Ecclesia Sangeruasiana, iudicium. nihil enim maiore vnquam cognitione, atque dissertatione publica iudicabitur Aut non in vrbe, sed ruri, impendia illa vtilia, necessáriáque facta sunt, & tunc tolli, auferríque poterunt ab emphyteuta, eiusve hæredibus, si refundere detrectet dominus. & ita senatus an. 1604. mens. Decemb. contra Sanctimoniales de Vauclair, in prouincia Blæsensi, perorante P. Cornu. Iuniori. Iudicatum & rursus pro emphyteutis quibusdam Aurelianensibus, vocatis, *les Buarts*, quorum etiam iudicium ad pandectas protuli. Quærit Math. Affl. senator Neapolit. decis. 83. si tabernæ, seu ergasteria tantùm ac sine solo ipso, concessa sint in emphyteusim, vtrùm euersis illis, solóque æquatis, finita sit emphyteusis? & decîdit finitam esse. Ius enim erat in sola superficie. Quòd si, vt subijcit, solum etiam concessum sit in quo erat domus, tunc licèt diruta domus illa fuerit, remanet nihilominus emphyteusis in solo ipso: Sic ille. Iason verò hîc, tradit indistinctè, domo combusta, quæ in emphyteusim data fuerat, posse emphyteutam aliam reficere inuito domino. Quod si non reficiat,, deberi nihilominus ab eo pensionem integram. Monebo obiter, domos ipsas appellari superficiarias: superficiarios autem, qui areas ad exstruendum, in longos annos, accipiunt sub conditione modici canonis, qui vt vocatur, Ius ἐμβατευτικὸν in l. 3. de reb. cor. ff. nempe, ἐκ τοῦ ἐμβατεύειν, quòd creditor, seu potius, dominus ius habeat ingrediendi in bona seu pignorata, seu emphyteuticaria, nisi soluatur annua pensitatio; ita enim interpretatur Alciatus, lib. 1. cap. 36. parerg. meminique & in hoc ipsum, quod apud Cassiodorum legitur lib. 2. variar. epist. 21. Agrum videlicèt datum in emphiteusim, repeti posse à domino, si negligens, ignauusve sit in eo colendo, emphyteuta. sed non seruamus. satis enim est dummodò pendatur Ius annuum. Quærit

Baldus hîc; vtrùm qui syluam accepit in emphyteusim, possit eam inuito domino, deijcere, vel extirpare, vt loquitur, vineámque serere: censet autem posse. quia aliàs non esset emphyteusis, nisi conserere locum, fructuosiorémque cultura facere liceret. Addit vero, num. 30. emphyteusi concessa olіueti, finiri eam, si succîdatur oliuetum, nisi & soli ipsius fiat mentio. Cur tam variè, non video. putarimque mouendum nihil esse seu de sylua, seu de olіueto quæ ita ad emphyteutam transierint: maximè cùm scribat ipse eodem loco, posse non magis emphyteutam quàm fructuarium, mutare rei formam inuito domino. l. sed cùm vsufructuarius ff. de vsufr. nihil de eo hucusque senatus: quod sciam. solisque propterea, ad quæstionem, si vnquam apud Iudices incidat, interpretum sententijs niti sufficiat. legi eos necesse est, vt suppleatur ex varijs disceptationum figuris quas accurata compositionis Iustinianeæ lima præterijt, quod nihilominus ex defæcatis Iurisconsultorum sententijs terminari debeat. Arbores frugiferas succîdi ab emphyteuta non posse, censet hîc Albericus, quia fundus fiat deterior. citatque in argumentum, legem, diuortio. §. si fundum. ff. sol. matr. Ambigit autem, de thesauro qui in fundo emphyteutico inuentus est, vtrũ sit emphyteutæ, an verò domini, variosque in id textus tam ex iure ciuili quàm canonico committit, imò & interpretes; sed frustrà, dixerim: cùm sola agri superficies excolenda data sit, manente semper soli ipsius, in cuius visceribus repertus thesaurus est, penes concedentem dominio. De his hactenus, vt quæstiones cæteras quæ huius loci, exæquari. docet enim Molineus ad Alexandrum, consil. 110. & 128. lib. 1. quando emphyteusis facta est filijs, & hæredibus, filios non esse vocatos, vt filios præcisè, sed in quantum præsumptiui, ac futuri hæredes, & sic quicumque hæreditatem adierint. Imò & quamuis acceperit quis emphyteusim pro se & filijs, ac nepotibus, censetur tamen intellexisse de filijs, vt hæredibus, nisi aliud appareat: Ita rursum Molin. ad eundem Alexandr. lib. 5. consil. 119. Aliud verò Iason, ad l. 2. inf. hoc tit. num. 188. vbi fusè ostendit necesse non esse vt filij sint hæredes patris si modò nominati sint in contractu emphyteutico, citra adiectionem nominis hæredis & eo iure vtimur. Docet Cuiacius ad l. 219. de verb. signif. lib. 2. respons. Papin. hæredis nomine donatarium, ac emptorem intelligi in iure emphyteutico, vt scilicèt, quamuis nomen hæredis adiectum sit in contractu emphyteutæ, possit nihilominus emphyteuta vendere plura eo loco: aliόque spectat quod apud Oldradum consil. 22. Illa nimirùm verba, *si aliquem hæredum meorum, &c.* referri debere ad nominatos tantùm. Quærit præterea Decius consil. 365. si quis habeat emphyteusim pro se, & filijs, an legitimati veniant: resoluit autem non venire, quia non sint naturaliter legitimi, sed per fictionem: Notandumque id ad Auth. Item sine legitimis. infr. de naturalib. libr. Superstitiam de emphyteusi scripta simpliciter, ac indistinctè vsque ad tertiam generationem. Non computatur enim persona recipientis, sed veniunt eius pronepotes: sic iterum Molin. ad Alexandr. libr. 5. consil. 125. vbi plura. eoque proinde sensu accipienda est glo. ad Auth si quas ruinas. sup. de sacros. Eccles. & Faber ad Auth. perpetua. de sacros. Eccles. non enim connumerandus ille cui datur emphyteusis, cùm sit generatio, sed causa generationis, inquit Baldus consil. 448. lib. 3. & consil. 375. lib. 4. Secus si concepta sit in hunc modum: *Vsque* ad tertiam generationem masculinam finitam. Tunc enim primus ille auctor includitur generatione, propter verbum, *finitam*. sic ipsemet Bald. ibidem. nec seruamus quod habet ille lib. 4. consil. 109. vbi probari ait emphytensim per testes, & per coniecturas quæ assumantur ex vilitate pretij, & magnitudine rei. sunt eius verba. Scripto enim semper opus est: reperiesque emphyteusim inter 37. casus quos collegit glossa singul. ad cap. 1. de censib. Succurrat & huc opportunè decretum valde necessarium amplissimi ordinis, ex anno 1604. die 4. Iunij, inter canonicos Ecclesiæ Brayensis, actores, & Michaelem Damas Reum, seu defensorem. Iudicatum enim est, incumbere onus emphyteutæ designandi vitas, quas superesse dixerit, nihilque prodesse præscriptionem oppositam: Aliàs locis emphyteuticis expellendum esse putat idem Baldus ob illam reuersionis necessitatem, & quia numquam est emphyteusis nisi ad tempus, æstimandum esse locum emphyteuticum infra quadrantem iusti pretij fundi cuiuslibet qui temporali illa fruitione oneratus non sit. sic ille lib. 3. cõstit. 133. in fi. Quinimò & docet Iason hîc emphyteusim esse inter casus exceptos legis 2. de rescind. vend.

vend. supr. Rata deinde regula est, applicari eam fisco ob delictum emphyteutæ, præsertim si emphyteusis manarit ab Ecclesia: Bald. iterum lib. 3 consil. 417. Quæsiui à periti architectis, & latomis, cùm emphyteuses nostræ fieri soleant cum onere restituendi res emphyteuticas statu idoneo, postquàm impletum ipsarum tempus fuerit, aut, vt vulgo loquimur, *Pour les rendre en bon & suffisant estat, quand le temps sera expiré*, quid status ille idoneus, & vtrùm ad exstruenda integra ædificia teneantur emphyteutæ hæredes, aut succedanei, si per vetustatem ruitura, paucis pòst annis, videantur. Asseruerunt autem ex vsu, sufficere si ædificijs emphyteuticis periculum, finita emphyteusi, non imminicat. eoque iure vtimur, vt vidi in plurimis: maximeque in diuinæ illius domus Sorbonicæ emphyteusibus quarum quinque aut sex à paucis annis terminatæ sunt, tandemque post longam annorum seriem, ad veteres dominos, pleno iure, reuersæ.

IMP. IVSTINIANVS.

L. 2.

In emphyteuticis contractibus sancimus, si quidem aliquæ pactiones in emphyteuticis instrumentis fuerint conscriptæ, easdem & in omnibus alijs capitulis obseruari, & de reiectione eius qui emphyteusim suscepit, si solitam pensionem, vel publicarum functionum apochas non præstiterit. Sin autem nihil super hoc capitulo fuerit pactum: sed per totum triennium, neque pecunias soluerit, neque apochas domino tributorum reddiderit: volenti ei licere eum à prædijs emphyteutitarijs repellere, nulla ei in posterum allegatione, nomine meliorationis, vel eorum quæ emponemata dicuntur, vel pœna opponenda, sed omnimodò eo (si dominus voluerit) repellendo, neque prætendente quod non est super hac causa inquietatus: cùm neminem oporteat conuentionem, vel admonitionem exspectare, sed vltrò sese offerre, & debitum spontanea voluntate persoluere, secundum quod & auteriore lege nostri numinis generaliter cautum est. Nè autem ex hac causa dominis facultas oriatur emphyteutas suos, & reditum minimè velle suscipere, vt ex huiusmodi machinatione triennio elapso, suo iure is qui emphyteusim suscepit, cadat licentiam ei concedimus, attestatione præmissa, pecunias offerre, hisque obsignatis, & secundum legem depositis minimè deiectionis timere periculum.

Totius huius constitutionis mens in pauca hæc possit contrahi: valet pactum de expellendo emphyteuta, si solitam pensionem, vel publicarum functionum apochas non præstiterit. Si non sit pactum, & per triennium neque canonem emphyteuticum soluerit, neque censum publicum: potest dominus propria auctoritate, citraque ministerium iudicis, expellere. cui violentiæ, machinationique dominicæ vt eatur obuiam, emphyteuta, qui videt dominum nolle, toto triennio, accipere canonem ei debitum, vt mala arte expellat, potest testibus adhibitis, apud acta deponere. Prima rescripti illa pars non modò lege prima, de pactis, & lege 1. de constit. pecun. nititur, sed titulis ipsis integris, de pactis, & de verb. obligation. Cum autem inuisum nihil magis apud nos, quàm si quis vi, auctoritateque propria, sibi Ius dixerit, in quo seruamus religiosissimè legē, extat. quod met. causa, quæ eodē prorsus con-

textu repetita est in l. vlt. de vi priu. l. 1. de peric. & comm. rei vend. l. quidam Iberus. de seruit : vrb. præd. l. 3. de pignor. & l. 5. de vi publ. perpetua hæc apud nostros Iudices regula : legem commissoriam non obtinere in Gallia, nisi post acceptum iudicium. meminique & ita iudicatum anno 1614. die 19. Decembr. in colono qui Cressontiaci Prioratus Latifundium conduxerat, stipulatione adiecta vt intra duos menses ratum haberet vxor: aliàs, bimestrique illo exacto, locationem fore irritam, foréque liberum domino locare alteri nulla interpellatione facta, nullóque adito Iudice. Duo illi menses prætererant, duobusque alijs reuolutis, cùm obligationi mariti nõ accessisset coniux, colonũ alium eligit dominus. quo audito, prior colonus confestim ratihabitionem vxoriam affert, culpæque, ac more veniam petit ex morbo coniugis quæ in opidum proficisci non potuerat vt apud Tabellionem vnà cum ipso contraheret. Et quia auersum penitus dominum videt, experitur iudicio apud propræfectum Paris. profertur æquitas legis, Si ita quis promiserit. §. Seia cauit. de verb. oblig. & legis, Promissor. §. 1. de constit. pecun. addit verò neque hanc l seruari apud nos, neque tit. de leg. commiss. Vincitur ergo dominus. appellat senatum: apud quem denuò vincitur. vocabatur *de la Vau*. Patroni, *Brodeau*, *&* *Cornuaille*. Præteriri autem hìc non debeat obseruasse iamdiu ipsum Rebusum, in prœmio constitutionum, summotam vsu nostro Iustinianeam hanc ἀκρίβειαν moribus nostris: docètque ille necessarium omnino vt commissam esse stipulationem iudex pronuntiet. At verò & Cynus ad hunc textum, blandè, ac paucis, emendat glossam, quæ vult indistinctè emphyteutam eo casu expelli posse à domino, nulla accedente cognitione Iudicis. Tutiús faciet, inquit, si per iudicem. additque alterius interpretis sententiam dicentis periculosum, sequi glossam: licere enim quidem hoc aduersus colonum simplicem, qui per biennium non soluit : tantisper enim ille incolit dum pacto merces soluitur, nulloque alio iure moratur in agro conducto. Emphyteuta autem habet Ius & possessionem in re. Imo docet Chopinus, lib. 3. cap. 1. de priuilegijs rusticorum, & libr. 3. tit. t. consuetud. Paris. posse emphyteutam agere vnde vi aduersus dominum, si eum, vel finita emphyteusi, sine iudice expulerit, Iudiciáque in id senatus adiicit. Sic apud Niuernenses etiamsi prædium committatur domino, si canon annuus, quem vulgò Bordelagium nuncupant, solutus per triennium non fuerit, petitione tamen iudiciali opus est: art. 5. tit *des Bordelages*, hoc explicant plus satis Loëtiana postuma, ad lit. inf. num. 15. Expelli autem potest & ex hac causa quam explicat Molinæus ad consuetud. Paris. §. 30. num 167. si nimirùm abutendo deterat, ad nihilúmque redigat emphyteusim : quò spectant omninò verba hæc Cassiodori, lib. 2. variar. cap. 21. *Ager in emphyteusim negligenti, & ignauo concessus repetitur.* Idem verò & censet Molinæus in vassallo vastante non modò quicquid feudale est, sed vexante etiam; ac opprimente quauis alia ratione subditos, itaut sit planè intolerabilis, (verbum est Molinæi) possintque eo casu eximi iurisdictioni tam immanis patroni feudalis, seu domini, reddique deinceps regiæ. Quin & adjicit, liberandum eo casu vassallum fide debita, seu hominio, deuoluíque Ius istud hominij, seu homagij ad immediatum superiorem patronum, si tamen tanta sit vassalli innocentia, quanta patroni feudalis immanitas. dixi ad tit. de his qui sunt sui vel alieni Iur. ff.

Quantum ad consignationem reiectæ à demino pecuniæ quam ei auferat emphyteuta, fusè suprà diximus. Notabitur tamen obiter, atque in transcursu, futuram nihili apud nos consignationem, nisi porrectus de ea sit libellus Iudici, & vocentur ij quorum interest, vt nimirùm, si malint accipere, hoc dicant, nec patiantur otiosam deinceps pecuniam fieri apud acta, in quibus deposita fuerit. Ita ex edicto, ac vsu, nec quicquam & frequentius, & vnlgatins. Agit, quasi expassis velis, Iason (quod & ipse profitetur) ad totum hunc titulum, quem, ex sexaginta sex, solum, vnicúmque explicat. Seligo tamen ex illo, & alijs quæ conuenientissima ad forum, vt ex ijs lites instrui, muniríque debeant à à patronis, at verò & ferri prima, vltimáque iudici a ab accuratis, Romani, Gallicíque Iuris. (quæ potissima huiusce mei instituti ratio est) Iudicibus. Sacra enim supremorum tribunalium, decreta, maximéque Senatus nostri Parisiensis, in quo, per longos annos, vixi, moresque adeò patrios, quà, per negotiorum forensium turbines, licuit, obseruaui semper, quantum potui, debuique, religiosissimè,

chartisque arcanis mandaui quarum hodie literatam supellectilem apud cuiusque modi ingenia explico.

IIDEM. AA.

L. 3. quæ vlt.

Cùm dubitabatur, vtrùm emphyteuta debeat cum domini voluntate suas meliorationes, quæ græco vocabulo ἐμπονήματα dicuntur, alienare, vel ius emphyteuticum in alium transferre, an eius expectare consensum, sancimus, siquidem emphyteuticum instrumentum super hoc casu aliquas pactiones habeat; eas obseruari. Sin autem nullo modo huiusmodi pactio interposita est, vel fortè instrumentum emphyteuseos deperditum est; minimè licere emphyteutæ, sine consensu domini, meliorationes suas alijs vendere, vel Ius emphyteuticum transferre. Sed nè hac occasione accepta, domini minimè concedant emphyteutas suas accipere pretia meliorationum, quæ inuenerunt, sed eos deludant, & ex hoc commodum emphyteutæ depereat: disponimus attestationem domino transmitti, & prædicere, quantum pretium ab alio reuera accipi potest. Et si quidem dominus hoc dare maluerit, & tantam præstare quantitatem quantam ipse reuera emphyteuta ab alio accipere potest; ipsum dominum omnimodò hæc comparare. Sin autem duorum mensium spatium fuerit emensum, & dominus hoc facere noluerit, licentia emphyteutæ detur, vbi voluerit, & sine consensu domini, meliorationes suas vendere, ijs tamen personis quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari ad huiusmodi venire emptionem. Necessitatem autem habere dominos, si alijs melioratio, secundum præfatum modum vendita sit, accipere emphyteutam: vel si ius emphyteuticum ad personas non prohibitas, sed concessas, & idoneas ad soluendum emphyteuticum canonem transponere emphyteuta maluerit: non contradicere, sed nouum emphyteutam in possessionem suscipere non per conductorem, vel per procuratorem, sed ipsos dominos per se, vel per literas suas, vel (si hoc non potuerint, vel noluerint) per depositionem in hac quidem ciuitate apud virum clarissimum, magistrum censuum, vel præsentibus tabularijs per attestationem, in prouincijs autem per præsides vel defensores celebrandam. Et nè auaritia tenti domini magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent, (quod vsque ad præsens tempus perpetrari cognouimus) non ampliùs eis liceat pro subscriptione sua, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretij, vel æstimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere. Si autem nouum emphyteutam, vel emptorem meliorationis suscipere minimè dominus maluerit, & attestatione facta, intra

duos menses hoc facere superſederit; licere emphyteutæ, etiam non conſentientibus dominis, ad alios ſuum ius, vel emponemata transferre. Sinautem aliter fuerit verſatus quàm noſtra conſtitutio diſpoſuit, iure emphyteutico cadat.

Præſcribit emphyteutæ qua forma emphyteuſim ſuam alienare debeat: videlicet conſentiente domino, prædictáque ei conditione pretij oblati ab alio, vt, ſi velit, habeat ſibi, κατὰ προτίμησιν; perque honoris prærogatiuam, quod vænale eſt: profiteaturque apud perſonas publicas, quales hîc deſignat, ſe conſentire alienationi. Quem in conſenſum quinquageſimam pretij, vel æſtimationis loci, qui ad nouum emphyteutam transfertur, præfinit. Sic paucis Imperator textu celebri, & à quo nemo non dixerit ductam eſſe laudemiorum, ſeu releuiorum, vt loquimur, τῶν ἀσδικτικῶν, καὶ τῆς ἀναχάμψεως, (vt Græci) originem. In quibus tamen taxandis, ac ſoluendis non agitur ſummo iure à cenſualibus, feudalibuſue patronis, cùm ſint lucratiua, & odioſa, ait Molinæus ad artic. 109. conſuetudin. Aurelian. potiſſimùm verò ad conſuet. Pariſ. §. 22. & §. 53. vbi longe plurima de varijs eiuſcemodi iuribus quæ vocantur vulgò à noſtris, *lods, & ventes, quints, & requints, venteroles, & reuenton.*, citátque conſtitutionem hanc, vt archetypum. Sic ergo quæſtiones, quæ frequentiori in vſu ſint, propono, ac, per interpretum noſtrorum ſententias, decîdo. Primùm enim laudemia non eſſe computanda pretio, nec partem pretij facere, cùm de reſcindenda venditione agitur, oſtendit Chopinus, lib. 1. conſuetud. Andenſ. tit. 1. cap. 4. num. 2. ad oram libri. Deinde laudemia non deberi, licèt vnus hæredum det alteri in ſolutum reditus quoſdam annuos ciuiles, qui hæreditatis non ſint, ad æquandas portiones hæreditarias; dicimus nos Galli: *S'il'on baille quelques rentes en ſoulte de partage, leſquelles ne ſont de la ſucceſſion, lors qu'vn lot eſt plus fort que l'autre, & pour égaler le plus foyble.* hoc rurſum Chopinus eod. cap. 4. num. 8. atque ad oram libri. In cæteris ſcribit quidem Molinæus ad conſuetud. Pariſ. §. 13. glo. 3. num. 10. & 12. laudemia deberi domino cenſuali, iuráque feudalia patrono feudali, ex ſimplici venditione, citra vllam traditionem: ſecuſque eſſe in venditione conditionali, vel in diem. ſed vide ſuprà ad tit. quando lic. ab empt. diſced. ex eodem Molinæo, quàm ſit in eo ſibi contrarius. hæret Chopinus, lib. 3. de domanio, tit. 23. num. 4 ad quæſtionem de fundo quem ciuitas emerit, vtrùm eo caſu laudemia debeantur: atque ſenatum cenſuiſſe ampliùs deliberandum. quod cùm aliquando Iac. Choartius, Romani, Gallicique iuris callentiſſimus, ex me, inter ſermones, audijſſet, miratus eſt mecum, vt rem aduerſus emptrices ciuitates, quæcumque illæ ſint, indubiam. verùm de hoc plus ſatis. Quærit Tiraquellus. §. 29. glo. 1. in pr. de retratu, vtrùm in retractu gentilitio debeantur laudemia: docet autem non deberi, nè quidem de iure communi: fieri enim iſtud ex neceſſitate primi contractus, inuitóque emptore. Quod & ipſum ait in venditione facta cum pacto de reuendendo, vel cum pacto legis commiſſoriæ, aut addictionis in diem, donec venditio pura, ac irreſolubilis maneat; mera ipſius verba recenſeo. Quantum ad pacta reuenditionis, cæteraque reſolutoria diuerſum id ex varijs regni conſuetudinibus, quas ſigillatim enumerat. Aliæ enim ſtatuunt non deberi laudemia vbi facultas eſt redimendi in nouennium: ſecus ſi vltra nouennium: Eiuſmodi ſunt Turonenſis, Andenſis, Cenom. Blæſenſis. Aliæ & cùm vel vltra ſolum biennium: cuiuſmodi eſt, Melodunenſis. Quinimò & contractu qui conualeſcit ab initio, poſteáque diſſoluitur vel reſcinditur, deberi putat laudemia ex prima venditione, vt quæ pura fuerit: ſed non ex reuenditione vt quæ ſit ſequela prioris contractus. Debentur etiam, inquit, ſi diſcedatur à venditione, & pacto quod ex interuallo appoſitum fuerit: nec aliud iuris eſt ſi ſine eo pacto. vnde fit vt tam ex venditione: quàm ex reuenditione, ſoluenda duplicia laudemia cenſeat. §. 6. glo. 2. num. 4. 5. 6. & 7. de retractu conuentionali: quibus locis effundit quæ in pauciſſima contraho. Quantum ad donationes factas retento vſufr. docet longo ſermone Pontanus ad conſuetud. Blæſ. art. 87. in verbo, donatione. nihil in eam cauſam peti poſſe à domino, niſi donatore mortuo. At verò & quamuis loca-

tio in longum tempus facta sit, putà in sexaginta annos, iudicauit senatus an. 1607. die 29. Nouembr. contra Religiosos S. Germani Paris. nec deberi quippiam eo nomine dominis censualibus. causa in maiore auditorio dicta est. Anteáque, nempe an. 1601. iudicatum hoc ipsum fuerat in diuisione hæreditatis paternæ iterata inter cohæredes: sicque in linea directa, cùm in collaterali sit secus. Quæsitum est de distractu: si nimirùm resoluatur contractus ex causa antiqua, ac de præterito, vt loquimur. Nihil enim & eo casu præstari oportere, pronuntiatum est in purpuris, ad natalitia domini, an. 1587. Vnum subnotabo cur dicantur laudemia. Franci veteres, inquit post Pet. Pitheū Argentræus ad consuetud. Britannic. art. 59 *des droicts du Prince*, vocāt subiectos feudi, *leudes, loyaux: & Alode*, quod ei subiectum non est; laudemia verò quę à *leude* præstantur, id est, à subiecto pro feudo. sic illi, contráque sententiam Budæi qui ad l. Hærennius. de euictio. ff. à laudando factam dictionem scribit. Vt vtsit, tanti laudatio ea est, vt periculosa feuda habeant Burgundiones, quæ vulgò vocitant, *fiefs de danger*, Inde dicta, quia possessionem eorum capere nouo acquisitori non liceat illaudato patrono feudali, citráque eius consensum, sub pœna commissi. Quod tamen summum ius non obtinet in eo qui successurus sit ab intestato, præsertim quando aliquid datur in dotem, vel donationem propter nuptias. Item si quis consuetudinem localem nesciat: deinde si sit creditor si fructuarius, si colonus, vt quorum possessiones fictæ sint, non reales, de quibus solis realibus consuetudo intelligenda est: asseritque istud Molinæus aduersus Chassaneum. sufficit verò si petita sit licentia, nec obtenta. verba sunt Molinæi. Tractat Chopinus ad consuetud. Andens. lib. 2. tit. 3. parte 1. cap. 2. de militijs, muneribusque, aut, vt loquimur, officijs vænalibus, ac hæreditarijs, vtrùm scilicèt debeant laudemia, cùm væneunt: Censet ille deberi, nisi agatur de ministerio, officióque publico quod è regio patrimonio decerptum sit, qualia sunt, *les offices fiefez, & infeodez, comme Sergenteries, Mairies, &c.* Prætermitto facilè quod scripsit Math. Afflict. Senator Neapolit. decis. 238. de emphyteusi finita, eam nempe debere descendentibus, vt loquitur, concedi, vt quibus aliàs iniuria fieret: in quo & citat Bartolum. Totum id in arbitrio est concedentium, qui, prout sese ampliùs percepturos vident, transcribunt sæpissimè alienis, nouisque successoribus quicquid vel per centum annos penes colonos veteres fuerit. Quotidianū hoc. Prætermitto etiam inanes, futiles, ridendásque forcatuli Necyomantias ad hanc l. vlt. de qua ille in dialogis 36. & 37. legi, ac relegi, vt aliquid de exotico, sublimlque illo titulo elicerem, sed meras φλυαρίας, aut, verè dixerim, νεκυομαντίας, reperi. Id est, inanes verborum sonos, ridiculáque, seu de laruis, ac mortuis, somnia. pudor equidem Palladiæ Tolosæ, antepositum olim in schola ita celebri, tam ineptum Ardelionem incomparabili suo Cuiacio. Ex his igitur paraui, instruxi, adornauique, ni fallor, feréq; vt in horto consito, quod iam ἐμπεφυτευμένον, id est, excultum, insitum, vomeréque ceu laureato proscissum ab Imperatoribus Leone, & Iustiniano fuerat. adauxi autem, quasi in vacantibus amœni, latissimíque cuiusdam horti areis, si quid deesse, addíque oportere, visum est: qualíque, dixerim, opera, cura, ac studio commendat Hortenses delicias, pater omnis virtutis, Homerus, ὀδυσ. ω. cùm ait, inter cætera:

—————— οὐδέ τι πάμπαν

Οὐ φυτὸν, οὐ συκῆ, οὐκ ἄμπελος, οὐ μὲν ἐλαίη,


Οὐκ ὄγχνη, οὐ πρασιή τοι, ἄνευ κομιδῆς κατὰ κῆπον.

Id est, omninò neque planta, neque ficus, neque vitis, nec oliua, nec pyrus, nec vacua, in horto, area sine cura est. Habes denique, ad partem maximam, &, quà fieri potuit, quid schola, & quid forum. Neminem enim ex interpretibus tam veteribus, quàm nouis, prætermisi, qui à me obseruatus non sit absitque inuidia verbo, cùm res ita tulerit: legi vsque ad contemptibiles, & in quibus nè verbum quidem occurrit vnde, ad interpretandos hinc inde textus, proficerem: imò miratus sum, tantū nominis assecutos quosdam, vnúmque, præ cæteris, cùm tanta sit in eorum scriptis securitas. connoto id obiter, vt qui ex longinquis regionibus quas peragrarint, memorant reduces quæ molliores, quæque asperiores, ac molestiores viæ. festiuè Horatius Saty. 5. libr. 1.

Inde Rubos fessi peruênimus, vtpote longum
Carpentes iter, & factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior: via peior, adusque
Bari mœnia piscosi, &c.

Cæterùm per indefessam, inter negotia, noctium magis quàm dierum, operam, votis amicorum, ac plurium qui ex varijs, dissitisque vndequaque prouinciarum metis, blando literarum illicio, at certè ex sponsu egerunt, vt cæpta peragerem, deesse tandem, in tribus his, quos edo iterum, ad iam emissos, Codicis Iustinianæi libris, nec potui, nec debui. Condonabit, spero, & quiuis, si in tam operoso, periculosóque conatu, tentasse videar quod gratum minùs, ægrisque forsan stomachis fastiditum accedat.

F I N I S.



Summa Priuilegij.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum & Nauarræ Rex Christianissimus sanxit, ne quis regnicola, vel extraneus, intra suæ ditionis fines, ante annos duodecim à die primæ editionis absolutæ typis mandet, néve vendat simul, nec separatim *Antonii Mornacii in Senatu Parisiensi Patroni Obseruationes in Codicem Iustiniani*, præter NICOLAVM BVON Bibliopolam Parisiensem: Qui secus faxit, duorum millium librarum Turonensium confiscationisque librorum pœna mulctabitur. Vti latiùs patet in Regio Diplomate dato Parisiis die 16. Iulii. 1615. subsignato

Ad mandatum Regiæ maiestatis

RENOVARD.

Hæc prima editio Obseruationum in tres libros Codicis 2. 3. & 4. absoluta fuit vltima die mensis Maii 1619.



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM
QVÆ IN OBSERVATIONIBVS AD LIBROS
Secundum, Tertium & Quartum Codicis continentur.

A

E

F

G

N

O

Octauij.

P

Q

R

S

T

Anagram.

ANTONIVS MORNACIVS.

IVS ORNA SANCTIONVM.

Ita STEPH. COLLINETIVS, in præsidatu Turon. patronus.

ERRATA.

Quē, pro, quem p. 17. σύζυγον. pro, σύγγονον. 59. mucrone. nō, mucrone. 21. altiůs. non, alterius. 38. & columnâque. non, columnáque. ibid. pluris que quàm alienos facimus. non, plusquàm alienos pluris facimus. 56. veniat. non, venat. 65. monet. non, mouit. 66. 8, ex. non è. ibid. natu. nō, nata ibid. sunt. non, sint. ibid. διαγλάπτει. non, διαγλάψει 68 perfecto. non, præfecto. 77. Ἰαννεὶς. non, ἰωνεὶς. 80. seruasso, non, seruasse. 92. dele, V. Francisci primi, & lege, Caroli, V. Francisci pr. 102. afficiendi. nō, afficiendæ. 103. inuidiosum. non, inuidisoum. 108. priscis. non, prisci. 117. ταμιεῖα, non, ταμιεῖα. 119. de Iustit. non, de instit. 120. ἐγχειρίδιον. non, ἐγχειρίδιον. 131. minuitur. nō, minuirur 135. fusissimè. non, fussimè. 135. frequentissimo. non, frequentissima. 143. in incerto. non. in incerta. 145. adolescentium. non, adolescentiam. 147. ὀψιμαθεῖς. non, ὀψιμαθὴς. item, ὀψιμαθεῖς. non, ὀψιμαθεῖς. 147. illi. non, illa 150. nauis. non, naut. 169. dispunctæ. non, d'spunctæ. 181. qui. non, quo. 215. coruscantibus. non, corruscantibus. 214. poriorea. non, puritores. 225 subseciua. non, subsecina. 225. reuisionem. non, remissionem. 236. sub fi. Selign. non, seligi. 241. sub fi. incentiua. non, incentina. 261. vxor. non, vxori. Ibid. in illo, non, in illa. 262. Salute. non Salutis. 297 Belgæ. non, Belgææ 299. in extrema lin. Nantissamenta. non, Nautissamenta. 300. nostra. non, nostræ. 305. in pr. quoniam. non, quosiam 325. solita. non, solit. 337. in pr. instructionibus. non, instructonibus. 342. ad l. fi. ium quem. fam. hercis. fecere. non, facere. 349. dissentiens. non, dissentientes. 350 dele, merces. lin. 22. pag. 353. respicientes. non, respienes. 358 in fi. agendis. non, agendisq;. 359. ad l. 4. ad exhib. vlteriùs. non, vlterùs. recentia. non, trecentia. pag. pen. in fi. ad l. vlt. de religios. resignator. non, resignatorem. 399. lin. pen. ex, non, lex. lin. vlt. pag. 403. dele, vt. lin. 2. pag. 407. συνάχθεια. non, συνάχθεια. 418. atterunt. non, alterunt. 419. testatoria. nō testatori. 421. eam. non, eum. 428. lin. 44. cedere. non, credere. 428. lin. 47. optimum. nō, optimum. 449. quid. non, quod. Ibid. adde, præscriptio. post, legis vnicæ 451. secundum. non, secunda. 456. audiendus. non, audiendas. 457. Markalcum. non, Martalcum. 459. adde, quæritur. post, sunt. lin. 10. pag. 469. adde, vt. post, non est. lin. 31. pag. 481. cauerim. non, caui. 486. adde, vt. post, coniuge. lin. 27. 486. alibi. non tibi 494. maritali. non, maritalis ibid. magistros. non, magistratos. lin. 16 pag. 523. canonico. non, canico. 910. delendum, quis. post, semper. lin. 6. pag. 812. persimilis. non per sim les. 819. respexerint. non, respexerit. 829. vlt. lin. Auth. non, Anth. 835. παιχνίζειν. non, παιχνίζειν. 841. primos. non, primios. 864. allegatam. non, allegatum. 865. indicem. non, iudicem, 876. sciente non, scienrie. 878. minus. non. aminus. 883. τετυχηκότων τυχῶν. non, τετυχηκότων τυχῶν. lin. vlt. 886. suo. nō, sua, 887. ἀριθμὸς. non, ἀριθμὸς. 889. Καλὴ, non, Ζαλῆ. 904. Eburio. nō, Ebulio. 915. læserint. non, læsierint. 970. sunt: post, damnati. non, sint. 170. arbitrij. non arbitrij. 970.